B S G S



I—5 9 Z





Collegij ALTER TOMVS Societatis

ARISTOTELIAE LOGICAE,

IN QVO INSVNT:

Topicorum Lib. 8.

JEW Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno Interprete. Swidnicij

De Reprehensionib. Sophistar. Lib 1.

Nicolao Grouchio Rhotomagensi Interprete.

Catalogo inscriptus

VNA' CVM ANNOTATIONIBVS GERARDI MATTHISII GELDRIENSIS, PARTIM NVNC recens editis, partim de integro recognitis & locupletatis.

Ex libris ~~Georgij Clemen Fratris Sensis Silesij~~ Christophori Becheri Oppol: 5.5

Additus est memorabilium & verum & uerborum Index.

Adiecimus prætereà librum de Natura & essentia rerum, authore quidem D. Thoma Aquinate, at nunc recens παραφρασικῶς translatum, & commentarijs prætereà nonnullis adiectis illustratum, per Gerardum Matthisium. Libellus est omnibus ueræ Philosophiæ Candidatis longè utilissimus.

COLONIAE
Excudebat Petrus Horst.
Anno 1566.

BIBLIOTEKA AKADEMICKA PAN
14147
2592 a 1967

REVERENDO AC ILLVSTRI DOMINO, D. HENRICO COMITI IN SEYNA, DOMINO IN HOMBVRCH, MVNCLER, ET MEINTZburch, & cæt. Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienſis Decano, Domino ſuo cum primis colendo, Gerardus Matthiſius Geldrienſis S. D. P.

NOn ſum neſcius Reuerende ac illuſtris Domine, pleroſq; vehemẽter mirari, quid ſit, quòd cùm aliò iampridem & vitæ meæ inſtitutum, & ſuſceptę promotionis ratio nos vocare videatur, in ijs tamen ſtudijs, quę etſi contemnenda per ſe minimè ſunt, nequaquam tamen & cum vitę noſtrę genere, & cũ ſuſceptę, vt dixi, profeſsionis ratione ſatis congruunt, tam diu permaneã, & quaſi acquieſcam. Etenim quid eſt per DEVM immortalem, quod vel CHRISTI myſtæ, vel diuinarum literarum Interpreti, cum Ariſtotele, quantumuis alioqui præſtãti atq; excellenti in Philoſophia Viro, ſatis conueniat? Ecquid ſacrorum codicum euolutio ac meditatio, quàm prophanorum ſcriptorum lectio, crebra aſsiduaq; magis eum deceat? Decet profectò, decet. Ac quod ad me attinet, nõ diffiteor ſanè, quin ita res habeat: Maximè dum animo ſubit à Regio Propheta ſcriptum eſſe: In mãdatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. In iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos. Et alio loco: Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Etſi enim iſta verba ad quemuis Chriſtiani nominis ac pieratis cultorem promiſcuè referri poſſunt, neceorũ qui CHRISTI myſterijs peculiariter initiati ac conſecrati ſunt, propria eſſe videntur: nemo tamen, vt exiſtimo, vel in primis ad eos, quibus ſpecialiter iſta cura mandata eſt, eadem pertinere negabit. Præſertim cùm apud Malachiam ſcriptum ſit: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. Sed quid, inquiat aliquis, ſi ad Sacerdotes prę cæteris Scripturarum meditatio & tractatio pertinet, iuxta id quoque quod DOMINVS & Seruator noſter iſtius generis hominibus apud Euangeliſtam ait, Scrutamini ſcripturas: quid eſt, quòd iſtius rei cura leuiùs te

tangit,

tangit, posthabitaq; diuinarum scripturarũ accuratiore tractatione, plus operæ ac studij in prophanis, maximè autẽ philosophicis, literis cognoscendis & explicandis tu ponere ac collocare nobis videris? Etsi qui ad hunc modum studiorum nostrorum, & exactę superioris vitę rationem exquirunt, alibi à nobis responsum est: non ab re tamen fore iudico, si & hoc loco, quàm fieri potest paucissimis, ijsdem respondeã: ne videlicet, quod mihi culpandum aut reprehendendũ minimè videtur, id ipsi tanquã ab omni ratione abhorreat, in vitio ponãt, & acri insectatione persequendum esse arbitrentur. Qui itaq; hoc modo in studia nostra, & superioris vitæ instituta inquirunt, sic habeant, in ijs qui priuatim vitam degunt, & tanquam Aspendij citharistæ (de quo apud Græcos in prouerbio est) sibi intus canunt, id quod ipsi volunt, rectè quidem dicitur in ijs, quorum ortus partem patria, partem amici, partem cõmunia studia sibi deposcunt & vendicant, longè aliam mihi rationem propterea videri, quòd his non tam quid priuatim ipsos aut deceat, aut iuuet, sit considerandum: quàm quid aut Reipub. salus, aut amicorum vtilitas, aut communium deniq; studiorum ratio efflagitet. Ac cùm hoc ita sese habeat, egoq; non priuatim mihi viuam, sed publicam quandam in non postremo huiusce Academiæ Gymnasio (quod ad literariæ rei conseruationẽ ac sustentationem attinet) personam sustineam: quis est, qui indignum facinus admitti à me clamabit, quòd, nõ derelictis & reiectis, sed ad tempus tantum sepositis, aut si mauis, paulò remissiùs ad tempus (quò sic in posterũ liberiore animo toti ijs vacare possemus) tractatis, Theosophiæ studijs, in eo paulò diligentiùs elaboro, vt nostra opera, studio, ac labore in ijs literis, quæ DEI Ecclesiæ aliquando profuturæ sunt, nostræ fidei concrediti Adolescentes (si ad alios fortè laborum nostrorum fructus sese latiùs non proferat) aliquanto rectiùs condiscendis adiuuentur? Cùm ab ineunte ætate pluisculum operæ ac diligentiæ in ijs studijs posuerim, equidem indignam me rem, adeoq; turpem ac vituperandã me facturũ existimaui, si mei laboris fructum, quantulumcunq; demum in ijs studijs consecutus essem, penes me tacitè perire sinerem, ac non potiùs Dominici præcepti memor, in communem aliorum vsum (id quod citra arrogantiam dictum velim) eum proferre conarer. Quum Philosophicæ literæ ad rectè secandum DEI verbum, ac pertractandum mira dexteritate inuolutas Scripturarum quæstiones, singulare adiumentum, omnium confessione ac testimonio afferant: num quis est, qui sine reprehensio-

hensione rectè eas addiſci, fructuoſè tractari, euolui, ad plurium q; notitiam rectè traduci, negare audeat? Præcepit olim DOMINVS filijs Iſrael, vt iam de Aegypto exituri, ſinguli amicos vicinosq; ſuos, aurum, argentum, ac pretioſam veſtem repoſcerent, quæ inde ſecum auferentes, in alium longè ſcilicet meliorem, digniorem q; Tabernaculi extruendi vſum poſteà conuerterent. An hoc præcepto aliud DEVM nos cõmonere voluiſſe credemus, niſi vt quemadmodum filij Iſrael de Aegypto egreſsi ſunt, hoſtium ſpolijs ſuffarcinati, quæ deinde ad DEI ſui cultum tranſtulerũt: ſic & nos in Ethnicorum literis verſemur, vt quæcunq; in ijs commoda nobis ac fructuoſa repererimus, ea ab ijs tanq; mutuemur, & in noſtrũ, hoc eſt, DEI, & Eccleſiæ matris noſtræ vſum, longè potiorem diuinioremq; relictis iſtis tandem transferamus? Eo nimirum modo, quo Patres noſtros, ſanctiſsimos illos ac verè beatos homines, D. Cyprianum, Hilarium, Lactantium, Victorinum, Hieronymũ, Auguſtinum, Ambroſium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, Baſilium, & infinitos alios, tum Græcos, tum Latinos Eccleſiæ proceres feciſſe, partim illa ipſa, quę poſteritati reliquerunt, admiranda ſanè monumenta teſtificantur, partim alij non contemnendę eruditionis Viri de ijs ſcriptum reliquerunt. Sed quid ago? Dum ad hunc modum ſuperiorũ temporum ſtudia mea tueri ac defendere adnitor, longiùs me progredi ſentio. Quapropter ne in defendẽda re, & per ſe honeſta, & minus, vti mihi videtur, patrocinij egente, diutiùs morer, hîc finem faciens, ad id quod reliquum eſt, nunc me cõuerto. Edidi ſuperiore æſtate in Logicos Ariſtotelis libros, antè quidem diuulgatas aliquoties, at tum de integro correctas & emendatas, quin etiam compluribus in locis non vulgari acceſsione auctas & locupletatas, Commentationes nonnullas: quas cũm doctis Viris non diſplicere, ſed & probari quodam modo, non paucis ijſq; claris & perſpicuis argumentis didiciſſem, faciendum id mihi putaui, vt quæ etiamnum in Logica diſciplina reſtarent, partim quidẽ breuibus annotationibus iam tum à me expoſita & explicata, partim verò nondum etiam id temporis (quanquam illa perpauca) à me attacta, quãtum & temporis anguſtia, & negotiorum vndiquaq; ingruentium turba, vnà cum afflictæ valetudinis noſtræ ratione paterentur, ad eorũ cùm emendationem & locupletationem, tum explicationẽ illuſtrationemq; me primùm conferrem. Quod cùm ita decreuiſſem, feci, vt quicquid tum tẽporis neceſſarijs ſtudijs, atq; occupationibus, partim domeſticis,

partim Ecclesiasticis, succisiuis horis mihi decidere, & tanquam suffurari licuit, id omne in eam cogitationem à me impenderetur. Vtrum verò hoc temporis, perinde vt in superioribus illis, sic & in his tractandis & explicandis vtiliter à me impensum atque consumptum sit, aliorum id esto iudiciũ. Ego quidem certè summa id ope adnisus sum, ne et discipulorum nostrorum profectui in hac re deesse, & aliorum, si qua de nobis fortè cõcepta esset, in eadẽ fallere penitus expectationẽ viderer. Fui quidem in hisce explanandis paulò quã in superioribus illis, propterea succinctior, quòd hi libri, quàm antegressi illi, minus mihi Interpretis egere, & faciliores (si qui non omnino hebetes ac plumbei ad eos Lectores accederent) ad intelligendum esse viderentur. Cuius ea causa est, quòd tum liberiore ac solutiore dicendi genere hîc Aristoteles vtitur, tum etiam quòd res de medio quasi sumptas crassiore ac rudiore Minerua explicat, sicut ipse testatur non longè ab initio lib. 1. Topicorum scribens in hæc verba: Διότι περὶ οὐδενὸς αὐτῶν ἐν ἀκριβῆ λόγον ἀποδοῦναι προαιρούμεθα, ἀλλ' ὅσον τύπῳ περὶ αὐτῶν βουλόμεθα διελεῖν παντελῶς ἡγούμενοι ἱκανὸν κατὰ τὴν προκειμένην μέθοδον, ἐδύνασθαι γνωρίζειν ὁπωσοῦν ἕκαστον αὐτῶν. Quòd si quid alibi vel minus à nobis explicatum esse, vel omnino cùm enodationis indigeat, silentio à nobis præteritum videatur, quod nõ ausim, quin interdum euenturum sit, mihi polliceri: equidem sic statuo, facilem mihi apud omnes, præsertim æquos rerum æstimatores, hîc veniã paratam fore. Maximè si secum in animis reputent, me nec ad hoc scriptionis genus (qualecunq; id demũ æstimetur) lucubrandum, vllo præsidio, exceptis Græcis Alexandri Aphrodisei Cõmentarijs, fretũ accessisse: & idipsum tum deniq; à nobis elucubratũ & perfectũ esse, cùm vrgente prælo, nunc his, nunc illis vndiquaq; obstrepentibus, & irruentibus in me curis ac molestijs quodammodò circumuallabar. Cuius rei testes locupletes mihi sunt, cùm Typographus qui hæc ipsa excudit, tum omnes, quotquot domestico conuictu, ac consuetudine nostra familiariter vtuntur. Si quis ex me roget, quam ob rem in his libris interpretandis, quàm in omnibus alijs, qui antecedunt, & sæpiùs & prolixiùs Græca à nobis inserta sint, is sic habeat, nulla id prorsus necessitate à nobis factum esse: quasi verò istis in locis, in quibus id factum est, minus ab Interprete Philosophi mentem Latinè redditam, atq; expressam esse statueremus. Non ita est. Si enim vsq̃ alibi, vel in his libris cõuertendis singularem & curam, & fidem adhibuisse Interpres videtur: Id quod non

obscurè

obscurè etiam, nec dissimulanter ipse prę se fert. Quid ergo? Ob eam id causam factum esse quisq; sibi persuadebit, quòd hoc modo venustatem & elegantiam Philosophicæ dictionis, qua in his libris præcipuè Aristoteles vtitur, cuiq; ob oculos positam & constitutam esse optaremus. Neque enim par ratio horum librorum est cum illis libris, qui hos antegrediũtur: cùm in cæteris breuius, aridius, ieiunius, pressius, & quasi spinosius dicendi genus adhibitum sit: in his verò paulo fusius, latius, succulẽtius, ac floridius. Id quod præter Ammonium Hermeam præfatione in Aristotelis Categorias, & ipse Cicero initio Topicorum suorum ad C. Trebatium fatetur, dum minus ignoscendum id sui temporis Philosophis esse scribit, quòd hos Aristotelicorum Topicorum libros minus cognitos ac perspectos haberent, idcirco, quòd non solum rebus ijs, quę in his libris traduntur & explicantur, inuitari, sed dicendi quoque incredibili quadam, vt ipse ait, cùm copia, tum etiam suauitate ad cognoscendũ allici meritò debuerint. Verùm hæc hactenus. Sequitur vt nunc, posteaquàm instituti nostri rationem satis superq; ante oculos proposuisse videmur, ad te tandem Reuerende & illustris DOMINE, sermonẽ nostrum conuertamus. Hîc causa mihi explicanda videtur, quam ob rem, cùm de huius Operis editione cogitarem, alijq; non pauci, quibus id meritò dicandum & inscribendum esse videbatur, mihi de hac re cogitanti sese offerrent: tu tamen ex omnibus alijs solus extitisti, cui nostrũ laborem in hoc Opere explicando & interpretando (quomodo suprà diximus) impensum & collocatũ, cum primis nuncupandũ esse duceremus. Equidem non alia causa, etsi plures eæ alicui non improbabiles fuisse recte videri queant, non alia, inquam, causa ad hæc illustri tuo nomini inscribenda inductus sum, nisi quòd, posteaquàm in amplissimũ istũ dignitatis locum, te DEVS Opt. Max. collocauit, te ita gesseris, & bonis omnibus probaris, vt nemo sit, (veniam dabis, si quod res est, candidè & ingenuè profitear) qui non singulari eximiarum ac præstantium virtutum tuarum, humanitatis, modestiæ, benignitatis, prudentiæ, diligentiæ, & quã ante omnia nominare debui, pietatis ac Religionis admiratione capiatur, eamq; ob rem te veneretur, colat, atq; amet plurimùm. Non hæc dico, quòd eædem istæ virtutes in te non apparuerint, antequã ad istum dignitatis gradum conscenderes. Absit. Nisi enim in te iã antè quasi enituissent, nunq; mihi crede, ad illud honoris fastigium, (cũ neq; ætas tãto honori fungẽdo satis exse apta esse videretur) tanto omnium

consen-

consensu, tanta cõcordia & quasi conspiratione cœlitus singulorum animis immissa, electus & euectus esses. Sed id volo, nunquam tam clarè ac dilucidè eas antè apparuisse, quàm post id temporis, maiore scilicet atq; vberiore earundem virtutum exercendarũ materia, et tanq̃ segete se iam tum offerẽte, in te eminere atq; excellere cœperunt. Et quæ spes est nobis de rara, ac præstanti tua natura atq; indole, nunquã efficies, quin eędem istę tẽporis progressu, atq; accessu ætatis longè prędlariores, insignioresq; indies virtutes euadant. Neq; enim quẽadmodum vulgò fieri assolet, vt dum ad honores noui & à se quasi orti homines primũ admittuntur, tum nescio quo modo honorum accessio aliquid de morũ istorũ grauitate detrahat, sic & in te futurũ cõfidimus. Longè siquidem aliud de te nobis persuasum est, cùm ad generis tui nobilitatem, maiorum virtutem, insitam probitatem, longo iam tempore perspectam, atq; exploratam vitę constantiam, & grauitatem, quæq; non minimam rectè et decorè vitæ instituendæ in se vim obtinet, puerilem educationem ac disciplinam, animum conuertimus. Sunt quidem insignia, eaq; non pauca exempla principum virorum, (idq; siue sacras liber, siue prophanas memminisse historias) eorum, qui cum summa virtute, ac maxima laude, decretos sibi honores, atq; oblatas dignitates primũ suscepissent, posteà tamen alios in magistratu, ac longè sui dissimiles sese declararũt. Verùm Dij meliora, quàm vt tale aliquid de tua excellenti ac præstabili natura suspicemur. Audisti Reuerende DOMINE, quæ causa me ad hanc lucubrationem tuæ Gratiæ ac nomini dedicandam impulerit. Ea causa si talis est, quę non iniquo rerum æstimatori ac iudici probetur, etiam atq; etiam rogandus tu mihi es, vt hoc qualecunq; nostri in te studij atq; obseruantiæ monumentum pro animi tui candore benignè suscipias. Vellem alio modo te digniore licuisset mihi in præsens animi mei propensam in te voluntatem declarare. Quanquã non est, quòd indignum Reuerẽtia tua hoc Opus, etsi Philosophicum, quispiam æqua lance rẽ secũ expendens, esse putet. Eiusmodi enim & maximis Principibus, Regib. & Pontificibus, non rarò, non hoc solùm nostro, sed & maiorum longè retroacto tempore, doctissimos quosq; ac præclarissimos Viros dicare solitos, nemo est, qui ignoret. Si intelligam non ingratum aduersùm te fuisse hoc studiũ nostrum, operam dabo, vt vita comite, ac DEO bene prosperante & fortunante studia nostra, maiorum vigiliarum opus aliquando in tuo, vniuersiq; Capituli (cuius indignum me esse membrum libenter

libenter profiteor) nomine appareat. Precor DEVM Opt. Max. vt in isto dignitatis gradu, cùm ad suam gloriam, tum ad Ecclesiæ vtilitatem, tuam Gratiam quàm diutissimè incolumem, beneque florentem conseruet. Vale. Coloniæ in Gymnasio Montano, pridie Nonas Martias. Anno 1566.

***

MATTHISIVS LECTORI.

QVod in superioribus libris Aristoteliæ Logicæ adhuc fecimus, ut prius quã ad rem ipsam de qua tractatio proposita esset, explicãdam ingrederemur, pauca quædam Capita ex genere τῶν προσαγορευομένων, seu προλεγομένων, (quæ Græci uocãt) Lectoris comparandi gratia præmitteremus: idipsum & hoc loco necessariò mihi faciendum uidetur. Prætermissis itaq; alijs, quæ minus ad rem pertinere uidebuntur, illa tantũ hîc persequar, sine quibus uix, aut ne uix quidem, huius disciplinæ ignari Adolescentes, insequentis Operis, (quod hîc nobis ad explicandum propositum est) uel tenuem saltem cognitionem adipisci posse uideantur. Illa autem sunt, ut primùm de scopo & materia horum librorum inquiramus: deinde, ut ratione Tituli exposita, quædam de locis exponamus: In quo & quid hi loci à Ciceronianis distent, & quàm præposterè de hac disciplina nonnulli senserint, nobis aperiendum erit. Tum, ut & quæ partitio huius Operis sit, (hoc est, quæ res singulis quibusq; libris potissimũ ab Aristotele explicentur) & quæ Veterum de eodem hoc Opere sententiæ fuerint, quidq; ex eodem plerique imitati sint, ob oculos breuiter constituamus.

QVOD DE ALTERA LOGICAE PARTE, NEMPE DIALECTICA, HOC OPERE AGATVR.

Caput. I.

CVm uniuersa disserendi ratio, (quam ueteres Peripatetici Logicam dixêre, Boëtius dialogo primo in Porphyrium à Victorino redditum, Syllogisticam appellare uidetur) in duas partes tributa sit, Apodicticam, cui scientia & ueritatis cognitio proposita est, & Dialecticam, cui fides & probabilis sententia, seu opinio: has partes ita discreuit & separauit in Organo suo Aristoteles, ut Apodicticè in posteriore parte Analytici Operis, quæ de ἀποδείξει & Demonstratione agit: Dialecticen uerò in Topicis, & ijs quæ Topicæ tractationi tanquam auctarium quoddam accedunt, Sophistarum Reprehensionibus copiosè diligenterq; exposuisse uideatur. Ac cùm de Apodictica quidem nulla,

quod ego sciam, dubitatio sit: de Dialectica superest, ut eam prædictis illis libris traditam comprehensamq; esse, paulò diligentiùs hoc loco demonstrare conemur. Vnde uerò huius probationis certius luculentiusq; argumentum, quàm ab ipsomet authore, & doctore hu iusce differendi rationis ac disciplinæ, peti poterit? Nũquid clarè uerò iste testatur, eam differendi rationem, quæ in probabilitate posita est, & nihil præter fidem assensionemq; eius, quicum differendo agitur, ex professo spectat, sibi ad tractandum explicandumq; his libris propositam & constitutam esse? Audiamus quid initio huius Operis de hac re ipse scribat. ἡμῖν πρόθεσις, inquit, ἡ πραγματείας μέθοδον ἐυρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων. Hoc est, Propositum est quidem nobis hoc loco, uiam ac rationem inuenire, qua de omni proposita quæstione probabili ratione poterimus differere. Quid, probabilitérne hæc de omni quæstione posita differendi & concludendi ratio, Dialectica est? Quomodo Dialecticen finiendo Rodolphus explicat lib. 2. Dialecticæ Inuentionis, cap. 2. Nónne ut ars sit probabiliter de qualibet re proposita differendi, pront cuiusq; natura capax esse fidei poterit? Nõne consimili modo in hunc locum Alexander ueteres Peripateticos Dialecticam definiisse ait? ὁρίζονται διαλεκτικὴν, inquit, εἶναι μέθοδον δι' ἐνδόξων περὶ παντὸς τοῦ προκειμένου συλλογιστικῶν. An non eodem modo & præfatione in Categorias de eadem re scriptum Ammonius reliquit? Nam eius in Topicis, inquit de Aristotele loquens, intentio est Dialecticam nobis tradere methodum. Est autem Dialectica, uti ipse definit, methodus, quæ de proposito omni problemate ex opinabilibus seu credibilibus ratiocinatur. Ac si plura quidem desideres, nónne idipsum & palàm Aristoteles profitetur, dum initio præsentis commentationis Topicæ, Dialecticam ratiocinationem hoc Opere se inquirere & indagare scribit his uerbis? πρῶτον οὖν ἐκτέον, τίς ὅτι συλλογισμός, καὶ τίνες αὐτοῦ διαφοραί, ὅπως ληφθῇ ὁ διαλεκτικὸς συλλογισμός. τοῦτον γὰρ ζητοῦμεν κατὰ τὴν προκειμένην πραγματείαν. Id est, Ac primum quidẽ quid sit ratiocinatio dicendum est, quæq; eius genera, ut ratiocinatio Dialectica, quoniã hoc sermone eam inuestigamus, quid sit intelligatur. At satis multa hæc in præsens sunt, ex quib. patere iam existimo, alteram differendi doctrinæ partẽ, quæ uerisimilitudinem sibi propositam habet, (quæ proprio nomine Dialectice appellatur) hoc Opere ad explicandum nobis propositam esse. Maximè uerò, quod ad materiæ rationem pertinet, eam ex qua prædicta differendi ratio conficitur. Nam illa sola hîc exquiritur & comparatur, forma interim, seu tractandi modo aliò, nempe ad priorem Analyticen (quemadmodum alibi, ut in προλεγομένοις nostris, cap. 9. demonstrauimus) sese referente. Verùm hæc de proposito & materia Topicæ tractationis hactenus.

Dialectica probabiliter differẽ di ratio.

DE TITVLO HVIVS OPERIS, ET QVA'M MVLTIPLEX VERBI LOCI NOTIO SIT. Cap. 2.

Sequitur

SEquitur nunc, ut de titulo & inscriptione huius Operis inquiramus. Dicitur itaque id ἀπὸ τῶν τόπων, hoc est, à locis, quia locos, ex quibus omnis argumentatio trahitur, qua non modò in Philosophorum disputatione, sed in Rhetorum quoq; ad astruendam orationis probabilitatem utimur, profitetur & continet. Sic Alexander, ἃ ἐπιγράφετο τοπικὰ, inquit, ἀπὸ τοῦ τόπους τινὰς ἐν αὐτῇ πραδίδοσθαι, ἀφ' ὧν ὁρμώμενοι δυνησόμεθα περὶ πανὸς τοῦ προτεθέντος δι' ἐνδόξων συλλογίζεσθαι, ὥς φησιν αὐτὸς. At cùm loci nomen non eodem modo intelligatur, non solùm apud Grãmaticos & Physicos, sed ne apud Dialecticos quidem in hac ipsa disciplina: ne quid erroris in uerbo resideat, quẽ ad modum uniuersim id uerbi apud omnes capiatur, quomodoq; in præsenti tractatione intelligendum sit, superest ut exponamus. Grammatici itaq; locũ, ἂν τόπον, definiunt spatium & interuallum, quo corpora continentur. Sic M. Varro lib. 4. de Lingua Latina: Locus est, inquit, ubi quid locatum esse potest. Physici uerò paulò subtiliùs & accuratiùs Locum definiunt esse terminum seu extremum corporis continentis immobile primùm. Sic enim Aristoteles lib. 4. de Natura, cap. 4. ὥστε δὲ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον, τοῦτ' ἔστιν ὁ τόπος. At Dialectici nec spacium, nec extremum corporis continentis, Locum intelligunt, sed alij notam, alij sedem & tanquam domicilium argumenti esse aiunt, alij argumentationis initium et occasionem explicant, & alij aliter de eo loquuntur. Quorum omnium sentẽtiæ, quò faciliùs planiusq; idipsum de quo agimus, hoc loco intelligatur, paulo latiùs sunt explicãdæ. Rodolphus Agricola lib. 1. cap. 2. Locum, rei notam appellat. Non ergo aliud est Locus, inquit, quàm communis quædam rei nota, cuius admonitu quid in quaq; re probabile sit, potest inueniri. Sic & Cic. ante Rodolp. non uno loco, notã argumenti uocat, ut lib. 2. de Oratore, ubi inquit: Vt enim si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare uellem, satis esse deberet, si signa & notas ostenderem locorum, quibus cognitis ille sibi ipse foderet; & id quod uellet paruo labore, nullo errore inueniret: sic has ego argumentorum noui notas, quæ illa mihi quærenti demonstrant ubi sint, reliqua cura & cogitatione eruuntur. Item in Oratore ad Brutum his uerbis: Idemq; locos (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, unde in omnem partem traheretur oratio. Quanquam idem iste non modò notam, sed & sedem & quasi domicilium receptaculumq; argumenti, eundem uocat, ut lib. 2. de Oratore, ubi sic inquit loquẽs de locis, Qui illi sedes & tanquã domicilia omnium argumentorum cõmonstret. Item in Topicis, ubi locum sedem argumenti definit, & in Partitionib. Oratorijs, ubi locos appellat eos, in quibus argumenta latent, & alijs non dissimilibus plerisq; locis. Quin ad hunc modum & ab ipso Aristotele sic appellatos esse locos idem testatur, in Topicis ita scribens: Vt igitur earum rerum quæ absconditæ sunt, demonstrato & notato loco facilis inuentio est: sic cùm peruestigare argumentum aliquod uolumus, locos nosse debemus. Sic enim appellatæ ab Aristotele sunt hæ quasi

Topica à locis appellantur.

Loci nomẽ varium.

Apud Dialecticos q̃ diuersè locus capiat.

sedes, è quibus argumenta promuntur. Quod de argumentationis initio & occasione dixi, ad eum modum Alexander Locum explicat, lib. 2. Commentar. in Aristotelis Topica, cùm sic ait: ἔστι δὲ ὁ τόπος ἀρχὴ καὶ ἀφορμὴ ἐπιχειρήματος, ἐπιχείρημα δὲ καλοῦσι δὴ διαλεκτικὸν συλλογισμόν. Theophrastus, teste eodem loco Alexandro, Locum definit principium et quasi elementum, à quo ad cuiusq; generis res, hoc est, quæstiones disceptandas initia habemus. διὸ καὶ ὁρίζετο, inquit, ὁ θεόφρασος δὴ τόπον, ὡς ἤδη ἡμῖν ἐν τοῖς πρώτοις εἴρηται, οὕτως, τόπος ἐστὶν ἀρχήτις ἢ στοιχεῖον, ἀφ' οὗ λαμβάνομεν τὰς περὶ ἕκαστον ἀρχάς. Sed his de Veterum sententijs & opinionibus, quod ad Loci notitiam & descriptionem attinet, sic allatis, quò & rectiùs superiora distingui, et quemadmodum in sequenti tractatione Aristotelis loci accipiendi sint, clariùs animaduerti poßit, non abs re fuerit, & illa quæ libro 2. de Topicis Differētijs Boëtius de diuersa Loci intelligentia perscripsit, superioribus adiungere. Restat nunc, inquit ille, quid sit locus aperire. Locus nanq; est, (ut M. Tullio placet) sedes argumenti. Cuius diffinitionis quæ sit uis, paucis absoluam. Argumēti enim sedes, partim propositio maxima intelligi potest, partim maximæ propositionis differentia. Et infrà: Est igitur uno quodam modo locus (ut dictum est) maxima & uniuersalis, & principalis, & indemonstrabilis, atq; per se nota propositio, quæ in argumentationibus, uel inter ipsas propositiones, uel extrinsecus posita uim tamen argumentis & propositionibus subministrat. Ideo & uniuersales & maximæ propositiones loci sunt dictæ, quoniam ipsæ sunt, quæ continent cæteras propositiones, & per eas fit consequens & rata conclusio. Ac sicut locus in se corporis continet quātitatem, ita hæ propositiones, quæ sunt maximæ, intra se omnem uim posteriorum, atq; ipsius conclusionis consequentiam tenent. Et uno quidem modo locus, id est, argumenti sedes, dicitur maxima principalisq; propositio fidem cæteris subministrans. Alio uerò modo loci uocantur maximarum differentiæ propositionum, quæ scilicet ab his ducuntur terminis, qui in quæstione sunt constituti. De quibus deinceps disserendum est. Cùm enim sint plurimæ propositiones, quæ maximæ uocantur, hæq; sint inter se dißimiles, quibuscunq; differentijs inter se discrepant, eas omnes locos uocamus. Hæc ille. Quæ cùm ita habeant, iam & quo modo superiores sententiæ inter se conferantur, & quemadmodum Aristotelici loci cum cæterorum locis uel conueniant, uel non cōueniant, uidendum erit.

Locus vel ꝓpositio maxima, vel maximæ differētia Boētio.

DVPLEX LOCORVM GENVS ESSE, ET VTRVM AB ARISTOTELE, VTRVM A' CICERONE SIT frequentatum. Cap. 3.

QVòd si accuratiùs Boëtij distinctionem obserues, qua iste locorum alios maximas esse propositiones, alios maximarum continentes esse differentias ait: non longè quidem certè (quo modo mihi uidetur) ista distinctio discrepat ab ea, qua suprà locos partim

tim argumentorum quasi sedes, partim notas & tanquam indices dici audiuimus. Quas enim Boëtius maximas & uniuersales propositiones uocat, tametsi propter inuidẽtiam, quam præferunt, etiam inter argumenta ijs locus constituitur, tamen qua parte subiectas inferioresq; alias propositiones, tanquam loci corpora, sic intra se illæ complectuntur, nemo dubitat, opinor, quin has tales rectè argumentorum quasi sedes ac domicilia appellemus. Quas uerò maximarum & generalium propositionum differentias iste uocat; etsi quadam ueluti imagine (ut lib. 1. Commentar. in Cicero. Topica ait) hæ earundem propositionum loci esse uidentur: quia tamen non reuera neq; istas propositiones, nec argumenta cætera suo ambitu cohibent, sed utrarumq; nos quodammodò admonent: notas potiùs atq; indices probationum assumendarum, quàm argumentorum tanquam sedes receptaculaq; eas uocauerimus. Ac cùm posteriores has notas indicesq; argumentorum, cùm Cicero, tum alij, quotquot post Ciceronẽ Topicam disserendi doctrinæ partẽ literis commendauerunt, in suis locis ferè persequuti sint: tum prius illud genus, quod sedes & tanquam receptacula argumentorum continet, in præsenti Opere τῶν τοπικῶν Aristoteles præcipuè pertractat. Quanquam nonnulla talia etiam adiungit, quæ non tam sedes argumentorum ullæ sunt, hoc est, propositiones, quæ intra se alias ueluti inclusas habeãt, quã quædam talium accersendarum & inueniendarũ monitiones ac præceptiones. Quas Alexander non tam simpliciter locos, quàm uel παραγγέλματα, uel παραγγελματικοὺς locos, à Theophrasto nominatas esse scribit. Verùm Aristoteles nullã inter παράγγελμα καὶ τόπον differentiam collocans, non solum locos, sed & modos, & principia, & elementa, (quæ Græcè τοὺς τρόπους, τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ στοιχεῖα uocat) pro eodẽ sumit. Cæterùm quod de prædicta locorum differentia nunc à nobis dictum est, sedes argumentorum his libris ab Aristotele, notas uerò à Cicerone, & alijs id genus in Topicis exquiri: id si nobis minus fortasse tribuendum fidei quispiam existimet, age è Seuerino Boëtio ita se habere nunc demonstremus. Maximas igitur, (inquit Boëtius lib. 1. Commẽtariorum in Cicero. Topi.) id est, uniuersales & notißimas propositiones, ex quib. syllogismorum conclusio descendit, in Topicis ab Aristotele conscriptis, locos appellatos esse perspeximus. Quòd enim maximæ sunt, id est, uniuersales propositiones, reliquas in se ueluti loci corpora, complectuntur. Quòd uerò notißimæ atq; manifestæ sunt, fidem quæstionibus præstant, eoq; modo ambiguarum rerum continent probationes. Et infrà: Quisquis igitur uel Aristotelis græca, uel nostra ab Aristotele translata Topica perspexerit, has illic propositiones locos inueniet nuncupari, quæ sunt maximæ atq; uniuersales, uel per se necessariæ, uel per se probabiles ac notæ. Sed quoniã has propositiones plures & penè innumerabiles esse necesse est, possumus diligenti tractatu considerationis adhibito, omnium maximarum atq; uniuersalium propositionum multitudinem in paucas atq; uniuersales colligere differẽtias, ut et alias dicamus in definitione consistere, alias

Boetius distinctam plicatur.

Aristoteles maximas ꝓpositiões, alij maximarum differẽtias tradunt.

Differẽti q̃ propositiones, numero p ciores.

in genere, atq; alias alio modo. Et paulo pòst: Quæ uerò sint hæ differẽtiæ, paulo posteriùs disseram. De his igitur nunc locis tractare Tullius instituit, qui maximas propositiones continent atq; includunt. Hæ uerò sunt maximarum differentiæ propositionum. Et rursum: Ex his etiam quæ superiùs dicta sunt, quid distent Topica Ciceronis atq; Aristotelis apparuit. Aristoteles nanq; de maximis propositionibus disserit: has etiam locos argumentorum esse posuit, ut nos quoq; suprà retulimus. Tullius uerò locos nõ maximas propositiones, sed earum continentes differentias uocat, ac de his docere contendit. Hæc Boëtius, quæ idcirco fusiùs commemorauimus, quòd obseruato prædicto illo locorum discrimine, perfacile sit, non modò quid Ciceronis loci ab Aristoteleis distent, perspicere, (quod ipsum tamen ad probè intelligendum Aristotelem nescio quantum adiumenti studiosis afferet) sed quòd eadem uia, quo pacto Aristotelis reprehẽsoribus, qui pleraq; prò locis ab eo posita calumniantur, quæ nullius sint loci propria, (quo in genere est Rodolphus Agricola lib. 1. cap. 3.) occurrendum sit, quàm minimo negotio cognoscetur. Verũ his ita explanatis, sequitur, ut Aristotelomastigum affinem prægressæ disputationi calumniam nunc deinceps refellamus.

Aristoteleis Topica à Ciceronis vt dicent.

AN ANGVSTIVS HORVM LIBRORVM MATERIA CONCLVSA SIT, ET QVO MODO AD QVATVOR problemata hæc disputatio reuocetur. Cap. 4.

SVnt, qui antegressam locorum disciplinam ita tradi ab Aristotele cõmemorãt, quasi ab omni humana, & naturæ conuenienti exercitatione, & meditatione remota, ad solas Scholasticas disceptationes & contentiones pertineat. Alij angustioribus finibus conclusam, & definitam istorum librorum materiam esse queruntur. Ac utriq; quidem propterea, quòd quatuor subsequentium quæstionum, generis, proprij, definitionis, & accidentis complexu, quacunq; de re nulla disputanda essent, teneri & cõprehendi Aristoteles uoluerit, ita sentiũt. Quid uerò, eáne causa, ut sic sentiant, sat uera, æqua, magna, & probabilis est? An quia superiorum quæstionum aliqua, quicquid de re quapiam quærendum & differendum sit, inclusum & cõprehensum esse uult Aristoteles, idcirco angustioribus finibus & terminis horum librorum materia definita et circumscripta esse dicetur? Nõne quicquid ad differendum & inuestigandum proponitur, (loquor de coniuncta & copulata quæstione, qua rei de qua agimus, uel natura & essentia, uel proprietas & affectio aliqua indagatur, non de quæstione simplici, qua fit ne res nec ne, tantummodò quæritur) nónne, inquã, quicquid ad differendum & inquirendum de re proponitur, id omne tale est, ut horũ quatuor aliquo, genere, finitione, accidente, proprio, (maximè ut de illis, & in primis ut de genere Aristotel. loquitur) necessariò conclusum & quasi circumseptũ sit? Nunquid enim ita est, ut quodcunq; de altero dicitur, id uel soli illi cõueniat, qua de causa etiam retrò uicißim conuenat, ut definitio et propriũ uel in aliam quandam rem ab

Quadruplex quæstionis genus perfectũ & absolutum.

eo cui

eo cui attribuitur, transferatur, quo loco est & genus & accidens? Quòd si duo hæc genera sola sunt, nec præter ea tertiũ ullum fingi & cogitari potest, quid est, cur angustiùs horum librorum descriptam explicatamq; esse materiam sibi persuadeant? At non id est, inquias, quod isti uolunt. Sciũt, atq; etiam profitentur, quicquid ulla de re exquirimus, id ad unum aliquod istorum quatuor pertinere. Verùm sub istis nominibus, quæ ab Aristotele posita superiùs commemorauimus, non semper Aristotelis instituto de quacunq; re quæstionem institui, id est, quod ipsi uolunt. An uerò sub istis nominibus quacunq; de re quæstionem & poni, & disceptari præcipit Aristoteles? Scio quidem inter cæteros ita de Aristotele senfisse Rodolphum Agricol. ut qui lib. 1. Dialecticæ Inuentionis, cap. 3. ita de eo scribit: Voluit enim cũcta, de quibuscunq; dissereremus, intra quatuor quæstiones contineri, ut quæreretur definitio'ne esset, an genus, an proprium, an accidẽs: ut sint hæ quæstiones eiusmodi, sit'ne animal rationale definitio hominis, sit'ne hominis genus animal, sit'ne proprium hominis docibile esse, sitne accidens eius album esse. Sanè quicquid ulla de re quærimus, intra aliquod horũ quatuor recidit. Neq; enim plura sunt, quæ possunt ulla de re dici. Sed non id agimus, ut de istis semper quæramus sub nominibus illis, quæ ab Aristotele sunt posita, &c. Nam prolixiùs locum persequitur. At quid, si non id uelle, ut sub antegressis istis uocabulis quælibet in disserendo & ponantur, & concludantur quæstiones, Aristotelem demonstremus: nónne abunde Rodolphi, aliorumq; idẽ sentientium tum authoritati occurrisse, & sententiam labefactasse uidebimur? Non est ista mens Aristotelis Rodo'phe, quam tu ei tribuis. Plurima tu quidem ingeniosè & perspicaciter cùm in Aristotele, tum in alijs uetustis et classicis Authoribus, cæteris aut ignota, aut certè dissimulata, quæ ad disserendi prudentiam non uulgare momentum afferũt, notasti & peruidisti. Cæterùm ut hoc tua pace dicam, non eadem ingenij ac mentis acie, id de quo hîc agimus, qua cætera illa, perspexisti & dijudicasti. Non uult Aristoteles ad superiores uoces quamq; quæ de proposita re instituitur, quæstionem astringi. Non ita locos tradit ad superiorum quæstionum tractationẽ accõmodatos, quasi ex istis locis sub antè dictis uerbis singulas quæstiones finiri & terminari uelit. Atq; id quod dico, uerum esse patet, uel ex eo, quòd toto lib. 3. Topicorum, nulla accidentis uerbi mentione facta, tot tamq; præclaros ad comparati accidentis quæstionem in omnẽ partem tractãdam locos exponit: quodq; lib. 2. (ubi simplicis accidentis disserendi & definiendi uias tradit) non tam, conueniátne subiectæ rei attributum ut accidens, an ucrò simpliciter subiectæ rei idipsum conueniat, spectandum & inquirendum monet. Qua de causa & simplicis inhærentiæ, quos istic locos persequitur, uulgus philosophantium appellat. Sed quid de solo hîc accidente idipsum probare conor? Nónne par ratio & in generis, & in proprij, & in definitionis locis dinumerandis & explicandis similiter obseruatur? Obseruatur utiq;. Verùm ne in isto demonstrando longiorem hîc ponere orationem uidear, prætermissis

Rodolphi sententia excutitur.

Non astrĩgi quanq; quæstionẽ ad huius generi uoces.

missis cæteris, Alexandri hoc loco super ea quæstione sententiam tantum ascribam. Quid ergo tibi de hac re Alexander uidetur? Num istæ solum te iudice huc pertinent quæstiones, quæ generis, finitionis, accidentis, proprij, disertè mentionem faciunt? Nonne si quæratur, utrum tempus sit motus cœli, sitne bonum in substantia, conueniátne soli igni naturâ sursum ferri, utrum sursum ignis moueatur, et alia eiusdem generis similia, etsi in his quærendis nulla antegressorum uerborum fit mentio, eadem tamẽ finitionis, generis, proprij, & accidentis, tibi quæstionum exempla uidentur? Negare non potes. Siquidem hæc tua uerba sunt in lib. 1. Topicor. quæ sequuntur: τὰ μὲν γὰρ τοιαῦτα, inquis, προβλήματα, πότερον ὁ χρόνος κίνησίς ἐστιν ἢ οὔ; ὁρισμόν. ζητεῖ γὰρ εἴ ὅ τε τοῦ χρόνου ὁ ἀποδιδόμενος λόγος. τὸ δὲ πότερον ἀγαθὸν ἢ οὐσία, ἢ οὔ; γενικόν. ζητεῖ γὰρ εἰ τοῦ ἀγαθοῦ γένος ἐστὶν ἡ οὐσία. τὸ δὲ πότερον ἓν πυρὶ μόνῳ ἢ ἄνω κίνησις κατὰ φύσιν ἢ οὔ; πρὸς ἰδίου τῶν ζητήσεων ἔχει. τὸ δὲ πότερον τῷ πῦρ ἄνω κινεῖται ἢ οὔ; πρὸς συμβεβηκότος. ζητεῖται γὰρ εἰ ὑπάρχει αὐτῷ τὸ κινεῖσθαι ἄνω. Hæc Alexander, quæ si Rodolphus certè quidem in animo secum reputasset, nunquã ita de Aristotelis Topicis iniquè iudicaturum fuisse arbitror. At cùm hæc satis multa ad posteriorem sententiam dicta sint, sequitur, ut nunc priorem pari ratione excutiamus.

AN AD SCHOLASTICAS ALTERCATIONES ET DISCEPTATIONES HAEC DOCTRINA TANTVM REFERatur. Cap. 5.

QVi hoc nomine Topicam tractationem reprehendunt, quòd ab omni ciuili & humana meditatione auocata, ad Scholasticas tantum contentiones & dissertationes translata esse uideatur: eos non alia ratio, ut antè significaui, in istam sententiam induxit, nisi quòd omnem locorum præceptionem, & totam, quæ his libris continetur, Dialecticam artem, ad quatuor antè dictas istas generis, proprij, finitionis, & accidentis, quæstiones ab Aristotele relatam astrictamq; esse censuerunt: perinde ut et ij, de quibus iam proximè dictum est, qui eandem ob causam huiusce tractationis materiam angustioribus finibus circumscriptam esse uoluerunt. Id enim illi ipsi apertè testificantur, & totis adeò Animaduersionibus non obscurè præ se ferunt & differunt. Sed nusquam clariùs, nisi ubi post commemoratas laudatasq; Dialecticæ institutionis propositas ab Aristotele utilitates, in hæc uerba prorumpunt: Verùm tam sapiens magister esse non uult: retexit paulo pòst orationem: Dialecticam reuocat à colloquijs familiaribus & domesticis: retrahit à meditationibus omnibus humanis: compingit in problematis scholasticum de accidente, genere, proprio, definitione, clamorem. Quid audio? in problematis scholasticum de accidente, genere, proprio, definitione, clamorem Dialectica uobis omnis concluſa & quasi compacta uidetur? Quid dicitis boni Viri? Vt demus de genere, accidente, proprio, & definitione, omnem in disputando quæstionem assumi, (id enim in antegressis ita esse quodam

Galũia, ad scholasticas contentiones tantũ Dialecticen valere.

quodammodò concessum est) an hinc omnem locorum præceptionem, totamq; Dialecticã abomni humana & ingenua disceptatione alienam, ad Scholasticas tantum contentiones referri, & odiosis clamoribus, quod uos uultis, importunè referciri credemus? Quis præter uos solos de hac re unquam sic iudicauit & statuit? Quis non longiùs Topicarum præceptionũ usum extra Scholas euagari, & progredi rectiùs iudicat? Nõne in Philosophorũ, Oratorum, & Poëtarum monumentis non infrequens iste cernitur? Quis est ex omnibus ẽstis, qui non persæpe, dum aliquid probandum & confirmandum est, de genere, accidente, & proprio, argumenta petit? Nonne hi omnes perfrequenter, quæ in dicẽdo incidũt, definitione res explicant? An uerò, cùm hæc talia apud bonos authores subinde uidetis, animaduertitis, legitis, rectè an secus adhibita sint, absq; harum præceptionũ solida exacta notitia, intelligi posse existimatis? Quoties pro genere, definitione, proprio, accidẽte id quod nec genus, nec finitio, nec proprium, nec accidens rei uerum ac germanum est, nobis in differendo obtrudi putatis, id quod nunquam nisi horum admonitu præceptorũ cognosse possemus? Vult Zenocrates, & ante Zenocratem Pythagorei, animum esse numerum seipsum mouentem. Hîc utrum uerè an falsò numerus de animo dicatur, quis faciliùs et expeditiùs sciet, quàm qui diuisione numeri adhibita, (quemadmodum Aristoteles lib. 3. cap. 4. docet) nec parem esse numerum, nec imparem, animum demonstret? Voluit Plato animum esse idipsum, quod se motu cieret & agitaret. Hoc si quæras, an rectè asseratur, (quemadmodum lib. 1. de Anima, cap. 3. Aristoteles facit) unde rectiùs intelligas id, quàm si nullo motus genere, nec accretione, nec diminutione, nec alteratione, nec ortu aut interitu, (quemadmodum Aristoteles docet) commoueri ostendas? Fuerunt Physici, qui & uentum, aërem esse motum & agitatum, & niuem, aquam concretam & congelatam definiendo dicerent. Aduersus hos si quippiam dicendum est, recténe te Aristoteles monet, affectionem eius rei cuius est affectio, nequaquam genus poni & collocari posse? Conuertit lib. 1. Tusculanarum quæstionum Cicero, ἐντελέχειαν, (quod genus definitionis animi lib. 2. de Anima, cap. 1. Aristoteles constituit) quasi perennem quandã & continuatam motionem. Quod si refellere tanquam minus aptè conuersum animo sedeat, non'ne iste Aristotelis locus, qui est lib. 4. Topicor. cap. 1. idoneum istius probandi argumentum tibi suppeditabit? Nempe quo considerandum præcipit, utrum alicuius formæ id quod in genere positum est, particeps esse queat. Si enim nullius formarum capax fuerit, (quod fit, si nullius formarum attributionem suscipit) certè ne generis quidẽ particeps esse poterit. Ità cùm nulla perennis & continuatæ motionis species de animo dici possit, uideat Cicero, quo pacto ipsum animum, τὴν ἐντελέχειαν uocẽ Latinè transferens, quasi quandam continuatam motionem & perennem conueniẽter dicat. Quæso, dum hæc, & his similia sexcenta ex bonis authoribus exempla afferimus, quæ utrum rectè an peruersè explicata sint, Topicæ præceptionis obseruatione discimus: in Scholis uos

Exemplis contrariũ docetur.

bis uersari, & de generis, proprij, accidentis, problematibus altercari, inepteq; et futiliter disceptare uidemur? Si hoc modo aliorum sententias expendere, dijudicare, refellere, non aliud, quàm scholasticè contendere, clamare, altercari de nugatorijs problematibus est: quid tum uerè legitimeq; differere sit, equidẽ me nescire ingenuè profiteor. At enim si ad talia disceptanda Topicæ præceptiones modò conferunt, minus frequens & creber istarũ usus fuerit. Prædicta enim illa rariùs in disputationem incidunt, uel ipso teste Aristotele, qui ita in principio lib. 4. Topicorum scribit: περὶ δὲ τούτων ὀλιγάκις ἀν σκέψεις γίνονται τοῖς διαλεγομένοις. At superiora illa exempli tantum causa à nobis allata sunt. Quòd si accidentis & definitionis locos excutere in animo sit, bone DEVS, quanta argumentorum uis, quãta copia & ubertas in omni disputatione hinc elici & depromi posse uidetur. Quanquam accidentium locos nemo est, quin Oratoribus, Poëtis, & cæteris id genus scriptoribus, qui ad communem opinionem orationem suam accommodant, conferre & suppeditare facilè intelligat. Quæ si ita sunt, ut nemo profectò non indoctus, & candidus rerum earum, de quibus agimus, æstimator & iudex, quin ita sint, negare potest: quid dicemus, meráne & indigna calumnia est, qua homines nescio qui, certè ἀλαζόνες, & cum aliorum contemptu nimij sui admiratores, Topicam præceptionem non ad aliud, nisi ad clamandum, rixandum, & dimicandum quodam modo in Scholis de quadruplici suprà memoratarum quæstionum genere, institutam & comparatam esse contendunt? Quantò rectiùs & præclariùs de Topica hac præceptione, cùm alios permultos, tum & M. Ciceronem in Oratore ad Brutum, & Q. Catulum, insignem profectò uirum, lib. 2. de Oratore apud Ciceronẽ, sensisse & iudicasse credimus? Si authoritate potiùs, quàm ratione cum aduersarijs nostris congrediendum & disceptandum est: nõne hæ taliũ, tam doctorum & eloquẽtium uirorũ, qui iam inde, à quo tẽpore primũ ad Latinos Philosophia cõmigrauit, summæ apud omnes admirationi fuerunt, longè authoritates excellunt & præstant? Audiamus uerò, quid isti de horum librorum materia, tractatione, usu, longè quàm superiores illi, diuersè secusq; statuerint. Idemq;, inquit in Oratore ad Brutum Cicero, locos (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramq; partẽ traheretur oratio. Audis omnẽ Ciceronis iudicio, quæ de quaque re habeatur & instituatur, ex suprà dictis Aristotelis locis, in utramq; partem deprimi & trahi orationem? Vis disbinctiùs & clariùs asserentem idipsum Q. Catulum ex secundo de Oratore tibi afferam? Sed Aristoteles is (inquit Catulus) quem maximè ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumẽtatio non modò ad Philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inueniretur. Vis plura, eaq; adhuc celebriora in eandem sententiam hìc testimonia corrogem? Non difficile foret id, nisi ea quæ attulimus, ad refutandam aduersariorum calumniam in præsens sat multa esse iudicarem. Quare ne diutiùs in hac re commorer, hìc finem facio, etiam atq; etiam diligẽ-

Authoritate idipsũ astruit.

tur

ter studiosos huius artis omnes cohortans, ut quantum operæ, studij, ac diligentiæ in hic libris perdiscendis adhibere & collocare poterunt, impendere ne grauentur, propterea quòd his præceptis in mente & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum disceptandumq; posita excitatis, nihil propemodum futurum est, quod aut Oratorem in forensib. controuersijs, aut Philosophum omnino in ullo dicendi genere effugere posse uideatur.

DE PARTITIONE HVIVS OPERIS, ET QVID SINGVLIS QVIBVSQVE LIBRIS PRAECIPVE AB Aristotele doceatur. Cap. 6.

VErùm his ad eum modum strictim et breuiter disputatis, reliquum est, ut quæ præsentis Operis partitio sit, hoc est, quænam res præcipuè in his octo libris ab Aristotele explicentur, pari compendio sub aspectum proponamus. Sic itaq; res habet, ut primo libro generalia & communia quædam, quæ ad insequentium tractationem faciũt, (ut quorum commemoratione non solum auditor ad cognoscẽdum inuitatur, sed futuræ quoque disputationi tanquam materia quædam sternitur & cõparatur) ea uia ac ratione expediat, ut primũ quid sit id de quo agitur, indicet, deinde quo modo à cognatis finitimisq; rebus idipsum distinguatur, quasq; utilitates habeat, exponat. Est autem id de quo agitur, propriè Dialectica, hoc est, ueri similiter disserẽdi ac disceptandi ratio, quæ ab Apodictica simul & Sophistica hoc distat, quòd cùm altera harum ueritatem ac necessitatem in concludendo sibi proponat, altera nihil præter inanem fallaciamq; seu ueritatis, seu ueri similitudinis speciem ac imaginem præ sese gerit. Estq; uaria, & latè sanè patens istius disserendi rationis utilitas, qua perspicuè & non ineleganter ob oculos proposita, tum deinde ad alia, quæ ad hanc ipsam disserendi rationem pertinent, sermonem dirigit. Ac primùm quidem quatuor illa τῶν κατηγορημένων, hoc est, attributorũ genera, ex quibus omnis & quæstio, & propositio, quarum in disserendo usus est, ducuntur, (ut sunt definitio, genus, proprium, accidens) nobis explanat: deinde uerò Dialecticæ propositionis & quæstionis ui descripta, expositisq; Dialecticarum argumentationum generibus duobus, quænam sint, et quot tandem rationes illæ, quarum beneficio magna argumentorum uis & copia in disputando administretur, (ipse τὰ ὄργανα δι' ὧν ἐυπορήσομεν τῶν συλλογισμῶν græcè uocat) planum facit. Atq; his rationibus omnibus (sunt autẽ numero quatuor) singulatim copiosè descriptis & pertractatis, tum demum finem lib. primo imponit. Summa libri primi Topicorũ.

SECVNDO uerò & tertio libro, & alijs qui hos usq; ad octauum consequuntur, locorum descriptionem, ex qua argumenta ad quatuor superiorum τῶν κατηγορημένων quæstiones in contrarias partes disputandas eruuntur, ita subijcit, ut primo loco quæ ad accidens tum asserendum, tum refellendum pertineant, (idq; siue absoluta sit & simplex, siue comparata accidentis quæstio) diligenter secundo & tertio libro persequatur: quarto uerò, ea quæ ad proprij quæstionem pertinent, expediat: quinto, quæ ad Summa secundi & quinq; cõsequentiũ.

generis: sexto uerò & septimo, quæ ad definitionis pertinent πρόβλημα. Quæ doctrina quidem posterioribus duobus libris explicata, inter cæteras ut longè suauissima, ita maximè & utilis est & necessaria. Qua absoluta, tum deinde ad postremum librum uenit, in quo dici non potest, quàm ad omnem rectè disputandi facultatem & usum comparandum, apta & accommodata præcepta exponat, primùm de interrogãdi & quærendi uia, deinde de ratione & modo respondendi, quibus duobus omnis disciplina ac ratio legitimè disserendi & disceptandi continetur. Quanquam & alia quædam superioribus cognata, de uia ac ratione impediendæ & dissoluendæ, reprehendendæq; aduersariæ argumentationis priuatim disputat, tandem & περὶ γυμνασίας καὶ πείρας, hoc est, de exercitatione Dialecticæ disquisitionis & disceptationis, nonnulla sanè quàm suauiter & luculenter nobis præscribẽs. Sed his de præsentis Operis partitione, & quæ singulis quibusq; libris præcipuè ac summatim tractentur, eo quo promisimus compendio ante oculos positis, sequi nunc uidetur, ut quæ Veterum de hoc Opere sententiæ sint, quidq; ex eodem illi ipsi potissimùm imitati sint, nunc deinceps consideremus.

Summa libri octaui

VETERVM DE HOC OPERE SENTENtiæ. Cap. 7.

NE uerò longiùs in Veterum sententijs, ac testimonijs de hoc Opere coaceruandis ac persequendis digredi & expatiari uidear, unus Cicero, qui multorum aliorum uice ac loco nobis meritò habendus est, in præsens sufficerit. Ac ne ea quæ superiùs à nobis commemorata sunt, intempestiuè hoc loco repetamus, (ut quæ lib. 2. de Oratore, quæ in Oratore ad Brutum, & quæ alijs nonnullis locis de his Aristotelis libris disertè simul ac luculentè perscripsit) illa solum, quæ præfatione in Topica ex professo de hoc Opere disseruit, age paucis hucafferamus. Cùm enim mecum (inquit Trebatium alloquens) in Tusculano esses, & in bibliotheca separatim uterq; nostrum ad suum studiũ libellos, quos uellet, euolueret: incidisti in Aristotelis Topica quædam, quæ sunt ab illo pluribus libris explicata. Qui inscriptione commotus, continuò à me eorum librorum sententiam requisisti. Quum tibi cùm exposuissem, disciplinam inueniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem uia peruenire mus ab Aristotele inuenta, libris illis contineri, uerecundè tu quidem, ut omnia, sed tamen ut facilè cernerem te ardere studio, mecum ut tibi illa traderem, egisti. Cùm autem ego te non tam uitandi laboris mei causa, quàm quòd interesse tua arbitrarer, uel ut eos per te ipse legeres, uel ut totam rationem à doctissimo quodam Rhetore acciperes, hortatus essem, utrumq; ut à te audiebam, es expertus. Sed à libris te obscuritas reiecit: Rhetor autẽ ille magnus, ut opinor, Aristotelica se ignorare respondit. Quod quidem minimè sum admiratus, eum philosophum Rhetori nõ esse cognitum, qui ab ipsis philosophis præter admodum paucos ignoretur. Quibus cò minus ignoscendum est, quòd non modò rebus ijs, quæ ab illo dictæ et inuentæ sunt, allici debuerunt,

Ciceronis de Topic. iudicium.

runt, sed dicendi quoque incredibili quadam cùm copia, tum etiam suauitate. Hæc Cicero, quæ si diligenter tecum expendas ac reputes, præterquam quòd horum librorum scopum ac sententiam tibi aperiunt, quæ est inueniẽdorum argumentorũ, ut Cicero uult, disciplina: etiam eosdem libros uarijs modis tibi commẽdant, tum ab obscuritate, quæ imperitis prima fronte occurrens, ignauos ac degeneres omnes ab hac doctrina procul remouet, tum à rerum inuentarum dignitate & utilitate, quæ nos sanè ad discendum quã primùm allicere debebunt: tum denique à dicendi genere, id quod longè aliud, quàm in cæteris Logicæ libris, uidelicet non solum incredibili quadam copia affluens, sed & mira quadam suauitate excellens & præstans, hîc adhibitum est. Cui rei testimonium quodammodo præbet & Ammonius præfatione in Aristotelis Categorias. Sed hæc de Veterum sententijs, quod ad præsentis Operis commendationem attinet, in præsenti sat multa. His si placet illud Ioannis Lodouici Viuis, ex libro 4. de tradendis disciplinis adiungatur. Aristotelis, inquit, octo libros Topicos attẽtè, ut omnia illius Philosophi, iterum atq; iterum euoluet, non tam ad expoliendum aptandumq; instrumentum hoc credibilium, quã ut sententias & præcepta uariarum rerum, quæ in opus illud sunt congesta, annotet, & ad manum habeat, ubi res poscet.

Vnde hoc Opus Ciceroni commẽdetur.

Iudicium Lodouici Viuis.

QVID CICERO, ALIIQVE EX HIS TOPICIS IMITATI SINT. Cap. 8.

AVthor est Cicero lib. 7. Epistolar. Familiar. ad C. Trebatium, Aristotelica Topica Trebatij rogatu se scribere instituisse. Itaq; ut primùm Velia nauigare cœpi, inquit, institui Topica Aristotelica conscribere, ab ipsa urbe commonitus amantißima tui. Quod cùm ita sit, dubium non est quidem certè, quin hos libros, cùm ista conscriberet, sibi ad imitandum proposuerit. Quanquam non per omnia tamen, id quod res ipsa loquitur, eosdem est imitatus. Nam ut de locorum primùm distributione dicam, non eam, quæ his libris est, in quatuor seu genera, seu membra, pro distinctione eorum, quæ de altero quopiam in quæstione dicuntur: sed eam, quæ lib. 1. Rhetoricorum traditur, in duo prima genera, hoc artificialiũ probationum, illud artis expertium, diductam & diuisam, propterea, ut credo, sequitur, quòd hæc, quàm antecedens illa, & suo instituto cõmodior, ĩdem & non paulo eadem tum planior, tum popularior esse uideretur. Quæ enim his in libris quadripartita, pro diuersitate eorum, quæ de altero, ut dixi, in quæstione afferuntur & enunciantur, proposita est, ea à uulgi tum sensu, tum usu paulò remotior est, unicèq; philosophorum, qui omnia exactiùs & perquisitiùs de quaq; re scrutari & indagare solent, instituto accommodata uidetur. Deinde quod ad ipsos locos attinet, neq; illos pari modo, ut hisce libris traditi & explicati sunt, omnino Cicero & capit, & explicat. Nam in his libris illi sumuntur, partim ut monitiones & præceptiones sunt, ad argumentorum inuẽtionem quasi uiã sternentes & indicantes: partim etiã ut propositiones quædam, quarum

Cicero Trebatij rogatu Topica scribit.

Quam locorum diuisionem idem sequatur.

Locos Cicero alit, quã Aristoteles conficerat.

complexu & ambitu, cùm generales eæ sint, speciales particulares q̃; aliæ continentur. Cicero uerò neq; ut præcepta sunt, ad argumentorum inuentionem nos comparantia, neq; ut propositiones, quæ suo complexu et tanquam gremio inferiores alias, (quæ ad quæstionis probationem afferantur) continent, eos sumit: sed tantum, ut notæ sunt & quasi indices quidam nos commonefacientes, ut quoties de re quapiam disserẽdum est, tum ad locos & tanquam domicilia, in quibus reipsa argumẽta latent, & unde ad quæstionis disceptationem depromantur, confugiamus, quemadmodum in antegressis id probatum & ostensum est. Quanquã id tamẽ inficiari & negare nemo potest, has ipsas seu notas, seu indices conquirendorum & reperiendorum argumentorum, seu probationum, (de quibus Cicero in Topicis agit) ab ipso Aristotele his libris omnes petitas, & quasi expressas esse. Quid enim ex omnibus Ciceronis locis est, quod nõ his libris perfectè diligenterq; ab Aristotele & traditum & comprehensum uideamus? Imo uerò quid Cicero tradit, quod non & persæpe hîc repetitum, & longè, quàm à Cicerone factum est, non modò distinctius & fusius, sed accuratiùs quoq; & subtiliùs traditum & expositum comperimus? Sedecim omnino loci sint, quos Cicero persequitur, totũ, seu definitio qua totum explicatur, partes, nota rei, genus, forma, similitudo, differẽtia, contrarium, adiunctum, efficiens, effectũ, comparata, antecedentia, consequentia, repugnantia, & quæ extrinsecus assumuntur, testimonia. Quid, num ullum horum omnium neglectum & prætermissum ab Aristotele putamus? Tantum abest, ut aliquod prædictorum omnium ab Aristotele neglectum & omissum uideri debeat, ut ad pleraq; istorum disceptanda & dijudicanda totos etiam libros retulisse uideatur. Similitudinem & differentiam lib. 1. accuratè & prolixè explicat. Totum et partes lib. 6. qui liber totus ad definitionis uim, rationẽ, atq; artificiũ explicandum pertinet. Genus & formam lib. 4. Comparata (quem locum maxima ex parte in Topica Cicero transtulit) lib. 3. Coniugata, contraria, & cætera id genus similia, cùm alijs in locis sparsim, tum maximè lib. 2. diligenter & accuratè exponit. Sed hæc de locis. Si de quæstionibus (quas post locorũ tractationẽ in Topicis Cicero subiungit) aliquis percuntetur, Cicero aliquot earum diuisiones nobis exhibet. Quarum prima, quæ in thesin & hypothesin quæstionem distinguit, lib. 2. Altera, qua quæstiones aliæ ad cognitionem, aliæ ad actionem reuocantur, lib. 1. non obscurè proponi ab Aristotele uidetur: Ita ut nihil ferè sit apud Ciceronem, quod non ex his libris depromptũ, mutuatumq; esse aliquo modo uideri possit. Quòd si uerò aliqua in tractandis uel locis, uel quæstionibus, apud Ciceronem differentia aut dissimilitudo reperiatur, id quò minus hos libros ad imitationem sibi proposuisse uideri Cicero debeat, nihil obstat. Præsertim si animo reuolueas, id quod in ingressu Topicorum disertè Cicero profitetur, se in nauigatione, dum Aristotelis libros minimè ad manum haberet, repetita memoria hæc ipsa literis mandauisse. Verùm hucusq; de uniuersi Operis imitatione. Quòd si particulas Operis nõnullas separatim

Ciceronis loci omnino 16.

Ciceronis ab Aristotele discrepantia in Topicis unde.

ratim intueri placet, quid, nónne Comparatorum locus (quem lib. 3. fusißimè ab Aristotele expositum Cicero expressit) manifestam præse imitationem fert? Nónne quæ de eodem & altero partim lib. 1. Topicor. partim lib. 7. copiosè Aristoteles tradidit, ea parcè, sed dilucidè à Cicerone conuersa, quantum in his imitandis & exprimendis libris diligentiæ et operæ Cicero collocarit, longè apertißimè declarant? Declarant sanè. Sed hæc de Ciceronis imitatione nimis multa.

Quis dubitet Fabium Quintilian. lib. 2. Oratoriæ Institutionum, cap. 19. in tripartita illa artium diuisione, his libris Aristotelem imitatum esse, cùm ita scribit? Cùm sint autem artium aliæ positæ in inspectione, id est, cognitione & æstimatione rerum, qualis est astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ uocatur: aliæ in agendo, quarum in hoc finis est, & ipso actu perficitur, nihilq; post actum operis relinquit, quæ πρακτικὴ dicitur, qualis est saltatio: aliæ in effectu, quæ operis (quod oculis subijcitur) consummatione finem accipiunt, quã ποιητικὰς appellamus, qualis est pictura, &c. Nónne enim consimili modo, non uno loco, sed partim lib. 6. cap. 2. partim lib. 8. cap. 2 eandem seu artium, seu scientiarum diuisionẽ antè Aristoteles proposuit? Lib. 8. cap. 2. καὶ ὅτι τῶν ἐπιστημῶν, inquit, αἱ μὲν θεωρητικαὶ, αἱ δὲ πρακτικαὶ, αἱ δὲ ποιητικαί. Et similiter lib. 6. cap. 2. Ἔστι πρόστι, καὶ αἱ διαφοραὶ πρόστι, καθάπερ καὶ ἡ ἐπιστήμης, θεωρητικὴ γὰρ καὶ πρακτικὴ καὶ ποιητικὴ λέγεται, ἕκαστον δὲ τούτων πρόστι σημαίνει. & cæt. Fabius tripartitum artium genus facit, vt Aristoteles.

A. Gellius certè lib. 15. cap. 26. Syllogismi definitionem ex Aristotele citans, non aliunde, quàm ex his libris eam depromit, cùm ita inquit: Aristoteles quid Syllogismus esset, his uerbis definiuit: λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ τῶν κειμένων. Eius definitionis uidebatur habere non incommodè interpretatio facta hoc modo: Syllogismus est oratio, in qua cõsensis quibusdam & concessis aliud quid quàm quæ concessa sunt, per ea quæ concessa sunt, necessariò conficitur. Hæc Gellius. Istis enim uerbis Syllogismum ab Aristotele definitum, ut nusquam alibi, ita libro 1. Topicorum, cap. 1. reperies. Verùm hæc de προλεγομένοις hactenus. Gellius Syllogis. finitionẽ hinc mutuatus.

NE SEQVENS PAGELLA VACARET, QVAE SEQVVNTVR VETERVM DE ARISTOTELE TESTIMONIA, huc adijci curauimus.

Plato de Aristotele in Academia desiderato.

Ἄπεισι ὁ φίλος ἀληθείας φιλόσοφος. Et: ὁ νοῦς οὗτος ἦλθεν. Idem domum Aristotelis, domum Lectoris ac Anagnostæ appellauit.

Cicero 1. Tusculana.

Aristoteles longè omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio & diligentia.

Idem

Idem de Oratore ad Brutum.

Sed quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus uel inueniendis, uel iudicandis acrior Aristotele fuit?

Ibidem.

Nam & ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima differendi, & postea qui Dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt, &c.

Plinius lib. 8. cap. 16.

Aristoteli summo in omni doctrina uiro.

Idem lib. 18. cap. 34.

Sed idem Aristoteles uir immensæ subtilitatis.

Fabius lib. 10. cap. 1.

Quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquẽdi suauitate, an inuentionum acumine, ac uarietate clariorem putem.

Gellius lib. 19. cap. 5.

Aristotelis Philosophi rei omnis humanæ peritißimi.

Iustinus lib. 12. de Alexandro.

Exacta pueritia per quinquennium ab Aristotele doctore inclyto omnium Philosophorum creuit.

Erasmus Adagio. Festina lentè, de Aristotele.

Nullum arbitror exoriturum, qui Philosophiæ corpus tradat absolutiùs, quàm ille tradidit.

Idem Epistola ad Ioannem Morum.

Aristoteles Philosophorum, ne Platone quidem iuxta M. Tullium excepto, citra controuersiam omnium doctißimus.

Cœlius Rhodig. lib. 23. cap. 22.

Redeo ad Peripateticorum placita igitur, in primisq; Aristotelis, in quem penè uidetur esse collatum, quicquid est capax humanum genus.

Idem lib. 27. cap. 19.

Aristotelis uerò placita, cui in naturæ ratione primas omnium calculis deferri uideo, præteriisse uisum penè piaculum est.

Budæus in Annotationibus prioribus in Pandect.

Est enim is Aristoteles, qui res omnes ratione ac uia scientificè tractare solet, etiã quæ sua natura artificiosè tractari non posse uidebantur.

ARISTO-

ARISTOTELIS STAGIRITÆ TOPICORVM LIBER I. IOACHIMO PERIONIO BENEDICTINO CORMOERIACENO INTERprete, ad Græci exemplaris fidem diligenter recognitus, vnà cum Annotationibus Gerardi Matthisij Geldrienſis, nunc denuò recognitis & locupletatis.

DE RATIOCINATIONE, QVID SIT, ET QVAE EIVS SINT GENERA.

Caput I.

CAP. I.

AOC [a] nobis loco propoſitum eſt, viam atq; rationem inuenire, qua & de omni quæſtione propoſita, [b] probabili argumentatione poterimus diſſerere: & nihil repugnans, ſi quid in diſputationibus defendamus, afferemus. [c] Ac primùm quidem quid ſit ratiocinatio dicendum eſt, quæque eius genera, vt ratiocinatio dialectica, quoniam hoc ſermone eam inueſtigamus, quid ſit intelligatur. [d] Eſt igitur ratiocinatio, oratio in qua quibuſdam poſitis aliud quiddã, quàm quæ poſita ſunt, [e] ex ijs ipſis quæ poſita ſunt, efficitur neceſſariò. [f] Demonſtratio autem eſt, cùm ex veris & perſpicuis concluſio eſt, [g] aut certè eiuſmodi, quæ à quibuſdam perſpicuis & veris cauſam cognitionis ſumunt. Dialectica verò ratiocinatio eſt, quæ ex probabilibus concluditur. [h] Vera quidem ſunt & perſpicua ea, quæ non ab alijs, ſed à ſe ipſa fidem habent. Neq; enim initiorum ac principiorum, quæ in ſingulis ſunt ſcientijs, quærenda ratio eſt, eaq; omnia per ſe ipſa perſpicua eſſe debent. [i] Probabilia autem ſunt, quæ probantur aut omnibus, aut plurimis, aut certè ſapientibus: atq; ijs vel omnibus, vel plurimis, vel ijs quorum ſpectata eſt, & perſpecta ſapientia. [k] Fallax autem & certandi ſtudio comparata ratiocinatio eſt, quæ ex ijs progreditur, quæ probabilia videntur, nec ſunt: [l] aut quæ ex probabilibus, vel quæ probabilia videntur, conſtans concluſio neceſſaria eſſe videtur, nec eſt. Non enim omne quod probabile videtur, etiam probabile eſt: quandoquidem nihil eorũ quæ habentur probabilia, extrinſecus & quaſi ſpecie prima, tale exiſtit omnino. Id quod in initijs concluſionum fallacium ſolet contingere. Celeriter enim ac ſæpe ijs etiam qui parua cernere poſſunt, his in rebus falſa natura

Orditur à propoſitione.

Ratiocinatio.

Demonſtratio.

Dialectica ratiocinatio.

Sophiſtica ratiocinatio.

Sophistica duplex.

sa natura se offert & ostendit. Prior igitur ratiocinationum earum quas fallaces & studio certandi comparatas esse diximus,[m] etiam ratiocinatio vocetur. Altera fallax ratiocinatio, non omnino ratiocinatio dicatur, quoniam concludere videtur, neq; concludit.[n] Sunt etiam præter eas ratiocinationes quas exposuimus, fallaces conclusiones, quæ ex proprijs initijs nonnullarum artium efficiuntur, & constant, quod fit in geometria, alijsq; quæ huic finitimæ sunt. Nam inter genus hoc & superiora aliquid interest, neq; enim ex veris & primis, neq; ex probabilibus progreditur is, qui pseudographo vtitur. Non enim in definitionem incurrit: quoniam nec sumit quæ probantur omnibus, nec quæ plurimis, nec quæ sapientibus, atque his, nec ea quæ omnibus, nec quæ pluribus, nec quæ probatis: sed ex proprijs scientiæ sumptionibus nō veris, quod vult, efficit. Nam quia semicirculos describit, non quemadmodū describendi sunt: aut lineas ducit, non quo modo sunt ducendæ, eò falsam conclusionem efficit.[o] Ac ratiocinationum quidem genera hæc sunt, quæ à nobis pingui quadam minerua exposita sunt. Nam & de ijs quæ iam diximus, & de ijs de quibus deinceps dicturi sumus, hoc semel admonere volo, nihil horum me velle subtiliter & accuratè docere, sed tantùm rudē veluti formam subijcere rerum singularum. Ego enim ita sentio ad hāc artem quam hoc loco docere instituimus, satis esse rudem quandam ac simplicem rerum singularum habere cognitionem.

ψευδογραφικὰ

Topicorū tractatio rudior, & minus accurata.

IN CAPVT PRIMVM ANNOTATIONES.

Dialectica altera Logicæ pars.

HOc[a] nobis loco.) *Orditur à propositione, docens alteram Logicæ partē, quæ in ueri similium argumentorum conclusione uersatur, (quam proprio nomine Dialecticam appellamus) sibi ad explicandum propositam esse. Nota uerò hoc loco Dialecticæ finitionem afferri. Neq; enim est aliud Dialectica, quàm uia ac ratio, qua de omni quæstione proposita, probabili argumentatione disseritur. Sicq; Alexāder Peripateticos*

Vt definia tur.

Dialecticam definiuisse ait: ἀκολούθως ὁρίζονται διαλεκτικὴν εἶναι μέθοδον περὶ παντὸς τοῦ προκειμένου συλλογιστικῶν.

[b] Probabili argumentat.) *Hoc Dialectica ab Apodictica differt, quòd illa probabilia argumenta, hæc necessaria & uera, ad concludendum adhibet, de quo sæpe in antegressis meminimus. In hunc locum uide Aristotelem lib. de Reprehensionibus Sophistarum, cap. ultimo.*

Ratio pro

[c] Ac primùm quidem.) *Cùm omnis differendi ratio, in argumentorum tractatione & expositione uersetur, rectè priusquam de eo quod propositum est, dicere aggrediatur, hoc*

tur, hoc loco quid Ratiocinatio sit, & quæ in genera dispertiatur, exponit: ut sic Dialecticæ ratiocinationis uis his libris proposita, per comparationem plenius intelligatur. gressionis

d Est igitur ratiocinatio.) Citat hanc Aristotelis finitionem A. Gellius lib. 15. ca. 26. dum ait: Aristoteles quid Syllogismus esset, his uerbis definiuit: λόγος ἐν ᾧ τεθέν των, &c cæt. Nam superius in προλεγομένοις totum Gellij locum exposuimus. Quod ad istius finitionis explicationem attinet, de eo uide lib. 1. de Ratiocinatione, cap. 1. ubi fusius singulæ definitionis partes sunt declaratæ. Hæc finitio à Gellio citata.

e Ex ijs quæ posita.) Græcè est διὰ τῶν κειμένων, quod lib. 1. de Ratiocinat. τοῦτ ταῦτα εἶναι, eodem sensu dixit.

f Demonstratio aut.) Vide in hunc locum lib. 1. de Demonstratione. Demonstratio à Dialectica ratiocinatione, solo materiæ genere discernitur: forma cõcludendi utrobiq; una & eadem est, quæ ex libris de Ratiocinatione depromi debet.

g Aut certè ex eis.) Si non per se nota sunt τὰ αὐτόπιστα Demonstrationum principia, ex alijs certè perspicua esse, & fidem habere ea necesse est. De duplici demonstratiuarum probationum genere, uide lib. 1. de ἀποδείξει. Demõstrationis initia dupli.

h Vera quidem sunt.) Ne ab ignotis progrediatur, quæ uera, perspicua, & probabilia modò nominarit, definiendo explicat. Vera græcè ἀληθῆ, perspicua, πρῶτα, probabilia, ἔνδοξα, Aristoteles uocat.

i Probabilia autem.) Paulò angustiùs ἔνδοξον hic definitur, quàm apud Rodolphum lib. 2. cap. 2. de quo initio priorum Analyticorum diximus. ἔνδοξον.

k Fallax autem.) Hoc tertium genus Ratiocinationis est, Sophistarum proprium, id quod suo complexu Dialectica disputandi ratio, propter propinquitatem & similitudinem (ut sub finem lib. de Sophistarum Reprehensionibus Aristoteles indicat) complecti tur. Græcè ἐριστικὸς συλλογισμὸς hic dicitur, de quo ex professo in lib. de Reprehensionibus Sophistarum tractatur. Dialectica Sophisticè cõplectit.

l Aut quæ ex proba.) Duplex genus Sophistici syllogismi facit: alterũ in materia, alterum in forma peccatũ admittit, quorũ prius illud quidem Syllogismus simpliciter appellatur: Posterius cũ adiunctione tantùm ὁ φαινόμενος ἢ ὁ ἐριστικὸς συλλογισμός, uel etiam ὁ παραλογισμός eodem sensu dicitur. Vitiũ Syllogismi duplex.

m Etiam ratiocinatio vocetur.) Propterea quòd legitimam cõcludendi formam adhibeat, quæ maximè in Syllogismi ratione spectatur.

n Sunt etiam præterea.) Quartum Ratiocinationis genus subijcit, id quod Demonstrationi aduersum, ad Apodicticam referri potest, eò quòd contrariorum doctrina sit eadem. Vide an ψευδογραφικὸν illud Græcè uocet. ψευδογραφικὴ ratiocinatio.

o Ac ratiocinationum.) Concludit quæ de Ratiocinatione præfanda esse duxit, ostendens non adeò accuratam de his rebus præsenti Opere sibi propositam esse disputa-

tionem. Quod pingui quadam Minerua, πραγματικῶς Interpres ait, Græcè ὡς τύπῳ dicitur, de qua phrasi uide in Categor. cap. 1.

DE QVADRVPLICI DIALECTICAE TRACTATIONIS VTILITATE, ET QVIBVS EX REbus constet. Caput 2.

CAP. 2.

Dialectica ad quas res vtilis.

SEquitur [a] vt deinceps, ad quot quasque res instituti nostri ratio conducat, differamus. Tria autem sunt, quorum primum exercitatio est, alterum congressus, tertium philosophiæ scientia. [b] Atq; ad exercitationem quidem magnum eam adferre adiumentum, hinc perspici licet, quòd si via & ratione instructi veniemus ad disputandum, faciliùs de re proposita differere poterimus. Ad congressus autem & colloquia, quòd multorum enumeratis expensisq; sententijs, non ex alienis & longè petitis, sed propijs aptisq; locis sermonem depromemus, quem cum ipsis conferamus. Ita si quid minùs præclarè nobis videbuntur dicere, id facilè refellemus. [c] Ad Philosophiæ autem cognitionem, [d] quòd facultate in vtranq; partem de re quaq; disputandi instructi, faciliùs in quaq; re, quid verum sit, quid falsum, perspiciemus. [e] Atq; etiam ad prima initia omnium artium cognoscenda, in hac arte vis maxima est. Nam quoniã principijs, quæ propria artis eius sunt de qua agitur, adhibitis, de ijs ipsis nihil dici potest, nec concludi, (sunt enim prima) certè ijs quæ in quaque probabilia sunt vtamur necesse est, si quid de his exponere velimus: [f] quod Dialecticę proprium est vel maximè. Cùm enim hęc ratio sit quędam indagatrix, ad omnia omnium rerum quæ via ac ratione progrediuntur principia, viam aperit. [g] Sed hæc tum demùm perfecta in nobis erit ratio, cùm id accidet nobis, quod ijs qui arte rhetorica, medicina, cæterisq; facultatibus sunt præditi, id est, cùm ex ijs quæ commodè ad rem propositam adhiberi possunt, efficiemus quæ volumus. [h] Neq; enim vel orator omnibus modis persuadere solet, vel medicus curationem adhibere: sed si nihil prætermittat eorum quæ adhibere possit, tum deniq; & peritum eum & artificem iudicamus.

1. 2. 3. 4.

Dialecticę probabilitas proposita, etsi non semper eam assequatur.

CAP. 3.

Primùm igitur ex quibus hæc constet ratio, videamus. Quòd si exposuerimus, quot quibusq; de rebus omnis instituatur disputatio, ac ex quibus conficiatur, & quemadmodum ea omnia nobis suppetent, facilè quod volumus consequemur. Sunt autem numero paria, & ea ex quibus argumentationes constant, & ea in quibus ratiocinationes versantur. quippe cùm probationes ex propositionibus conficiantur, & ratiocinationes

tiones de quæstionibus sint. [k] Omnis autē propositio omnisq; quæstio aut genus declarat, aut propriū, aut accidens. [l] Nā differentia, quia generale quippiam est, in eodē, in quo genus, numero exponenda est. [m] Quoniamq; proprium aliud est, quod rei naturā explanat, aliud quod nō explanat, diuisum sit proprium & distributū in partes has duas, appelletur q; vnum, id quod rei vim & naturā declarat, Definitio. Alterum cōmuni nomine quod habuit, vocetur Proprium. Ex quo perspicuū est, quatuor omnia fieri vt diuisimus, vel proprium, vel definitionem, vel genus, vel accidens. [n] Neq; verò dictum velim hæc omnia per se aut propositionē efficere, aut quæstionem: sed hoc dico, ex his omnibus & quæstiones cōstare, & propositiones. [o] Differt autem ratione quadam propositio à quæstione. Nam si quæratur hoc modo: An sit animal gradiens bipes, definitio hominis? aut sit ne animal hominis genus? propositio est. Sin hoc modo, sit ne animal gradiens bipes definitio hominis, nécne? quæstio est. quod idem in cæteris contingit. Pari igitur numero inter se respondent & propositiones & quæstiones: præsertim cùm ex omni propositione, si rationem dicendi mutes, quæstionem facere possis.

Quadruplex quæstionum, propositionumq; genus.

Propositio à quæstione qd distet.

IN CAPVT SECVNDVM,

ANNOTATIONES.

[a] Sequitur nunc deinceps.) *Quatuor Ratiocinationum generibus explicatis, subijcit nunc de quadripartita Dialecticæ institutionis seu tractationis utilitate, ut hac initio perspecta, ad eam discendum attentiores auditores efficiantur.*

Tranſitio

[b] Atq; ad exercitat.) *Singulas ex ordine utilitates describit, prædictis tribus quartam tandem utilitatem adiungens. Prima* πρὸς γυμνασίαν *pertinet: altera* πρὸς τὰς ἐν τυύξεις: *tertia* πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπισήμας: *quarta* πρὸς τὰ πρῶτα τῶν κατὰ ἑκάστην ἐπιστήμην ἀρχῶν, *ut Aristoteles loquitur.*

Dialecticę vtilitas 4.

[c] Ad Philosophiæ autem rat.) *Rodolphus Agricola lib. 2. cap. 6. ad has Dialecticæ utilitates respiciens, præsentem non considerauit, quò fit, ut minus uerè istic Aristotelem reprehendat.*

[d] Quòd facultate in vtran.) *Græcè est,* ὅτι δυνάμενοι πρὸς ἀμφότερα διαπορῆσαι, ἧττον ἐν ἑκάστοις κατοφόμεθα τἀληθέστε καὶ ψεύδος. *Quam sententiam expressit Cicero, cùm alibi, tum 2. Officiorum, cùm inquit: Cōtrà autem omnia disputantur à nostris, quòd hoc ipsum probabile elucere nō posit, nisi ex utraq; parte causarum esset facta contentio. Et 2. Tusculan. Itaq; mihi semper Peripateticorum Academiæq; consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi, non ob eam causam solùm placuit, quòd aliter non posset, quid in unaquaq; re uerisimile esset, inueniri, & cætera. Sic & 2.*

Ratio in cōtrarias partes differendi ad qd vtilis.

Metaphysic. cap.1. Aristoteles, rectius de ueritate eos, qui tanquam aduersariot, utrinq; rationes omnes diligenter expenderint, disceptaturos ait, idq; his uerbis: ἔτι δὲ βέλτιον ἀνάγκη ἔχειν πρὸς διρῖναι, τὸν ὥσπερ ἀντιδικῶν, καὶ τὸν ἀμφισβητοῦντων λόγων ἄκουσόντα πάντων. Nota hoc loco, quod in utranq; partem, seu in cõtrarias partes

Vt Græcè dicatur.

disserere & disputare Latini dicunt, id uarijs modis Græcè ab Aristotele dici, ut πρὸς ἀμφότερα, καὶ ἐπὶ ἀμφότερα, καὶ ἐφ' ἑκάτερα, καὶ ἐν ἑκάτερον διαλέγεσθαι καὶ διαπορεῖν.

e Atque etiam ad.) Hæc quarta utilitas est, quam superioribus adiungit. Hoc loco Dialecticen cum prima Philosophia comparat, dum eam ad artium quarumq; & disciplinarum initia cõfirmanda momentum afferre astruit. Id quod primæ demum Philosophiæ proprium esse diximus lib.1. de Demonstratione, cap.6. Verùm quod prima Philpsophia efficacibus & necessarijs rationibus efficit, id uerisimilibus solum & contingentibus Dialectice molitur. Quo nomine hæc ab illa distinguitur.

Dialectice à prima Philosop. distinctio.

f Quod Dialecticæ pro.) Nempe probabilia in quaq; arte consectari, & ex illis disserere. Hoc loco nota, si aliud quàm probabilitatem Dialectica sibi sumat, non propriè id uerbi accipi, ad Peripateticorum doctrinam accommodatè, de quo uide περιλεγόμενα nostra, cap.7.

Dialectica probabilitatem spectat.

g Sed hæc tum de.) Vult Dialecticum, tametsi minus in disserendo probabilitatem assequatur, nihilo seciùs tamen nomen suum retinere, præsertim si nihil eorum quæ ad captandam probabilitatem spectant, negligentia prætermittat. Atq; à simili idipsum exemplo Oratoriæ & Medicinæ confirmat. In hunc locum uide Fabium lib.2. cap.18. Noster orator arsq; nobis finita, (inquit) non sunt posita in euentu. Tendit quidem ad uictoriam qui dicit, sed cùm bene dixit, etiamsi non uincat, id quod arte cõtinetur, efficit, &c. Nam pluribus locum explanat.

Dialectica nomen retinet, etsi probabilitatem nõ assequat.

h Neq; enim vel orator.) Consimilia in hunc locum uide apud Aristotelem lib.1. Rhetoricorum, cap.8.

i Primùm igitur ex.) Ad rem nunc deinceps se accingit, docens quot, qualesq; res sint, quibus antegressa probabiliter differendi ratio omnis conficiatur. Vult autem eiusmodi esse quatuor quasi attributorum & prædicatorum genera, ex quibus omnes tũ quæstiones, tum propositiones (de quibus, & è quibus omnis Dialectica disputatio ac ratiocinatio constituitur) existunt: Nempe Genus, Definitionem, Proprium, & Accidens, quemadmodum deinceps patebit.

Attributorũ genera 4.

k Omnis autem proposit.) Hîc quatuor atttributorum genera seu locos nota, ad quæ omnem Topicam rationem hoc Opere astringens, quo modo de ijs in contrarias partes à Dialectico disputari possit, ostendit. Reprehendit hoc institutum Philosophi Rodolphus Agricola lib.1. cap.3. Verùm non satis rectè, quemadmodum luculenter Ioachimus

Perio-

Perionius lib. 1. suæ Dialecticæ in quarta distributione quæstionum declarat his uerbis: Quæ quidem partitio utinam tam planè cognita esset nonnullis, quàm facilè ab eis reprehenditur. Neq; enim eam culparent, sed maximis laudibus efferrent & probarent. Non enim uerum est, quod Aristoteli obijciunt, his quatuor quæstionũ generibus tãtùm quæri, propositò aliquo genere, sit'ne rei de qua quæritur genus: aut proposita definitione aliqua, sitne rei propositæ definitio: aut proprio proposito, sitne rei propositæ proprium, aut accidente, sitne accidens: sed hoc uult Aristoteles, quicquid ad differendum proponatur, id eiusmodi esse, ut horum quatuor aliquo comprehendatur, & cæt. Atq; idipsum nõ obscurè etiam indicat Aristoteles hoc Opere, præsertim lib. 2. cap. 2. ubi simplicis Accidentis quæstionem tractans, ad popularem usum accommodatè de ea disserit, non sub nomine Accidentis, ut ei Rodolphus impingit, quemadmodum isto in loco uideri potest. Rodolphi sententia expensa.

l Nam differentia.) Differentiam generi adiungit, ut quaternarium prædictorum attributorum numerum retineat. Mireris speciem hic prætermissam esse. Verùm illa hoc loco subiectum est, de quo priora attributa uel in quæstionibus, uel in pronunciationibus dicuntur. Alioquin instar differentiæ, sub genere itidem contineri poterat, teste Alexandro. Aristoteles differentiam hoc loco ὡς ὄντα γενικὰ appellat. Atq; sic sentit & Perionius loco paulò antè citato. Differentia generi subiecta.

m Quoniam q; proprium.) Distinguit proprium in duo genera, quorum alterũ reuera proprium: alterum definitio appellatur, ita ut quaternarius τῶν κατηγορημένων numerus absoluatur. Proprium duplex.

n Neq; verò dictum.) πρόληψις obiectionis. Prædicta tanquam materia sunt, ex qua omnes tum quæstiones, tum propositiones in differendo conflantur.

o Differt autem ratione.) Quid inter propositionem & quæstionem intersit, ostendit. Re subiecta eæ conueniunt, sed habitu quodam, & pronunciationis modo discernuntur. Vtraq; interrogatione constat. Verùm quæstio utramq; contradictionis partem interrogat: alteram tantum propositio, quemadmodum subiectis deinde exemplis docetur. Quæstio Græcè δ πρόβλημα: Propositio ἡ πρότασις dicitur, de quibus uocibus nõnulla uide apud Rodolphum lib. 2. cap. 6. Propositionis à quæstione distinctio.

DE QVATVOR ATTRIBVTORVM GENERIBVS, QVID QVAEQVE SINT, ET QVAM VIM habeant. Caput 3. CAP. 4.

p Vnc dicendum est, quid sit definitio, quid genus, quod propriũ, quid accidens. q Definitio est oratio, quæ id quod definitur explicat quid sit. r Adhibetur autem aut oratio pro nomine, aut pro oratione oratio. Possunt enim quædam quæ oratione exprimuntur, definitione aperiri. Qui autem quoquo modo nomen pro nomine reddunt, ij pro- Definitio.

fectò

fectò rei definitionem non explicant: quandoquidem omnis definitio oratio est. [d] attamen hoc referendum est ad definitionem, vt honestum est, quod decet. [e] Itemq; hoc, vtrum idem sit sensus & scientia, an aliud, definitioni attributum est. in definitionibus enim idémne sit an alterũ, multus vsus est. Ad definitionemq; pertinent ea omnia, quæ eadem via & ratione tractantur, qua definitio. Atq; hæc omnia talia esse, ex hoc intelligi potest, quòd si possumus quid idem sit, quid aliud differere, magna nobis de definitionibus disputandi suppetet copia. Nam si non idẽ esse ostendemus, definitionem infirmabimus, quanquam non id retrò commeat. Non enim satis est ad construendam definitionem, idem esse docere: ad euertendam autem satis est, non esse idem ostendere.

Proprium. [f] Proprium autem est, quod quid sit res non explicat, in soloq; inest, & vicissim de re dicitur, velut hominis proprium est, [g] natum esse ad percipiendam grammaticam. Si enim homo sit, vim habet ad percipiendam grãmaticam, & si quid sit quod vim ad percipiendam grammaticam habet, homo est. Neque enim quisquam id proprium esse dicat, quod in aliam rem transferri potest: vt dormire hominis proprium non est, etiamsi ad quoddam rempus in solum hominem cadat. [h] Sed si quid tale proprium dicatur, non omnino, sed ad quoddam tempus, aut ad aliquid collatum proprium appellabitur. Nam à dextra esse, proprium est interdum: & bipedem esse, proprium est, quod cum aliquo confertur, vt hominis proprium est ad equum & canem. Atq; nihil eorum quę in alio etiam inesse possunt, vicissim dici, hinc perspici licet, quòd non est necesse si quid aliud dormiat, id esse hominem.

Genus. [i] Genus autem id est, quod de pluribus, specie autem differentibus dicitur [k] in quæstione, qua quid sit res quæritur. In quęstione autem qua quid quicq; sit quæritur, ea dicuntur omnia, quę accommodatè & aptè respondentur, cùm rogatur quid sit id de quo agitur. Vt si quis rogetur quid sit homo, aptè respondebit animal. [l] Generi etiam illud attributum est, sit ne aliquid in eodem genere, in quo aliud, an in alio. hoc enim eadem ratione tractatur qua genus. Nam si animal genus hominis esse demonstrauerimus, itemque bouis: certè ostenderimus quòd in eodem sunt genere. & si alterius esse genus docuerimus, alterius non esse, ea non ad idem genus docuerimus pertinere.

Accidens. [m] Accidens est, quod nihil horum est, nec genus, nec definitio, nec proprium, rei autem conuenit: &, quod cadere potest in rem vnam aliquam, & in eandem non cadere. veluti sedere, & conuenire

eidem

eidem & non conuenire potest. Itemq; album, quoniam nihil prohibet eundem aliàs album esse, aliàs non album. n Harum autem accidentis definitionum verior est & aptior secunda. Siquidem priore proposita, si quis eam sit intellecturus, is antè quid definitio sit, quid genus, quid proprium, sciat necesse est: at posterior satis ipsa per se plena & perfecta est, vt quid sit accidens per se intelligatur. o Accidenti attributæ sunt rerum omnium inter se comparationes, quæ ab accidente ducuntur, vt, vtrum expetendum magis, quod honestum est, an quod vtile? & vtra vita suauior, eáne quæ virtute, an quæ voluptate dirigitur? & si quid aliud eodem modo dicitur. In ijs enim omnibus vtri id de quo agitur, magis cõueniat, quęritur. p Ex quo perspicuũ est, accidens ad quoddam tempus & cum aliquo collatum proprij nomen obtinere posse. veluti sedere, quod est accidens, si quis solus sedeat, tum ad tempus proprium erit, & si solus quis sedeat, etiam erit proprium ad eos qui non sedent. Ita nihil prohibet accidens ad quoddam tempus, & cum aliquo collatum vim proprij ac nomen obtinere, cùm interim non sit futurum omnino proprium.

Accidẽtis finitio 2. melior.

IN CAPVT TERTIVM

ANNOTATIONES.

a Nunc dicendum est.) *Quæ paulò antè recensuit attributorum genera, ea nunc plenioris disciplinæ gratia, definiendo explanat. Quanquam quod ad usum differendi attinet, de ijs, consequentibus libris copiosiùs edisserit.*

b Definitio est orat.) *Hanc definitionis descriptionem ab Aristotele in Topicis Cicero mutuatur. Græcè ait,* ἔστι δὲ ὅρος μὲν λόγος, ὁ δὲ τί ἦν εἶναι σημαίνων.

Definitio.

c Adhibetur autem.) *Quia perspicuitatis gratia, definitiones rerum, teste Aristotele, adhibentur, uult pro ijs, quæ obscura sunt, alia seu nomina, seu orationes, in definiendo adsumi. Meminit huius & in sequentibus sæpe.*

Perspicuitas definitionis.

d Attamen hoc referen.) *Declarat paulò latiùs Definitionis locum in differendo patere, cum & Etymologiæ, & descriptiones, & alia pleraq;, ad eam referantur. Græce hæc τὰ ὁρικὰ uocat, hoc est, definitioni attributa, ut in Topicis Cicero appellat.*

Definitionis attributa.

e Itemq; hoc, vtrum idem.) *Hunc locum Cicero expressit in Topicis hoc modo: Ad Definitionem autem pertinet ratio & scientia definiendi. Atq; huic generi finitimũ est illud, quod appellari de eodem & altero diximus, quod genus forma quædam definitionis est, & cæt. De hoc finitionis annexo, uide infrà lib. 7.*

De eodẽ & altero, finitioni cõiunctum.

f Proprium autem est.) *In hunc locum uide Porphyrium cap. 4. de Proprio.*

g Natum esse ad perci.) *Porphyrius cap. 3. natum esse ad percipiendam scientiam, exemplum*

exemplum Differentiæ, non Proprij, ponit. Verùm iste ex Platonicorum sententia loquitur, quibus scientiarum habitus nobis innasci, non aliunde studio & industria comparari placet. Quam sententiam Aristot. lib. 2. de Demonstratione, cap. ultimo refellit.

Proprium multismodis dicit.

h Sed si quid tale.) *Quia & alijs modis Proprij, τὸ ἰδίου, uerbum apud Philosophos accipitur, ostendit non simpliciter & omnino, sed cum quadam adiunctione istos modos hoc uerbo appellari. Græcè δ' ἴδιον partim ἁπλῶς, partim ποτὲ ἢ πρόσι ἴδιον appellat. Quorum quod ἁπλῶς dicitur, quartũ modum constituit: quod ποτέ, tertium: quod πρόσι & primum & secundum modum.*

Genus qd.

i Genus autem id est.) *Hanc definitionem in Isagoge Porphyrius cap. 1. expreßit. Cicero in Topicis Genus definit, ut sit notio ad plures differentias pertinens.*

ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖσθαι

k In quæstione autem.) *Græcè ἐν τῷ τί ἐστι simpliciter ait, id quod persuauiter hoc loco, ut alibi Interpres Latinè transfert, de quo in Porphyrij Institutionibus nonnulla diximus, cap. 1.*

l Generi etiam illud.) *Loquitur de generis adiunctis & attributis, quæ τὰ γενικὰ græcè appellat.*

Accidens vt definiatur.

m Accidens est quod.) *Imitatus est hunc locum in accidente definiendo Porphyrius. Cùm nulla res uerè per negationes definiendo explicetur, rectè tandem adiungit, ὑπάρχει δὲ τῷ πράγματι, hoc est, inest autem seu conuenit rei. Nam hæc adiectio, quæ demum accidentis natura sit, ob oculos proponit, de quo uide in Porphyr. cap. 5.*

Collatio finitionũ.

n Harum autem accid.) *Collatio duarum prædictarum finitionum. Cùm secunda αὐτοτελὴς sit, ut per se quid accidens sit, intelligatur, illam antegressæ, quæ per se minùs intelligi potest, antecellere & præstare profitetur.*

o Accidenti attributæ.) *Accidens partim absolutè, partim comparatè spectatur. De illo lib. 2. agitur: de hoc lib. 3.*

p Ex quo perspicuum est.) *Indicat ex quo genere improprij τοῦ ἰδίου modi (de quibus antè meminimus) desumantur.*

AD DEFINITIONEM PRAEDICTA REVOCARI, ET QVOT MODIS VERBVM (IDEM) dicatur. Caput 4.

CAP. 5. Prædicta ad finitionem referuntur.

ILlud[a] autem ignorare nõ debemus, ea omnia quę ad proprium, quæ ad genus, quæ ad accidens referuntur, attribui etiam definitionibus posse. Nam si demonstrauerimus non soli ei conuenire quod definitur, vt in proprio: aut non esse in definitione genus id quod datum est: aut non inesse aliquid eorum quæ in definitione continentur: quod etiam in accidente dici potest: certè definitionem euertimus. Ita iuxta illam, quam paulò antè posuimus rationem, quodammodo sub definitionem

cadent

cadent omnia. Nec verò ob eam causam in his omnibus via & ratio vna generalis quærenda est. Non enim hoc inuentu facile est: & si inuentũ sit,[b] tamen obscurum erit omnino, nec magnum adiumentũ ad id quod quærimus adferet: at si propria eorum sigillatim via tradatur, facilior ex ijs quæ singulorum propria sunt, de re proposita erit explicatio. Itaq; summa illa (idque rudi, vt paulò antè dixi, minerua) facienda partitio est. Tum sua cuiq; assignanda sunt attributa, quæ tum generis tum definitionis attributa dicentur. Ferè autem quæ exposita sunt, ea sunt quæ singulorum generum attributa sunt. Propria antegressorum methodus, non vniuersa.

CAP. 6.

[a] Primùm autem omnium de eodem differendum est, quot modis dicatur: tripartitò autem, vt rudiùs hanc rem subijciam, distributum est: Aut enim numero, aut specie, aut genere idem soliti sumus dicere. [a] Ac numero quidem eadem sunt, quorum & nomina plura & res vna est, vt vestimentum & vestis. Speciei autem eiusdem sunt, ea quæ multa sunt, neque specie differunt, vt duo homines, vt duo equi. Ea enim eiusdem speciei dicuntur, quæ eidem speciei subiecta sunt. Itemq; eiusdem generis sunt ea, quæ eidem generi subijciuntur, vt homo & equus. Aqua autem quæ ab eodem fonte manat, eadem dici alio modo atque superiora, videbitur, sed tamen in eodem genere numeranda est, in quo ea quæ vnius speciei quoquo modo habentur, præsertim cùm cognatione quadam & similitudine hæc inter se coniuncta sint omnia. Siquidem aquæ omnes, quòd similitudinem quandam inter se habeant, eiusdem speciei sunt: & aquæ ab eodem fonte fluentes, quæ eædem dicuntur, non alia ratione differunt ab alijs, nisi quòd excellentior sit, & maior harum similitudo. Itaque non ab ijs hoc genus seiungimus, quæ eadem quoquo modo specie continentur. [c] Constat autem inter omnes, id quod est vnum numero, idem appellari verisimè. Idq; solet in multas partes tribui: quarum prima est, & maximè propria ea, qua aliqua eodem nomine vel definitione dicuntur, vt vestimentum & tunica, vt animal gradiens bipes & homo. Secundo loco cùm per proprietatem idem aliquid exprimitur, cuius generis est hoc totum, quod vim habet ad cognitionẽ percipiendam & homo: & quod sublime naturâ fertur & ignis, eadem sunt proprietate. Tertio loco cùm id ab accidentibus nascitur, vt quod sedet, quodque musica præditum est, idem est quod Socrates. [c] Vnum enim numero hæc declarare omnia, ex ijs qui nominum mutationem faciunt, intelligi potest. Sæpe enim si quem euocari iubemus nomina-

Idem, & ταυτὸν. Numero. Specie. Genere. Idem numero tripartitum. 1. 2. 3.

tim, neque is intelligit cui iubemus, alio tum nomine vtimur, quasi facilius ex re aduentitia sit intellecturus, ideoque vel sedentem, vel disputantem ad nos accersiri iubemus. Ex quo perspicuum est, idem existimare nos accidente declarari, quod nomine. Idem igitur tribus modis, vt expositum est, dicitur.

IN CAPVT QVARTVM ANNOTATIONES.

[a] Illud autem ignorare.) *Ostendit antegressos tres attributorum locos, ad definitionem reuocari posse: Tametsi ob eam causam, non una quædam & communis omnium, sed in singulis explicandis specialis ratio adferri debeat.*

Generalis ratio improbatur.

[b] Tamen obscurum.) *Duabus de causis generalem uiam improbat: altera est obscuritas: altera, quòd non tam magnum ea in differendo adiumentum afferat. Græcè est:* ϖϖῶς ἐλῶς ἀσαφῆς ϗ σύχχυτον ἀμφίκις πρὸς τὴν προκειμένην πραγματείαν.

Idem trifariam dicit

[c] Primùm autem om.) *Explicat quot modis* ὡσαυτόμ, *hoc est, Idem uocabulum dicatur. Nempe tribus, Genere, Specie, & Numero. Magnus huius distinctionis in Philosophia usus est. Consimili modo ferè &* ἓν, *hoc est, unum, &* διαφέρον, *hoc est, differens, tripartitò apud Philosophos dicuntur, de quo uide lib. 4. Metaphy. Aristotelis.*

[d] Ac numero quidem.) *Cùm unum & idem pari modo dicantur, non alienum fuerit, quæ de Vnius uerbi distinctione explicationeq; in Metaphysicis Aristoteles docet, huc rei clariùs exponendæ causa traducere. Inquit ergo lib. 4. cap. 6.* ἔτι δὲ τὰ μὴ κατ' ἀριθμόν ὄντα ἓν, τὰ δὲ κατ' εἶδος, τὰ δὲ κατὰ γένος, τὰ δὲ κατ' ἀναλογίαν. ἀριθμῷ μὲν οὖν ἕν ὕλη μία, εἴδει δὲ ὧν ὁ λόγος εἷς, γένει δὲ ὧν ὅμοιόν τι καὶ ταγοσίας, καὶ ἀναλογίαν δὲ, ὅσα ἔχει ὡς ἄλλο πρὸς ἄλλο. *Hoc est, Cùm alia numero, alia specie, quædã genere, nonnulla proportione unum dicantur: numero quidẽ unũ sunt, quorum una est materia: specie, quorum eadem ratio: genere, quorum una est forma Categoriæ: proportione, quorum unum ad alterum, aut alia ad alia pari modo affecta sunt.*

Vnũ, quadrifariam dicitur.

[e] Constat autem inter.) *Distinguit* ὡσαυτόμ ἀριθμῷ *in tria genera. Nomine seu definitione, proprietate, & accidente.*

[f] Vnum enim numero.) *Probat de accidente ex signo.*

CAP. 7. E' PRAEDICTIS OMNEM QVAESTIONEM DVCI, ET AD DECEM CATEGORIAS EADEM reuocari. Caput 5.

OMnem [a] autem disputationem de ijs quæ suprà dicta sunt, haberi, ex hisq; constare, primùm inductione perspici licet. Si quis enim vnamquamq; propositionem & quæstionem perspiciat & consideret, is certè vel ex definitione, vel ex proprio, vel ex genere, vel ex accidente

eam

eam constare animaduertet. deinde id ratiocinatione hac concludi potest. [b] Quicquid enim de aliquo dicitur, id necesse est reciprocari, vel nõ reciprocari. Si reciprocatur, definitio erit vel proprium. Nam si naturam rei explicet, definitio: si non explicet, proprium erit: præsertim cùm proprium id esse definierimus, quod vicissim diceretur, neque rei vim naturamque explicaret. Sin minùs ipsum & res reciprocentur, aut in ijs est, quæ in definitionem inclusa de subiecto dicuntur, aut non. Si in ijs quę in definitione comprehensa de subiecto dicuntur, aut genus, aut differentia sit necesse est: quandoquidem è genere, ac differentijs omnis definitio est. Si non est in ijs quæ in definitione continentur, [c] profectò accidens sit necesse est: siquidem accidens id esse definiuimus, quod nec definitio est, nec genus, nec proprium, rei autem accidit. [d] Deinceps categoriæ exponendæ sunt, ad quas eæ quatuor rerum quas diximus, distinctiones differentiæque referuntur. Sunt autem numero decem, substantia, quantitas, qualitas, ea quæ cum aliquo conferuntur, vbi, quando, situm esse, habere, facere, pati. Semper enim ad vnam harum decẽ, accidens, genus, proprium, & definitio pertinent: vt necesse sit omnes quæ ex his constabunt propositiones & quæstiones, aut substantiam, aut qualitatem, aut quantitatem, aut aliquam aliam categoriam indicare. [e] Id autem quod significat quid alterum sit, interdum substantiam significare, interdum qualitatem, interdum aliam categoriam, ex hoc perspici potest, quòd cùm proposito homine aliquis dicit, id quod propositum sit, esse hominem aut animal, is & quid est dicit, & substantiam explicat: cumque proposito & constituto colore albo, dicit id de quo agitur colorem album esse, naturam & substantiam declarat, explicatque qualitatem. Itemque si proposita magnitudine vnius cubiti, id confirmet, de quo agitur, magnitudinem esse vnius cubiti, substantiam dicit, & quantitatem indicat. Quod idem in cæteris contingit. [f] Siue enim idem de se dicatur, siue genus de eodem, naturam substantiam que declarat. Sin de alio, non naturam iam, sed vel qualitatem, vel quantitatem, vel aliquam aliam categoriam indicat. Quare hæc tot sunt de quibus, & ex quibus omnis instituitur disputatio. [g] Sequitur vt quemadmodum propositiones eligamus, quibusq; rebus hæc nobis facultas suppeditabitur, doceamus.

Attributorum distinctio in 2. genera.

Categoriæ decem.

Nomen τῆς οὐσίας ambiguũ.

IN CAPVT QVINTVM, ANNOTATIONES.

Omnem

[a] Omnem autem disput.) Redit ad superiores τῶν κατηγορημένων locos, docens omnes tum quæstiones, tum propositiones (de quo antè meminit) ex ijs locis duci, idq; duplici ratione.

Attributa duplicia.

[b] Quicquid enim.) Hoc loco attributorum diuisionem nota. Alia rei æqualia sunt, quæ uicißim reciprocantur, ut definitio & proprium. Alia latiùs patent, quæ non reciprocantur, ut genus & accidens. Quæ autem horum inter se distinctio sit, Aristot. apertè docet.

Accidens à finitione alienum.

[c] Profectò accidens sit.) Accidens nullo modo ad rem definiendam adhiberi, lib. 1. de Natura ex professo Aristoteles docet, cap. 3. Verùm id de propria & uera definitione intelligendum est, non ea quæ ἐκ τῶν συμβεβηκότων συλλογισμῶς cõflatur, de quo initio Porphyrianæ Institutionis meminimus, in Proœmio.

[d] Deinceps Categoriæ.) Hoc loco obserua & Categorias pro locis haberi posse, de quo Fabius Quintil. meminit, lib. 3. cap. 7. Quo modo denarius Categoriarum numerus comprobetur, uide in cap. 1. libri Categor.

Τὸ τί ἐστι ambiguè dicitur.

[e] Id autem quod signi.) Ostendit τὸ τί ἐστι nomen, pro quo substantiam antè Interpres conuertit, ambiguum esse, cùm nunc propriè ad substantiam pertineat, nunc declaret omne id, quod quomodocunq; definiendo explicatur. Id quod etiam in accidentibus locum habet, de quare & in Metaphysicis Aristoteles sæpe, & nos in lib. B. Thomæ de Natura & essentia rerum meminimus, cap. 2.

[f] Siue enim idem.) Hîc declarat, quando essentiam, quãdo accidens, seu qualitatem τὸ τί ἐστι significet. In hunc locum uide Aristotelem lib. 4. τῶν μετὰ τὰ φυσικά, cap. 7.

[g] Sequitur vt quemad.) Μετάβασις ad sequentem tractationem.

DE DIALECTICA PROPOSITIONE.

CAP. 8.

Caput 6.

PRimùm [a] igitur exponendum est, quid sit Propositio dialectica, quid Quæstio dialectica. Neq; [b] enim propositio, quæstioq; omnis dialectica putanda est, præsertim cùm nemo, qui quidem mentis suæ sit, accipiat vt aliquid probet, quod probetur nemini: neq; pro quæstione ponat quod perspicuum sit omnibus, aut plurimis: quandoquidem hæc nullam dubitationem habent; illa autem nemo vnquam admiserit.

Propositio Dialectica.

[c] Est autem Propositio, interrogatio probabilis, quæ non sit contra opinionem, vel omnium, vel complurium, vel sapientum: ac sapientum, aut omnium, aut permultorum, aut eorum, quorum maximè perspecta est & spectata sapientia. Nam id facilè admitti solet, quod sapientibus probatur, dummodo maximæ partis sententijs minimè repugnet. [d] Pertinent etiã ad propositiones huius generis ea omnia, & quæ ad probabilium

lium similitudinem accedunt, [a] & disparata eorum quæ probabilibus aduersantur, omnesq; sententiæ quæ ijs artibus, quæ inuentæ sunt, congruunt & consentiunt. [f] Nam si hoc probabile est, eandem in contrarijs artem versari: etiam illud, eidem sensui subiecta esse contraria, probabile videatur. Et si vnam numero grammaticam esse, tibiarum etiam artem vnam esse probabile erit: sin plures grammaticas, plures etiam artes esse tibiarum. Hæc enim similia & cognata sunt omnia. [g] Itemque disparata eorum, quæ probabilibus contraria sunt, probabilia videbuntur. Si enim hoc probabile sit, Afficiendos esse beneficijs amicos: illud etiã probabile erit, De amicis non esse malè merendum. Atqui contrarium est, malè merendum esse de amicis: disparatum verò, non esse malè merendum. Similiter, si de amicis bene merendum sit: de hostibus non est bene merendum: quod est contradicens eius, quod probabili repugnabat. Contrarium enim est, Bene merendum esse de hostibus. Eadem est ratio cæterorum. Ex similitudine etiam probabile existet, contrarium de contrario. Si enim de amicis bene merendum est, de inimicis etiam malè. quorum illud, Bene de amicis merendum est, contrarium est huius, De inimicis malè merendum est. [h] Vtrum autem id verè dicatur, nécne: deinceps cùm de contrarijs disseremus, docebimus. [i] Hoc autem perspicuum est, sententias omnes quæ artibus consentiunt, propositionibus ijs quæ dialecticæ sint, attribui oportere. Illa enim quisq; admittere solet, quæ probantur ijs qui in quaque arte versati sunt: veluti in re medica, quæ medico: in re geometrica, quæ geometræ. Quod de alijs iudicandum est eodem modo. 2. 3.

IN CAPVT SEXTVM,

ANNOTATIONES.

[a] Primùm igitur exponen.) *Priusquàm ad id quod instituit, cursum dirigat, quædam de explicatione dialecticæ tum propositionis, tum quæstionis, nunc deinceps subijcit. Ac primum quidem de propositione agit, quæ Græcè πρότασις dicitur.* Propositio, πρότασις.

[b] Neq; enim pro.) *Ratio, cur de his explicatio instituatur. Nota hîc quæ in disputationem afferri oporteat. Neq; omnino ἄδοξα ea sunt, nec quæ omnibus sunt perspicua. De hoc & capite sequenti similiter dicitur.*

[c] Est autem proposit.) *Vt Dialectica ars, tota ad probabilitatem refertur, ita Dialectica propositio ea est, quæ cum probabilitate coniungitur. Probabile autẽ hîc proprie sumendum est, ut antè descriptione explicauit. Alioqui enim & latiùs ipsum patet. Hîc sententiã nota, quã deinsubijcit:* θεὶς γὰρ ἅπτεσθαι τοῖς σοφοῖς, ἐὰν μὴ φαίνηται τοῖς πολλοῖς ἔνδοξα εἶναι. Dialectica propositio, Sententia.

[d] Pertinent

[d] Pertinent etiam.) *Paulò latiùs τοῦ ἐν δόξῃ uerbum extendit. Sunt autem tres modi, quos hîc significat, & posteà exemplis declarat.*

[e] Et disparata eorum.) *Disparata, τὰ ἐναντία κατ' ἀντίφασιν Græcè dicuntur.*

[f] Nam si hoc probabile.) *Exempla primi modi, qui à similitudine sumitur. Hîc nota de similibus idem iudicium esse.*

[g] Itemq; disputata eo.) *Alterius modi exempla, in quo τὰ κατ' ἀντίφασιν ἐναντία probabilibus sumuntur.*

[h] Vtrum autem id.) *Reiectio. Vide infrà lib. 2. cap. 3.*

[i] Hoc autem perspi.) *De tertio genere loquitur. Hîc nota cuiq; artifici in sua arte credendum esse, eò quòd quisq; optimè de ijs quæ ipse nouit, dijudicet, iuxta id Aristotelis lib. 1. Ethicorum Nicomac. cap. 3.* ἕκαστος δὲ κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής.

Cuiq; in sua arte credendũ.

DE DIALECTICA QVAESTIONE, ET QVID A THESI SEV PROPOSITO DISTET.

CAP. 9.

Caput 7.

Quæstio Dialectica

QVæstio [a] autem dialectica est quæstio [b] aut ad expetendum & fugiendum, [c] aut ad veritatem cognitionemq; pertinens, idque vel per se, [d] vel quia adiumentum afferat ad aliquid aliud, quod horum altero genere continetur: de qua aut neutram in partem, aut contrà pleriq; ac sapientes sentiunt, aut sapientes cõtrà ac pleriq;, aut vtriq; ipsi secum discordant. [e] Sunt enim quæstiones quædam ad persequendum quid & declinandum, cuius generis hæc est, Vtrum voluptas bonum est, nécne? Aliæ sunt solùm cognitionis & scientiæ: vt si quæratur, Sit, nécne sit mundus sempiternus? Quædam ipsæ per se ad neutrum horum valent, habent tamen suam quandam ad illa vtilitatem. multa enim sunt, quæ per se ad cognoscendum nos non mouent, nisi aliorum causa, vt per ea alia discamus. [f] Sunt etiam quæstiones de quibus ratiocinationes contrariæ sunt. Vtrum enim sic, ánne secus sit, quæstio est, propterea quòd in vtranq; partem rationes probabiles suppetant. Sunt & de quibus, quia magna & ardua sunt, statuere nil possumus, rati difficilem esse causæ explicationem: quo ex genere hæc est, [g] Vtrum mundus ęternus est, nécne? id enim incidere potest in disputationem. [h] Ac Propositio quidem & Quæstio exposita sunt. Propositum autem, sententia est admirabilis, cõtraq; opinionem omnium, alicuius eorum, quorum in Philosophia illustris est, & peruagata fama: [i] velut non posse contradici, vt placet Antistheni: vel, Moueri omnia, Heracliti sententia: vel, Vnum esse omnia, quem-

Thesis seu Propositũ

quemadmodum ait Meliſſus. [k] Nam curare quæ quiſq; contra opinionem & ſententiam omnium afferat, amentia eſt. [l] Aut de ijs certè rebus, quæ cùm ſint contra opinionem, ratione tamen niti videntur, quale illud eſt, Non omne quod eſt, aut natum eſſe, aut ſempiternum, vt Sophiſtis placet. Eum enim qui muſicus ſit, eſſe grammaticum, neque factum eſt, neq; ſempiternum. Id enim & ſi nemini verum eſſe videatur, quia tamen probabili illa ratione nititur, alicui probabile videri poterit. [m] Ac propoſitum quidem, etiam quæſtio eſt, non omnis autem quæſtio propoſitum: quandoquidem nonnullæ quæſtiones ſunt eiuſmodi, de quibus neutram in partem ſunt ſententiæ. Propoſitum autem eſſe quæſtionem hinc perſpici poteſt, quòd ſi vera ſunt, quæ paulò antè dixi, neceſſe eſt, aut multos de propoſito à ſapientibus, aut quoquo modo à ſeipſis vtroſq; illos diſſentire: quippe cùm propoſitum ſit, ſententia contra aliorum opinionem. [n] Porrò autem omnes ferè dialecticæ quæſtiones hodie propoſita vocantur, [o] nil tamen referet quocunque nomine vtamur. Neque enim hæc ita diſtinximus, quaſi ſua nomina ſingulis rebus dare velimus, ſed vt ne ignoraremus quæ ſit eorum diſtinctio. [p] Nec verò omne propoſitum omnémue quæſtionẽ nobis ad diſputandum proponere debemus, ſed de qua quærat aliquis eorum, qui rationem deſiderent, nõ pœna digni ſint, aut ſenſu careant. Nam & qui quærunt, [q] Sint, nécne ſint Dij colendi, & amandi parentes, ſupplicio coërcendi ſunt: & qui, [r] ſit ne alba nix nécne, ſenſu carent. Nec de ijs etiam quæſtionibus, & propoſitis diſputare debemus, quorum in promptu eſt, & facilis explicatio, [s] aut nimium remota & difficilis: quoniam illa nullam dubitationem afferant, hæc maiorem, quàm vt eam ferre poſſit exercendi conſuetudo.

Collatio quæſtionis cum propoſito.

Quæ quæſtiones diſſerendæ.

IN CAPVT SEPTIMVM,

ANNOTATIONES.

[a] Quæſtio autem.) *Hactenus de propoſitione, ſequitur nunc τὸ προβλημα τῶν, hoc eſt, quæſtionis explicatio. Videtur hoc loco in quæſtione definienda, ad eam diuiſionem alludere, quam inferius capite ſequenti tradit, cùm quæſtionum & propoſitionum alias τὰς ἠθικὰς, alias τὰς φυσικὰς, alias τὰς λογικὰς eſſe ait. Quæ enim iſtic uocantur ἠθικαὶ, hîc ad expetendum & fugiendum accommodatæ: quæ illic φυσικαὶ, hîc ad ueritatem & cognitionem pertinentes: quæ iſtic λογικαὶ, hîc adiumentum ad aliquid prædictorum afferre dicuntur, teſte Alexandro.*

Quæſtionum diuiſio.

[b] Aut ad expetendum.) *Hæc quæſtio actionis Ciceroni nominatur, quæ ad quid*

efficiendum refertur, ut sunt quæ ex morali Philosophia depromuntur.

c Aut ad veritatem.) Hæc cognitionis dicitur, cuius finis est scientia: Eiusmodi ad naturæ obscuritatem referuntur.

d Vel quia adiumentum.) Hæc medij generis est, quæ partim ad actionem, partim ad cognitionem rectè adipiscendam adiumentum affert: cuiusmodi est Logica, de qua uide Rodolphum Agricol. lib. 2. cap. 11.

e Sunt enim quæstiones.) Exemplis singula genera declarat. Imitatus est hunc locum Cicero, partim in Topicis, partim in Partitionibus, quibus locis in duo genera quæstionem distribuit. Quæstionum autem, quacunq; de re sint, duo sunt genera, (inquit in Topicis) unum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis autem sunt eæ, quarum finis est scientia, ut si quæratur, à naturáne ius profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum & pactione. Actionis autem huiusmodi exempla sunt, Sitne sapientis ad Rempublicam accedere, &c. Et simili quidem modo in Partit. Oratorijs ad M. filium.

Quæstio alia cognitionis, alia actionis.

f Sunt etiam quæstio.) Aliam quæstionum distinctionem indicat: Quædam in utranq; partem ueri similiter disseruntur, quales propriè Dialecticæ sunt. Aliarum propter inuolutam rerum naturam, difficilior est explicatio.

Alia quæstionũ distinctio.

g Vtrum mundus sit æter.) Hanc quæstionem in affirmantem partem cùm alibi, tum 8. lib. de Motu, & 1. de Cœlo, cap. 10. & deinceps Aristoteles disputat contra Priscorum sententiam.

h Ac propositio quidem.) Conclusio, qua nunc porrò ad θέσιν explicandã progreditur. Cùm uerò thesεως nomen ambiguum sit, ne diuersa eius sumptio aliquam in decipiendo obscuritatem pariat, quibus tandem modis id uerbi dicatur, hoc loco admonendum duximus. Rhetores quæstionem uniuersam, nullis nec personarum, nec locorum, nec temporũ certis circumstantijs definitam & circumscriptã θέσιν appellant: cui ex altera parte quæ opponitur, certis circumstantijs locorum, temporum, personarum & negotiorum descripta & definita quæstio, ea ὑπόθεσις appellatur. Hanc Cicero partim causam in Topicis, partim controuersiam in Partitionibus appellat. Illam in Topicis propositum, in Partitionibus consultationem uocat. Fabius lib. 3. cap. 5. posteriorem, & generalẽ, uniuersalẽ, & Philosopho cõuenientem dici monet. Atq; ita & prior illa specialis, particularis, & ciuilis seu oratoria dici poterit. Verùm hæc Rhetorica prædicatarum uocum significatio est. In Logicis secus illis uocibus Aristoteles utitur. Ac cùm omne pronunciatũ, quod etsi demonstari non possit, non necesse tamen est eum qui quippiam discere uelit, amplecti, in Posterioribus Analyt. θέσιν appellet: illius partem nonnullam, quæ in affirmatione & negatione sita est, quæ è regione definitioni opponitur, ὑπόθεσιν ibidem uocat. Verùm alia in præsens θέσεως uerbi notio est. Ponitur enim pro admirabili & paradoxa cuiusp iam in Philosophia præstantis uiri sententia, quam Interpres, etsi a sensu, propo-

θέσεως verbum ambiguum.

Thesis apud Rhetores qd.

Quid apud Aristotelem.

Propositum cum Cicerone Latinè conuertit.

[i] Velut non posse.) *Exemplis illustrat. De Anthisthenis sententia uide lib. 3. primæ Philosophiæ: De Heracliti, lib. 8. de Motu: De Melißi, lib. 1. de Natura. Antisthenes Atheniensis fuit Socratis discipulus, de quo uide Diogenem Laertium, lib. 6. Heraclitus Ephesius fuit: Melissus, Samius. De his duobus Diogenes scribit lib. 9.* Antisthe. Heraclit. Melissus.

[k] Nam curare.) *Ratio, quam ob rem præstantis in Philosophia uiri sententiam dixerit.* γνώμη *est:* ὃ γὰρ τοῦ τυχόντος ἐναντία ταῖς δόξαις ἀποφηναμένου φροντίζειν, εὐηθές ἐστιν. Sententia

[l] Aut de ijs certè.) *Aliud* τῆς θέσεως *genus subijcit.*

[m] Ac propositum qui.) *Confert thesin cum quæstione, docens quæstionem latiùs quàm thesin dici: cùm omnis thesis quæstio sit, & non contrà.*

[n] Porrò autem omnes.) *Defendit superiorem quæstionis à thesi distinctionem cũ natura congruere, tametsi ea uulgò minus recepta sit. Id quod* κατὰ πρόληψιν *hîc profitetur.*

[o] Nil tamen refert.) *Huc pertinet illud Lactantij: Non obstat appellationũ diuersitas, cùm ipsa significatione ad unum omnia reuoluuntur. Item illud Fabij lib. 9. cap. 1. Nil enim refert, quo modo appelletur utrumlibet eorũ, si quid orationi prosit, appareat: nec mutatur uocabulis uis rerum.* Vocum disparitas nil abest, si de re cõuenit.

[p] Nec verò omne.) *Ostendit cuiusmodi proposita in disputationẽ afferri debeant, ne quid præter decorum agatur. De hoc simile quiddam & suprà cap. 6. attigit.*

[q] Sint nécne Dij.) *Qui de hoc dubitant, ij* ἄθεοι *sunt, & impij, quorum impietas pœna coercenda est. Tales fuêre Protagoras, Diagoras Melius, et Theodorus Cyrenaicus, ut Cicero lib. 1. de Natura docet, quorum primus quòd de Deorum natura addubitasset, Atheniensium iussu, urbe atq; agro est exterminatus, libriq; eius in concione combusti, teste eodem Cicerone lib. 1. de Natura.* ἄθεοι. Protagoras punitus Athenis.

[r] Sitne alba nix.) *Albam tamen esse niuem negauit Anaxagoras, de quo in Categorijs meminimus, cap. 7.*

[s] Aut nimium remota.) *Memineris* ἐξωτερικὸν *hoc scriptionis genus esse, in quo ad popularem disputandi rationem,* καὶ τὴν γυμνασικὴν *omnem præceptionem accommodat. Secus fit, si inter doctos disputatio oriatur. Hîc enim uel de intimis & abditißimis naturæ quæstionibus disceptari nil prohibet.* Hæc scriptio ἐξωτερικὴ.

DE DVOBVS ARGVMENTATIONVM GENERIBVS, ET QVO MODO PROPOSITIONES AD disserendum assumendæ. Caput 8.

HIS [a] autem expositis, deinceps quot sint genera argumentationũ Dialecticarum, dicendum est. Est autẽ vna quæ Inductio, altera, CAP. 10.

quæ Ratiocinatio nominatur. Ac ratiocinatio quid sit iam diximus.

Inductio qd, & quo modo à Ratiocinatione distingua tur.

[b] Inductio autem est ex rebus singulis ad vniuersas progressio: vt, si gubernator is demum sit optimus, qui peritus & doctus, item q; auriga: in quaq; etiam re qui sit peritus & exercitatus, omnino sit optimus & præstantissimus. [c] Inductio quidē verisimilior apertior q; est, sensuum q; iudicio familiarior & notior, ac sæpiùs in populi ore versatur. Ratiocinatio autem magis vrget, ad eosque, qui contradicunt, refellendos potentior est. [d] Ac genera quidem in quibus versantur, & ex quibus constant

CAP. II. argumentationes, ea sunt quæ diximus.

Quatuor cōparādorum argumentorū rationes.

Rationes autem quibus magnam ratiocinationum argumētorum q; copiam comparabimus, sunt quatuor. quarum vna est in propositionibus eligendis: altera in distinguendo quot modis quicq; dicatur: tertia in differentijs inueniendis: quarta in similitudinis cognitione & scientia. [e] Sunt autem quodammodo tria illa propositiones. Licet enim ex vnoquoq; eorum propositionem ducere: vt expetendum esse, [f] vel quod honestum est, vel quod iucundum est, vel quod vtile. [g] Et hoc inter sensum, & scientiam interesse, quòd si scientia amissa fit, rursum comparari potest: sensus semel erutus & amissus non potest recipi. Et quam rationem habet [h] id quod efficit bonam valetudinē, ad bonam valetudinem: eandem habere, id quod firmam constitutionem facit, ad firmam constitutionē. Atqui prima propositio est [i] ex ijs quæ multis modis dicūtur,

1. secunda è differentia, tertia ex similitudine.

De propositionum ἐκλογῇ & delectu.

[k] Propositiones igitur eligendæ sunt, quot modis in propositione explicanda diximus, vt vel omnium sententias seligamus, vel plurimorum, vel sapientum, atq; eorum vel omnium, vel plurimorum, vel eorum, in quibus valet opinio sapientiæ, vel etiam quæ contrariæ sint probabilibus, vel quæ sunt artium singularum propriæ sententiæ: sed contrarię probabilibus ita sunt accipiendæ, quemadmodum suprà diximus, vt non ipsę, sed contradicentes earū sumantur. Hoc etiam vtile, in ijs eligendis [l] non solùm probabiles sumere, sed eas etiam quæ ad earum similitudinem accedunt, simul proferre, vt eundem sensum in contrarijs versari, quoniam etiam ars & scientia versatur. [m] Item q; nos cernere aliqua re in aspectum intromissa & recepta, non indeiecta & emissa, quoniam eodē modo audimus, gustamus, & olfacimus. Quod idem fit in cæteris. [n] Iam ea pro initio & positione assumenda sunt, quæ in omnibus, vel certe in plurimis rebus ita esse videntur. Talia enim facilè admittunt qui nil habent, in quo vera illa non

esse

esse ostendant. Seligendæ etiam ex his disputationibus propositiones, quæ ab alijs scriptæ sunt: sed descriptiones ita faciendæ sunt, vt de quoque genere seperatim perscribamus: veluti de bono, aut de animantibus: ac de omni genere bonorum, [o] initio facto à quæstione naturæ. Notandæ etiam sunt omnium sententiæ, [p] vt placere Empedocli, quatuor esse corporum initia & elementa. [q] Dictum enim clari hominis facilè admittitur. Propositiones autem & quæstiones (vt earum rudi minerua numerum complectar) tribus ferè generibus continentur. [r] partim enim ad vitam & mores, partim ad naturæ obscuritatem: partim ad differendi rationem pertinent. Ad vitam & mores, quales hæ sunt, Sít ne parentibus potiùs parendum, an legibus, si discrepent? [s] Ad differendi ratione, vtrum eadem ars in contrarijs versetur? Ad naturæ obscuritatem, vt, Sítne mundus sempiternus? Eadem est ratio quæstionum. [t] Porrò autẽ quę nam, & qualia sint tria illa genera, definitione explicare difficile est: tamen diligentia nobis adhibenda est, vt inductione frequenti, ex similitudine exemplorũ, quę de singulis generibus proposui, quod sit quodque intelligamus. [u] Ac instituto quidem philosophorum, ad veritatem: dialecticorum, ad opinionem & verisimilitudinem, hæc omnis de ijs dirigi debet disputatio. [x] Sumendæ sunt autem quàm maximè vniuersæ omnes propositiones, & vna in multas distribuenda est, vt eadem arte contraria contineri. Deinde aduersa, tum ea quæ cum aliquo conferuntur. Eodemque modo hæ in partes diuidendæ sunt, quoad diuidi possunt. vt, bonorum & malorum eandem esse artem, alborum & nigrorum, frigoris & caloris: itemq; in cæteris faciendum est. Ac de propositione quidem satis multa dicta sunt.

Triplex quęstionũ genus.

1.
2.
3.

IN CAPVT OCTAVVM, ANNOTATIONES.

[a] His autem expositis.) *Explicata ui ac natura, tum quæstionum, tum propositionum, nunc de argumentationum formis differit, per quas necesse est tum quæstiones, tum propositiones in differendo explicari. Vult autem eas formas duas esse, Ratiocinationem & Inductionem, quæ etsi præcipuæ quidem illæ sunt, non tamẽ sunt solæ, quibus seu Dialecticus, seu Philosophus utitur. Siquidem illis & Enthymema & Exemplum, ut in Analyticis docuimus, adiunguntur. Verùm hæ Rhetoricæ argumentationes initio 1. de Demõstratione uocantur. Hoc loco obserua nomen τὸ λόγος pro argumentatione apud Aristotelem poni, quemadmodum & sæpe infrà, præsertim lib. 8. cap. 5. & alibi, de quo uide lib. 1. Priorum Analyticorum, cap. 1.*

Argumentationum formæ 2.

Λόγος & argumentatio.

[b] Inductio autem est.) Hoc loco simpliciter Inductionem definit, cùm inquit: ἐπαγωγὴ δέ, ἡ ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος. Lib. 2. de Ratiocinatione, eam quatenus per syllogismum concluditur, definiebat. Nota, quod ad subiectum Inductionis exemplum attinet, minus id perfectum esse, ut quod ex duabus solùm, seu formis, seu partibus, uniuersum genus colligit. Verùm lib. 2. de Ratiocinatione ostendimus, minus frequenter id genus Inductionum apud bonos Authores incidere, quod omnibus suis numeris ac partibus undiquaq; est absolutum. Perfectiora exẽpla si desideras, nonnulla lib. 2. Priorum, cap. 11. annotata reperies.

Inductionis exemplum imperfectius

[c] Inductio quidem.) Comparat Inductionem cum Ratiocinatione. Vide in hunc locum plura lib. 2. de Ratiocinatione, cap. 11. Quòd ratiocinationem magis urgere Interpres ait, ad contradicentes q; refellendos potentiorem esse, id Græcè his uerbis ab Aristotele dicitur: ὁ δὲ συλλογισμὸς ῥᾳσικώτερος, καὶ πρὸς τοὺς ἀντιλογικοὺς ἐνεργέστερος.

συλλογισμὸς ῥᾳσικώτερος.

[d] Ac genera quidem in quibus.) Transit ad enarrationem quatuor tanquam Instrumentorum ac rationum, quibus freti permagnam argumentorum syluam ad contexendas ratiocinationes comparare poßimus. Eæ sunt ἡ λῆψις καὶ ἐκλογὴ τῶν προτάσεων, ἡ διαίρεσις τῶν ὁμωνύμων, ἡ εὕρεσις τῶν διαφορῶν, καὶ ἡ σκέψις τοῦ ὁμοίου. Quanquam hæc omnia ad sumptionem τῶν προτάσεων quodammodo reuocari possunt, ut ipsemet declarat.

Parandorum argumentorũ ratiões 4.

[e] Sunt autem quodam.) Docet ad propositionum sumptionem prædicta reuocari posse.

[f] Vel quod honestum.) Hîc tria genera rerum expetendarum, τῶν αἱρετῶν, obserua, de quibus copiosiùs Cicero lib. 2. de Inuent. sub finem.

[g] Et hoc inter sen.) Præter hoc discrimen, multis alijs modis & scientia à sensu differt. Illa enim rerum uniuersarum est, & habitus nomen: hic rerum singularum, & nomen animi facultatis, & cæt.

Scientia à sensu differt.

[h] Id quod efficit bonam.) Τὸ ὑγιεινὸν græcè dicitur, ut id quod firmam constitutionem facit, & ἐνεκτικόν.

[i] Ex ijs quæ multis.) Nam nomen τοῦ αἱρετοῦ, hoc est, expetendi, in tria genera dispertitur.

[k] Propositiones igitur elig.) Persequitur de ἐκλογῇ τῶν προτάσεων. Vide in hunc locum suprà cap. 6.

[l] Non solùm probab.) Hîc probabile id quod reuera tale est, sumi debet. Nam uulgò quod proximè ad probabilitatem accedit, etiam eodem nomine censetur.

[m] Item q; nos cerne.) Anceps hæc sententia est, quam in contrarias partes à Philosophis disputari uideas. Nam Empedocles, Plato, & Stoici, radiorum emißione uisionem

Visio an intro sus-

fieri

fieri uolunt: Aristoteles uerò imaginum potiùs incursione, de quo uide Aristotelem lib. de Sensu & ijs quæ sub sensum cadunt, cap. 2. & Macrobium lib. 7. Saturnalium, cap. 14. & A. Gellium lib. 5. cap. 16. Item Lactantium lib. de Opificio Dei, cap. 8.

cipiendo, an extra emittẽdo fiat.

n Iam ea pro initio.) *Pulchræ admonitiones, quarum explicatio neque ita operosa est.*

o Initio facto à quæst.) *Græcè est, ἀρξάμενον ἀπὸ τοῦ τί ἐστι. Id est, quod Cicero paßim à definitione, rei cuiusq; explicationem sumendam esse admonet, ut 1. Officiorum: Omnis enĩ quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur qd sit id de quo disputatur. Et 1. de Orat. Ego uerò pergã, & id faciã, quod in principio in omnibus disputationibus oportere censeo, ut quid illud sit, de quo disputatur, explanetur: ne uagari & errare cogatur oratio, si ij qui inter se dissenserint, non idẽ esse illud de quo agitur intelligent. Huc pertinet illud Aristotelis lib. 2. de Demonstratione, cap. 7. διὰ δὲ ἀρχὴν εἶναι πάντων τὸν ὁρισμόν, & cæt.*

A definitione rei cuiusq; explicatio ducenda.

p Vt placere Empedocli.) *Empedocles Agrigentinus & Poëta, & Philosophus fuit, cuius uitam uide apud Diogenem lib. 8. De illo sic Horatius in arte:*

Empedocles.

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit. *Quatuor illa corporum initia sunt, ignis, aër, aqua, terra, de quibus præter Diogenem, non uno loco in Physicis meminit Aristoteles.*

q Dictum enim clari homi.) *Græcè est: θείη γὰρ ἄντις δὲ ὑπότινος εἰρημένον εὐδόξου. Sic & suprà: θείη μὲν ἄντις τὰ δοκοῦντα τοῖς ὑπὲρ τούτων ἐπεσκεμμένοις. Vtrumq; sententiosè.*

γνῶμαι.

r Partim enim ad vi.) *Hæc tripartita propositionum diuisio est, cuius suprà cap. 7. meminimus. Cum hac uulgata ista Philosophiæ distributio conuenit ἡ τριμερὴς, quam Diogenes & Plutarchus Stoicis: Cicero lib. 4. de Finibus, Platoni & Aristoteli acceptam ferunt, de quo uide προλεγόμενα nostra.*

Propositionũ tripartita diuisio.

s Ad disserendi rationem.) *Græcè τὰς λογικὰς uocat, in quo uide an Logicæ uocabulũ generatim hîc capiatur, ut et ad Dialecticẽ & ad Apodicticen (quæ eius species sunt) sese extendat. Id quod paulò pòst ipse indicare uidetur, cùm de antegreßis quæstionibus seu propositionibus, nunc Philosophorum instituto κατ' ἀλήθειαν, nunc διαλεκτικῶς πρὸς δόξαν, bipartitò disputandum esse profitetur. De generali sumptione uerbi Logicæ, uide quæ in προλεγομένοις nostris disseruimus.*

Logicæ verbũ generatim hîc dici.

t Porrò autem quæ'nam.) *Prædictorum generum notionem exemplorum subiectione comparandam monet.*

u Ac instituto quidem.) *Duplex disserendi ratio, alia probabilis, alia necessaria: Hæc Philosophorum propria est, illa Dialecticorum.*

*Sumendę

* Sumendæ sunt autem.) *Hæc admonitio ad copiam orationis pertinet, ut quæ in genere antè sumpta sunt, deinde per partes singulatim explicentur.*

DE AMBIGVORVM DISTINCTIONE.

Caput 9.

CAP. 12. 2. Ambigua vt explicanda.

IN [a] illo autem, quot modis quidq; dicatur, non solùm videnda sunt, quæ alio atq; alio modo dicuntur, sed danda etiam opera est, vt rationes afferantur, veluti nõ solùm explicandum est, bonum alio modo dici iustitiam & fortitudinem, quàm id quod ad firmam affectionem corporis, & id quod ad bonam valetudinem efficiendam valet: sed etiam, illa, hoc ipso quòd affectiones quædam sunt & qualitates: hæc, ob eam causam, quòd vim habeant efficiendi aliquid, non quòd ipsa sint qualitates. Quod in cæteris omnibus videndum erit diligenter. [b] An autem specie

Ambigua quo modo cognoscantur ex cõtrario. 1.

multis modis, vel vno modo aliqua dicantur, ex his perspici potest. Primùm ex contrario considerandum est, an multis modis dicatur, siue specie, seu etiam nomine discrepet. [c] Sunt enim quædam, quæ statim nominibus alijs atq; alijs differant: vt ei quod acutum est in voce, contrarium est graue: in magnitudine, obtusum. Perspicuum est igitur id multis modis dici, quod acuto cõtrarium est. Quòd si hoc, etiam quod acutum est: vtriusq; enim ratione alterum erit contrarium: quoniam non idem acutum obtuso & graui contrarium futurum est. atqui vtriq; acutum est cõtrarium. [d] Rursùm grauitati in voce contrarius est acutus sonus, in magnitudine leuitas: ita grauitas multis modis dicitur, quandoquidem etiã eius contrarium. [e] Itemque quoniam pulchro in animali, turpe contrarium est: in domo autem, si quod illa peccatum habet: fit, vt pulchrum

2. sit homonymum. [f] In quibusdam cùm nomina non sunt varia, tamen aperta speciei distinctio est, vt in candido & fusco contingit. Vox enim & candida & fusca dicitur: itemq; color candidus & fuscus. Non igitur nomine discrepant, cùm interim perspicua speciei aut generis declaretur differentia. Non enim eodem modo color fuscus, & vox fusca appellatur. [g] Atque etiam ex sensu id perspici licet. Quæ enim eiusdem sunt generis, eidem sensui subiecta sunt: de eo autem quod in voce, & in colore est candidum, non eodẽ sensu iudicamus: sed hoc aspectu, illud auribus. Itemq; eius quod acutum est & obtusum in saporibus & magnitudinibus, non in eodem sensu iudicium est: sed huius in tactu, illius in gu

3. stu. Neque enim hæc nominibus discrepant, neq; ipsa per se, neq; contraria, quippe cùm obtusum in vtroq; sit & contrarium. [h] Præterea vi-

dendum

dendum est, vnúne quid sit contrarium, alteri nihil sit omnino, vt voluptati quæ ex potione capitur, contrarius dolor est is, quem sitis affert: at huic quæ ex cognoscendo & discendo capitur, [1] diametron lateri incomparabilem esse, nihil contrarium est. Ita voluptas multis modis dicitur. [a] Itemq; φιλῆμ vt animi est, contrarium habet odisse: φιλῆμ autem vt ad actionẽ corporis refertur, nihil habet contrarium: ob eam causam φιλῆμ multis modis dicitur. [1] Hoc etiam considerandum est in ijs, inter quę media interiecta sunt, vtrum aliquorum sit medium, aliorum nihil sit: aut sitne vtriusq;, nec tamen idem medium, vt inter candidum & fuscum colorem, pallidus est interiectus: inter vocem candidam & fuscam nihil, nisi fortè rauis interiecta est: placet enim quibusdam, raucam vocẽ esse interiectam. Sunt itaq; candidum & fuscum multiplicia. Præterea hoc etiam videndum est, sintne aliquorum plura media, aliorum vnum: vt inter candidum & fuscum colorem plura sunt interiecta. [m] Coloribus enim multa sunt interiecta: voci vnum, raucedo. 4

IN CAPVT NONVM,

ANNOTATIONES.

[a] In illo autem.) *Sequitur de distinctione ambiguorũ, τῶν πολλαχῶς, quam priusquam explicare aggrediatur, in primis monet non solùm ambigui uerbi multiplicem potestatem indicandam esse, sed & subiectaratione eandem explanandam, gratia certioris fidei comparandæ.*

[b] An autem specie.) *Orditur præceptionem de explicatione ambiguorum. Ac cùm multis uijs eam in sequentibus patefaciat, in primis à notatione contrariorum seu aduersorum hîc exorditur, uolens si unum cõtrariorum in numero fuerit τῶν πολλαχῶς, & alterum fore: Idq; siue uno nomine contrarium exprimatur, siue diuersis, quemadmodum ipse subiungit. Quæ specie multis modis dicuntur, ea uerè ambigua sunt, Græcè τὰ πολλαχῶς λεγόμενα ea dicuntur.* E contrario ambiguum cognoscitur

[c] Sunt enim quædam.) *Primùm de contrarijs agit, quæ diuersis nominibus efferuntur. Talia sunt ὀξὺ, βαρὺ, & καλὸν, hoc est, acutum, graue, & pulchrum, quæ exempla subijcit. Τὸ ὀξὺ cùm de uoce dicatur, & de magnitudine: hîc ἀμβλὺ, hoc est, obtusum: illic βαρὺ, hoc est, graue, πολλαχῶς diuersis nomimibus illi opponitur. Quò fit, ut & illud, πολλαχῶς sit. Suidas ὀξὺ, trifariam dici ait, in sono, sapore, & gladio. Sic & βαρὺ, de quo mox Aristoteles subijcit.* Τὸ ὀξὺ ambiguum.

[d] Rursum grauitati.) *τὸ βαρὺ, dicitur itẽ de uoce & magnitudine: hîc κῶφον, hoc est, leue, illic ὀξὺ, hoc est, acutum, cùm diuersis nominibus, idq; πολλαχῶς, illi opponatur: fit, ut & illud de genere sit τῶν πολλαχῶς λεγομένων.* Sic & βαρὺ.

Et τὸ καλὸν [e] Item q; quoniam pul.) *Tertium exemplum* περὶ τοῦ καλοῦ, *quod cùm de animali dicitur,* τὸ αἰσχρὸν, *hoc est, turpe, illi opponitur: cùm de domo,* τὸ μοχθηρὸν, *hoc est, uitiosum. Quæ duo cùm dißimili inter se ratione dicantur, etiã* τὸ καλὸν ὁμωνύμως *dicetur.*

[f] In quibusdam.) *Sequitur de altero genere, ubi contrarium eadem uoce ambiguè intelligitur. Huius exempla sunt* τὸ λευκὸν καὶ τὸ μέλαν, τὸ ὀξὺ καὶ τὸ ἀμβλὺ: *quorum illa de uoce simul & colore: hæc de magnitudine & sapore* πολλαχῶς *proferuntur. Quod Interpres* τὸ μέλαν, *fuscum reddit, exempli accommodandi causa facit. Nam si uel atrum, uel nigrum redderet, ut rectè id quidem colori conueniret, ita de Voce quidem minùs aptè diceretur.*

λευκὸν, μέλαν.

[g] Atq; etiam ex sensu.) *A sensuum diuersitate docet, qua illa tum uocum, tum colorum genera apprehenduntur.*

[h] Prætereà videndum.) *Alter modus cognoscendæ ambiguitatis, cùm ex altera parte id quod dicitur, tantùm contrarium habet: ut uoluptas, quæ ex potando contrahitur, dolorem ex siti contrarium habet, & quæ ex contemplando, nullum prorsus. Ita fit, ut nomen uoluptatis,* τὴν ἡδονῆς, *in ambiguis ponatur.*

Voluptas, ἡδονὴ.

[i] Diametron lateri.) *Quod alibi simpliciter,* διάμετρον ἀσύμμετρον, *hoc est. Diametron incomparabilem dicit, hîc rei clariùs explicandæ causa,* τὴν διάμετρον τῇ πλευρᾷ ἀσύμμετρον, *hoc est, lateri incomparabilem dicit.*

Diameter ἀσύμμετρος

[k] Item q; φιλεῖν.) *Verbum* τοῦ φιλεῖν, *nunc amare significat, quod animi est: nunc osculari, seu consuescere, quod est corporis. Illi odisse aduersatur, huic nihil est, quod cõtrario nomine opponatur. Ergo & illud ambiguum.*

τὸ φιλεῖν.

[l] Hoc etiam considerandum.) *Admonet de ambiguitate contrariorum* τῶν ἀνὰ μέσον, *quæ hoc modo cognoscitur, si uel unius medium sit, alterius nõ sit: uel si non idem utriusq; medium sit: uel si unius plura media sint, alterius nisi unum tantum. Tot enim modis hoc genus distinguit. Hîc itẽ fuscum & candidũ pro extremis cõtrarijs usurpantur.*

[m] Coloribus enim multa.) *De hoc uide apud A. Gellium lib. 2. cap. 26.*

QVO MODO EX DISPARATIS, PRIVANTIBVS, CONIVGATIS, &c. AMBIGVA INTERNOSCANTVR.

CAP. 13.

Caput 10.

Ex disparatis & cõtradicentibus.

IN [a] disparatis etiam videndum est, dicantúrne multis modis. Si enim vnius multi sunt modi, etiam contrarij multi modi erunt: vt si non cernere multis modis dicatur, vno, priuatum esse oculis, altero nõ fungi oculorum officio, cernere etiam multis modis dicatur necesse est. Vtriq; enim significationi verbi non cernere aliquid opponitur: vt non habere aspectum & habere: & non fungi officio oculorum, ac fungi. [b] In ijs autem contrarijs quæ priuantia dicuntur, idem hoc spectandum est. [c] Nam

Ex priuantibus.

si vnum

si vnum multis modis dicatur, etiam alterum: vt si sentire multis modis dicatur,[d] quia modò ad animũ, modò ad corpus pertineat, etiam multis modis dicetur carere sensu, cùm modò ad animum, modò ad corpus transferatur. [e] Ea autem priuantia esse hinc intelligi licet, quòd animantia nata sunt ad sentiendum animo & corpore. [f] Iam verò in coniugatis hæc spectanda sunt. Si iustè multis modis dicatur, eius etiam quod iustum est, multa erunt genera. Ex vtroque enim eorum quæ iustè fiunt genere, quod iustum est nominatur. Vt si iustè appelletur[g] modò ex sua sententia iudicare, modò rectè, eodem modo etiam quod iustum est, appellabitur. [h] Similiterque si quod ad valetudinem pertinet, multis modis dicatur, etiam accommodatè ad valetudinem, multis modis dicetur. Vt quoniam quod ad valetudinem valet, dicitur, & quod efficiens est valetudinis, & quod conseruans est, & quod indicans: sic accommodatè ad valetudinem, vel efficiendam, vel tuendam, vel indicandam. Itemq; in cæteris, si alicuius multa sint genera, casuum etiam multa erunt: [i] & si casuum multa, etiam illius. [k] Atque etiam videndum est, sint'ne genera categoriarum quæ nomini congruunt, eadem in omnibus quibus ipsum attribuitur. Si enim non eadem sunt, certè id de quo agitur, ambiguum est. vt [l] bonum in cibo id est, quod est efficiens voluptatis: in medicina, quod efficiens est valetudinis: in animo quale sit aliquid significat, vt temperatum esse, vel fortem, vel iustum. Quod idem in homine contingit. Hoc etiam aliquoties in categoria Quando reperitur, vt quod in tempore fit bonum. Bonum enim dicitur, quod opportunè fit, & in tempore. Hoc etiam ad Categoriam Quantitatis interdum pertinet, vt quod fit modicè: bona enim est mediocritas. Quapropter bonum multis modis dicitur. [m] Itemq; cãdor in corpore color appellatur: in voce quod facilè & statim percipitur. Eodemque modo id quod acutum est: neq; enim similiter in omnibus idem dicitur, vt vox acuta est [n] ea quæ cita, vt placet ijs qui modos & concentus in numeris cõsectantur: [o] angulus autem acutus is est, qui minor est recto, & machæra, cuius est acutus angulus. [p] Videndum est etiam, sint'ne genera eorum quæ eidẽ nomini subiecta sunt, diuersa, atq; ita diuersa, vt vnum ab altero non contineatur, vt grus cùm auem & machinã significat. [q] Eorum enim varia est nominis definitio & ratio. Nam illud species quædam auis est, hoc autẽ machinę. Sin vnum genus ab alio contineatur, nõ necesse est varias esse rationes, vt corui & animal genus est, & auis. Cùm igitur coruũ auem esse dicimus,

Ex coniugatis.

Bonum q̃ diuersè in Categorijs dicatur.

animal quoddam eum esse dicimus. Ita de eo vtrumque genus dicitur. Itemq; cùm coruum animal pennigerum bipes nuncupamus, auem eũ esse declaramus. Ita vtrumq; genus in coruo, eorumq; ratio intelligetur. In ijs autem generibus, quorum vnum non ab altero continetur, hoc nõ contingit. Neque enim cùm machinam dicimus, auem dicimus, neque machinam, cùm auem. [r] Nec verò in eo solùm de quo agitur spectare debemus, an sint varia genera, quorum neutrum alterum cõtinebit: sed ex contrario etiam id perspici debet. Nam si contrarium multis modis dicatur, profectò id etiam quod propositum est, dicatur multis modis necesse est. [s] Vtile est etiam definitionẽ verbi coniuncti, diligenter ponderare & exquirere: vt candidi corporis, & candidæ vocis. Sublato enim eo quod proprium est, eadem relinqui debet definitio. quod in homonymis non contingit: veluti in ijs ipsis quæ à nobis modò prolata sunt. Superioris enim hæc erit definitio, Corpus cãdidum, corpus est [t] quod tali est colore affectum. Posterioris hæc, Vox candida, [u] est vox quæ facilè intelligitur. Sublato igitur corpore & voce, non idem in vtroq; relinquitur. [x] Atqui deberet, si quidem synonymũ erat candidum, quod in vtroque idem esse dicebatur. [y] Et quoniam sæpe in definitionibus homonymum quod consequens est, ignoratur, propterea spectanda etiam definitio est. Vt si quis efficientia valetudinis & indicantia, esse dicat ea, quæ certo quodam modo ad valetudinem affecta sunt, non erit propterea desistendum: sed exquirendum quid in vtrisq; certus ille modus quem dixit, significet: verbi gratia, dicantúrne efficientia, certo quodam modo valetudinem respicere, quia vis eorum tanta sit vt efficere valetudinem possint: indicantia autem quia talia sint, vt qualis sit valetudo indicare possint. [z] Prætereà illud etiam considerandum est, possintne conferri ex maiore, vel ex similitudine: vt vox candida, & candida vestis: acutus sapor, & vox acuta. Hæc enim nec eodem modo alba, & acuta dicuntur, nec alterum altero magis tale. Ex quo fit, vt id quod acutum est, & quod candidum, sint homonyma, [a] quippe cùm synonyma omnia valeant ad comparationem. Nam aut similia dicentur, aut aliud alio magis. [b] Quoniam autem diuersorum generum, quorum neutrum ab altero continetur, diuersæ specie differentiæ sunt, (vt animalis & scientiæ sunt diuersæ differentiæ) videndum est, [c] an ea quæ eidem nomini subiecta sunt, differentiæ sint diuersorum generum, quorum vnum ab altero non continetur: vt quod acutum est, vocis & magnitudinis. Vox enim à voce differt

Propositi contrariũ spectandũ

Spectandę rerũ finitiones.

fert, quòd acuta sit: item magnitudo à magnitudine. Ita fit, vt acuti vocabulum sit in homonymis. Diuersorum enim generum, quorum vnũ ab altero non continetur, diuersæ sunt differentiæ. [d] Iam illud etiam spectare debemus, eorúmne quæ eidem nomini subiecta sunt, diuersæ sint differẽtiæ: vt coloris [e] eius qui in corpore ineſt, [f] & eius qui in figuris rhetoricis, variæ sunt differentiæ: [g] illius quod valet ad separandum aspectũ, & quod ad cõparandum: huius non eædem sunt. Quò fit, vt color varijs modis dicatur. Earundem enim rerum eædem sunt differentiæ. [h] Postremò quoniam species nullius differentia est, (homo enim & bos non in numero differentiarum habentur, cùm speciei nomẽ vim q; obtineant) videndum est diligenter, eorúmne quæ eidem nomini subiecta sunt, vnum in specie, alterum in differentia numeretur: veluti candor qui accidit corpori, coloris est species: qui autem in voce spectatur, differentia. Differt enim vox à voce, quòd sit candida. Ac in ijs quę multis modis dicuntur, hæc considerandа sunt omnia.

IN CAPVT DECIMVM,

ANNOTATIONES.

[a] In disparatis etiam.) *Hactenus de contrariorum distinctione, ex qua uerborum ambiguitas cognoscatur: sequitur nunc de alijs modis, & primùm quidem de disparatis & priuantibus, de quibus quod admonetur, idipsum et de relatis, teste Alexandro, sentiendũ est. Siquidẽ horum cum cæteris oppositorum generibus par planè ratio est. Ita quia scientia, motus, sensus, & similia bipartitò dicuntur, κατὰ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν: & id quod sub scientiam, motum, & sensum cadit, (Græci δ' ἐπιστητόν, κινητόν, καὶ αἰσθητὸν uocant, quæ superioribus ex altera parte relatè opponuntur) simili modo bipartitò intelliguntur, de quo etiam in Categorijs attigimus, cap. 4. Disparata Græcè τὰ κατ' ἀντίφασιν ἀντικείμενα hìc appellantur.* Relatorũ eadem cũ cęteris oppositis ratio.

[b] In ijs autem contra.) *Hic alter modus est ex notione τῶν στερητικῶν, hoc est, priuantium. Illa τὰ κατὰ στέρησιν καὶ ἕξιν λεγόμενα uocat.*

[c] Nam si vnum multis.) *Hoc uniuersim ad omne genus oppositorum, seu contrariorum pertinet. Græcè dicitur: εἰ γὰρ δάτερον πλεοναχῶς λέγεται, καὶ τὰ λοιπόν.*

[d] Quia modò ad animum.) *Τὸ αἰσθάνεσθαι propriè ad corpus pertinet: ad animũ non nisi κατὰ μεταφορὰν transfertur, de quo uide Erasmum lib. 1. Copiæ, cap. 16.* Τὸ αἰσθάνεσθαι.

[e] Ea autem priuantia.) *Alludit ad descriptionem priuantium, de qua uide in Categorijs, cap. 7.*

[f] Iam verò in coniug.) *Quæ Coniugata hoc loco Interpres uocat, Græcè αἱ πτώσεις, hoc est, casus Aristoteli dicuntur. Sunt autem Casus Veterum sententia, aduerbia ab hic πτώσεις adiectiuis* Cõiugata

dicuntur. adiectiuis nominibus deriuata, ut iustè, fortiter, prudenter, à nominibus, iustus, fortis, & prudens. Quanquam lib. 2. cap. 4. Aristoteles etiam Casus sub coniugatis comprehendit, cùm inquit: Δοκεῖ δὲ καὶ τὰς πτώσεις σύσοιχα εἶναι, οἷον δικαίῳ δικαίως, τῇ δικαιοσύνῃ, δὲ ἀνδρείως τῇ ἀνδρείᾳ, σύσοιχα δὲ λέγεται τὰ κατὰ τοῦτο συσοιχίαν ἅπαντα, διὸν δικαιοσύνη, δίκαιος, δίκαιον, δικαίως.

Finitio τοῦ συσοίχων.

ε Modò ex suâ sententia.) Græcè est, τότε καὶ τοῦτο γνώμῃ κρῖναι, καὶ ὡς δεῖ.

Τὸ ὑγιεινόν, & ὑγιεινῶς.

ʰ Similiterq; si quod ad.) Alterum exemplum. Τὸ ὑγιεινὸν dicitur, ualetudinis efficiens, conseruans & indicans. Ergo & ὑγιεινῶς totidem modis dicetur, ποιητικῶς, φυλακτικῶς, ἢ σημαντικῶς, quemadmodum Aristoteles loquitur.

ⁱ Et si casuum.) Quot modis enim Coniugatorum unum dicitur, totidem modis dicitur & alterum.

ᵏ Atq; etiam videndum est.) Loquitur de notatione summorum generum, quæ genera si unius uerbi diuersa significatione comprehendantur, certum est, illud uerbum in ambiguis habendum esse, quo modo exemplis τοῦ ἀγαθοῦ, τοῦ λευκοῦ, καὶ τοῦ ὀξέος Aristoteles probat. Genera Categoriarum quæ nomini congruunt, græcè τὰ γένη τῶν κατὰ τὸ ὄνομα κατηγοριῶν dicuntur.

Bonum, de Categorijs vt dicatur.

ˡ Bonum in cibo.) Bonum, τὸ ἀγαθὸν, de omnibus Categorijs dißimili modo dicitur. In cibo & medicina, ad Actionem pertinet: in animo & homine, ad Qualitatem: in tempore, ad Quando: in mediocritate, ad Quantitatem, & sic deinceps. Vide in hunc locum, quæ in Categorijs cap. 7. notauimus. Expreßit hunc locum in explicatione uerbi τὸ ἀγαθὸν Suidas, ex Aphrodisæi commentarijs.

Τὸ λευκὸν.

ᵐ Itemq; candor in cor.) Candidum, τὸ λευκὸν, cùm de colore dicitur, rem subßantiæ subiectam, hoc est, corpus complectitur: cùm de uoce, patibilem qualitatem designat: quæ duæres sunt diuersarum Categoriarũ. Sic acutum, τὸ ὀξύ, cùm de uoce dicitur, ad qualitatem pertinet: cùm de angulo & machæra, ad Categoriam τοῦ κεῖσθαι. 1. Situs, spectat.

Τὸ ὀξύ.

ⁿ Ea quæ cita.) Id est, ea quæ & citò auditum percellit, & mox desinit.

° Angulus autem acutus.) Vide Euclidem lib. 1. Elementorum. Angulus alius acutus est, alius obtusus, alius rectus.

ᵖ Videndum est etiam.) Hæc ad interiecta genera pertinent, quæ græcè τὰ μεταξὺ πρὸς ἄλληλα ὀνόματα dicuntur, quæ quidem si distant, ita ut unum sub altero non contineatur, (Græcè τὰ οὐχ ὑπάλληλα nominat) id nomen in quo ista genera conueniunt, certè multiplex erit, ut probat exemplo τοῦ ὄνου, quo nomine partim domesticum animal ad labores ferendos natum, partim lapidem molarem, seu inferiorem molam, qua frumentum conteritur, Græci significant, quod nomen in ancipiti ista significatione cùm apud Latinos conuerti non posset, Interpres istius loco alterum exemplum de Grue substituit. Est

ὄνος.

Grus.

autem

autem grus auis non incognitæ nomen, & prætereà machinam subleuandis oneribus fabrefactam significat, quam Græci δὲ γεράνιον appellant.

q Eorum enim varia.) Ideoq; & nomen quod ijs tribuitur, ambiguum est. Alludit ad Homonymorum definitionem datam in Opusculo Categoriarum.

r Nec verò in eo so.) Ostendit quæ de propositæ rei generibus hactenus monuit, etiam in eius, quod proposito contrarium est, generibus ualere. εἰ γὰρ δὲ ἐναντίον πολλὰ χῶς λέγετε, inquit, δῆλον ὅτι τὸ προκείμενον.

s Vtile est etiam.) Transit ad examinationem definitionum, in quibus interim τὸ ὁμώνυμον latitare solet. In his ambiguum dilucebit, si sublato eo quod propriũ rei cuiusque est, reliquæ definitionum partes minimè inter se congruant. Definitionem uerbi cõiuncti, Græcè τὸν ὁρισμὸν τὸν ἐκ τοῦ συντιθεμένου γινόμενον uocat, qualis est, cùm uir bonus, beata uita, corpus album, uox clara definitur. Definitio verbi coniuncti.

t Quod tali est colore.) Albo scilicet, uisum dissipante & distrahente.

u Est vox, quæ facilè intell.) Græcè φωνὴν εὐήκοον uocat. Est autem φωνὴ εὐήκοος, ut Phauorinus exponit, ἡ τὴν ἀκοὴν σφοδρῶς καὶ ταχέως ἀλλοιοῦσα, id est, quæ auditum uehementer & celeriter commutat & alterat. φωνὴ εὐήκοος.

x Atqui deberet.) Idẽ utrobiq; relinqui, hoc est, eadẽ utriusq; qua ex parte candida dicuntur, esse definitio, iuxta naturam τῶν συνωνύμων, de qua in Categorijs patuit.

y Et quoniam sæpe.) Hæc ratio est prædictæ admonitionis.

z Prætereà illud etiam.) Admonet de notanda rerum propositarum comparatione, explicans hunc locum per contentionem τῶν συνωνύμων, perinde ut præcedentem. Si in communi nomine ea quæ dicuntur, secundum par & impar inter se comparantur, synonyma esse ait: Sin secus, homonyma. De homonymis uerò & synonymis uide initium lib. Categoriarum. Synonyma ab homonymis quid distent.

a Quippe cùm synon.) In hunc locum uide lib. 7. de Motu, cap. 4. Τὸ συνώνυμον πᾶν, συμβλητὸν, hoc loco dicitur.

b Quoniam autem diuerso.) Vult differentiam diuersorum generum, quorum unum sub altero non continetur, (Græcè τὰ ἑτερογενῆ μὴ ὑπάλληλα τεταγμένα dicuntur) ambiguè dici. Ex hoc loco sumpta est altera regularum, de qua agitur in Categorijs, cap. 1. Quæ genere differunt, &c.

c An ea quæ eidem.) Id est, an uox eadem, diuersorum generũ sit differentia. Græcè est, εἰ τὰ ὑπὸ δὲ αὐτὸ ὄνομα.

d Iam illud etiam.) Ostendit rerum nomine congruentium si diuersæ sunt differentiæ, & illud nomen, in quo res eæ conueniunt, ambiguum esse. Sic nomẽ τοῦ χρώματος, hoc est, coloris, & de ueris coloribus, & de Rhetorum schematibus (quia horum diuersæ, non eædem sunt differentiæ) ambiguè dicitur. δὲ χρῶμα.

e Eius

Color verus.

e Eius qui in corpore est) *Verum colorẽ, ut alborum, & nigrorum, ait. Sic Cicero lib.* 1. *Officio. Formæ autem dignitas coloris bonitate tuenda est, color exercitationibus corporis.*

Metaphoricus in figuris & melodijs.

f Et eius qui in.) *Hic color* μεταφορικῶς *dicitur ad alterius similitudinem. Sic Cicero* 3. *de Oratore. His tribus figuris insidere quidam uenustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. Hoc modo Rhetores dicunt, turpibus addendum colorem. De hoc nonnihil Fabius lib.* 4. *cap.* 2. *Quod (in Rhetoricis figuris) Interpres hîc dicit, Aristoteles græcè* ἐν τοῖς μέλεσι *ait, hoc est, in melodijs. Colorem autem in melodijs esse Faber admonet, cùm tetrachorda per duo hemitonia procedunt, & trihemitonium.*

g Illius quod valet.) *Græcè est,* διακριτικὸν καὶ συγκριτικὸν ὄφεως, *hoc est, quod habet uim ad distrahendum, & contrahendum uisum: Quorum illud candori, hoc atrori conuenit.*

h Postremò quoniam.) *Si eadem (inquit) uox alterius speciei, alterius differentia erit, etiam in genere ambiguorum reponetur.*

DE DIFFERENTIARVM, ET SIMILIVM CONSIDERATIONE, ET AD QVID AMBIGVORVM NOtatio valeat. Caput II.

CAP. 14.

De cõparatione differentiũ. 1.

Differentias[a] autem in ijs primum[b] quæ ad vnum genus referũtur, perspicere & iudicare debemus, veluti quid inter iustitiam, & fortitudinem intersit, & inter prudentiam ac temperantiam.[c] quoniam hęc

2. ex eodem genere virtutis nata sunt omnia. Præterea in ijs quæ diuersis generibus cõtinentur, sed ita, vt inter illa differentias inuestigemus,[d] inter quę nõ videtur magna distantia, vt quid sensus à scientia differat.[e] In ijs enim quæ multum inter se discrepant, facilè apparent eorum distinctiones & dissimilitudines.[f] Similitudo verò in ijs sic spectanda est, quæ

De similiũ sumptione 4. in diuersis generibus collocantur: vt alterum ad alterum est, sic aliud ad aliud, hoc modo: Quam rationem habet scientia ad id quod scientiæ subiectum est, eandem sensus habet ad id quod sub sensum cadit. Itemq;, vt

4 alterum in altero est, sic aliud in alio, hoc modo:[g] Quemadmodum aspectus in oculo est, sic mens in animo: & sicut in mari tranquillitas, ita serenitas est in aëre. quoniam vtrumq; est quies vacuitasque ventorum.[h] In ijs autem rebus quarum magnæ sunt dissimilitudines & distinctiones,

[i] vsus & exercitatio capienda est maximè. Sic enim facilius quæ aliarum

2. sint similitudines perspicere poterimus. Atque etiam illud spectandum est, in eáne quæ ad idem genus pertinent, aliquid idem conueniat: vt in

Ambiguo hominem, equum, & canem. Si enim vnum & idem in eos cadat, hoc ipso

pso erunt similes. [k] Meditatum autem & in promptu habere, quot quic- rum nota
que modis dicatur, [l] magnum ad perspicuitatē affert adiumentum. Fa- tionis v-
ciliùs enim quid sit id de quo agitur, si explanatum sit, quot modis dica- sus. 1.
tur, intelligetur. In eo etiam magna vis est, [m] vt de re ipsa, non de nomi- 2.
ne tractetur argumentatio. Nam si incertum sit, quot modis id de quo
agitur dicatur, fieri poterit, [n] vt & is qui respondet, & is qui interrogat,
[o] non eôdem animi sensum referat & intelligentiam. At si explicata sit
ambiguitas, & is qui rem proponit ad disputādum, suum animi sensum
de re ipsa exprimat, profectò ridiculus sit is qui rogat, nisi eôdem omnē
cōferat conuertatq; orationem. Magnam etiam vim habet, [p] & vt ne fal
laci conclusione ab alijs capiamur, & vt alios captioso conclusionis gene 3.
re fallamus. Si enim quot modis dicatur id de quo agitur, sciamus, non
decipiemur: intelligemusque is ne qui rogat ad eandem intelligentiam
omnem conferat orationem, an non: & nos, si quando nobis obijciendū
est, eum qui respondeat, si ignoret quot modis id de quo agitur dicatur,
fallaci conclusione poterimus decipere. [q] Sed huius rei non semper est
locus: sed cùm eorum quæ ambiguè dicuntur, alia vera, alia falsa sunt.
[r] Nec verò hic locus aptus est & proprius dialecticæ. Itaque ijs omnibus
[s] qui ratione & verè differere volunt, hoc omnino fugiendum est, ne eo-
rum in nomine versetur disputatio & controuersia, nisi fortè aliquis nō
possit aliter de re proposita disputare.

IN CAPVT VNDECIMVM,

ANNOTATIONES.

[a] Differentias autem.) *Prioribus duabus rationibus comparandorum argumento-*
rum fusiùs explicatis, nunc strictim de cæteris agit, docens quemadmodum tum differen- Differen-
tiæ, tum similitudines rerum inuestigari debeant. Ac differentias quidem in ijs rebus, quæ tiarum &
minus inter se discrepant: Similitudines uerò in ijs, quæ magis distant, exquiri præcipit. similitudi
Cuius ratio est, quòd his quæ difficultatem aliquam præ se ferunt, initio perspectis, tum num dis-
de cæteris deinde quæ faciliora sunt, expeditiùs iudicari poterit. paritas.

[b] Quæ ad vnum ge.) *Duplicem uiam notandarum differentiarum indicat. Altera est in ijs, quæ sunt generis eiusdem: altera in ijs, quæ sunt generis diuersi.*

[c] Quoniam hæc ex eodem.) *De hoc uide Ciceronem lib. 1. Officiorum. Sed omne quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua, &c.*

[d] Inter quæ non videtur.) *Ita ut propterea operosior sit inuestigatio, maioreq; subtilitate & acumine indigeat. Author est Aristoteles lib. de Reprehensionibus Sophi-*
starum, in ijs quæ paululum distant, plurimùm imperitos circumueniri, eo quòd non satis

quæ sint distinguenda internoscant, ἐν ἅπασι γὰρ (inquit) ἡ ἀπάτη διὰ τὰ πρὰ μικρὸν, οὐ γὰρ διακριβοῦμεν.

e In ijs enim quæ mul.) Græcè est, ἐπὶ γὰρ τῶν πολὺ διεστηκότων, κατάδηλοι παντελῶς αἱ διαφοραί.

f Similitudo verò.) Hîc nota contrariorum contrarias præceptiones esse. Differentias enim in coniunctis: similitudines in remotis rebus notari præcipit, idq; tum in ijs quæ diuersi sunt generis, tum in ijs quæ sunt eiusdem, sicuti modò de Differentijs admonuit. Nota hîc Aristotelem similitudinem, τὴν ὁμοιότητα, tam latè sumere, ut etiam Comparationem sub se contineat. Nam quæ deinceps exempla subijciuntur, ea non tam uerè similium sunt, quàm comparatorum, ut hæ uoces à Rodolpho in Locis distinctæ sunt, de quo uide apud Rodolphum lib. 1. de Inuent. cap. 24.

Similitudo pro cõparatione sumitur.

g Quemadmodum aspectus in.) Quid ita? quia utrumq; & ducis & moderatoris locum obtinet. Græcè est, ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ.

h In ijs autem rebus.) Admonet Alexander in difficilioribus rebus eos qui se exerceant, primùm exerceri conuenire, propterea quòd à difficilioribus ad faciliora facilis sit trãsitio. Δεῖ δὲ τοὺς γυμναζομένους ἐν τοῖς χαλεπωτέροις (inquit) τὰς γυμνασίας ποιεῖσθαι, ῥᾳδία γὰρ ἡ ἀπὸ τῶν χαλεπωτέρων ἐπὶ τὰ ῥάω μετάβασις. Sic & de memoriæ exercitatione Cicero præcipit lib. 3. Rhetor. ad C. Heren. Nam putamus oportere eos, qui uelint res faciliores sine labore & molestia facilè meminisse, in reb. difficilioribus esse antè exercitatos. Sic & de eadem Fabius lib. 11. ca. 2. Difficiliora enim debent esse quæ exercent, quò sit leuius ipsum illud, in quod exercent, ut athletæ ponderibus plumbeis assuefaciunt manus, quibus uacuis & nudis in certamine utendum est. Consimili modo & Mimographus: Fer difficilia, (inquit) ut facilia leuius feras. Aristotelis uerba hoc loco græcè sic habent: μάλιστα δὲ ἐν τοῖς πολὺ διεστῶσι γυμνάζεσθαι χρή. ῥᾷον γὰρ ἐπὶ τῶν λοιπῶν δυνησόμεθα τὰ ὅμοια συνορᾶν.

In rebus difficilioribus primũ exerceri cõuenit.

i Vsus & exercitatio.) Præsertim quod ad similium & rerum comparandarum inuentionem attinet.

k Meditatum autem.) Hactenus de quatuor comparandorum argumentorum generibus disseruit: nunc de commoditate eorundem generum præcipiens, quas ad res ambiguorum notatio momentum adferat, primo loco ostendit. Sunt autẽ illius utilitates tres, quas hîc ordine recenset.

l Magnum ad perspicuitatem.) Græcè πρὸς τὰ σαφὲς χρήσιμον dicitur. Estq; hæc prima ambiguorum explicationis utilitas.

m Vt de re ipsa, non de.) Vt ad rem argumentatio dirigatur, non in uerbo ludificet, id quod Sophistarum proprium est. Hæc altera commoditas est.

n Vt & is qui respon.) Τόν τε ἀποκρινόμενον καὶ τὸν ἐρωτῶντα uocat. Ii sunt personæ

sonæ differentes. Antiquitus enim interrogando & respondendo omnes disputationes cõficiebantur, de quo aliquoties in Analyticis dictum est. Vide in hunc locum nõnulla lib. 1. de Demonstratione, cap. 6.

[o] Non eôdem animi sen.) *Nimirum cùm utrinq; differentium animi propter multiplicis uerbi incertam significationẽ uariè distrahantur, de quo in Porphyrio dictum est, cap. 1. Vide in hunc locum Aristotelem lib. de Reprehensionibus Sophistarum, cap. 6.*

[p] Et vt ne fallaci.) *Non modò tutos nos efficiet uerborum ambiguorũ explicatio, ne ab aduersario decipiamur, sed & ipsius aduersarij hac commoditate destituti sæpenumerò illaqueandi facultatem præbebit. Quippe cùm longè uulgatißimus & maximè patens struendarum captionum locus sit, is qui è rerum uocabulis pendet, iuxta id, quod initio libri de Reprehensionibus Sophistarum dicitur:* ὧν εἷς τόπος εὐφυέστατος καὶ δημοσιώτατος ὁ διὰ τῶν ὀνομάτων. *Estq; hæc tertia multiplicium uerborum intelligentiæ & enodationis commoditas. Quod uerò de illaqueando & in fraudem inducendo aduersario hîc dicitur, quemadmodum probo quidem uiro in graui seriaq; de magnis rebus disputatione nequaquam id conuenit, ita certè quidem quoties uel de ludicra re agitur, uel non ueri inquirendi causa, sed aut exercendi ingenij, aut animi recreandi causa disputatio instituitur, nemo, opinor, idipsum bono uiro indignum esse existimabit. Sic enim Veteres Athenis Saturnalibus inter se concertasse, monimentis traditum est, ut patet apud Gellium lib. 18. cap. 2. & 13. Quanquam si cum Sophista tibi res est, uictoriæq; obtinendæ gratia certamen initur, nihil prohibet etiam bonum uirum, hoc captionum genus pro re nata in disserendo adhibere, iuxta id, quod à Poëta dictum est. Dolus an uirtus quis in hoste requirat?*

An alios, & quatenus disserendo fallere liceat

[q] Sed huius rei non sem.) *Ostendit quando prædictæ captioni ex ambiguo struendæ locus sit.*

[r] Nec verò hic locus.) *Vult prægressam admonitinoem de struenda fraude à Dialectico remotiorem esse, proprieq; ad Sophisticen pertinere. Sed quo modo hic locus in disserendo tandem incidat, paulo suprà fusiùs à nobis indicatum est.*

[s] Qui ratione & ve.) *Græcè* τοῖς διαλεκτικοῖς *ait ad distinctionem Sophistarũ.*

AD QVID DIFFERENTIARVM, ET SIMILIVM NOTIONES CONFERANT.

Caput 12.

CAP. 15.

DIfferentiarum [a] autem inuentio, & ad ratiocinationes conficiendas de eodem & alio vtilis est, & ad cognoscendum quid quicque sit. [b] Cõferre quidem ad ratiocinationes de eodem & alio, hinc perspici potest, quòd si rerum propositarũ dissimilitudines distinctionesq; inuenerimus, facilè [c] non esse idem docebimus: ad perspiciendum autẽ quid quicq;

Differentiarũ notionis vtilis. 1. 2.

quicq; sit, quòd [d] eam orationem quæ vim, & naturam cuiusq; rei exprimat, [e] ex proprijs cuiusq; rei differentijs intelligere solemus. [f] Similium verò cognitio hanc nobis cõmoditatem afferet, vt argumentationes & per inductionem, & per ratiocinationes quæ ex fictione dicuntur, tractemus: & definiendo vim naturamq; rerum explicemus. Argumentationes quidem per inductionem tractabimus, [g] quia rerum singularũ quæ similes sunt inductione, res vniuersas concludi existimamus. [h] Neq; enim facilè inducere possunt ij, qui ignorãt rerum inter se similitudines. Ad eas autem ratiocinationes [i] quæ ex fictione tractantur, quòd probabile est, vt res habet in vno eorum quę similia sunt, sic in reliquis habere. Ita de vno aliquo, cùm differere poterimus, illud antè ex conuentione ab aduersario accipiemus, quemadmodũ in eo res se habet, [k] ita in eo quod propositum sit habere. Cùm autem illud docuerimus, etiam id de quo quæritur, quasi ex illa fictione, docuerimus. Nam cùm id positum sit, quemadmodum in hoc sit, ita esse in eo de quo quæritur, necessaria conclusione confecta res à nobis fuit. [l] Definiendi autem artem tenebimus, quòdsi possimus quid quaq; re idem sit, perspicere, nõ ignorabimus ad quod genus rem quam definire volumus, referre debeamus. Genus enim id est semper, quod ex ijs quæ cõmunia sunt, [m] maximè indicat quid quidq; sit. [n] Atq; etiam in ijs quæ multum discrepant, ad definitionem vtilis similitudinis cognitio est. vt idem esse tranquillitatem in mari, & in aëre serenitatẽ, quoniam vtrumq; est quies, & quod punctũ, in linea, id vnum in numero. quia [o] vtrumq; principium est. Quapropter si pro genere illud accipiamus, quod illis est hoc modo commune, non videbimur alienis verbis definiendo rem explicasse. Quin etiam ij qui definiunt, ferè eundem modum in definiendo seruare solent. Nam & vnũ, principium numeri, & punctũ, lineæ principium esse definiunt. Ex quo perspicuum est, eos commune vtriusq; genus dicere. [p] Ac rationes quidem & quasi instrumenta, quibus ratiocinationes tractabuntur, diximus. [q] Locos autem, ad quorum vsum hæc ipsa accommodata sunt, deinceps trademus.

Similium vsus.

1.

2.

3.

Trãsit ad locorũ disciplinam

IN CAPVT DVODECIMVM, ANNOTATIONES.

[a] Differentiarum autem.) *Pergit de differentiarũ & similium usu differere. Differentium usus duplex est, similium triplex. De eodem & alio ratiocinationes,* τοὺς συλλογισμοὺς τοὺς περὶ ταυτοῦ καὶ ἑτέρου *Græcè uocat.*

Conferre

b Conferre quidem.) Vtrunq; separatim docet.

c Non esse idem do.) Perinde ut si nullæ differentiæ inueniantur, idē esse docetur.

d Eam orationem, quæ vim.) Periphrasis definitionis est, Græcè τὸν ἴδιον ὁρισμὸν τῆς οὐσίας ἑκάστου λόγον uocat, quemadmodum & in definitione τῶν ὁμωνύμων, & τῶν συνωνύμων in Opusculo Categoriarum.

e Ex proprijs cuiusq; rei.) De hoc uide infrà lib. 6. Propriæ cuiusq; rei differentiæ dicuntur, αἱ περὶ ἕκαστον οἰκεῖαι διαφοραί.

f Similium verò cog.) Persequitur & explanat usum similium, quem tripartitum paulo antè esse diximus.

g Quia rerū sing.) De hoc uide cap. 11. lib. 2. de Ratiocin. & ca. 8. lib. 1. de Demōst.

h Neq; enim facilè.) Græcè est, οὐ γὰρ ῥᾴδιόν ὅτιμ ἐπάγειν, μὴ εἰδότας τὰ ὅμοια.

i Quæ ex fictione tra.) De his uide lib. 1. de ratiocinat. cap. 12. & 21. Græcè ἐξ ὑποθέσεως συλλογισμοὶ appellantur, ut quæ per inductionem tractantur, οἱ ἐπακτικοί. Estq; hæc altera utilitas.

k Ita in eo quod propositum.) Græcè est, οὕτως & ἐπὶ τοῦ προκειμένου.

l Definiendi autem.) Hæc est tertia utilitas πρὸς τὰ τῶν ὁρισμῶν ἀπόδοσιν.

m Maximè indicat quid.) Græcè est, μάλιστα γὰρ δῆλοί τί ὅτι κατηγορούμενον.

n Atq; etiam in ijs.) Non solùm in rebus propinquis, sed etiam lōgè distantibus τὰ τοῦ ὁμοίου θεωρίαν ad finitionem, inuentionemq; generis ualere profitetur.

o Vtrunq; principium est.) Vnitas quidem numeri, principium uerò lineæ.

p Ac rationes quidem.) Transitio ad locorum explicationem. Quòd propositionum sumptionis, inter cætera instrumenta nullas utilitates exposuit, id propterea factum existimant, quòd illarum sumptionis utilitas in dilatanda multiplicandaq; oratione per se ipsa satis eluceat.

q Locos autem, ad.) Loci Græcè οἱ τόποι dicuntur, à quo nomine his libris τῶν τοπικῶν appellatio tributa est. Ii sunt duplices. Vel enim generalia quædam monita, & præceptiones, argumentorum copiam in differendo suppeditantes sic dicuntur: quo pacto & Rhetores præcepta amplificationis & cōmiserationis locos appellant: uel prædictorū monitorum & præceptorum quædam tanquam notæ & indices sunt, ex quibus prædicta seu monita, seu præcepta quo pacto inter se distinguantur, eluceat. Boëtius superiores, maximas, hoc est, uniuersales & notißimas propositiones, quæ partim in argumentando adhibentur, ipsisq; quæstionibus ex se fidem præstant, partim extra argumentationem consideratæ, quo modo ad eam ipsam seu confirmandam, seu infirmandam rationes aptari poßint, demonstrant: Posteriores uerò, maximarum propositionum differentias uocat. Sed quoniam (inquit pri. Commentar. in Ciceronis Topica) has propositiones plures Locorum duplex cōsideratio.

& pene innumerabiles esse necesse est, possumus diligenti tractatu considerationis adhibito, omnium maximarum atq; uniuersalium propositionum multitudinem, in paucas atq; uniuersales colligere differentias, ut & alias dicamus in definitione consistere, alias in genere, atq; alias alio modo, & cæt. Ac cùm prius quidem illud genus locorum, quod maximas propositiones continet, hoc Opere deinceps Aristoteles explanet: posterius genus, quo maximarum sumptionum differentiæ traduntur, cæteri ferè hodie in scholis omnes persequuntur, idq; authore & principe Cicerone. Nam & hic maximarum continentes differentias in Topicis pro locis exposuit, ut loco paulo antè citato disertissimè Boëtius annotauit. Sed de his fusiùs in προλεγομένοις superiùs diximus.

Quod locorum genus hîc Aristoteles tradat.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ TOPICORVM LIBER II. IOACHIMO PERIONIO BENEDICTINO CORMOERIACENO INTERprete, ad Græci exemplaris fidem diligenter recognitus, vnà cum Annotationibus Gerardi Matthisij Geldriensis, nunc denuò recognitis & locupletatis.

DE QVAESTIONVM DISTINCTIONE, ET QVO MODO ACCIDENTIS PROBLEMA EVERTATVR.

Caput I.

CAP. I.

προβλήματος.

Quæstionum diuisio. 1.

2.

QVAESTIONES [a] autem partim vniuersæ sunt, partim singulæ: vniuersæ sunt hæ, Omnis voluptas in bonis est, Nulla voluptas in bonis est. Singulæ hæ, Est quædam voluptas in bonis, Quædam voluptas nõ est in bonis. [b] Vtrumq; autem genus quæstionum, vniuersis rationibus quæ & ad confirmandum & infirmandum valent, continetur. [c] Si enim docuerimus aliquid in totum genus cadere, etiam in partem aliquam cadere ostenderimus. Itemq; si in nullam rem cadere ostendemus, non in totum genus docebimus cõuenire.

Ordo progressionis.

[d] Primùm igitur de locis qui ad refellendum totum genus pertinent dicendum est, quòd simul ad generales, & eas quæ tanquam partes subiectæ sunt generi, quæstiones valent, & quòd quæstiones [e] sæpius afferri soleant ad disputandum quæ aiunt, quàm quæ negant: ijs autem qui contrà disputant, [f] refutationis locis vtendum. [g] Sed difficillimè ab accidente, [h] quasi

Accidẽtis

te,[h] quasi commutata dicendi ratione, appellationem propriam desumimus. Aliqua enim ex parte, non omnino inesse in solis accidentibus reperitur. [i] Nam & à proprio, & à definitione, & à genere commutato sermone appellationem accipi necesse est. vt si cui insitum sit, vt sit animal gradiens bipes, vicissim id animal gradiens bipes esse verè dicetur. Similis est generis ratio. Si cui enim cõuenit esse animal, id animal est. Quod idem contingit in proprio. Si cui enim id tributum sit, vt aptum animũ habeat ad percipiendam grammaticam, id grammaticæ capax rectè appellabitur. [k] Nihil enim horum potest aliqua ex parte conuenire aut nõ conuenire, sed omnino vel conueniunt, vel non conueniunt. At accidens, vt candorem & iustitiam, nihil prohibet quadam ex parte inesse. [l] Quocirca non satis est candorem & iustitiam docere inesse, si docere velimus aliquem album esse vel iustum. Habet enim dubitationem, propterea quòd quadam ex parte albus est, vel iustus. Non igitur in accidentibus vicissim [m] hæc retrò commeant necessariò. [n] In quæstiones autem duo peccata incidunt, quę exponenda sunt. peccatur enim, aut mentiendo, aut discedendo à verbis quæ imposita sunt rebus. Nam & ab ijs peccatur, qui quod non cadit in aliquem, cadere confirmant, & ab ijs qui res [o] minus vsitatis & tritis nominibus appellant. [p] vt qui hominem platanum appellant, nominum impositorum fines transeunt.

cũ cæteris collatio.

Duo vitia in differẽdo cauenda.

CAP. 2.

[q] Primùm videndum est, an id quod alio modo dicitur, pro accidente explicarit. [r] quod peccatum in genere versatur maximè. vt si quis candori accidere dixerit, vt sit color. Nõ enim accidit candori vt sit colòr, cùm eius sit genus color. [s] Atq; id quidem fieri potest, vt nominatim quod genus est, accidens esse ponat: veluti si dicet accidere iustitiæ, vt sit virtus. [t] Sæpissimè autem etiam si non exprimat, tamẽ facilè intelligitur genus pro accidente dictum esse. vt si quis candorem colore perfusum esse dixerit, aut incessum moueri. [u] Nullo enim ex genere παρωνύμως trahitur de specie dicendi ratio, omniaq; genera συωνύμως de formis dicuntur. [x] Species enim & nomen generis sibi vendicant, & definitionem. [y] Qui igitur candorem colore tinctum dixit, nec pro genere vsus est colore, quia παρωνύμως dixit: neque pro proprio aut definitione, quia proprium & definitio ad nullam rem aliam transferri possunt. Ac colore perfusa sunt etiam alia permulta: vt lignum, lapis, homo, equus. Ex quo perspicuum est, id expressum esse, tanquam accidens esset.

Quo modo Accidẽtis probiema euertatur.

Genus omne συωνύμως dicitur.

IN CAPVT PRIMVM,

ANNO-

ANNOTATIONES.

Duplex quęstionũ diuisio.

QVæstiones [a] autem.) Ad singula supradictorum attributorum genera speciatim nunc inde locos accommodaturus, à duplici τῶν προβλημάτων diuisione hic orditur. Altera à quantitatis notatione pendet, cùm alia uniuersa, τὰ καθόλου: alia singula, τὰ ἐπὶ μέρους προβλήματα appellat. Altera à distinctione qualitatis sumitur, cùm alia τὰ κατασκευαστικὰ, hoc est, ad confirmandum & asserendum id quod dicitur, accommodata esse: alia uerò τὰ ἀνασκευαστικὰ, hoc est, ad infirmandum & negandum ualere affirmat. Quanquã neutrum horũ reuera τῷ προβλήματι, hoc est, quæstioni (ut antegresso lib. per modum interrogationis quæstio definita est) cõuenire uidetur. Verùm hic non ut proponitur, sed in alteram partẽ ut cõcluditur & definitur, Quæstio spectãda est, authore Alexandro, cuius ista de hac re uerba sunt: προβλήματα νῦν ἔοικε λέγειν οὐ τὰ προτεινόμενα, ἐκεῖνα γὰρ τῶν ἀντίφασιν περιέχει, ἀλλὰ τὰ ὡρισμένα ἤδη κατὰ δ' ἕτερον μέρος τῆς ἀντιφάσεως. Vide num hinc sumpta sit Rhetorum illa quæstionum diuisio, qua aliæ theses, aliæ hypotheses dicuntur. Vniuersæ enim quæstiones, θέσεις: singulæ, ὑποθέσεις quædam uidentur, de quo uide lib. superiore, cap. 7.

Quæstio pro cõclusione ponitur.

[b] Vtrumq; autem genus.) Altera diuisio, quam tametsi uniuersis quæstionibus accommodat, nihilo minus tamen & singulis conuenire potest. Sunt enim utrarumq; aliæ κατασκευαστικαὶ, aliæ ἀνασκευαστικαὶ, quod ad notam affirmationis & negationis spectat.

[c] Si enim docuerimus.) Nota in toto genere partes seu species contineri.

Ratio ordinis.

[d] Primùm igitur de locis.) Progreßionis ordinem indicat. Primum de uniuersis & negantibus præcipiendum admonet, propterea quòd uniuersorum latior usus est, & negantia etsi non sola, tamen quàm maximè ad refellendum aduersarium à Dialectico in disserendo adhibentur.

[e] Sæpius afferri soleant.) Rectè sæpius, neq; enim solùm aientes à Dialectico quæstiones discutiuntur, sed & negantes. Alexander illud sæpius, δ' μᾶλλον, ὡς ἐπὶ δ' πλεῖστον exponit.

Dialectici refutare proprium

[f] Refutationis locis.) Sic Alexander: πρόκειτε δὲ τῷ διαλεκτικῷ ἀνασκευάζειν δ' τιθέμενον καὶ εἰς δ' ἀντικείμενον ἐπιχειρεῖν. Et Eudemus lib. 1. Analyticorum: ὁ διαλεκτικὸς ἃ μὲν κατασκευάζει μικρά ἐστιν: δ' δὲ πολὺ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ πρὸς δ' ἀναιρεῖν τί ἐστι.

Accidẽtis quæstio difficilior

[g] Sed difficillimè.) Confert accidentis quæstionem cum cæteris attributorum generibus, docens illius præ his maiorem in disserendo difficultatem esse, propterea quòd nõ æquè ut in alijs, propria appellatio (quam οἰκείαν ὀνομασίαν græcè uocat) hic conuertatur.

[h] Quasi commutata dicendi rat.) Id fit, cùm ab inhærendi seu accidendi uerbo,

oratio

oratio transfertur, ut simpliciter rem esse, aut non esse confirmemus, ὃ καὶ ἐλάβομεν ὑπάρχειν τῷ ὑποκειμένῳ, τοῦτο ὑποκείμενον εἶναι λέγομεν. εἰκὸς ἂν ἀντιστροφὴ τοῦτο, *inquit Alexander.*

[l] Nam & à propo.) *Collatione cæterorum attributorum difficultatem ostendit.*

[n] Nihil enim horum.) *Ratio dissimilitudinis à diuersitate* τοῦ ὑπάρχειν.

[l] Quocirca non sa.) *Ex hoc genere nascuntur captiones eæ, quas Aristoteles in lib. de Reprehensionibus Sophist.* τοὺς πρὰ δὲ τοῦ ἁπλῶς ἐλέγχους *appellat.*

[m] Hæc retrò commeant.) *Ita ut quemadmodum abstractum in subiecto inest, ita & concretum de eodem uerè enuncietur.*

[n] In quæstiones autem.) *Monet duo uitia in disserendo incidere, quæ caueri oporteat. Alterum mendacium est: alterum quòd peregrinum & exoticum dicendi genus adhibeatur. Nā proprijs & usitatis rerum uocabulis in disputando utendum est, de quo uide lib. 2. de Demonstratione, cap. 7.* Duo vitia in disserēdo.

[o] Minus vsitatis.) *De hoc nonnihil A. Gellius, lib. 11. cap. 7. Idem lib. 4. cap. 1. ciuibus Romanis latinè loquentibus rē non suo uocabulo demonstrare, non minùs turpe fuisse ait, quàm hominem non suo appellare nomine.* Res suo nomine dicendæ.

[p] Vt qui hominem pla.) *Platanus arboris nomen,* ἀπὸ τοῦ πλάτους, *hoc est, à latitudine seu amplitudine nominatum. Est enim arbor infrugifera quidem illa, sed latitudine frondium ac foliorum apricantibus peramœna. De ea uide Plinium lib. 12. cap. 1. & Celium Rhodoginum lib. 25. cap. 1.* Platanus.

[q] Primùm videndum est.) *Ad rem se accingit. Author est Alexander, ab Accidentis quæstione hanc tractationem Aristotelē ordiri, propterea quòd Accidens cæteris quodammodo & communius est, & ordine naturæ prius. Euertitur autem accidentis problema, si id quod subiecto tribuitur, non accidens esse, sed aliud quippiam esse doceatur.* Ab accidēte cur ordiatur.

[r] Quod peccatum in gen.) *Generis potissimùm mentionem facit, quòd huius cum accidente maior cognatio uideatur, propterea quòd ut accidens cum subiecto suo minimè conuertitur, ita ne genus quidem.* Generis cum accidente collatio.

[s] Atq; id quidem fieri.) *Ostendit bipartitum hunc modum esse, quòd nunc accidentis nomine expresso genus ponatur, nunc suppresso nomine, idipsum* παρωνύμως *de speciebus enuncietur. Quæ enunciandi ratio accidentium propria est.*

[t] Sæpissimè autem.) *Hic alter modus est.*

[u] Nullo enim ex ge.) *De hoc in Porphyrij Isagoge meminimus, cap. 2.*

[x] Species enim &.) *Ex definitione* τῶν συνωνύμων *probat, de qua uide cap. 1. lib. Categoriarum.*

[y] Qui igitur candorem.) *Remotione cæterarum specierum, docet accidentis attributionem esse.*

QVIBVS MODIS ACCIDENS CONVENIRE, VEL NON CONVENIRE REI SVBIECTAE DOCEATVR.

Caput 2.

ALius [a] locus est, vt singula persequendo videas, ídne quod dictum est, in totum genus cadat, an in partem nullam. Quod in formis, [b] non in infinitis videndum est. Sic enim via & ratio erit certior, in paucioribus súque consistet tractatio. [c] Initium autem à primis faciendum est, deinde vsq; ad indiuidua progrediendum deinceps, vt si in cõtrarijs versari scientiam dixerit, [d] videndum, an in ijs quæ cum aliquo conferuntur, & in ijs quę aduersa appellantur, & in priuantibus, & in negantibus, eadem spectetur scientia. Quòd si ne tum quidem id perspici poterit, rursum hæc in partes [e] vsq; ad indiuidua tribuenda sunt, vt in iustis ne & iniustis rebus, aut in duplo & simplo, aut in cæcitate & aspectu, aut in eo quod est, & in eo quod non est. [f] Si enim in eorum aliquo ostensum sit, non esse eandẽ, sublata & infirmata erit à nobis quæstio. Quod idem iudicandum est, si vniuerse negaret quæstio proposita. Hic autem locus & ad confirmandum & ad infirmandum valet. Si enim diuisione facta, vel in omnibus intelligatur, vel in plerisque, [g] poscendum est, vt aut vniuersum detur, aut certè occurratur nobis non ita in quodam reperiri. Nam si neutrum horum faciat, ineptus videbitur qui non concedat. [h] Alius locus ducitur ex definitione accidentis & rei cui id accidit, vel vtriusque vel alterius. In quo id considerandum est, num quid in definitionibus non verum pro vero sumptum sit. Veluti si quæratur, Deúsne iniuriam faciat, constituendũ est, quid sit iniuriam facere. [i] Nam si sit, sponte nocere, profectò Deus non facit iniuriam, quoniam Deus nocere nõ potest. [k] Si etiam ponatur inuidus sapiens, statuendum est, quis sit inuidus, & quid inuidia. Cum enim inuidia, ægritudo sit ex rebus secundis alicuius boni viri, certè sapiens nõ inuidet. esset enim improbus. [l] Itemq; si ponatur, An qui indignatur inuidus sit, definiendo aperiendum est, qui sit vterq;. Sic enim verúmne sit an falsum quod dictum est, intelligetur: [m] veluti, si is inuidere dicitur, qui bonorum dolet rebus secundis: & indignari is, qui dolet improborum secundis rebus: perspicuum est non inuidere eum, qui indignetur. [n] In quo sæpe etiam adhibendæ sunt definitiones pro ijs nominibus, quæ in definitionibus continentur, nec ab hoc desistendum, quoad res intelligatur. sæpe enim tradita tota definitione, non intelligimus quod quæritur, at definitione adhibita pro aliquo

A primis ad infima quo modo descendum.

Definitiones rerum cõsulendæ

quo nomine eorum quæ in definitione sita sunt, intelligimus. [o] Præterea postquam ex quæstione tibi propositionem feceris, quærendum est, sitne quicquam quod opponere contrà possis. [p] nam si quid inueneris quod contra propositionem opponas, id erit aduersus quæstionem, argumentum. [q] Quanquam autem hic ferè locus idem valet, quod is, quem iam exposuimus, videndum esse, vtrum in toto genere, an in nullo reperietur, quod pro accidente dictum esset: tamen modo quodam & ratione differunt. [r] Iam verò exponendum est, quæ appellanda sint, vt pleriq; solent, quæq; non sint appellanda: qui locus & ad confirmandum & refutandum valet plurimùm, [s] vt res nominibus ijs quæ trita sunt vulgo & vsitata, appellandas esse: at verò in constituendo, quæ res tales, vel non tales sint, non audiendam esse multitudinem: veluti salubria ea quæ valetudinis efficientia sint, vocanda sunt illa quidem vulgi opinione: sed vtrùm id de quo agitur efficiens sit nécne valetudinis, de eo non iam vulgi, sed medicorũ iudicium expectare debemus. [t] Præterea si multis modis quid dicatur, propositum autem sit, conuenire illud alicui, vel non conuenire, [u] ad alterum significatum multiplicis conferendum est argumentum, si ad vtrumq; nõ possit. [x] Hoc autem faciendum est in ijs quorum latet ambiguitas. Nam si incertum non sit quot modis dicatur, occurret statim, non esse id explicatum, quod quæreret ac dubitaret, sed alterum. Hic autem locus & ad probandum, & ad reprehendendum valet. Nam si confirmare volemus, alterum accidere docebimus, si vtrumque non poterimus. Refellentes autem, si vtrumq; non possimus, alterum certè non dici & reperiri in re de qua agitur, ostendemus. [y] Sed hoc interest, quòd is qui reprehendit & refutat, nihil debet ex ijs quæ concessa sunt, & ex conuentione accepta disputare, nec si in toto genere, nec si in nulla parte positum sit quid reperiri. Nam si cuiuis non accidere docebimus, in toto genere reperiri aliquid reprehendemus. Itemq; si in vno aliquo reperiri demonstrabimus, nulla ex parte reperiri confutabimus. At is qui probat, antè debet ita quasi conuentione vti, si in parte aliqua intelligatur, [z] in toto etiam genere intelligi, si modò pronunciatum veri simile habeatur. Neq; enim satis est, ad probandum aliquid in totum genus cadere, in aliquã partem cadere, docere: veluti, [a] si hominis animus immortalis sit, omnem etiam animum esse immortalem. Quapropter antè conuenire oportet, si quæuis anima sit immortalis, omnem etiam immortalem esse. [b] Quanquam hoc non semper obseruandum est, sed

Vulgi sermo, at doctorum iudicium de rebus sequendã.

tum deniq;, cùm de toto genere communem & vniuersam rationem nõ habebimus talem, qualis est ea, qua Geometra demonstrat, triangulum tres angulos habere duobus rectis pares. [c] Quòd si nõ ignoret verbi ambiguitatem is qui ponit quæstionem, cùm explicatum erit quot eius sint genera & modi, tum id & confirmandum erit, & refellendum, [d] vt si id quod decet, vtile significat & honestum, omnem diligentiam adhibere oportebit, vt vtrumq; probemus, vel refutemus in eo de quo agatur, vt esse honestum & vtile, aut neq; honestum, neq; vtile. Sin vtrumque non potest, alterum docendum erit, ita tamen vt præmoneamus esse quidem vnum verum, sed alterum non esse verum. Eadem ratiò est, si plures sint partes, in quas id quod propositum sit tribuatur. [e] Præterea exponenda ea sunt, quæ non homonyma multis modis dicuntur, sed alio modo, vt artem vnam esse multarum rerum, [f] aut quia & ipsius finis sit, & earum rerum quæ ipsæ ad finem pertinent atq; referuntur: veluti medicina est [g] valetudinis, & rationis victus: aut quia est rerum duarum, quarũ vtraq; finis est, veluti rerum contrariarum eandem esse artem. neq; enim ex eo quia alterum alterius dicitur, finẽ esse finis intelligere oportet: aut quia vnius est per se & vi sua, alterius temerè & casu, [h] vt per se quidem triangulum scimus habere tres angulos pares duobus rectis, temerè & casũ, id quod latera habet æqualia. Nam quia accidit triangulo quod constat lateribus æqualibus, triangulum esse, ob id intelligimus, quòd duobus rectis pares habet tres angulos interiores. [i] Si igitur eadem ars esse multarum rerum, nullo horum modorum potest, certè omnino esse non potest: aut si quodam modo potest, perspicuum est id fieri posse. [k] In quo ad vtilitatem causæ nostræ referenda est diuisio, vt si confirmare quid velimus, ea proferenda sunt omnia, in quibus id verum est quod volumus ostendere, eaq; tribuenda sunt in eas solùm partes, quæ ad probandum valebunt. Sin autem refellamus, in ea quæ ad refutationem valent, cætera verò omittenda erunt. [l] Sed hoc tum erit faciendum, cùm incertum erit quot modis quicq; dicatur. Atq; hoc in illo versari, aut non versari, ijsdem locis confirmandum erit: vt artem hanc, in hac re cerni, aut tanquam in fine, aut tanquam in ijs quæ ad finem referuntur, aut in ijs quæ fortè temerè accidunt: aut contrà non cerni aliquid vllo modo eorum, quos modò diximus. [m] Eadem etiam ratio est cupiditatis, eorumq; omnium quæ sunt multarum rerum. Est enim copiditas huius aut illius rei, vel quasi finis, vt valetudinis: vel vt eorum quæ ad finem pertinent, veluti

Ars vna multarũ rerum tripliciter.

Ad causæ vtilitatẽ referenda omnia.

luti remedij, vel quasi fortè temerè eueniat, quo modo affectus est qui dulci vino delectatur, non quia vinum sit, sed quia dulce. Dulcedinem enim per se expetit, vinum temerè & casu: quandoquidem si coacescat, non id iam appetit. Ita fit, vt vinum fortè temerè appetat. [n] Huius autem loci vsus est plurimus in ijs quæ cum aliquo conferuntur. quoniam huiusmodi omnia ferè sunt, quæ eius generis sunt. [o] Prætereà commutandum est verbum, in id quod magis dilucidum esse videatur, vt pro eo quod accuratum & exquisitum est in opinione, apertum & perspicuum dicendum est, [p] & pro nimia cura cura rerũ agendarum, studium rerum agendarum. Si enim apertius & planius fiat quod dictum est, tum denique propositum faciliùs argumento tractari poterit. Valet autem hic locus, & ad confirmandum quid, & ad refellendum.

Verborũ captanda perspicuitas.

IN CAPVT SECVNDVM,

ANNOTATIONES.

[a] Alius locus.) *Qui loci de accidente nunc deinceps sequuntur, ij ad simplicis inhærentiæ (quo modo uocant) problematum disputationem pertinent, hoc est, ad eas quæstiones, in quibus accidens conueniátne rei subiectæ, nec ne, prætermissa accidentis appellatione, simpliciter inuestigatur. Suntq; ij plurimi, qui in utranq; partem non minimam argumentorum copiam præstant. Primus locus est, quem differentiæ causa à partibus totius, & ab enumeratione Cicero in Topicis appellat. Alexander* ἐκ διαιρέσεως *nominare uidetur:* ὑπογράφει δὲ περὶ τοῦ τόπου, *inquit,* καθ' ὃν δεῖ τῷ διαίρεσιν ποιεῖσθαι τῶν προκειμένων.

Quæstiones simplicis inhærẽtiæ quæ.

[b] Non in infinitis.) *Infinita,* τὰ ἄπειρα, *hic indiuidua appellat, quorum numerus, teste Porphyrio, est infinitior. Vide Isagogen cap. 2.*

[c] Initium autem à primis.) *Hoc loco nota progressionem* τῆς διαιρετικῆς μεθόδου, *quam simili modo & in Philebo Plato explicauit, de quo uide Porphyrij Institutiones, cap. 2. Locus pulcherrimus est. Prima,* τὰ πρῶτα, *hoc est, communia & generalia dicit, quæ deinde subiecta distributione particulatim explicantur.*

Prima, τὰ πρῶτα.

[d] Videndum, an in ijs quæ.) *Contrariorum,* τῶν ἀντικειμένων, *quatuor genera subijcit, quorum explicationem pete ex lib. Categoriarum, cap. 7.*

[e] Vsq; ad indiuidua.) Μέχρι τῶν ἀτόμων. *Plato in indiuiduis consistendum uoluit, quòd ulteriùs progredi diuisio non rectè posset, de quo in Porphyrio ex Philebo dictum est, cap. 2.*

[f] Si enim in eorum.) *Hoc est, quod in Analyticis docet generalem propositionem per specialem euerti* κατ' ἔνστασιν: *de quo uide lib. 1. Priorum, cap. 14. & lib. 2. cap. 13.*

[g] Poscendum est vt.) *De hoc nonnihil lib. 2. de Ratiocinat. diximus, cap. 11.*

[k] Alius locus ducitur.) Alter locus ex definitione seu attributi, quod quæritur, seu subiecti, in quo attributum inest. Definitionem hîc simpliciter ἄλογον uocat.

[l] Nam si sit sponte.) Hæc argumenta in secunda figura concluduntur συλλογιστικῶς. Nota quàm præclarè de Deo loquatur, à quo omnem iniuriarum suspicionem depellit. Τὸ ἀδικεῖν, hoc est, iniuriam facere, ἁπλῶς ἑκουσίως, id est, sponte nocere, finiendo interpretatur.

Τὸ ἀδικεῖν.

[m] Si etiam ponatur.) Alterum exemplum similiter de finitione attributi. Quam hîc inuidiæ definitionem interpres subiungit, ea ex lib. 3. Tusculanarum Ciceronis ferè deprompta est. Græcè Aristoteles τὸν φθόνον definit, ὁ φθόνος ὄν λύπη ἐπὶ φαινομένῃ εὐπραγίᾳ τῶν ἐπιεικῶν τινός. Cicero omisso uerbo τῶν ἐπιεικῶν, Inuidentia, inquit, ægritudo est ex alterius rebus secundis.

Inuidia, ὁ φθόνος quid.

[n] Item ą; si ponatur.) Exemplum tertium, in quo utriusq; uerbi, & subiecti, & attributi finitio quæritur.

[o] Veluti si is inuide.) Inuidum ab indignante hoc modo Aristoteles secernit, quòd ille proborũ, hic improborũ feliciore successu molestatur & dolet. Φθονερὸς μὲν (inquit) ὁ λυπούμενος ἐπὶ ταῖς τῶν ἀγαθῶν εὐπραγίαις: νεμεσητικὸς δὲ ὁ λυπούμενος ἐπὶ ταῖς τῶν κακῶν εὐπραγίαις. Ita νέμεσις, indignatio, in uirtute: φθόνος, inuidia, in uitio poni uidetur.

φθονερὸς. νεμεσητικὸς

[p] In quo sæpe etiam.) De hoc uide lib. 1. de Ratiocinatione, cap. 21.

[q] Prætereà postquam.) Iubet ut ipse de ἔνστασι cogites, quam aduersus propositũ aliquis afferre possit.

ἔνστασις.

[r] Nam si quid inueneris.) Græcè est: ἡ γὰρ ἔνστασις ἔσται ἐπιχείρημα πρὸς τὴν θέσιν.

[s] Quanquam autem.) Comparat hunc locum cum primo, qui de accidente propositus est, quorum iste quia pro aduersario ualet, hic respondenti conuenit, fit ut hic τῷ τρόπῳ à superiore differre uideatur.

[t] Iam verò exponen.) Monet sermonis genus in disserendo adhibendum populare, quod uulgò usitatum sit, etsi non perinde quod ad res ipsas attinet, uulgi iudicium sequi uelit. In hunc locum uide, quæ A. Gellius lib. 1. cap. 10. & lib. 11. cap. 8. de obsoletis atq; insolentibus uerbis fugiendis disserit. C. Cæsaris uerbum est lib. de Analogia, inauditum insolensq; uerbum, non secus atq; scopulum in oratione fugiendum esse. Fabius Quintilianus lib. 1. ca. 9. Consuetudo uerò, inquit, certissima loquendi magistra, utendum planè sermone, ut numo, cui publica forma est. Apollinaris Sulpitius (ut lib. 12. cap. 13. Gellius refert) consuetudinem cùm omnium rerum aliarum, tum in primis uerborum esse dominam ait. Phauorinus apud Gellium lib. 1. cap. 10. Viue ergo, inquit, moribus præteritis, loquere uerbis præsentibus.

Verba insolentia fugienda.

Consuetudo loquẽdi magistra.

Vt

[s] Vt res nominibus.) Verba Aristotelis Græcè hoc loco sic habent: ὅιον ὅτι ταῖς μὲν ὀνομασίαις τὰ πράγματα προσαγορευτέον, καθάπερ οἱ πολλοί: ποῖα δὲ τῶν πραγμάτων ἐστὶ τοιαῦτα ἢ οὐ τοιαῦτα, οὐκέτι προσεκτέον τοῖς πολλοῖς. Vulgi sermo, nõ iudicium sequendũ.

[t] Prætereà si multis.) Hic locus ad ambigui uerbi tractationem pertinet: estq; geminus, prout uerbi ambiguitas uel clam est, uel ipsa sese prodit.

[u] Ad alterum significat.) Quod tuo scilicet proposito conueniat, altero quod minus congruit, dissimulato. Facit hic locus ad captionem aduersario struendam, cùm uerbi ambiguitas latet.

[x] Hoc autem facien.) Prior modus huius loci, qui in utramq; partem ualet. ἀντιστρέφει γὰρ καὶ πρὸς τὸ κατασκευάσαι καὶ ἀνασκευάσαι, quemadmodum deinceps Aristoteles loquitur.

[y] Sed hoc interest.) Quid reprehensio à confirmatione distet, indicat: Nempe hæc ἐξ ὁμολογίας progreditur, illa non item. πλὴν ἀνασκευάζοντι μὲν, inquit, οὐδὲν δεῖ ἐξ ὁμολογίας διαλέγεσθαι: κατασκευάζοντι δὲ προδιομολογητέον.

[z] In toto etiam genere.) Sic Aristoteles lib. 2. de Cœlo, cap. 11. docturus omnes stellas esse rotundas, initio ponit, quemadmodum una stellarum affecta sit, pari modo etiam cæteras se habere, deinde de Luna, rotundã eam esse ex incrementis τοῖς φωτισμοῖς demonstrat, unde parem reliquarum stellarum figuram esse deinceps concludit. Oẽs stellæ rotundæ.

[a] Si hominis animus.) Quid de hominis animo Aristoteles constituerit, non satis certum est. Alij mortalem, alij immortalem illum constituisse uolunt, quorum hoc de mente & intelligentia, illud de sensu & uegetandi ratione intelligi potest, ut lib. 1. de Animo, cap. 1. Aristoteles significare uidetur. Vide nonnulla in hunc locum apud Bessarionẽ Cardinalem Nicenum, lib. 3. eorum quos edidit in calumniatorem Platonis, cap. 22. Sitne animus hominis Arist. ἀθάνατος, nec ne.

[b] Quanquam hoc.) Ostendit quando demum prior cautio sit adhibenda.

[c] Quòd si non ignoret.) Alter modus, cùm ipsa se prodit ambiguitas.

[d] Vt si id quod decet.) Græcè τὸ δέον dicitur, quæ uox non solùm utile & honestũ significat, sed & necessarium, teste Aristotele, cap. 2. lib. de Reprehen. Sophistarum. τὸ δέον.

[e] Prætereà exponenda.) Vt præcedens locus simplicis uerbi ambiguitatem proposuit, ita hic qui sequitur ad coniunctorum ambiguitatem pertinet. Illam ὁμωνυμίαν in Elenchis Aristoteles uocat, hanc ἀμφιβολίαν. Præceptio hîc eadem quæ in superiore, obseruanda est.

[f] Aut quia ipsius.) Triplicem intellectum huius exempli exponit.

[g] Valetudinis & ration.) Valetudo finis est Medicinæ: Victus ratio, hoc est, cibus & potus, res quæ ad finem refertur.

[h] Vt per se quidem.) Geometricum exemplum affert, de quo uide lib. 1. de Demonstratione, cap. 3. Per se triangulo conuenit habere tres angulos duobus rectis pares: Isopleuro

pleuro non conuenit, nisi quia triangulum est. Hoc κατὰ συμβεβηκός, *illud* καθ' αὑτὸ *conuenire dicit.*

i Si igitur eadem.) *Ambiguæ orationis significatis expositis, nunc de usu superioris loci disserit.*

k In quo ad vtilitatem.) *Pulchra monitio, ut omnia ad causæ tuæ utilitatem referas, cæteris quæ obsint præteritis & dissimulatis. Pertinet hæc admonitio ad disserentis prudentiam.*

l Sed hoc tum.) *Ostendit, quando priori cautioni sit locus.*

m Eadem est ratio.) *Alio exemplo declarat.*

n Huius autem loci.) *Ostendit in relatis prædictam cautionem maximè ualere.*

o Prætereà commutan.) *Vult perspicuitatis rationem maximè haberi, ut* ἐυεπιχειρητοτέρα *sit thesis.* γνωριμοτέρου γὰρ (*inquit*) γινομένου τοῦ ῥηθέντος, ἐυεπιχειρητοτέρα ἡ θέσις. *At de hoc aliquoties antè monitum est.*

p Et pro nimia.) *Græcè* πολυπραγμοσύνη *dicitur, pro qua ipse* φιλοπραγμοσύνην *substituit. De uerbo* πολυπραγμοσύνης *multa disputat A. Gellius, lib. 11. cap. 16.*

Gellius de verbo πολυπραγμοσύνης.

Negat uno id uerbo reddi posse. Nihil erat prorsus (inquit) quod aut meminissem legere me, aut si etiam uellem fingere, non insigniter asperum, absurdum, durumq; esset, si ex multitudine & negotio uerbum unum compingerem. Et idcirco iuncta oratione quid uellet Græcum id uerbũ, pararam dicere. Ad multas igitur res aggressio, earumq; omnium rerum actio, πολυπραγμοσύνη *inquam Græcè dicitur, &c.*

ALII LOCI, QVIBVS EADEM QVAESTIO DISPVTETVR. Caput 3.

VT [a] autem contraria in eadem re cerni doceamus, genus spectare debemus: veluti, si volumus confirmare in sensu versari integritatem & deprauationem: si sentire iudicare est, & iudicare licet rectè & non rectè: certè in sensu integritas & prauitas versetur necesse est. [b] Qui locus ex genere ducitur. [c] Iudicare enim genus est sentiendi, quoniam qui sentit, quodammodo iudicat. Ex forma etiam generis duci potest. Quæ enim speciei accidunt, eadem esse in genere intelliguntur omnia: vt, si scientia sit bona & mala, recta etiam sit, & praua affectio necesse est: [d] siquidem affectio genus est scientiæ. [e] Ac prior quidem locus vitiosus est, si ad confirmandum adhibeatur, alter verus, & commodus. Neq; enim necesse est quæcunq; generi accidant, eadem speciei accidere, quandoquidem animal est pennigerũ & quadrupes, homo non item. Omnia autem quę cadunt in speciem, eadem necesse est cadere in genus. Si enim homo probus sit, animal etiam probum. In refellendo contrà, prior locus

Ex genere & specie quo modo ducat argumentum.

cus verus est, alter vitiosus. Nam & quæ generi non accidunt, speciei acci dere non possunt: & quæ in speciem non cadunt, ea non necesse est in genus non conuenire. [f] Quoniam autem necesse est, in quibus genus dicitur, in ijs etiam speciem aliquam dici, & quæcunq; genus habent, [g] aut quæ à genere nomen duxerunt, eadem aliquam speciem habere, aut nomen ab aliqua specie ducere. veluti, si de aliquo scientia dicatur, certè de eodem vel grammatica dicetur, vel musica, vel aliqua scientia. [h] Et si quis arte sit instructus & præditus, aut nomen ab arte habeat, certè grammatica vel musica, aut aliqua alia arte instructus sit necesse est, aut nomẽ ab arte aliqua ducet, veluti grammaticus, vel musicus appellabitur. [i] Si quid igitur proponatur, de quo genus aliquo horũ modo dicatur, [k] veluti animum moueri, considerandum est, moueatúrne animus aliquo genere motionis, vt crescátne, an imminuatur, an intereat, an oriatur, [l] an alio genere motus agitetur. Si enim nullo genere motus agitetur, certè non mouetur. Atq; hic locus & ad cõfirmandum valet, & ad reprehendendum. Nam si aliquo genere motus cieatur, mouetur: & si nullũ genus in eum cadat, certè non mouetur. [m] Cui autẽ copia non suppetet argumentorum ad propositum confirmandum, aut infirmandum, is à definitionibus præsidium petere debebit, aut quæ rei propositæ propriæ sint, aut quæ esse videantur. quòd si ab vna non possit, à pluribus petat. Nam ijs qui rem definiendo explicarint, facilius erit argumentum ducere. [n] quippe cùm facilior sit in definitionem argumentatio. [o] Videndum etiam est, [p] cui rei res proposita adiuncta sit, [q] aut quid necessariò, res proposita si sit, vnà secum esse velit. Ac is quidem qui confirmare volet, cui rei res proposita adiuncta sit, videbit, [r] quoniam si rem illam doceat cadere, rem etiam propositam docebit. Qui autem refellendi partes tenebit, quæ res rei propositæ sit adiuncta, considerabit. Si enim id quod rei propositæ sit consequens, [s] non esse ostendemus, rem etiam propositam non esse docebimus. [t] Spectandum est etiam an tempus alicubi discrepet. vt si quis id dixerit quod alitur, augescere necessariò. Etsi enim animalia semper aluntur, [u] tamen non semper augescunt. [x] Itemque si quis scire dixerit memoria tenere. Nam hoc ad præteritum tempus pertinet: illud & ad instans, & ad futurum. Nam & scire dicimur præsentia & futura, vt solis defectionem fore: meminisse nisi præterita non possumus. [y] Iam locus captiosus & fallax est, eò loci impellere alterum, [z] vbi magna argumentorum copia nobis suppetet. [a] Quod interdum necessa-

Accidentium & cõsequentiũ tractatio.

A propositio digre-

di, causala rium est, interdum necessarium videtur: interdum nec videtur, nec ne-
tioris ma cessarium est. Necessariò autem id faciendum est, tum cùm is qui contrà
teriæ σοφι disputat, negat aliquid eorum, quæ ad rem propositam pertinent, & al-
στικὴν. ter de illo disserit: accidit autem eiusmodi illud esse, ad quod probandũ amplissimus locus suppetat. Quod idem facere licebit, cùm inductione vtemur, ad aliquid quod est cum re proposita coniunctum, quod nos euertere conabimur. Eo enim sublato & infirmato res etiam de qua agitur, infirmabitur. Necessarium autem id videtur, cùm id ad propositum pertinere videbitur, ad id autem ad quod sumitur, non pertinebit argumentum, siue neget is qui respondet, siue facta inductione probabili ex proposito ad aliquid, quod infirmare conetur. [b] Reliquum autem tum incidit, cùm nec est, nec videtur necessarium eò transferre disputationẽ, quò ille traducit: accidit autem citra vllam rationem eum qui respondet redargui. Hoc autem extremum genus, quoniam omnino à differendi ratione alienum remotumq; est declinare debemus. [c] Quocirca debet is etiam qui respondet, non grauatè ei qui hoc modo disputat respondere, eaq; dare, quæ ad propositum non pertineant, ita tamen vt interim significet sibi quidẽ illa non probari, ea tamen se admittere: [d] propterea quòd ferè in maiore animi distractione versari solent ij qui interrogant, si ijs talibus omnibus positis, nil ad extremum se confecisse videant. [e] Iam ve-
Vnius rei multa cõsequentia rò quoniam omnes qui quiduis dixerint, quodammodo multa cõplexi sunt, (vnamquanq; enim rem multa necessariò consequuntur. vt is qui hominem esse dixit, & animal esse dixit, & animatum, & bipedem, & mentis ac disciplinæ compotem) fit vt infirmata, & reprehensa vna quauis re earum quæ sunt consequentes, id etiam quod initio dictum est, reprehendatur. [f] Sed videndum est, ne ad rem difficiliorem delabamur. Interdum enim facilius est id quod rem propositam cõsequitur, [g] interdum rem ipsam propositam euertere. [h] In ijs autem rebus quibus alterũ inest necessariò, aut non inest, veluti in homine vel morbus inest, vel valetudo, si de altero possumus disputare in vtramq; partem, de altero etiã poterimus. [i] Quod ad vtramq; partem trahi potest. Si enim alterum accidere doceamus, alterum non accidere docebimus: & si alterum non conuenire demonstremus, reliquum docebimus conuenire. perspicuum
Verborũ interpretatio adhibenda. est igitur ad probandum & refellendum valere hunc locum. [k] Atque etiam argumentum ducendum est à notatione verbi, quæ multò aptiùs videatur vim verbi explicare, quàm id ipsum ad quod significandum im-

positum

positum est: [l] veluti εὐτυχῆσαι non fortem, vt tritum est, sed eum qui bene animo sit affectus: & εὐελπιστῆσαι eum qui bona expectat. Item q; εὐδαίμονα eum esse, cuius animus sit bonus: [m] quemadmodum Xenocrates εὐδαίμονα ait esse eum cui animus bonus datus sit, eum enim animum δαίμονα esse omnibus. [n] Iam cùm res aliæ necessariò eueniant, aliæ plerunq;, aliæ fortè temerè: si quis eam quæ necessariò euenit, plerunq; fieri ponat, aut eam quæ plerunq; fit, [o] eiúsue contrariam quæ plerunque ita fit, necessariò fieri, is semper locum suppeditabit argumento. Nam si id quod necesse est fieri, plerunq; fieri ponat, profectò non in toto genere inesse dixerit, quod toti conuenit: ita aberrauit siue id quod plerunque accidit, necessariò fieri dixerit, quoniam de toto genere dixit, quod toti non accidit. Quod idem fit, si id dixit quod rei contrarium est quæ plerunq; euenit, euenire necessariò. Semper enim in paucioribus dicitur quod rei quę plerunq; fit, cõtrarium est. Veluti si ferè mali sint homines, boni rariùs, certè vehementiùs errauit, si quis bonos dixerit esse necessariò. [p] Eodemq; modo si id quod temerè fit, necessariò fieri, aut plerunq; dixerit. Neq; enim id quod temerè vtramq; in partem cadit, necessariò fieri potest, neq; id quod plerunq;. [q] Fieri autem potest, vt etiamsi non dixerit, neq; exposuerit, vtrúm ne plerunq; fieri, an ex necesitate velit quod propositum est, si fiat aũt plerunq;, tamen disputet alter, quasi ille ex necessitate fieri asseruerit. vt si malos exhæredes esse dixerit, neq; exposuerit, oportet disputare quasi ex necesitate id ille dixerit. [r] Illud etiam videndum est, an eandem rem sibi accidere quasi aliam posuerit, quod alterũ eidem sit nomen impositum. [s] Quemadmodum Prodicus diuisit voluptatem in gaudium, delectationem, & lætitiam. Eiusdem enim nominis voluptatis hæc sunt omnia. Si quis ergo gaudio lætitiam accidere dicat: is idem sibi accidisse confitebitur.

Rerũ triplex distinctio.

IN CAPVT TERTIVM,

ANNOTATIONES.

a Vt autem contraria.) *Ad probandum contraria rei conuenire, partim ex genere, partim ex specie argumenta duci monet. Quæ διάλληλος probatio est, quanquam non eodem modo ualet, ut deinceps sequitur.*

b Qui locus ex genere.) *Græcè est,* νῦν μὲν οὖν ἐκ τοῦ γένους περὶ δὲ εἴδους ἀποδόσεως.

c Iudicare enim genus.) *Iudicare, non simpliciter genus est, cùm ad locum accidentia pertineat. Verùm loco generis ponitur, cùm ad sentire & intelligere, ut superius ad im-*

feriora refertur. Ita accidentia superiora de inferioribus tanquam genera de formis enunciantur. Græcè sic loquitur: δὲ γὰρ κρίνειν γένος τοῦ αἰσθάνεσθαι. ὁ γὰρ αἰσθανόμενος κρίνει πῶς.

d Siquidem affectio genus.) *Affectionem,* τὴν διάθεσιν, *pro habitu seu* ἕξει *ponit. Nam in Categorijs cap. 5. Aristoteles scientias ac uirtutes, habitus esse dicit.*

e Ac prior quidem.) *Docet quid inter prædictos locos intersit. Genus ad infirmandam rem ualet: Species ad asserendam, non contrà. Quod cùm sit, minus aptum superioris loci de genere fuit exemplum, nisi uniuersè propositionem efferas. Tum enim etiam ex genere necessariò res confirmari potest. Expreßit hunc locum magna ex parte Fab. Quintilianus lib. 5. cap. 10. Genus, inquit, ad probandam speciem minimum ualet. Plurimum ad refellendam. Itaq; non quia est arbor, Platanus est: at quod non est arbor, utiq; Platanus non est. Nec quod non est uirtus, utiq; potest esse iustitia. Et infrà: Contrà species firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam quod iustitia est, utiq; uirtus est: quod non est iustitia, potest esse uirtus, ut si est fortitudo, continentia, constantia. Nunquam itaq; tolletur à specie genus, nisi omnes species, quæ generi sunt subiectæ remoueantur, &c. Vide in hunc locum & Porphyrium, cap. 6. in collatione generis & speciei. Operæpretium fuerit hoc loco notare, quo pacto antegressorum locorum uim ac rationē Græcè Aristoteles expresserit:* ὁ μὲν οὖν πρῶτος τρόπος, *inquit,* ψευδής ἐστιν εἰς δὲ κατασκευάσαι, ὁ δὲ δεύτερος, ἀληθής. πρὸς δὲ δὲ ἀνασκευάσειν ὁ μὲν πρότερος ἀληθὴς, ὁ δὲ δεύτερος, ψευδής. *Quæ non ineleganter & dilucidè Latinè hîc Interpres conuertit.*

A genere & specie quo modo argumentum ducatur.

f Quoniam autem.) *Cùm generale aliquod attributum de re subiecta enunciatur, uult species istius attributi diligenter perspici, ut hinc quo modo generale attributum subiecto conueniat, cognoscatur. Nam ut generale attributum speciebus omnibus sublatis, necessariò tollitur: ita si una specierum rei subiectæ conuenerit, & illud conueniet. Nota periodum hîc aliquanto longiùs suspendi.*

g Aut quæ à genere.) *Hoc propter accidentia dicit, quæ* παρωνύμως *(ut suprà assertum est) omnia dicuntur. Græcè est,* ἢ παρωνύμως ἀπὸ τοῦ γένους λέγεται.

h Et si quis arte.) *Vt scientia genus est Grammaticæ, Musicæ, & cæterarum: ita scientia instructum & præditum esse, tanquam genus ad inferiora, præditum esse Grammatica, Musica, affectum est, de quo paulo suprà diximus.*

i Si quid igitur.) *Hæc altera superioris circumscriptionis pars est, qua usum huius loci explanat.*

k Veluti animum.) *Id quod Plato statuit, de quo uide Macrob. lib. 2. in Somnium Scipionis cap. 14. & deinceps, & Aristotelem lib. 1. de Animo, cap. 4.*

l An alio genere motus.) *Quæ in uniuersum motionis genera sint, uide partim in Opuscu-*

in Opusculo Categoriarum cap.10. partim lib.5. de Natura, cap.1. & alibi.

m Cui autem copia.) *Vult à definitionibus propositæ rei præsidium peti, cùm argumentorum copia aduersus thesin destitueris. Idq; propterea, quòd facilis in definitionē argumentatio est, cùm non tota ea necessariò infirmetur, sed parte etiam quadam refutata concidat, de quo uide & lib.6. inferiùs, & quæ in lib.1. de Ratiocinatione, cap.21. annotauimus.* Finitionis facilis impugnatio.

n Quippe cùm facilior.) *Idq; ob causas iam nunc commemoratas. Græcè est,* πρὸς γὰρ τοὺς ὁρισμοὺς ῥάων ἡ ἐπιχείρησις.

o Videndum etiam est.) *Hic locus antecedentium & consequentium est, ex quo duo genera connexarum conclusionum existunt. Quorum alterum ab antecedentis positione dicitur, alterum ab euersione consequentis, quorum hoc ad refutandum, illud ad cōfirmandum ualere in præsens Aristoteles asserit. Huius loci mentionem fecimus lib.1. de Ratiocinatione, cap.12.* Duo genera connexarum cōclusionū.

p Cui rei res pro.) *Antecedens* τοῦ προκειμένου, *hoc est, rei propositæ intelligit.*

q Aut quid necessariò.) *Consequens propositi significat, id quod paulò infrà,* τὸ ἀκόλουθον τῷ προκειμένῳ *appellat.*

r Quoniam si rem.) *Hoc fit in primo conclusionis genere.*

s Non esse ostendemus.) *In secundo modo conclusionis.*

t Spectandum est etiam.) *Vult tempus notari, num cū pro re proposita etiā congruat. Nam si dissidet, necessaria rei confutatio est. Ita Clodius aduersariorum accusationi occurrit, quòd eo tempore, quo Bonæ deæ sacra uiolasse insimulabatur, Romæ nō fuerit.*

u Non tamen semper.) *Propterea quòd unicuiq; rei naturâ certa magnitudinis & quantitatis mensura præscripta est, ut lib.2. de Animo, cap.4. Aristoteles docet, his uerbis:* τῶν δὲ φύσει συνεστώτων πέρας ἐστὶ τὸ λόγος μεγέθους καὶ αὐξήσεως. Accretionis certus modus.

x Itemq; si quis.) *Distinguit scientiam à memoria ratione temporis, quia cùm scientia ad omne tempus sese extendat, memoria tantum ad præteritum pertinet, de quo uide Aristotelem libello de Memoria & recordatione, cap.1.*

y Iam locus captiosus.) *Quoties aridior ad disserendum materia proposita est, indicat aliò sermonem posse transferri, ubi maior copia argumentorum suppetat. Quanquā id ipsum* σοφιστικώτερον *esse ait. Videas hoc diligenter à Rhetoribus obseruari, tū cùm in dicendo causæ ueritate destituti, minus quod de re dicatur, habent.* Aliorsum digredi σοφιστικόν.

z Vbi magna argu.) *Id Græcè, partim* εἰς ὃ εὐπορήσομεν ἐπιχειρημάτων, *partim* πρὸς ὃ εὐπορεῖν ἐστὶν ἐπιχειρημάτων, *eodem sensu ait.*

a Quod interdum.) *In tria tempora superiorē locū diuidit, quod ad usum spectat.*

b Reliquum autem.) *Tertium genus, id quod à Dialectico prorsus alienū fatetur.* παντελῶς γὰρ (*inquit*) ἀπηρτημένος τὸ ἀλλότριος ἔοικεν εἶναι τῆς διαλεκτικῆς.

c Quocirca debet is.) Quia superioris loci usus σοφιστικώτερος est; minusq; cum Dialectici, & probi disputatoris officio, sicuti ipse monuit, congruit: subiungit hoc loco quasi ἀντιφάρμακον, docens si superiorem ad modum nobiscum aduersarius agat, quónam pacto illi nerem conficiat, nos occurrere debeamus. Ita in contrarias partes utrumq; differentium præceptionibus informat & instruit. Vult ergo prædicti generis res, quas à proposito abhorrentes extrinsecus aduersarius assumit & adhibet, concedi quidem & admitti, non quòd talia absolute probentur, sed disputationis solũ causa, utq; ex illis nihil uerè se conficere tandem aduersarius ipse deprehendat.

Vtrunque differentium Aristotel. instruit.

d Propterea quòd ferè.) Quò plura aduersario dederis, eo maiore, nisi rem confecerit, pudore & ignominia suffundetur.

e Iam verò quo.) Redit ad locum Consequentium, τῶν ἀκολούθων, quæ cùm ad id quod proponitur, (Græcè ᾧ ἀρχῇ, & ᾧ προκείμενον hîc dicitur) subuertendum, nõ paruam uim interim habeant, etiam atq; etiam diligenter notandâ sunt. Cùm uerò consequentium alia naturâ rei cohæreant, alia fortuitò rei attribuantur, hîc de ijs quæ naturâ cohærent, Aristotelem loqui sciendum est. De uaria consequentium distinctione uide lib. 1. Priorum, cap. 15.

Cõsequentia notanda.

f Sed videndum.) Pulchra monitio, ut commoditatis rationem habeas, ne inconsultare rerum natura, temerè εἰς ἀχαλεπώτερον transitio fiat.

g Interdum rem ipsam.) Quod si est, directò ad eam refellendum oratio dirigenda est.

h In ijs autem rebus.) De contrarijs τοῖς ἀμέσοις loquitur, per quorum alterum alterum uel confirmatur, uel infirmatur. De duplici genere τῶν ἐναντίων uide libellum Categoriarum, cap. 7.

i Quod ad vtranq; partem.) Græcè est, τοῦτο δὲ ἀντιστρέφει πρὸς ἄμφω. Quod hîc ἀντιστρέφειν dicit, id aliâs ἀκόλουθον, καὶ ἀρχήσιμον dicitur eodem sensu. Ita suprà ἔστι δὲ καὶ οὕτως ὁ τόπος πρὸς ἄμφω κοινὸς ait, & hoc loco paulò infrà, δῆλον δὲ ὅτι πρὸς ἄμφω χρήσιμος ὁ τόπος.

τὸ ἀντιστρέφειν.

k Atq; etiam argu.) Cùm nomen in quæstione obscurius ponitur, uult eius explicandi causa, nomen ad orationem transferri, ut hinc quem ad modum rei propositæ id cõueniat, intelligatur. Alexander hunc locum ἀπὸ ἐτυμολογίας appellat. Ciceroni uerò in Topicis ἐτυμολογία ueriloquium & notatio dicitur. Quò fit, ut Interpres quod Græcè Aristoteles ait, ἐπιχειρῶμεν μεταφέρουσα τὸ ὄνομα ἐπὶ τὸν λόγον, commutato nonnihil dicendi genere, argumentum à uerbi notatione ducendum esse, transferat.

ἐτυμολογία

l Veluti εὔψυχον.) Εὔψυχος uulgò ὁ ἀνδρεῖος, hoc est, uirilis, fortis, et magnanimus dicitur. Verùm si uerbi etymon spectes, longè plura nomẽ significat. Dicitur enim ἀπὸ τοῦ ψυχὴν ἔχειν, hoc est, bene animo affectus & cõpositus, quod nõ solum in fortẽ & ma-

εὔψυχος.

& magnanimum, sed & iustum, & temperantē, & prudentē conuenit. Sic Phauorinus, ἔυψυχος, ὁ ἐῦ τὴν ψυχὴν ἔχων, ἀγαθὴν δὲ τὴν ψυχὴν ἔχει ὁ δίκαιος καὶ ὁ σώφρων καὶ ὁ φρόνιμος, οὐδ' ἂν ὁ ἀνδρεῖος μόνος, & cæt. Sic ἔυελπις, ὁ ἐῦ ἐλπίζων, hoc est, *bene sperans, seu qui bona sperat, dum periculi metus adest.* ἐυδαίμων *pro felice & beato ponitur, uerùm si uocem attendas,* ὁ ἐῦ δαίμονα ἔχων *interpretatur, hoc est, animo seu mente bene affectus. Nam Zenocrates* τὸν δαίμονα, *animum seu mentem interpretatur, cui conuenit & illud Platonis, qui* τὸν δαίμονα, ἃ τὴν ψυχῆς ἡγεμονικὸν, *teste Phauorino, intellexit.* ἔυελπις. ἐυδαίμων.

m Quemadmodum Zenocra.) *Is patria Chalcedonius fuit, Speusippi in Academia successor, philosophus Platonicus, de quo Diogenes lib. 4.* Zenocrates.

n Iam cùm aliæ res.) *Cùm multiplex consequentium sit distinctio, (alia enim necessariò rem consequuntur, alia fortuitò, & hæc uel plerunq;, uel rarò) monet, ut accuratè num alia pro alijs in oratione temerè posita sint, notemus. Ea enim res argumento locum dabit. De ista rerum quæ eueniunt distinctione, uide 1. de Ratiocinatione, cap. 8. et lib. 2. de Natura, cap. 5.* Triplex cōsequentiū genus.

o Eiúsue contrariam.) *Eam quæ rarò euenit, significat.*

p Eodemq; modo.) *Inuertit de raro contingenti.*

q Fieri autem potest.) *Cùm quid eorū quæ plerunq;* ἐν ὡσεπιτοπολὺ *eueniant, sine certa affirmationis nota positum erit, aduersum id tanquam necessarium, argumentum instituendum monet. Quanquam & id Sophistæ magis congruit.*

r Illud etiam videndum.) *Ne synonyma tanquam diuersa, alia alijs temerè attribuamus, monet uerborum potestatem ac uim diligenter obseruandam esse. Alexander hūc locum* ἀπὸ τῶν πολυωνύμων *uocat.*

s Quemadmodū Prodicus.) *Hic Chius Philosophus & sophista fuit, Protagoræ auditor, æqualis Democrito & Gorgiæ, teste Suida. Is uoluptatem diuisit* εἰς χαρὰν, τέρψιν, ἐν εὐφροσύνην, *quæ tria eiusdem uoluptatis,* τὴν ἡδονῆς, *teste Aristotele sunt nomina.* Prodicus.

DE DVPLICI CONTRARIORVM GENERE LOCI AD EANDEM QVAESTIONEM DISSERENDAM.

Caput 4. CAP. 3.

QVoniam [a] autem sex modis inter se contraria iunguntur, & quatuor solùm modis iuncta repugnantiam efficiunt: sumenda sunt contraria vt commodum erit, & ei qui confirmandi, & ei qui refellendi partes tuebitur. [b] Ac sex modis ea componi inter se, hinc perspici potest, quòd aut vtrunq; contrarium vtriq; comparatur, idq; bifariam. vt de amicis bene mereri, & de hostibus malè mereri: aut cōtrà, de amicis malè mereri, Cōtrariorū συμπλοκὰ numero sex.

mereri,& de hostibus bene: aut vtrumq; vni,quod etiam duobus fit modis. vt de amicis benè mereri, & de amicis malè mereri: vel de inimicis bene mereri,& de inimicis malè mereri: aut vnum vtriq;,quod etiam fit dupliciter, vt de amicis bene mereri, & de inimicis bene mereri: vel de amicis malè mereri,& de inimicis malè mereri. [c] Ac duę quidem primę comparationes non sunt pugnantes,quoniam de amicis bene mereri,nō est illi contrarium,malè de hostibus mereri: [d] quippe cùm sint expetenda,& ad eosdem mores pertineant.nec illud de amicis malè mereri,huic repugnat,bene mereri de inimicis.Sunt enim hæc fugienda,& moribus eisdem continentur vtraque. Nec res quæ fugienda est ei quæ fugienda est,aduersatur,[e] nisi vnum sit nimium,alterum parum.[f] quoniam quod nimium est,id in rebus fugiendis dicitur,itemq; parum. Ac reliqua quatuor,contraria sunt inter se. Nam & de amicis bene mereri, illi contrarium est, de amicis malè mereri. quandoquidem à contrarijs moribus proficiscuntur,atq; illud sequendum est,hoc fugiendum. Eadem est ratio cæterorum. [g] In coniunctionibus enim singulis quiddam est expetendum,& quiddā repellendum: & illud ad bonos mores pertinet, hoc ad malos. Ex quo perspicuum est,[h] eidem plura data esse contraria.Huic enim,de amicis bene mereri, illud contrarium est,de inimicis bene mereri:& illud,de amicis malè mereri. Itemq; ei,qui illa omnia intuebitur, duo videbuntur contraria. [i] Sumenda igitur sunt ea contraria, quæ prodesse poterunt causæ nostræ. [k] Iam si quid sit accidenti contrarium, cōsiderandum est,an ei accidat cui accidens conuenire dixerit.Si enim hoc conuenit,illud non conueniet. [l] quoniam fieri non potest,vt simul eidē contraria conueniant. [m] Aut an tale aliquid dixerit, quod si sit, necesse sit contraria simul eidem inesse, [n] vt si ideas in nobis esse dixerit. Nam & moueri eas & stare concludetur,sub sensum cadere,ac ratione & intelligentia contineri. Nam & quiescere eas,& immobiles esse,& sub intelligentiam cadere placet ijs qui eas ponunt. Quę si in nobis sitæ sint,profectò [o] nō poterunt esse immobiles: quum præsertim si ipsi moueamur, necesse sit ea omnia,quæ in nobis sunt,vnà moueri. Atq; etiam sensu eas percipi,si modò in nobis sint, ex hoc intelligi potest, quòd sensu oculorum,formam vniuscuiusq; rei cognoscimus. [p] Rursus si positum est accidens id cui quid est contrarium, videndum est, idémne sit contrarij & accidentis subiectum. [q] Eadem enim res vim habet ad recipienda contraria. [r] Veluti si de odio dici iram dixerit,profectò odium in ea parte animi

Quarum duę primę non pugnant.

Præceptio nē aggreditur.

nimi in qua irarum exiſtit ardor, inſit neceſſe eſt: eſt enim ſedes iræ. Cõſiderandum igitur, ſit ne contrarium in ea parte animi, in qua irarum exiſtit ardor, qualis amicitia eſt. Nam ſi non inſit, in eaque parte animi, quæ cupiditatis ſedes eſt, inſit amicitia, certè non eſt conſequens iræ odium. [s] Eadem ratio eſt, ſi eam partem animi in qua voluptates inſunt, ignorare dixerit. Sedes enim erit ſcientiæ, ſi quidem etiam ignorationis ſit, [t] quæ pars non videtur ſedes eſſe ſcientiæ. [u] Atq; ex hoc loco quemadmodum docui, ei qui refellendi partes obtinebit, depromenda erunt argumenta. eum autem qui confirmare volet, nihil adiuuabit hic locus, quatenus accidens conuenit: quatenus verò poteſt conuenire, adiuuabit. Nam ſi non poſſe contrarium recipere doceamus, nec conuenire accidens, nec conuenire poſſe docebimus. At verò non ſi contrarium conuenire, aut vim habere ad recipiendum contrarium doceamus: idcirco etiam accidens conuenire demonſtrauerimus, ſed poſſe conuenire tantum modò confirmatum erit. [x] Quoniamq; quatuor ſunt contrariorum genera, ſpectanda erunt diſparata ex eo argumento, quo viciſsim retro ſe ſequuntur, & ei qui probabit, & ei qui refellet. Per inductionem verò argumentatio qualis ſit, intelligendum hoc modo: Si homo eſt animal, [y] quod non eſt animal, id non eſt homo. Itemque in cæteris. [z] hoc enim loco commutato ordine tractatur argumentatio. Cùm enim hominem ſequatur & comitetur animal, tamen non ſi quid non ſit homo, id continuò ſequitur non eſſe animal. ſed contrà, ſi quid non ſit animal, ſequitur non eſſe hominem. [a] In omnibus ergo id pronunciandum eſt, vt ſi quod honeſtum eſt, id iucundum ſit: etiam ſi quid non ſit iucundum, id non ſit honeſtum. Quòd ſi hoc non eſt conſequens, ne illud quidem erit. Itemque ſi quod iucundum non eſt, id non ſit honeſtum: certè quod honeſtum eſt, etiam iucundum ſit neceſſe eſt. Perſpicuum eſt igitur reciprocari in aientibus & negantibus argumentationem, ſi retrò tractetur. [b] In ijs autem contrarijs quæ aduerſa appellantur, hoc videndum eſt, & ei qui probabit, & ei qui reprehendet, an ex contrario contrarium ſit conſequens, ſiue directo, ſiue conuerſo ordine tractetur conſecutio. Harum autem cõſecutionum genus vtrumq; quale ſit, & quomodo aduerſis conueniat, inductione ſumendum. [c] Directè autem argumentatio tractabitur hoc modo: fortitudinem virtus, ignauiam vitium ſequitur, & fortitudinem ſequitur id quod expetendum eſt, ignauiam id quod fugiendum. In his ergo valebit directò à conſequentibus ductũ argumen-

In diſparatis ἀνὰ παλιν ἀκολούθησις. 1.

In aduerſis. 2.

tum, quoniam id quod expetendum est, ei quod fugiendum cõtrarium est. Quod idem fit in cæteris. [d] Contrà autem consequentia sunt, vt, firmam corporis affectionem sequitur bona valetudo: infirmam verò affectionem morbus non sequitur, sed contrà morbum infirma constitutio. [e] Ex quo perspicuum est, contrà in his argumentationem à consequentibus valere. Rarò autem illa è conuerso consecutio in aduersis incidit, ac ferè directò tractatur argumentatio. Quòd si nec directò contrarium ex contrario erit consequens, nec vicissim retrò commeabit: profectò in ijs de quibus agitur, nunquam alterum ex altero erit consequens: Sin in aduersis sequatur, etiam in propositis alterum alteri consequetur necessariò. [f] Quod item in priuantibus perinde atq; in aduersis considerandũ est, nisi quòd in his non vicissim retrò commeat argumentum ex consequentibus, sed directò necessariò. Quemadmodum aspectum sensus sequitur, sic cæcitatẽ [g] sensus priuatio. Opponuntur enim sensus & priuatio sensus vt priuantia, quoniam eorum illud habitus est, hoc eius rei priuatio. Atq; etiam de ijs quæ cum aliquo conferuntur, eodem modo quo de priuantibus iudicandum est. In ijs enim etiam valet à consequentibus tractatum directò argumentũ. [h] vt si triplum multiplex sit, etiam subtriplum submultiplex erit. Confertur enim triplum cum subtriplo, & multiplum cum submultiplici. Rursum, si scientia opinio est, etiã quod sub scientiam cadit, erit opinabile. Et si aspectus sensus sit, id etiam quod aspectabile est, sub sensum cadat necesse est. [i] Hìc autem occurritur, non duci necessariam in ijs quæ cum aliquo conferuntur argumentationem à consequentibus, quemadmodum dixi. Non enim si quod sensum mouet, scientia continetur, idcirco sensus est scientia. Nec verè certè quidẽ occurritur. Multi enim negant, ea quæ sensus mouentia sunt, cadere sub scientiam. Nec minus contra hoc quod dixi valet hic locus: nempe id quod sub sensum cadit, non posse scientia cõprehendi: quoniam ne sensus quidem sit scientia.

In priuantibus. 3.

In relatis. 4.

IN CAPVT QVARTVM, ANNOTATIONES.

[a] Quoniam autem.) *Contrariorum locum fusiùs exponit, sex eorum genera esse docens, quorum quatuor tantùm in differendo adhibentur, vt quæ iuncta inter se ueram repugnantiam efficiant. Hoc modo de cõtrarijs loquutus est, & suprà lib. 1. cap. 6. & lib. περὶ ἑρμηνείας cap. vlt. Hic locus Alexandro dicitur περὶ τῶν ἀναντίων συμπλοκῆς.*

[b] Ac sex modis.) *Sex genera esse demõstrat, idq; diuisione, & subiectione τῶν πρὸς ἀλλήλα,*

δειγμάτων, hoc est, exemplorum. Diuisio trimembris est. Aut enim cõtraria et subiecta & attributa inter se iunguntur: aut eidem subiecto duo attribuuntur contraria, aut idem attributum de duobus subiectis enunciatur cõtrarijs. Quorum unumquodq; genus in duo membra cùm dispertiatur, fit, ut sex τῶν ἐναντίων sumptionis modi existant. Sex modi sumptionis contrariorũ.

c Ac duæ quidem.) Duo prima genera ex contrariorum numero eximit. Nam etsi ea uerbis cõtrarijs cõstant, reuera tamen inter se non opponuntur, cùm ambo ijsdẽ & moribus contineantur, & in suo genere æqualiter uel expetenda sint, uel fugienda. Duæ cõparationes, græcè δύο συμπλοκαὶ dicuntur.

d Quippe cùm sint ex.) Caue id Christianè dici existimes.

e Nisi unum sit nimium.) Hoc ait, quia & malum malo, & fugiendum fugiendo opponi potest, si hoc καθ' ὑπερβολήν, illud κατ' ἔνδειαν spectetur, de quo uide in Categorijs, cap. 7.

f Quoniam id quod.) Sola mediocritas in bonis est, excessus utrinq; sunt uitiosi. Sic Phocylides. πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίαι δ' ἀλεεναί.

g In coniunctionib.) Coniunctionem, τὴν συζυγίαν uocat. Græcè enim est, καθ' ἑκάστην γὰρ συζυγίαν.

h Eidem plura data.) Maximè diuerso respectu. Nam eodem unum uni tantùm contrario nomine opponitur, ut in Categorijs cap. 7. dictum est.

i Sumenda sunt igitur.) Descriptis hactenus generibus τῶν ἐναντίων, nunc deinceps quo modo ijs utendum sit, docet.

k Iam si quid sit.) Prima monitio. Si attributi contrarium subiecto conuenerit, illud inesse non poterit, quia ambo simul in eandem rem contraria non cadunt.

l Quoniam fieri non potest.) De hoc uide cap. 7. lib. Categor. Græcè est, ἀδύνατον γὰρ τ' ἐναντία ἅμα τῷ αὐτῷ ὑπάρχειν.

m Aut an tale.) Altera monitio. Quòd si è subiecti attributo, repugnantia seu contradictio consequatur, illud certè remouendum est.

n Vt si ideas.) Platonicum exemplum, de Ideis multa passim in Metaphysicis simul ac Logicis Aristoteles disserit.

o Non poterunt esse immobiles.) Omnino scilicet, quia per accidens minimùm eas moueri continget, cùm ad motum subiecti, etiam omnia ea moueantur, quæ in subiecto insunt. Græcè, κινουμένων γὰρ ἡμῶν, inquit, ἀναγκαῖον καὶ τὰ ἐν ἡμῖν πάντα συγκινεῖσθαι. Ad motũ subiecti ac cidẽs mouetur.

p Rursus si positum.) Tertia monitio. Si attributi contrarium in ea re subiecta non uersetur, in qua attributum inesse dicitur, ne illud quidem uerè in re subiecta inerit, propterea quòd καὶ αὐτὸ τῶν ἐναντίων δεκτικόν.

q Eadem enim res.) Vide naturam contrariorum in Categorijs, cap. 7.

p Veluti si de odio.) Odium Græcè ἀμῖσος dicitur, cui contrario nomine τὸ φιλία, hoc est, amicitiam opponit. Cui cùm sedes est ἡ περὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, etiam περὶ μῖσος, hoc est, odio, in eodem erit. Quod si est, neq; ἡ περὶ θυμοειδὲς odium inerit, neq; de ira (ut positum erat) idipsum rectè dicetur. Hoc loco duas rationis expertis animi facultates nota, ἀθυμοειδὲς seu ἀθυμικὸν, καὶ ἐπιθυμητικὸν, de quibus uide Aristotelem lib. 3. de Animo, cap. 9.

Animi partes duæ.

q Eadem ratio est.) Alterum exemplum. Scientiæ subiectum ἀλογιστικὸν est. Ergo & ignorantiæ. Quam obrem ἡ περὶ ἐπιθυμητικὸν ignorantia inesse non potest.

r Quæ pars vtiq; non.) Pertinet enim scientia ad animi partem eam, quæ ἀλογιστικὸν nuncupatur.

s Atq; ex hoc loco.) Tertij loci usum declarat. Ad refellendum locus ualet, ad confirmandum uerò (nisi quòd inesse tantùm attributum posit) non item.

t Quoniamq; quatuor.) Hactenus de locis contrariorum τῶν συμπλεκομένων docuit: nunc singula τῶν ἀντιθέσεων genera, quæ in Categorijs cap. 7. diffusè explicauit, (quod ad eorum consequentias attinet) quo pacto ad prædictarum quæstionum disputationem acommodentur, deinceps declarat. Ac primùm quidem de cõtradicentibus agit, in quibus τὸ ἀνάπαλιν, hoc est, ex conuerso factam, ἀκολούθησιν ualere exemplis demonstrat. Quæ Interpres contrariorum genera hîc dicit, Græcè τὰς ἀντιθέσεις Aristoteles uocat. Ea sunt quæ in Categorijs τὰ ἀντικείμενα nuncupantur.

Tranfit ad genera τῶν ἀντιθέσεων.

ἀντιθέσεως.

u Quod non est ani.) Hîc ex consequentis euersione, progredimur ad infirmandũ antecedens. Valetq; ea maxima, firmam esse consequutionem, si ex contradictorio consequentis, eius quod antecedit, contrarium inferamus. Nota hoc loco usum reciprocationis τὸ κατ' ἀντίθεσιν, de qua lib. 1. de Ratiocinat. cap. 2. attigimus. Græcè hoc exemplum sic effertur: εἰ ὁ ἄνθρωπος ζῶον, ὁ μὴ ζῶον οὐκ ἄνθρωπος.

Cõuersio per cõtrapositionẽ

x Hoc enim loco commu.) Græcè est, ἐνταῦθα γὰρ ἀνάπαλιν ἡ ἀκολούθησις.

a In omnibus ergo id.) Vide an talis sit illa Christi Seruatoris apud Euangelistam consequutio, Ioan. 8. Qui ex Deo est, uerba Dei audit, Vos uerbum Dei non auditis: Ergo ne ex Deo quidem estis.

b In ijs autem contrar.) Sequitur de aduersis, in quibus duo consequentiarum genera proponit, alterum ἐπὶ ταυτὸ, alterum ἀνάπαλιν. In illo situs uerborum repugnantium in antecedente & consequente idem est: ut si iustitia est uirtus, iniustitia est uitium. In hoc situs uerborum est contrarius: ut si homo est animal, nõ animal est nõ homo.

Duplex cõsequentia in aduers.

c Directè autem argu.) Græcè ἐπὶ ταυτὸ, seu ἐπὶ ταυτὰ ἡ ἀκολούθησις dicitur, ut si fortitudo uirtus est, ignauia uitium est: Si fortitudo expetenda, ignauia fugienda. Sic Cicero 2. de Orat. Iam ex contrario, si Gracchus nefariè, præclarè Opimius.

d Contrà autem consequent.) Græcè ἀνάπαλιν ἡ ἀκολούθησις dicitur, ut si

firma

firma corporis sit affectio, bona ualetudo est: Si morbus est, continuò mala est affectio.

e Ex quo perspi.) *Rationem nominis indicat, docens* ἀναπαλιν *rarius in disputando incidere, quòd ferè altero Consequentiæ genere Authores utantur.*

f Quod item in priuan.) *Pergit de priuantibus & relatis dicere, in quibus* ἡ ἐπὶ ταὐτὰ ἀκολούθησις *tantum locum habet. Vulgò notant hoc consequentiæ genus, solùm in attributionibus per se ualere, idq; cùm annexi seu consequentis subiectum rem constantem declarat. Adde in aduersis nec unius repugnantiæ extrema sub eodẽ membro alterius repugnantiæ contineri debere, & (quod in relatis pari modo obseruandum est) in utraq; repugnantia eundẽ oppositionis modum oportere spectari. Neq; enim si secus fiat, consequentia ualet, ut his exẽplis perspici licet: Auaritia est uitiũ, ergo prodigalitas est uirtus. Timiditas in defectu uersatur, Ergo fortitudo in superlatione. Vt enim in priore exẽplo, Auaritia & prodigalitas utraq; in uitio est: ita in posteriore, Timiditas & fortitudo, ut extremum & medium opponuntur: defectio uerò & superlatio, ut ipsa extrema. Quod ad priuantia attinet, in his aiunt necesse esse, ut superioris habitus priuatio, per habitum inferioris priuationis restringatur. Quo modo sequitur: Videns sentit, ergo cæcus quod ad oculorum sensum attinet, non sentit.* Cõsequentia ἡ ἐπὶ ταὐτὰ quo modo omnino ualeat.

g Sensus priuatio.) *Græcè* ἀναισθησία *dicitur.*

h Vt si triplum mul.) *Græcè est,* οἷον εἰ δ τριπλάσιον πολλαπλάσιον, καὶ δ τριτημόριον πολλοστημόριον.

i Hìc autem occurritur.) *Obiectioni occurrit.*

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Caput 5.

RVrsum [a] à coniugatis & casibus ducendum est argumentum, siue confirmemus quid, siue refellamus. Coniugata autem sunt hæc, iusta & iustus, cum iustitia: & fortia, & fortis, cum fortitudine. Itemq; efficientia & conseruantia coniugata eorum sunt, quorum sunt & conseruantia & efficientia. vt efficientia ualetudinem, ualetudinis, & cõseruantia firmam corporis constitutionem, firmæ corporis constitutionis. Eodemq; modo de cæteris iudicandum est. [b] Atq; hæc quidem Coniugata appellari solent. Casus autem sunt, vt iustè, fortiter, salubriter, & aptè ad firmam corporis affectionem, quæq; eodem modo dicuntur. Sed etiam ea quæ ex casibus dicuntur, in coniugatis esse videntur, vt iustè cum iustitia, & fortiter cum fortitudine, coniugata sunt. [c] Coniugata autem dicuntur, [d] quæ sunt ex verbis generis eiusdem: vt iustitia, iustus, iusta, iustè. [e] Perspicuum est igitur, si quid probatum sit eorum quæ eiusdem sunt generis & coniugationis esse in bonis, & laudabilibus, cætera pro- Cõiugata à casibus quid differant.

bata esse omnia. [f] Veluti, si iustitia sit in rebus laude dignis, etiam iustus in ijs sit, & res iusta, & quod iustè fit, necesse est: cõcludeturq; quod iustè fit etiam laudabiliter fieri, ex eodẽ casu: quoniã à laudabili re ortum est: quemadmodum illud iustè à iustitia. [g] Nõ solùm autẽ in eo quod in quæstione est, spectanda sunt coniugata, sed etiam in cõtrario, vt quod bonũ sit, nõ necessariò esse iucundum. Neq; enim quod malum est, necessariò molestũ est: aut si hoc etiam illud Et si iustitia scientia sit, iniustitia ignoratio erit, & si quod iustè fit, id fiat scienter & peritè: id etiã quod iniustè, inscitè & imperitè fiat necesse est. Aut si hæc nõ placent, ne illa quidem: quemadmodum in eo quod modò cõmemoraui, perspici potest, multo enim potius videbitur quod iniustè fit, id peritè quàm imperitè fieri. Atque hic locus expositus est tũ, [h] cùm de contrarijs quæ aduersa dicuntur, disputaremus. Nihil enim nunc aliud volumus, [i] nisi contrarium ex contrario esse consequens. [k] Præterea ab ortu & interitu rerum, & ex causis efficientibus & corrumpentib⁹ magna copia suppetit ad disputandum, siue confirmare velimus, siue refellere. [l] Quarum enim rerum ortus & origo est in bonis, eæ etiam in bonis sunt, & si hæ in bonis sint, origines etiam earũ erunt. [m] Si verò origo sit in malis, [n] eæ etiam in malis numerabuntur. [o] A rerum interitu contrà ducitur argumentum è consequentibus. Si enim [p] interitus rerum sint in bonis, res ipsæ erunt in malis. [q] Et si interitus & euersio rerum sit in malis, res ipsæ ducentur in bonis. [r] Eadẽ est etiam ratio causarum efficientium & euertentium. Quorũ enim effectorum causæ sunt in bonis, effecta etiam in bonis erunt. Quarum autẽ rerum causæ euertentes sunt in bonis, eæ sunt numerandæ in malis.

Cõtraria cõtrariorum consequentia

Ortus & interitus dispar ratio.

CAP. 4.

[s] Proximus locus est à simili, in quo videndum est, an res similes eodẽ se modo habeant: vt si scientia vna sit multarum rerum, etiam opinio. Et si aspectũ habere sit videre, etiam auditum habere, sit audire. Quod idẽ contingit in cæteris omnibus, [t] & quæ sunt, & quæ videntur. Valet autẽ in vtranq; partem hic locus. [u] Si enim in aliqua re simili valeat, in cæteris etiam valeat, necesse est. Et si in aliqua re simili non valeat, nec in cæteris valebit. Considerandum etiam est, an in vno, & in pluribus eodem modo res habet: quoniam interdũ discrepat & dissimilis est affectio, vt si scire sit cogitare: multa scire, erit multa cogitare: quod non est verum. [x] Multa enim scientia comprehendi possunt: multa simul cogitari non item. [y] Quòd si non hoc, nec scire erit cogitare. [z] Sumuntur etiam ex maiore & minore argumenta. Suntque ex maiore & minore quatuor loci.

De similibus idẽ iudicium.

Vnus,

Vnus, si maior res ex maiore sit consequens, hoc modo: Si voluptas bonum sit, maior voluptas maius sit bonum. Sin iniuriam facere, malum est, maiorem iniuriam facere, maius malum erit. Atque in vtramq; partem hic locus trahi potest. Si enim rei subiectæ elationem, & summissionem accidentis sequatur elatio & summissio, [a] quemadmodum dixi, necesse erit in re proposita accidens inesse: sin minus sequatur, non inerit. Hic autem locus per inductionem intelligendus est. Alter locus est, cùm vna res duabus comparatur. [b] Si cui verisimilius est conuenire non conueniat, ne illi quidem cui minus: & si cui minus probabile est conuenire conueniat, ei etiam cui verisimilius. Tertius est, cùm duæ res cum vna conferuntur, [c] si quæ magis conuenire videtur non conueniat, nec quæ minus. [d] Et si quæ minus videtur conuenire, conueniat, ea etiam quæ magis conuenire videbitur, conueniet. Extremus locus est huiusmodi, cùm duæ res duabus comparantur. [e] Si quæ alteri magis videtur conuenire non conueniat, ne reliqua quidem reliquæ conueniet: [f] & si ea quæ minus conuenire alteri videtur, conueniat, reliqua etiam reliquę conueniet. [g] Sequitur locus, ex ijs quæ paria sunt, aut paria videntur, atque is triplex, quemadmodum exposui de tribus locis postremis, quos ex maiore elici dixi. Si enim vna aliqua res duabus eodem modo conueniat, aut conuenire videatur, neque alteri conueniat, ne alteri quidem conueniet. Quòd si vni, etiam alteri. Alter locus tractatur hoc modo: Si duæ res eidem pari ratione conueniant, & altera non conueniat, ne altera quidem conueniet. Quòd si altera, etiam reliqua. Tertius hoc modo: Si duæ res duabus eodem modo conueniant, vniq́ue altera non conueniat, reliqua etiam reliquæ non conueniet: quòd si vna alteri conueniet, reliqua etiam reliquæ conueniat necesse est. [h] Atque ex maiore & minore & paribus tot argumenta duci eliciq́ue possunt. Alius locus sequitur ex adiectione, hoc modo: Si vna res ad alteram adiecta eam faciat bonam aut albam, cùm priùs bona & alba non esset, quæ adiecta est, [i] bona erit & alba, quale etiam totũ reddidit. Præterea si ad aliquid quod ineſt quippiam addatur, quod illud magis tale efficiat, quàm antè erat, idem tale erit. Eadem est ratio cæterorum. [k] Quanquam hic locus non valet in omnibus, sed in ijs tantum modò quæ elationem aliquam suscipere possunt. Atq; idem non vicissim retrò commeat in refellendo. Nõ enim si id quod additur, non facit id cui adiectum est bonum, propterea id non bonum esse necesse est. Quod enim bonum est, si ad id quod malum

Locus à maiore & minore quadruplex. 1.

2.

3.

4.

A pari triplex. 1.

2.

3.

lum sit addatur, [l] totum non efficit bonum necessariò, nec rem nigram candor albam facit, nec dulcedo rem amaram dulcem necessariò, si addatur, efficit. [m] Iam verò si quid maius aut minùs dicitur, omnino etiam conuenit. [n] Nam quod bonum nõ est, nec album, id nec maius bonum, neq; minus dicitur, neq; albius, neq; minus album: quippe cùm id quod malum est, nulla re maius bonum sit, aut minus bonum, sed maius malum, aut minus dicitur. [o] Nec verò hic locus in refellendo vicissim retrò commeat. [p] Multa enim eorum quæ illud magis respuunt, omnino dicuntur. Homo enim, & si magis aut minus, quàm alius homo non dicitur, non tamen propterea homo esse desinit. [q] Eodemq; modo videndũ est, quid quadam ex parte, quid aliquando, & alicubi esse dicatur. Si quid enim quadam ex parte possit esse, aut aliquando, aut aliquo in loco, id certè omnino esse potest. [r] Quod enim omnino fieri non potest, id nec aliqua ex parte, nec interdum, nec alicubi fieri potest. [s] Quanquam huic loco occurritur, quòd quadam ex parte homines natura boni sunt, vt liberales, vt temperati: cùm interim boni non sint omnino natura: [t] siquidem nemo prudens natura dicitur. Itemq; fieri potest, vt aliquid eorum quę interire possunt, quodam tempore non intereat & occidat, cùm fieri non possit omnino quin occidat. Eodemq; modo alicubi hanc vel illam victus rationem seruare, [u] vt in locis pestilentibus & insalubribus prodest, omnino non prodest. Aliquo etiam in loco fieri potest, vt vnus modò sit, & tamen non vnus modò esse illic possit omnino. Itaq; alicubi etiam immolare patrem laudi ductum est, [x] vt apud Tribalos: omnino autem non datur laudi & gloriæ. Nisi hoc fortè non aliquo in loco fieri declarat, sed apud aliquos, quoniam nihil refert vbi sint: vbiq; enim apud Tribalos id gloriæ ducitur. Rursum medicamentorum vsus, interdum veluti cùm sis in morbo, adiuuat, nec adiuuat omnino. Nisi fortè nec hoc quidem aliquando fieri significat, sed certum quoddam affectionis genus. Neq; enim refert id quocunq; tempore fiat, dummodò ita sit affectus. [y] Id autẽ demùm omnino & absolutè esse dicitur, quod citra vllã adiectionem dicitur, honestum verbi gratia aut turpe: vt patrem immolare, non dicas honestum esse, sed apud nonnullos honestum esse. Non igitur omnino honestum est. At deos colere pulchrum dices, etiamsi nihil adiungas. est enim pulchrum omnino. Quare quod sine adiunctione videtur esse pulchrum, aut turpe, aut aliquid aliud eiusdem generis, tale esse id dicetur omnino.

An ἀδιάφορα κατ' ἀρέτην semper consequutio vaIeat.

Omnino quę esse dicantur.

IN

IN CAPVT QVARTVM,

ANNOTATIONES.

a Rursum à coniugatis.) Explicata ui ac natura contrariorum, τῶν ἀντιθέσεων, nunc ad reliquos locos transit, in quibus primùm de coniugatis, eorum demq; usu sermonẽ facit. Fabius Quintilianus lib. 5. ca. 10. Coniugatorum usum nullum esse: a bitratur, ideoq; ridiculum esse censet de Coniugatis in Locis quicquam præcipere. Verùm rectiùs Rodolphus Agricola lib. 1. de Inuentione, cap. 10. Nam etsi hic rariorem Coniugatorum usum in differendo esse statuit, propterea quòd æquè uel nota uel ignota esse cõiugata uideantur: aliquem tamen esse, neq; eum negligendum, sicubi res dederit, asseuerat. Idq; his uerbis: Sanè loci istius non tam creber est ad argumentandum, quàm aliorum plerorumq; usus. Quando enim à proximo distant coniugata, & non re modò, sed nomine plerunq; arctissimè iunguntur, ex æquo ferè uel nota sunt utraq;, uel ignota. Fitq; ut frustra altero coniugatorum conetis aduersus eum, qui alterum auersetur: aut quisquis alterum det, de altero nõ dubitet, & infrà. Vbi tamẽ res dederit, ut eo uti possimus, nõ negligendus erit. Quandoque enim acuminis, quandoque uirium multum, quandoque utrumq; habebit, &c. Ita Terentianus iste Chremes, Homo sum, inquit, humani nihil à me alienum puto. Sic Cicero 5. de Finibus: Paupertas si malum est, mendicus nõ malus esse nõ potest, quamuis sit sapiens. Sic lib. 8. epist. Celius ad Ciceronem: Vide ne dum pudenter te parum optimatem esse, parum diligenter quod optimum sit eligas. Sic & Propertius lib. 2.

Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare uelit.

Fabii excussa sententia.

Rodolph. de loci cõiugatorũ uiu.

Exempla loci cõiugatorum.

Sed hæc de usu sat multa, cùm præsertim passim huius loci, maximè in iocis & facetijs, exempla usuueniant. Coniugata Aristoteli τὰ σύσοιχα, hoc est, eiusdem ordinis & cognationis uerba dicuntur. Cicero in Topicis nõ τὰ σύσοιχα, sed σύζυγα appellare uidetur, quæ uox propiùs ad Coniugatorum denominationem pertinet. Dicitur enim ἀπὸ τοῦ ζυγόν, idem quod iugum. Vnde τὰ σύζυγα quasi τὰ ὁμόζυγα, hoc est, eodẽ iugo deiuncta & connexa dicuntur. Ciceroq; in Topicis coniugationẽ τῶν συζυγίαν appellat, dũ inquit: Hæc uerborum coniugatio συζυγία dicitur, ex qua huiusmodi est argumentum: Si compascuus ager est, ius est compascere. Vult Aristoteles huius loci argumenta in utranq; partem ualere, esseq; ea μοχθηρὰ καὶ παρασκευάζοντα, ut ipse loquitur.

Coniugata Aristoteli σύσοιχα dicuntur.

Ciceroni σύζυγα.

b Atq; hæc quidem.) Præsentem locum in duo genera dispertit, alterum propriè τῶν συσοίχων, hoc est, coniugatorũ, seu coniunctorũ. Nam & sic lib. 2. de Orat. ea Cicero nominat: alterum uerò τῶν πτώσεων, hoc est, casuum. Quid uerò ἐστὶ πτῶσις, hoc est, Casus à coniugatis distent, etsi non obscurè in exemplis id Aristoteles ostendit, tamen Boëtij enarratione lib. 2. Topicarum differentiarum, id clariùs perspici potest. Inquit ergo Boëtius hoc modo: Casus est alicuius nominis principalis inflexio in aduerbium, ut à

Coniugatorum locus duplex.

Casus.

Cõiugata iustitia inflectitur iustè. Coniugata uerò dicuntur, quæ ab eodem diuerso modo deducta fluxerunt, ut à iustitia iustum, iustus, &c. Atq; sic ferè & Rodolphus lib. 1. cap. 10. Verũ etsi ad hunc modum proprie & casus & coniugata inter se discernuntur, uideas tamen ubi & cõiugatorum nomine casus promiscuè intelligantur. Idq; ipso Aristotele authore, qui paulò pòst sic scribit: δοκεῖ δὲ ἡ μὲν τὰ κατὰ τὰς πρώσεις σύσοιχα εἶναι, διορᾶ μὲν δικαίως· τῇ δικαιοσύνῃ, δ' ἢ ἀνδρείως τῇ ἀνδρείᾳ.

Casus etiã cõiugata Aristoteli dicuntur.

c Coniugata autem dicuntur.) Subijcit coniugatorum definitionem à Cicerone ex Topicis mutuatam. Nam paulò aliter τὰ σύσοιχα Aristoteles hìc describit, cùm ait: σύσοιχα δὲ λέγεται, τὰ ἐκ τῶν αὐτῶν σοιχίαν ἅπαντα, &c.

τὰ σύσοιχα.

d Quæ sunt ex uerbis generis eiusd.) Eiusdem generis uerba Cicero in Topicis interpretatur, quæ orta ab uno uariè commutantur. Conuenit autem hæc coniugatorum descriptio cum explicatione τῶν παρωνύμων, de quo uide libellum Categor. cap. 1.

Verba eiusdem generis.

e Perspicuum est igitur.) Hactenus de descriptione τῶν συσοίχων, nunc quem usum in differendo habeant, ostendit.

f Veluti si iustitia sit.) Ad hunc modum ferè Cicero in Topicis: Si consilio iuuare ciues & auxilio, æqua in laude ponendum est: pari gloria debent esse ij qui consulunt, & ij qui defendunt. Itidem Plautus in Amphytrione: Iustam rem & facilem oratum uolo. Nam iustè ab iniustis, iustus sum orator datus. Nam iniusta à iustis impetrari non decet. Iusta autem ab iniustis petere insipientia est.

Alia cõiugatorum exempla.

g Non solùm autem.) Coniugatorum loco, attexit locum ἀπὸ τῶν ἐναντίων τῶν συσοίχων, ut Alexander uocat, hoc est, à contrarijs coniugatorum. Quanquàm uis argumenti non tam ex coniugatione, quàm ex consequentia aduersorum τῷ ἐπὶ ταὐτὰ (quæ admodum suprà appellauit) proficiscitur, ut ipsemet indicat.

Cõtraria cõiugatorum.

h Cum de contrarijs.) Hoc est, de contrariorum seu aduersorum consequentijs. Græcè enim dicitur, ἢ ταῖς τῶν ἐναντίων ἀκολουθήσεσιν. Vide suprà cap. 4.

i Nisi contrarium ex eo.) τῷ ἐναντίῳ δ' ἐναντίον ἀκολουθεῖν. Cicero 5. Tusculanarum. Contrariorum contraria consequentia esse ait, ut, Quid cùm fatentur satis magnam esse uim in uitijs ad miseram uitam, nónne fatendum est eandem uim in uirtute esse ad beatam uitam?

Cõtraria contrariorum consequentia

k Præterea ab ortu.) Sequitur causarum efficientium, & effectorum locus, non quidem omnino & absolutè hìc pertractatus, sed tamen magnum ad bene differendum subsidium adiumentumq; præstans. Quod ad absolutiorẽ causarum, & maximè conficientium tractationem attinet, de ea uide Aristotelem, partim lib. 2. de Natura, ca. 3. partim lib. 4. τῶν μετὰ τὰ φυσικά, cap. 2. Item post Aristotelem, tum Ciceronem in Topicis, tum Rodolphum Agricolam lib. 1. de Inuentione, cap. 14. & deinceps. Efficientes causas in duo genera hìc Aristoteles tribuit, pro eo, quòd aut uim ad rem efficiendam adhibent, quæ causæ

Causarũ locus ubi perfectius tractetur.

Efficientes causæ duplices.

τὰ ποιη

τὰ ποιητικὰ propriè ab eo appellantur: aut non tam uim ad efficiendum & producendum quippiam afferunt, quàm ad id quod effectum & productum est, interimendum & labefactandum, quod genus efficientis causæ ἀφθαρτικὸν nominatur. Ac pro huius quidem efficientium causarum distinctione, etiam eorum quæ fiunt, (τὰ ποιούμενα, seu τὰ ἀιτιατὰ, hoc est, effecta, & quasi causata, generali nomine cum Aristotele appellaris) distinctio pari modo sumitur. Quæ enim à generantibus propriè & conficientibus causis existunt, ea τὰς γενέσεις in præsens, hoc est, ortus & quasi generationes: quæ à corrumpentibus & interimentibus, ea τὰς φθορὰς, hoc est, interitus & tanquam corruptiones, appellat: Quanquam nec ἀι γενέσεις, nec ἀι φθοραὶ propriè aut generantium, aut corrumpentium causarum (si penitiùs istorum naturam introspicias) effecta sunt. Potiùs enim ad locum Actuum pertinere uidentur, cùm eorum uis ac ratio omnis quodammodo in motu & actione uersetur. Habent tamen & ipsa præcurrentes sui causas quasdam, τὰ ποιητικὰ ἢ τὰ φθαρτικὰ, quorum consideratione quoq; ad locum rerum effectarum non malè uidentur reuocari posse.

Sic & effecta hoc loco.

Ortus & interitus an propriè effecta.

l Quarum enim rerum.) Sic studium, quod uirtuti ac liberalibus disciplinis impenditur, bonum est, Ergo & uirtus & liberales disciplinæ bonæ. Sic cura, quæ conseruandæ aut instaurandæ ualetudini adhibetur, est laudabilis, Ergo & ipsa ualetudo laudabilis, &c. Id quod retro uicißim commeat. Quia enim & ualetudo, & uirtus, & liberales disciplinæ in bonis sunt, non possunt non & studia, quæ tũ ualetudini, tum uirtuti & laudabilibus disciplinis insumuntur, in bonis haberi.

Studium rerum bonarum.

m Si verò origo sit in ma.) Vt studium, quod asserendæ impietati ab hæreticis adhibetur: quod seditionibus concitandis à pernitiosis ciuibus adiungitur, &c.

Studium malarum.

n Eæ etiam in malis.) Vt impietas, seditiones, & id genus res similes.

o A rerum interitu.) Dispar ratio interitus & ortus, uti contrariorum.

p Interitus rerum sint.) Vt suspendium, quo fures tolluntur, supplicium quod nocentibus irrogatur, & similia.

q Et si sit interitus.) Vt concußio & labefactatio libertatis, pacis publicæ, religionis, studiorum honestorum, & consimilium rerum.

r Eadem est etiam.) Vult parem efficientium causarum cum prædictis rationẽ esse, quod ad rerum effectarum dißimilitudinem attinet.

s Proximus locus est.) Sequitur locus à similitudine, seu comparatione (ut Rodolphus eum uocat) & maximè à pari. Nam quod ad imparium collationem attinet, siue à maiore illa dicatur, siue à minore, de illa paulo pòst separatum locum subijciet. Aristoteles hunc locum Græcè ἀπὸ τῶν ὁμοίων uocat.

Locus à pari.

t Et quæ sunt, & quæ viden.) Quæ uidentur similia, & non sunt, in ijs figura dictionis nobis imponit. Sic dicitur, Vrere, secare, haurire, actionem significant, Ergo &

tangere, gustare, sentire, quod falsum est. Vnde Alexander: Διὸ καὶ ἐπιπόλαιόν καὶ σοφιστικὸν, inquit, ἡ πρὸς τὰ τοιαῦτα χρῆσις τοῦ τόπου. De hoc uide Aristotelem lib. de Reprehensionibus Sophist. cap. 4.

u Si enim in aliqua.) Nota de similibus & paribus rebus idem esse iudicium. Graecè est, εἰ μὲν γὰρ ἐπίτιμον καὶ τῷ ὁμοίῳ οὕτως ἔχει, καὶ ἐπὶ τῷ ἄλλῳ τῷ ὁμοίῳ· εἰ δὲ ἐπίτιμον μή, οὐδὲ ἐπὶ τῷ ἄλλῳ. Huc pertinent illa Ciceronis ex Topicis, Quod in re pari ualet, ualeat in hac quae par est. Valeat æquitas, quæ paribus in causis paria iura desiderat.

De similibus idem iudicium.

x Multa simul cogitari.) Quid ita? Nempe quia cogitatio, ἐνέργεια quædam est καὶ διέξοδος καὶ φυχῆς, ut Alexander ait. Scientia uerò habitus nomen est, quo habitu nihil impedit plura simul comprehendi.

y Quòd si non hoc.) In secundo connexæ ratiocinationis genere hoc exemplum tractat.

z Sumuntur etiam ex.) Sequitur locus inæqualis cõparationis, quem ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ τοῦ ἧττον, hoc est, à maiore & minore uocat, quem in quatuor quidem genera seu modos ipse distribuit. Exequitur hunc locum aliquanto fusiùs lib. 5. cap. 10. Quintilianus. Item Rodolphus lib. 1. Inuent. Dialecticæ, cap. 24.

Locus ex maiore & minore quadripartitus.

a Quemadmodum dixi.) In exemplis iam propositis.

b Si cui verisimil.) Hoc loco nota argumentandi ratione in prædictis locis. A maiore argumentum in partem negantẽ ducitur, ut si Imperator nõ potest, nec miles poterit. Si uiribus potentior nequit, nec imbecillior quiuerit. Id est, quod in præsens Græcè ipse ait: εἰ ᾧ μᾶλλον ἐικὸς ὑπάρχειν μὴ ὑπάρχει, οὐδ' ᾧ ἧττον. A minore uerò contrà in partem aientem, sic quia miles, & uiribus inferior ista possunt, poterit utiq; & imperator, & is qui uiribus antecellit, eadem. Id Græcè ab Aristotele hoc modo dicitur: εἰ ᾧ ἧττον ἐικὸς ὑπάρχειν ὑπάρχει, καὶ ᾧ μᾶλλον. Alludit ad hos canones Cicero in Topicis, cùm inquit: Ex comparatione autem omnia ualent, quæ sunt eiusmodi, quod in re maiore ualet, ualeat in minore. Item contrà, quod in minore ualet, ualeat in maiore.

A maiore vt argumentum ducatur.

A minore

c Si quæ magis con.) Græcè est, εἰ δὲ μᾶλλον ὑπάρχειν δοκεῖ μὴ ὑπάρχει, οὐδὲ δ' ἧττον..

d Et si quæ minus.) Græcè est, εἰ δ' ἧττον δοκεῖ ὑπάρχειν ὑπάρχει, καὶ δὲ μᾶλλον. Hoc à minore affirmans est: superius à maiore negans fuit.

e Si quæ alteri magis.) Hoc rursum à maiore. Græcè dicitur, εἰ δ' ἑτέρῳ μᾶλλον ὑπάρχειν δοκεῖ μὴ ὑπάρχει, οὐ δὲ δ' λοιπὸν τῷ λοιπῷ.

f Et si ea quæ minus.) Hoc superiori contrarium est, à minore aiens. Græcè est, εἰ δ' ἧττον δοκεῖ τῷ ἑτέρῳ ὑπάρχειν ὑπάρχει, καὶ δ' λοιπὸν τῷ λοιπῷ.

g Sequitur locus, ex ijs.) Imparium collationis modis explicatis, redit nunc ad collationem

tationem parium, aliquanto fusiùs & distinctiùs eundem locum explicans. Alexandro hic locus dicitur ἀπὸ τοῦ ὁμοίως, quem ἐν τοῖς σύγχρισιν ἔχουσιν καὶ οὖσι συμβλητοῖς uersari ait.

h Atq; ex maiore.) *Transit à Comparatione ad locum ἐκ τῆς προσθέσεως, quem bipartitum facit. Vide an ad locum causarum hic referri poßit.*

i Bona erit & alba.) *Iuxta id nimirum, quod lib. 1. de Demonstrat. cap. 2. dicitur: ἀεὶ γὰρ ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει.*

k Quanquam hic locus.) *Ostendit angustiùs huius loci usum patere, cùm neq; ad refellendum ualeat, nec in omnibus ijs, quæ ad confirmandum adhibentur, usurpari poßit. Vsurpatur enim in ijs solum, in quibus ἡ τοῦ μᾶλλον ὑπεροχὴ, ut ipse ait, contingit.*

l Totum non efficit.) *Maximè si malum ualentius sit, quod boni permistione non patiatur se aboleri & induci. Quo pacto & de atrore, & de amaritudine sentiri debet.*

m Iam verò si quid.) *Quia comparatiuus gradus positiuum apud Gãmaticos supponit, docet ab illo ad hunc firmiter duci argumentum. Id quod de propria, non abusiua τῇ συγκρίσει, hoc est, Cõparatione intelligendum est. Neq; enim quia Q. Curtio mare Caspium dulcius esse cæteris asseritur, idcirco omnino dulce & amaroris expers id mare fuerit.* Comparatio abusiua.

n Nam quod bonum non est.) *A consequentis τῷ ἀντικειμένῳ probat.*

o Nec verò hic locus.) *Monet hunc locum tantum esse κατασκευαστικὸν, perinde ut superiorem.*

p Multa enim eorum.) *Hæc quæ sint, ex Categorijs patet, nempe substantiæ, quãtitates, & cæt.*

q Eodemq; modo viden.) *Vltimus locus ab eo quod cum denotatione καὶ περιστάσει contrahente dicitur, ad id quod dicitur simpliciter. Hunc locum & in Captionibus Sophistarum Aristoteles exponit. Verùm istic diminuens & peruertens: hîc contrahens tantum & astringens πρίστασις adhibetur, quam κατάτι, τὸ ποτὲ τὸ πῶς Aristot. uocat.* Περιστάσεων dupelx genus.

r Quod enim omnino.) *A consequentis itidem ἀντικειμένῳ probat.*

s Quanquam huic loco.) *Πρόληψις obiectionis. Hoc loco obserua, quod modò de peruertente & diminuente adiectione monuimus.*

t Siquidem nemo prudens.) *Quippe cùm prudentia, & rerum usu, & temporis longinquitate paretur & augeatur. Græcè est, ἁπλῶς δὲ οὐκ εἰσὶ φύσει σπουδαῖοι.*

u Vt in locis pestilent.) *Græcè est, οἷον ἐν τοῖς νοσώδεσι τόποις.*

x Vt apud Tribalos.) *Tribali, Scythiæ & Thraciæ populi sunt, barbari & immanes, ex eorum genere qui humanis carnibus uescuntur, quos Anthropophagos Græci uocant, de quibus uide apud Plinium, lib. 7. ca. 2. Meminit eorundem & Strabo, lib. 7. Geographicῶν. Verùm apud Plinium & Strabo. non Tribali, sed Triballi dicuntur.* Tribali ἀνθρωποφάγοι.

y Id autem demum.) *Docet quid omnino* Ὁ ἁπλῶς *esse hactenus intellexerit. Dicitur enim id uerbi multis modis, de quo in Porphyrio diximus, cap. 3. de differentia.* Δεῖ δ' ἁπλῶς, *inquit,* ὅ,τιμ ὃ μηδενὸς προσδεόμενον ἕξῃς, ὅτι καλόμ ὅ,τιμ ἢ ἀγαθόν.

τὸ ἁπλῶς.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ TOPICORVM LIBER III. IOACHIMO PERIONIO BENEDICTINO CORMOERIACENO INTERprete, ad Græci exemplaris fidem diligenter recognitus, vnà cum Annotationibus Gerardi Matthisij Geldriensis, nunc denuò recognitis & locupletatis.

QVAE QVIBVS MAGIS MINVSVE IN ACCIDENTIVM COMPARATIONE EXPETENDA.

Caput I.

CAP. I.

De quo rerum cõparationis genere hoc libro dissertus.

RELIQVVS [a] est comparationis locus, in quo videndum est, duobus propositis, [b] vtrum sit optabilius aut melius. [c] Ac primùm exponendũ illud est nobis, hoc loco nõ esse propositum de ijs disserere, quę valde dissimilia sint, quorumque magnæ sint differentiæ & distinctiones, (neq; enim est quisquam cui in dubium veniat, sitne beatitudo quàm diuitiæ magis expetenda) sed de ijs quę cognata sunt & vicina, & ijs quibus propositis dubitamus, vtri priores partes tribuamus, propterea quòd [d] quid alterum alteri præstet, minimè videamus. Ex quo perspicuum erit, exposita harum rerum præstantia vna aut pluribus, animum assensurum & approbaturum id esse magis expetendum quod excellet. [e] Ac diuturniora quidem anteponenda sunt breuioribus: [f] & quæ prudentes anteponant, aut viri boni, aut leges rectæ, aut quę anteponant ij qui in aliqua re excellunt, hoc ipso quòd tales sunt, aut quæ ij qui vnoquoq; genere scientes sunt, aut quæ plures, aut etiam omnes: vt in medicina & fabrica, quæ plures medici anteponant, aut omnes: [g] aut quæ omnino plures, vel omnes, vel omnia, quale est ipsum bonum. [h] Expetunt enim bonum omnia. [i] Ex ijs autẽ argumentum ducetur, prout commodum videbitur ad eam rem de qua agitur. Suntque omnino anteponenda ea, [k] quæ à meliore arte proficiscuntur: vt quoniã philo-

Pluriũ, & saniorum iudicium anteponẽdum.

philosophia melior est ars, quàm architectura, omnino ea quæ à philosophia efficiantur, ijs quæ ab architectura, anteponantur. [l] Quæ autem à cuiusq; arte efficiuntur, ea quisq; alienis anteponit. Deinde anteponenda sunt ea quæ vi sua in genere sunt, ijs quæ non sunt: vt iustitia viro iusto, [m] iustitia enim in genere est bonorum, vir iustus non est: & illa vi sua bonum est, hic non item. Nihil enim est idipsum quod genus, quod nõ sit in genere: vt homo albus non coloris nomen obtinet. Quod idem in cæteris contingit. [n] Anteponuntur etiam quæ propter se expetuntur, ijs quæ propter aliud, vt valetudo exercitationi: quoniam [o] illa propter se expetenda, hæc propter aliud. [p] Et quæ propter se expetuntur, ijs quę forte, temerè & casu: vt amicorum iustitia, hostium iustitiæ: quòd illa per se expetenda est, hæc casu, & fortuitò, vt ne nobis noceant. [q] Hic autem locus eandem ferè vim habet, quam superior, ab eoque nisi modo non differt. Nam amicos per se iustos esse optamus, etiam si nihil inde ad nos redeat, & apud Indos habitent: at hostes sic propter aliud iustos esse optamus, vt nihil nobis obsint. [r] Et ex quibus per se bona propagantur, ijs ex quibus casu & temerè, vt virtus fortunæ. illa enim per se efficiens est causa bonorum, hæc fortuitò. Et si quid aliud tale est. [s] Eodem modo de contrarijs iudicandum est. Ea enim quæ per se causæ sunt malorũ, postponuntur ijs quæ casu & fortuitò, ut vitium fugiendum est potiùs, quàm fortuna. illud enim per se malum est, hæc casu. [t] Et quæ omnino bona sunt, ijs anteponuntur quæ alicui bona sunt, vt valere quàm secari magis optandum est: quoniam illud omnino bonum est, hoc alicui qui sectione egeat. [u] Et innata ac insita bona assumptis & aduẽtitijs, vt iustitia viro iusto: quoniam illa insita est & innata, illud aduentitium. [x] Et quæ in re meliore insunt, & quæ iustiorem habent venerationem, ijs quæ in deteriore. vt bona dei, hominum bonis: & animi, corporis bonis sunt anteponenda: & quæ propria sunt melioris rei, ijs quę deterioris: vt dei quàm hominis. Cùm enim bonis, quæ illis inter se sunt communia, non differant inter se, proprijs alter alteri præstat. [y] Et quæ in melioribus, aut antiquioribus, aut in ijs quæ in maiore sunt pretio & honore, ea sunt antepo*nenda ijs quæ in deterioribus*: vt valetudo viribus corporis, & pulchritudini corporis. [z] Valetudinis enim sedes est, in humore, siccitate, calore, & frigore, *ijsque* omnibus, ex quibus primùm animal constat, cohæret: hæc verò in posterioribus quibusdam. [a] Nam & vis corporis in neruis atque ossibus sita est, & pulchritudo corporis est apta quædam cõpositio membro-

Τὸ δ' ἑαυτὸ, ἢ καθ' αὑτὸ, magis expetendũ.

E subiecto dignitas accidentium spectatur.

Finium & destinatorum collatio.

membrorum. [b] Fines ijs quæ ad finem pertinent atque conducunt. Ex duobus, quod ad finem propiùs accedit. [c] Quæ ad vitæ finem pertinent, ijs quæ ad alium aliquem: vt quæ ad beatam vitam pertinent, ijs quæ ad prudentiam. quod enim ad beatitudinem pertinet, anteponendum est. [d] Quæ fieri possunt, ijs quę nõ possunt. [e] E duobus efficientibus cuius finis melior, id etiam præstantius. Ex efficientibus & finibus proportione concludendum est, hoc modo: [f] Cùm pluribus partibus finis fini præstat, quàm finis ille suæ causæ efficienti: vt si beatitudo valetudinem pluribus partibus superet, quàm valetudo salubria, efficitur, vt efficientia beatæ vitæ vincant valetudinẽ. Quanto enim beatitudo valetudinẽ præstat, tanto salubria præstant efficientia beatitudinis. Atqui minore interuallo salubria valetudo anteibat: pluribus igitur partibus salubribus pręstant beatitudinis efficientia, quàm valetudo salubribus. Ex quo perspicuum est, efficientia beatæ vitæ sanitati, quia ei præstent, esse anteponenda. [g] Iã quæ per se, in maiore sunt honore & pretio, & laudabiliora sunt, anteponenda sunt, vt amicitia diuitijs, iustitia valetudini, & viribus corporis. Illa enim numerantur propter se in ijs bonis quę sunt honorabilia & laudabilia: hæc non propter se, sed propter aliud. [h] Nemo enim opes propter se amat, sed propter aliud. [i] Amicitiam autẽ propter se colimus, etiam si nihil inde fructus speremus nos esse percepturos.

Amicitia diuitijs præstat.

IN CAPVT PRIMVM,

ANNOTATIONES.

Comparatio accidẽtium propria.

a Reliquus est cõ.) *Quandoquidem bipartitò Accidens dicitur, & simpliciter & cõparatè, ut lib. 1. ca. 3. dictum est: posteaquam hactenus simplicis & absoluti Accidentis locos exposuit, nunc ad eiusdẽ cõparati locos explicandos aggreditur. Est autẽ cõparatio accidentium propria, propterea quòd illa sola* τῶν ἔξωθεν εἶναι καὶ τοῦ πράγματος ὡς συμβέβηκεν οὐσίας, *inter cætera attributa, cum adiectione magis & minus subiectæ rei conueniunt, ut Alexander ostendit.*

Comparationis locus moralis ab Aristotele explicatus.

b Vtrum sit optabilius.) *Cùm infiniti comparatorum modi sint & formæ, etiam in diuersis disciplinis ac scientijs, Aristoteles unum tantum comparationis genus, id quod inter cætera maximè excellit, plurimamq; argumentorũ copiam ad disputandum Accidentis quæstionem præstat, è morali Philosophia traductum, hîc disputat. Illud est de rebus expetendis & fugiendis, utrum nimirum è duabus rebus propositis sit optabilius & melius. Quia uerò huius loci disputatio quàm longißimè produci posset, cùm in omnes partes uel infinitè rerum expetendarum comparatio patere uideatur: ne modum in hac tractatione transiliat, non de omnibus, sed ijs demum, quorum maior in explicando difficultas*

tus sit, hanc quæstionem se disputaturum esse deinceps declarat. Quòd si aliarum autem cõparationum, quæ ex cæteris disciplinis afferuntur, exempla quispiam desideret, ex naturæ obscuritate sunt ista, utrum luna sit maior terra, utrum sensus sit potior quàm intelligentia. Ex Logica, sit ne ratiocinatio ad coarguendum aduersarium potentior inductione, sit ne inductio sensuum iudicio familiarior, quàm ratiocinatio, utrum affirmatio prior sit, digniorq; negatione. Et sic de cæteris. Aliarum cõparationum exẽpla.

c Ac primùm exponendum.) Ostendit, de quo comparandarum rerum genere sit tractaturus. Nam cum res partim longinquæ atq; dissimiles, partim finitimæ similesq; inter se conferantur & comparentur, quia dissimilium & longè seiunctarum inter se præstantiæ & excellentiæ collatio non æquè difficiles explicatus habet, ostendit de altero genere, in quo propter similitudinem & cognationem ὑπόδοχὴ paulò ad cognoscendum est obscurior, se deinceps sermonem habiturum esse. Quod uerò ad insequentem hanc tractationem attinet, non pauca sunt ex ijs, quæ hìc traduntur, quæ consimili modo & in Rhetoricis, tum 1. tum 2. libro, de rerum comparatione Aristoteles explicauit. Et siue Rhetoricos Aristotelis locos, siue eos qui deinceps hìc sequuntur, introspexeris, uidebis magna ex parte totam hanc præceptionem à Cicerone in Topica translatam esse, ijsdemq; tum uerbis, tum sententijs pene expressam, ut non sit difficile, quàm studiosè Aristotelem Cicero imitatus sit, hinc cognoscere. Quanquam Cicero, quæ minus distinctè partiteq; hic Aristoteles complexus est, in certa quædam genera conatus est redigere. Verum quò & Ciceronis imitatio clarius ob oculos perspiciatur, & nostra deinceps facilius expositio decurrat, totum Ciceronis locum, qui de tractatione Comparatorum est, huc adhibendum putauimus. Comparantur igitur ea, inquit Cicero, quæ aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur: in quibus spectantur hæc, numerus, species, uis, quædam etiam ad res aliquas affectio. Numero sic cõparabuntur, ut plura bona paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala malis pluribus, diuturniora bona breuioribus, longè et latè peruagata angustis, ex quibus plura bona propagentur, quæq; plures imitentur, & faciant. Specie autem comparantur, ut anteponantur quæ propter se expetenda sunt, ijs quæ propter aliud: & ut innata atq; insita assumptis & aduentitijs, integra contaminatis, iucunda minùs iucundis, honesta ipsis etiam utilibus, procliuia laborioſis, necessaria non necessarijs, sua alienis, rara uulgaribus, desiderabilia ijs quibus facilè carere possis, perfecta inchoatis, tota partibus, ratione utentia rationis expertibus, uoluntaria necessarijs, animata inanimatis, naturalia non naturalibus, artificiosa non artificiosis. Vis autẽ in comparatione sic cernitur, efficiens causa grauior q̃ nõ efficiens, quæ se ipsis contenta sunt meliora, q̃ quæ egent alijs, quæ in nostra quàm quæ in aliorũ potestate sunt, stabilia incertis, quæ eripi nõ possunt ijs quæ possunt. Affectio autem ad res aliquas est huiusmodi, principum cõmoda maiora, quàm reliquorũ: itemq; quæ iucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoq; laudata. Atq; ut hæc Res partim similes, partim dissimiles. Cicero Aristotelis cõparatorũ locos imitatur. Cicero in 4. genera cõparatorum locos diuidit.

in hac comparatione meliora, sic deteriora quæ ijs sunt contraria. Hæc Cicero.

d Quid alterum alteri præstet.) *In coniunctis & finitimis rebus. Nam quæ parum distant, in ijs (ut ex Elenchis Aristot. superiùs diximus) facilè error contingit.*

e Ac diuturniora quidem.) *Cicero hæc ad numerum refert. Aristoteles Græcè ait:* δὲ πολυχρονιώτερον ἢ βεβαιότερον, αἱρετώτερον τῶν ἧττον τοιούτου. *Et simili modo 1. Rhetoricorum, (quem locum uerbotenus Cicero expreßisse uidetur) cap. 7.* καὶ τὰ πολυχρονιώτερα τῶν ὀλιγοχρονιωτέρων. *Estq; huius loci exemplum, si animi bona, & corporis & furtunæ bonis præstare dicamus, propterea quòd cùm ista & fluxa & mutabilia sunt, hæc sint constantia & stabilia, utpote nullis extrarijs casibus, & fortunæ ludibrijs, (ut in Paradoxis de uirtute docet Cicero) exposita.*

Diuturniora, τὰ πολυχρονιώτερα meliora.

f Et quæ prudentes antepon.) *In hunc locum similia quædam uide suprà, lib. 2. cap. 2. & lib. 1. cap. 6. Sic prudentium ac bonorum uirorum sententia, diuitijs uirtutem præstare dicimus, etsi uulgus contrà sentiat, iuxta illud Horatij lib. 1. Epistolarum:*

Virtus opibus præstat.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm est,
Virtus post numos.

g Aut quæ omnino plures.) *Cicero, Quæq; plures imitentur & faciant. Item, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoq; laudata, inquit ad hunc locũ accõmodatè.*

h Expetunt enim bonum.) Πάντα γὰρ τῶν ἀγαθοῦ ἐφίεται. *De hoc uide initium lib. 1. Nicomachiorum Ethicorum.*

i Ex ijs autem argumen.) *Pulchra monitio, ut pro rerum quæ disputantur qualitate, ex his illis ue locis argumenta quæ opportuna sint, depromas. Neq; enim quæuis ad quælibet uel confirmanda, uel infirmanda æquè ualent. Græcè est,* δεῖ δὲ ἄγειν, πρὸς ὅτι ἂν ἢ χρήσιμον ῥηθησόμενον.

k Quæ à meliore arte.) *Quod de arte ait, idem & de artifice sentiendum. Sic Apellis, Polycleti, Lysippi, Myronis, Homeri, Virgilij, Demosthenis, Ciceronis, & consimilium, picturæ, statuæ, uersus, orationes, inferiorum artificum & scriptorum inuentis & lucubrationibus præponuntur.*

l Quæ à cuiusque arte.) *Vide, quanta sit hominum* φιλαυτία, *qui alienis sua semper ut meliora præferunt. Ita Cicero 14. Epistolarum ad Atticum: Accipe, inquit, à me mi Attice* καθωλικὸν θεώρημα *earum rerum, in quibus exercitati sumus satis. Nemo unquam, neq; poëta, neq; orator fuit, qui quenquã meliorem se arbitraretur. Hoc etiam malis contingit. Quid in Bruto putas ingenioso & erudito? Author est Aristoteles 4. Ethicorũ libro, suo quemq; artificem opere impense delectari, non secùs quàm rebus quibusdam à se prognatis. Vide prouerbium: Suum cuiq; pulchrum. Cicero sua alienis præferri ait.*

Sua quiq; maximè admirantur.

m Iustitia enim in genere est bo.) *Quippe cùm ipsa uirtus sit: homo, nisi uirtutis consideratione, in bonis non reputatur.*

n Ante-

n Anteponuntur etiam.) Hæc ad speciem Cicero refert. Nam specie, inquit, comparantur, & anteponuntur, quæ propter se expetenda sunt, ijs quæ propter aliud. Græcè est, καὶ δ' δι' ἑαυτὸ αἱρετὸν τοῦ δι' ἕτερον αἱρετοῦ αἱρετώτερον. Τὸ δι' ἑαυτὸ αἱρετόν.

o Illa propter se expeten.) Non simpliciter, sed alterius collatione. Verè propter se uirtutes expetuntur, quarum gratia omnia reliqua bona, & corporis, & fortunæ, à nobis desiderantur.

p Et quæ propter se.) Hic locus superiori cognatus est. Græcè est, καὶ δ' καθ' αὑτὸ τοῦ κατὰ συμβεβηκός. Amicorum iustitiam propter se expeti ait, hostium, per accidens: quia non ob aliud amicos iustos efflagitamus, nisi ut ipsimet boni sint, etsi ad nos ex illorum bonitate nihil emolumenti perueniat. Hostes iustos optamus, nõ ipsorum gratia, sed ut ne ab illis quippiam iniuriæ nobis afferatur, sicut ipse declarat. Amicorũ & hostiũ iustitia cur expetatur.

q Hic autem locus.) Confert hunc locum cum antegrediente, solùm τῷ τρόπῳ ab eo distare uolens.

r Et ex quibus per se.) Hîc causarum efficientium distributionem nota, quòd aliæ per se, seu bonum seu malum efficiunt, aliæ per accidens. Per se, & uirtus boni efficiens est, & uitium mali: per accidens fortuna utrumq; & bonum et malum parit. Bonum quidem, si quis bene ea utatur: malum uerò, si quis utatur malè. Est enim utriusq; tanquã instrumẽtum & administra quædã. Quanquam ex se malum potiùs gignit, quàm bonum, iuxta id, quod in Paræneſi Isocrates ait. πλοῦτος δὲ κακίας μᾶλλον ἢ καλοκαγαθίας ὑπερέτης ἐστὶν, ἐξουσίαν μὲν τῇ ῥαθυμίᾳ πρασκευάζων, ἐπὶ δὲ τὰς ἡδονὰς τοὺς νέους παρακαλῶν. Locus hic Græcè effertur, τὸ δ' αἴτιον ἀγαθοῦ καθ' αὑτὸ, τοῦ κατὰ συμβεβηκὸς αἰτίου. Et, δ' καθ' αὑτὸ κακοῦ αἴτιον, φευκτότερον τοῦ κατὰ συμβεβηκός. Causę per se & per accidens. πλοῦτος κακίας ὑπερέτης.

s Eodem modo de con.) Hîc nota contrariorum eandem disciplinam esse. Quod hîc de contrarijs admonet, id in omnibus alijs locis similiter intelligi debet. Sic in Topicis Cicero: Atq; ut hæc in comparatione meliora, sic deteriora, quæ ijs sunt contraria. Cõtrariorum par ratio.

t Et quæ omnino bona sunt.) Græcè est, καὶ δ' ἁπλῶς ἀγαθὸν τοῦ τινὶ αἱρετώτερον.

u Et innata ac insita.) Græcè est, καὶ δ' φύσει τοῦ μὴ φύσει. Cui respondet locus is, qui est 2. Rhetoricorum, καὶ δ' αὐτοφυὲς τοῦ ἐπικτήτου. Cicero utrumq; expressit in Topicis, priorem illum his uerbis. Naturalia non naturalibus: Posteriorem illis, quæ hîc Interpres à Cicerone mutuatus est, & ut innata atq; insita assumptis & aduentitijs. Ad hunc modum naturalis forma & decor, factitiæ & compositæ pulchritudini antecellit, naturalis memoria artificiali memoriæ præstat. Τὸ φύσει, καὶ δ' αὐτοφυὲς

x Et quæ in re meliore.) Hoc modo accidentia ex subiecto uel digniora, uel indigniora censentur. Ita animi bona, corporis bonis, hominum dotes, bestiarum dotibus, quæ Deo inest uirtus, & iustitia, hominũ iustitiæ & uirtuti antecellit. Hoc modo & lib. 8. de Accidentium com

paratio à subiecto sumpta.

Motu, Aristoteles cap. 6. loci mutationem cæteris motibus præstare docet, eo quòd perfectioribus diuinioribusq; corporibus, quàm cæteri motus, illa cõueniat. Locus græcè sic effertur. Ⓒ δὲ περὶ βελτίονι καὶ τιμιωτέρῳ ὑπάρχον ἀκριβέστερον.

y Et quæ in melioribus.) Locus superiori affinis. Græcè est, καὶ ἐν βελτίοσιν ἢ πρότερον, ἢ τιμιωτέροις, βέλτιον.

z Valetudinis enim sedes.) De hoc uide lib. 7. de Motu, cap. 3. & lib. 1. de Demonstratione, cap. 7. Cicero lib. 4. Tusculanar. Corporis temperatio (inquit) cùm ea cõgruunt inter se, ex quibus constamus, sanitas dicitur.

Sanitas.

a Nam & vis corpo.) Vis corporis, Græcè ἡ ἰσχύς: pulchritudo, δὲ κάλλος dicitur. Hæc ita inter se discernuntur, quòd corporis uis in similium partium apta compositione: pulchritudo uerò in compositione partium dissimilium propriè cernitur. Similes partes sunt, ossa & nerui, in quibus τὸ ἰσχυρὸν sitam esse Aristoteles hîc ait: Dissimiles sunt omnia corporis membra, quorum apta inter se proportio καὶ συμμετρία, δὲ κάλλος hic definitur, etsi aliquanto perfectiùs absolutiusq; Cicero lib. 4. Tusculana. ubi sic ait: Et ut corporis est quædam apta figura membrorum cũ coloris quadam suauitate, eaq; pulchritudo dicitur.

Roboris à pulchritudine distinctio.

Pulchritudo.

b Fines ijs qui ad fi.) Hoc loco partim fines cum destinatis, partim ipsa inter se destinata conferuntur. Vt fines destinatis præferuntur, ita & quæ propiùs finem attingunt destinata, reliquis præstant. Locus duplex est, quem sic Græcè effert: καὶ δὲ τέλος πρὸς δὲ τέλος ἀκριβέστερον δοκεῖ εἶναι, Ⓒ δυοῖν δὲ ἐγγύτερον τοῦ τέλους: Sic & 1. Rhetoricorum: καὶ δυοῖν δὲ ἐγγύτερον τοῦ τέλους, Ⓒ τὰ ἐν τέλει τοῦ βίου. τέλη γὰρ μᾶλλον ἢ τὰ πρὸς τοῦτο τέλη.

Finis destinatis præstat.

c Quæ ad vitæ finem.) Vitæ finem, τὸν εὐδαιμονίαν intelligit, quia ad hanc omnes uitæ actiones, cunctaq; studia ipsius referuntur. Ita quod hîc δὲ πρὸς δὲ τοῦ βίου τέλος, ἀκριβέστερον μᾶλλον ait, paulò pòst eodem sensu, δὲ γὰρ πρὸς εὐδαιμονίαν σωτήριον, ἀκριβεστέρως dicitur.

Vitæ finis εὐδαιμονία.

d Quæ fieri possunt.) Hîc locus ijsdem uerbis & in Rhetoric. lib. 1. exponitur, καὶ δὲ δυνατόν, τοῦ ἀδυνάτου.

e E duobus efficientibus.) Hîc duorum efficientium collatio ratione finis instituitur. Sequenti loco unius rei efficientia cum fine alterius rei comparantur. Quam comparationem ἐκ τοῦ ἀνάλογον iste spectari præcipit. Locus Græcè sic habet. ἔτι δύο ποιητικῶν ὄντων οὗ τὸ τέλος βέλτιον, καὶ αὐτὸ βέλτιον. ποιητικὸν δὲ καὶ τέλος ἐκ τοῦ ἀνάλογον.

Comparatio ἐκ τοῦ ἀνάλογον spectãda.

f Cùm pluribus partibus.) Quæstio est, utrum efficientia beatæ uitæ, ualetudini præstent. Hæc finis est rerum earum quæ ad ualetudinem conferuntur: illa beatitudinis efficientia sunt, quorum ipsorum inter se præstantia ἐκ τοῦ ἀνάλογον hîc inuestigatur.

Beatitatis efficientia sanitati præstant.

g Iam

g Iam quæ per se.) *Græcè est, ἔτι δ' κάλλιον καθ' αὑδ, καὶ τιμιώτερον τε ἐπαινετώτερον.*

h Nemo enim opes.) *Maximè prudens & rectè institutus. Nam secus fortè et stultis & auaris euenit. Id autē, propter quod opes à sapientibus omnibus expetuntur, ipse usus est, de quo sic Horatius.* Opes vsus gratia expetuntur.

Quò mihi diuitiæ, si non conceditur uti?

i Amicitiam autem per se.) *Aristoteles lib. 8. Ethicorum, ca. 3. tria amicitiarum genera constituit, pro triplici discrimine rerum earum quas quæq; genera persequuntur. Aut enim δ' ἀγαθὸν amicitiæ propositum est, aut δ' ἡδὺ, aut δ' χρήσιμον. Quorum primum genus id est, de quo in præsens Aristoteles loquitur, Cætera enim non nisi aut uoluptatis, aut fructus percipiendi gratia coluntur. Quanquam nec ista genera uerè proprièq; φιλίας, hoc est, amicitiæ nomine digna Aristoteles existimat. In hunc locum uide nonnulla apud Ciceronem, lib. 2. de Inuent. sub finem.* Amicitiarum genera tria.

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Caput 2.

CAP. 2.

IAm [a] si duo quædam sint valde inter se similia, nec quid alterum alteri præstet & excellat, perspicere possimus: id ex consequentibus intelligi licet, hoc modo. [b] Ex quo enim maiora bona sequuntur, id anteponendum alteri est: quòd si mala consequantur, [c] ex quo minora mala oriuntur, id est eligendum. Nam si vtrumq; eligendum, nihil prohibet aliquid molestiæ consequi. [d] Ex consequentibus autem duo argumenta sumuntur, quoniam & aliquid antecedit rei, & præcurrit, & aliquid rem sequitur: veluti discenti antecedit ignoratio, & eum consequitur scientia. Ferè autem melius est quod rem sequitur. [e] Argumentum verò à cōsequentibus sumendum est, vt commodum fuerit. [f] Plura bona paucioribus anteponenda sunt, aut omnino, aut cùm alia quæ pauciora sunt, in alijs quæ plura, continentur. [g] huic autem loco occurritur, si vnum alterius gratia petatur. Neq; enim vni vtrumque anteponitur. veluti curari & valetudo non pluris sunt, quàm valetudo, quandoquidem curari optamus valetudinis gratia. [h] Nihil etiam prohibet ea, quę non sint in bonis, bonis anteponi. vt valetudinem coniunctam cum aliqua re quæ non numeratur in bonis, iustitiæ ac fortitudini. [i] Et eadem coniuncta cum voluptate, magis expetenda sunt, quàm sine voluptate, & eadem ipsa cum indolentia copulata, quàm cum dolore. [k] In quo etiam quicq; tempore maiorem vim habet, id in eo magis optandum est, [l] vt in senectute sine vlla molestia & cura viuere, quàm in adolescentia. Plus enim potest in

E consequentib. antecedētia spectari.

senectute. Eademq; ratione in senectute magis expetenda prudentia est.

Adolescẽtum cum senibus collatio.

[m] Itaq; nemo adolescentes imperatores deligit, [n] quòd prudentes eos nõ esse existimet. contraq; fit in fortitudine, [o] cuius in iuuentute necessariũ munus & officium est. Eadem est etiam temperantiæ ratio. [p] Adolescentes enim magis quàm senes cupiditatibus seruiunt. [q] Quę per omne tempus ætatis plus possunt, ijs quæ maxima parte, vtiliora sunt: vt iustitia & temperantia fortitudine: quia illis semper, hac interdum vtimur. [r] Quæque seipsis contenta sunt, meliora, quàm quæ egent alijs. quod in iustitia & fortitudine cernere licet. Nam si iusti omnes essent, [s] nihil loci esset fortitudini: at si omnes fortes essent, iustitiam requirerent. [t] Comparatio etiam ex interitu, abiectione, origine, acceptione, contrarijsque sumi potest, hoc modo: Quorum bonorum interitus magis declinandi sunt, ea meliora. Quod idem in abiectionibus & contrarijs contingit. Cuius enim prætermissio & expulsio, aut contrarium magis fugiendum est, id etiam optabilius. Contrà fit in ortu & acceptione. Quarum enim rerum origines & assumptiones optabiliores sunt, eæ alijs anteponuntur. Alius locus: [u] Quod ad bonum propiùs accedit, id & optabilius & melius est: quodq; ad bonum similitudine propiùs accedit, id melius est. vt iustitia iusto. Quæ meliori similiora sunt, ea meliora: quemadmodum Aiacem Vlyssi anteponunt, [x] quòd Achilli similior esset. [y] Occurritur huic loco, quòd nihil prohibeat Aiacem, non qua parte Achilles optimus fuerit, ei similiorem fuisse, & tamen alterum virum bonum fuisse, etsi dissimilem. In quo videndum est, an etiam in ijs quæ magis ridicula sunt, cernatur similitudo, [z] quemadmodum simia similitudine ad hominem propè accedit, cùm equus non sit similis. Neq; enim præstantior est simia, etsi similior homini quàm equus. Rursum è duobus si vnum meliori, alterum deteriori similius sit, melius erit quod similius est præstantiori. [a] Atque etiam huic loco occurritur. Nihil enim prohibet, vnũ meliori [b] paulùm similem esse, alterum valde deteriori. vt si Aiax paulum admodum similis sit Achilli, [c] & Vlysses valde Nestori. Et si id quod meliori similius sit, mala eius imitetur: quod autem ad deterius similitudine propius accedat, bonam in partem simile sit: [d] vt equus asino, & simia homini.

Laboriosa procliuibus meliora.

[e] Quæ magis insignia sunt, minus insignibus anteponuntur. [f] Et laboriosa, procliuibus. [g] chariora enim nobis sunt ea, quæ difficulter parantur. [h] Et propria communibus. [i] Quæq; molestiæ minus habent, quæ enim nullam molestiam afferunt, ijs quæ afferunt, anteponuntur. [k] Quæ

alijs

alijs præstantiora sunt omnino, etiam quæ in eo genere præstantissima sunt, ijs quæ in altero genere sunt præstantissima anteponuntur: veluti si nobilior equo homo sit, nobilissimus homo etiam sit generosissimo equo præstantior.[l] Et si res præstantissimæ & clarissimæ nobilissimis alterius generis præstant, etiam omnino illis rebus excellunt. Vt si clarissimus homo generosissimo equo præstet, etiam homo equo præstat omnino.[m] Quæque cum amicis communicare licet, ijs quæ non licet. Quæ in amicos præstare cupimus, ijs quæ in quemuis.[n] Vt officia seruare & bene mereri magis optamus, quàm videri bene mereri, & officia seruare. Quoniam beneficia malumus in amicos conferre, quàm videri: in quemuis contrà.

IN CAPVT SECVNDVM, ANNOTATIONES.

a Iam si duo quædam.) Pergit institutæ comparationis locos explicare. Quòd si de duobus ualde propinquis & inter se similibus quæstio oriatur, utrúmnã præstet, uult ex eorum effectis & consequentibus, (quæ τὰ παρεπόμενα Græcè uocat) rem dijudicari. Si enim aut plura bona, aut pauciora mala alicuius consequentia sunt, id alteri in isto genere utiq; præponi & anteferri debet. Respexit ad hunc locum Cicero, cùm ait anteponenda esse illa, ex quibus plura bona propagentur.

E consequentib. antecedẽtia iudicantur.

b Ex quo maiora bona.) Græcè est, ὧ γὰρ ἕπεται μεῖζον ἀγαθόν, τοῦτ' αἱρετώτερον, ἢ μᾶλλον ἃ τὰ ἑπόμενα κακά, ὧν δ' ἔλαττον ἀκολουθεῖ κακόν, τοῦτ' αἱρετώτερον. Ad hunc modum Sacerdotum cœlibatus & coniugium inter se conferri possunt, ut utrum istorum Dei Ecclesiæ potiùs expetendum sit, animaduertatur. Hoc modo Cicero 1. Officiorum, urbanas res cum bellicis confert, cùm & Solonis consilium, quo primum Areopagitas Athenis constituit, Themistocles: & Lycurgi leges disciplinamq; tum Lysandri, tum Pausaniæ, bellicis rebus gestis præstare asserit, propterea quòd cùm hæ semel Reipub. fortè profuerint, illa semper esse profutura uideantur.

Res vrbanæ bellicis potiores.

c Ex quo minora mala.) Minora mala grauioribus anteponenda esse, tametsi cõmunis sensus dijudicat, idipsum tamen his uerbis non illepidè & lib. 5. Ethicorũ, Aristoteles attestatur, ἐπὶ τῶν ἁπλῶς κακῶν δ' ἔλαττον αἱρετέον δή. In quam sententiam & Cicero in Epistola ad Octauium sic scribit: In duobus autem malis cùm fugiendum maius malum sit, leuius est eligendum.

Minus malum grauiori præferendum

d Ex consequentibus autem.) Vult quoties plura eiusdem rei consequentia sunt bona, id quod cæteris posterius est, potiori loco ferè habendum esse, cùm inquit, βέλτιον δ' ὕστερον ἑπόμενον. Sic cùm literarum imperitiam & ruditatem, & studia sequantur, & rerum uariarum cognitio, nemo dubitat hanc cognitionem, ut posteriùs

Cõsequentium posteriora præstare

steriùs consequens bonum, studijs longè antecellere. Quod ex consequentibus duo argumenta sumi Interpres conuertit, Græcè sic dicitur: διχῶς δὲ ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι ἐπισκέψις.

e Augumentum autem su.) *De hoc & simili modo antè monuit.*

f Plura bona paucio.) *Sic & diuitem esse & incolumē, melius est, quàm alterum solum. Sic literata nobilitas potior est, quàm aut sola literarum cognitio, aut nobilitas literarum expers. Sed quid, sapientem'ne esse, aut uirtute esse præditum, melius est, quàm diuitijs, nobilitate, gloria, pulchritudine, & cæteris id genus bonis omnibus affluere? Soláne beatitudo, omnibus tum corporis, tum fortunæ bonis & commoditatibus longè præstat? Quo pacto ergo plura paucioribus hîc dicuntur præstare? An & parem in eodem genere bonorum hîc collationem fieri? & à paucioribus plura bona non contineri oportere intelligemus? quem ad modum beatitudinis complexu omnia bona subsunt, non solū fortunæ illa extraria, sed & corporis & animi simul cōiuncta. Hunc locum Græcè Aristoteles sic effert, ut dicat* τὰ πλείω ἀγαθὰ τῶν ἐλαττόνων. *Cicero in Topicis huic contrarium opponit, qui eodem modo cum superiore intelligetur, & pauciora mala pluribus anteponenda esse. Pertinentq; hi loci duo teste Cicerone ad numerum, de quo suprà patuit.*

Plura bona vt paucioribus præstent.

Locus superiori oppositus

g Huic autem loco.) Πρόληψις *obiectionis.*

h Nihil etiam prohibet.) *Id fit propter excellentiam alterius boni, cui alterum nō bonum accedit. Quo pacto ipsa beatitudo, etiamsi nulla res extrinsecus adiungatur, suaui longè & iustitiæ & fortitudini antecedit.*

i Et eadem cum volupt.) *Epicurus uoluptatem, summum bonum esse statuit, & Hieronymus Rhodius, indolentiam, seu non dolere, quam hîc* ἀλυπίαν *Aristoteles uocat. Et utriq; summum malum fuit dolor, ut nō uno loco Cicero testatur, & 2. de Finibus, & 2. Tuscula. Quæstionum. Quæ sententiæ tametsi falsæ sunt, non dubium tamen illud est, quin ex acceßione tū uoluptatis, tum indolentiæ res cōmendentur, præferanturq; illa, quæ tum uoluptate, tum indolentia quasi condiuntur, ipsorum contrarijs.*

Voluptas. Indolētia. Dolor.

k In quo etiam quicq;) *A temporis* περιστάσει *uel augetur, uel minuitur bonorum æstimatio. Sic quæ opportunè fiunt, maiora: quæ importunè & intēpestiuè, minora bona reputantur. Nō dubium quidē est, quin omni ætati optabile sit,* τὸ ἀλύπως *uiuere. Verùm id tamen in senectute, quàm adolescentia, eo gratius est, quòd ipsa senectus per se tristis & grauis, plus isto beneficio indigere uideatur. Similiter & omni ætati optāda est prudentia, fortitudo, & tēperantia. Verùm cùm senectutē magis prudentia & temperantia: iuuentutem autem magis fortitudo deceat: si hæc iuuenibus, illæ senibus conuenire uideantur, nemo dubitet, quin rectißimè ista bona à Deo seu Natura dispensata sint. Græcè locus sic habet.* καὶ ἕκαστον ἐν ὧν καιρῷ μεῖζον δύναται, ἐν τούτῳ καὶ αἱρετώτερον.

Temporis opportunitas ad bonorum commendationem facit.

l Vt si in senectute.) *Quatuor exemplis locum explicat.*

m Itaque nemo adolescentes.) *Quia in belli imperatore maximè prudentia & consilio.*

consiliorum copia requiritur, eo quòd ducis in consilio (uti ait Mimographus) posita est uirtus militum: illa autem re utraq; caret adolescentia, ut cui propria est temeritas, & cõsilij imbecillitas: fit, ut hac de causa minus apti ad bella gerenda uideantur adolescentes esse duces. Itaq; nemo ad hoc muneris eos adsciscit. Videas tamen ubi & adolescentes feliciter bella gesserint, & mandata sibi imperia cum summa dignitate administrarint, cuius rei exemplo esse potest iunior iste Scipio Aphricanus, qui tertium illud bellum Punicum apud Romanos etiamnum adolescens summma uirtute confecit. Verùm rariora hæc sunt exempla. Aristoteles, οὐδεὶς γάρ, inquit, τοὺς νέους ἀρχὰς ἡγεμόνας, διὰ τὸ μὴ ἀξιοῦν φρονίμους εἶναι.

Cur adolescentes belliis gerendis nõ præficiantur.

n Quòd prudentes.) Prudentia senũ propria est, temeritas & inscitia ineuntis ætatis. Sic in Catone maiore Cice. Temeritas est uidelicet florẽtis ætatis, prudentia senectutis. Idẽ 1. Officio. Ineuntis enim ætatis inscitia, senũ cõstituenda & regenda prudentia est.

Prudentia senum propria.

o Cuius in uirtute.) Virtus hic ἀνδρεία græcè dicitur, id est, fortitudo. ἐν τῇ νεότητι, inquit Aristoteles, χαλεπὴ ἀναγκαία ἡ τοῦ ἀνδρείαν ἐν ἔργοις. In hunc locum uide Adagium: Facta iuuenum, consilia mediocrium. Euripides in Menalippo ait.

Παλαιὸς αἰνὸς, ἔργα τῶν νεωτέρων,
Βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος.

Virtus iuuenum.

Sic & Ouidius alibi.

Hæc dare consilium, pugnare paratior illa est,
Hæc ætas bellum suadet, at illa gerit.

P Adolescentes enim.) Quia cupiditatibus ac libidinibus ferè infestantur & circumaguntur adolescentes, hinc est, quòd eos minus aptos morali Philosophiæ perdiscendæ lib. 1. Ethicorum, cap. 3. Aristoteles statuit, non quòd minus istius disciplinæ instituta hæc ætas percipiat, sed quòd cùm affectibus plurimum pareat, ματαίως ἀκούσεται οὐ ἀνωφελῶς, ἐπειδὴ τὸ τέλος ἕξις οὐ γνῶσις, ἀλλὰ πρᾶξις, uti Aristoteles ait. Cùm uerò ita hæc ætas affecta est, ut cupiditatum sæuissimarum dominarum imperio subsit, etiam atq; etiam diligenter enitendum est, ne his talibus cupiditatibus sese dedat. Quæ illarum consequentia sint, pulchrè ex Archyta Tarentino in Catone Maiore Cicero exprimit. Turpe est talibus dominis seruire. Verùm cùm omni ætati turpis sit libido & luxuria, tũ sanè senectuti longè est fœdissima, ut 1. Officiorum lib. Cicero attestatur. Græca Aristotelis uerba si quis hìc requirat, sic habent: μᾶλλον γὰρ οἱ νέοι τῶν πρεσβυτέρων ὑπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν φυλάττονται.

Adolescentes moralis philosophiæ auditores inepti cur.

Libido omni ætati turpis.

q Quæ per omne tempus.) Horum præstantia ab usu diuturniore & constantiore æstimatur. Sic cùm in omni uita & iustitiæ & tẽperantiæ assiduus sit usus: fortitudinis tantũ sit in propulsandis periculis: fit, ut iustitia simul ac tẽperantia fortitudini præferantur. Locus Græcè sic habet. ὁ ἐν τῷ παντὶ καιρῷ, ἢ ἐν τοῖς πλείοσι χρησιμώτερον.

Iustitiæ usus in omni vita.

r Quæq; seipsis contenta.) Hunc locum ad uim Cicero retulit. Aristoteles ait, καὶ ὅταν τῶν ἐχόντων μηδὲν θατέρου δεόμεθα, ἢ ὃ ἔχοντες προσδεόμεθα τοῦ λοιποῦ. Qui locus consimiliter & 1. Rhetoricorum sic effertur: καὶ ὅταν τόδε μὲν ἄνευ τοῦδε μὴ ἦ, ἢ μὴ δυνατὸν ἦ γενέσθαι: θάτερον δὲ ἄνευ τούτου, ἀνταρκέστερον δὲ οὐ μὴ δεόμενον, ὥστε φαίνεται μεῖζον ἀγαθόν.

Quæ seipsis cõtẽta, potiora.

s Nihil loci esset fortitu.) Quippe cùm in propulsandis iniurijs præcipuè ea uersetur, quæ iniuriæ, si omnes iusti sint, nullæ fuerint. At quid, in aduersis'ne rebus fortiter tolerandis & perpetiendis, fortitudine opus est? Opus est utiq;. Quamobrem non tam ad ueritatem accõmodatè, quàm ad probabilitatem solùm hæc dici memineris. Si omnes fortes sint, nulla existente iustitia, bestiarum more homines inter se tumultuantes, & ferocientes uideres, quales antiquitus eos fuisse, 1. de Inuent. Cicero describit.

Fortitudinis vsus vbi & quãdo.

t Comparatio etiam ex.) Huius loci & superiore libro meminit ca. 5. Verùm istic absolutè καὶ ἁπλῶς, hîc συγκριτικῶς & comparatè iste locus tractatur. Quæ abiectio & acceptio hîc Interpreti dicuntur, Græcè αἱ ἀποβολαὶ καὶ αἱ λήψεις dicuntur Aristoteli. Pòst alijs uocibus easdem Interpres transfert.

ἀποβολαὶ καὶ λήψεις.

u Quod ad bonum pro.) Hic locus finitimus est illi, qui superiori capite de destinatis allatus est, τὸ δυοῖν δ' ἔγγιον τοῦ τέλους. Græcè hic dicitur, δ' ἐγγύτερον τοῦ ἀγαθοῦ, βέλτιον καὶ ἀγαθώτερον, τὸ δ' ὁμοιώτερον τῷ ἀγαθῷ.

Achilles.

x Quòd Achilli similior.) De Achille ita Horatius in arte:

Honoratum si fortè reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Aiax & Vlysses.

Talem & Aiacem nobis Homerus describit: cùm Vlysses ingenio magis, & prudentia dicendiq; facultate excelluerit, de quo ipsemet apud Ouidium, lib. 13. Transformationum ad Aiacem ait:

Quippe manu fortes, nec sunt tibi Marte secundi,
Consilijs cessêre meis: tibi dextera bello
Vtilis: ingenium est, quod eget moderamine nostro.
Tu uires sine mente geris: mihi cura futuri est,
Tu pugnare potes, & cæt.

y Occurritur autem.) Præsumptio obiectionis. Vult similitudinem in bono spectari, & eo quod honestum est. Nam fieri potest, ut & in malo similior sit alteri, & in eo quod sit ridiculum. Priore modo, Achilli fuit similior Aiax: Posteriore modo, homini similior est simia, quàm aut equus aut bos, quum tamen hi longè simiæ præstent.

Simia homini assi.

z Quemadmodum simia.) Simia ὁ πίθηκος græcè dicitur. Hac animal nullum est, quod propiùs ad hominis figuram accedit, quodq; & libentius, & melius hominis actiones

ctiones gestusq; imitatur & exprimit, de quo uide Adagium: Simia semper simia est, etiamsi aurea gestet insignia. Similis.

a Rursum è duobus si vnum.) Hic locus superiori cognatus est, qui pari modo, ut iste, explicandus & intelligendus est. Græcè dicitur: πάλιν ἐπὶ δυοῖν, εἰ δὲ μὴν τῷ βελτίονι, τὸ δὲ τῷ χείρονι ὁμοιώτερον, εἴη ἂν βέλτιον τὸ τῷ βελτίονι ὁμοιώτερον.

b Paulùm admodum.) Nempe robore, audacia, iracundia, & cæt.

c Et Vlysses valde Nestori.) Quod ad facundiam, ingenium, & prudentiam attinet, quibus rebus præcipuè Nestor excelluit, ut apud Homerum uidere licet.

d Vt equus asino.) Equus asino similis est ἐπὶ τὰ βελτίω, in quantum eius labores, operaq; homini necessaria & commoda imitatur: Simia homini ἐπὶ τὰ χείρω, in quantum nimirum eius gestus, uanosq; mores imitatione exprimit, de quo suprà. Similitudo bifariã spectatur.

e Quæ magis insignia.) Hic locus Græcè est, δὲ ἐπιφανέστερον τῷ ἧττον τοιούτου.

f Et laboriosa procli.) Hic locus similiter in Rhetoricis effertur, καὶ ὅλως δὲ χαλεπώτερον τῷ ῥάονος. Pertinet huc, quod 2. Ethicor. Nicomach. Aristoteles ait, περὶ δὲ χαλεπώτερον ἀεὶ καὶ τέχνη, καὶ ἀρετή. Item quod Prouerbio dicitur, Difficilia quæ pulchra, χαλεπὰ τὰ καλὰ, de quo & ita lib. 3. Tusculan. Cicero ait: Magnum opus, & difficile, quis neget? quid autem præclarum, non idem arduum? Cicero in Topicis hunc locum contrariè effert, procliuia laboriosis. Verùm iste prædictum locum τὸν ἀνάπαλιν in Rhetoricis expositum imitatur, qui sic habet: ἄλλον δὲ τρόπον, τὸ ῥᾷον τῷ χαλεπωτέρου. ἔχει γὰρ ὡς βουλόμεθα. Difficilia, quæ pulchra.

g Chariora enim nobis.) Rationem subijcit, cur difficilia facilioribus præstent, Nempe quia illa chariora sint, quæ difficulter parantur, utpote quæ uel soli habeamus, uel cum paucioribus alijs communia. Sunt enim ista ferè rariora, in tanta præsertim hominum segnitia & socordia. Atq; hanc causam, quia rariora sint, laboriosa procliuibus anteferri in Rhetoricis Aristoteles testatur, cùm inquit: καὶ ὅλως δὲ χαλεπώτερον τῷ ῥάονος. ὑπανιώτερον γὰρ. Græcè autẽ hoc loco præsens ratio ab Aristotele effertur his uerbis. μᾶλλον γὰρ ἀγαπῶμεν ἔχοντες ἃ μὴ ἔστι ῥαδίως λαβεῖν. Cur difficilia facilioribus præferantur.

h Et propria communibus.) Ea hominum natura est, ut sua quisq; & propria maximè admiretur, suspiciat, & colat. Ita quæ propriæ sunt ædes, horti, pascua, syluæ, & cætera eiusdem generis, nescio quo modo plus oblectationis, quàm communia & publica, nobis afferant. Atq; de talibus in præsens loqui uidetur Aristoteles, dũ τὸ ἰδιαίτερον τοῦ κοινοτέρου αἱρετώτερον esse ait. Quòd si communia, quæ ad multos spectent, alio sensu accipias, quo modo patriæ salus, regni pax, religionis tranquillitas, & alia huiusmodi, & communia & publica sunt, certè quidem dubium non est, quin his talibus & priuata & propria, seu bona, seu cõmoda cedere debeant. Quò magis enim quædam illiusmodi sunt, eo & meliora & optabiliora, ut sunt, ita & iudicantur bona. De quo ita 1. Nicomachio. Propria communibus gratiora. Cõmunia rursum, ꝓprijs quo modo.

Ethicor. Aristoteles cap. 2. εἰ γὰρ ταυτόν ἐστιν ἑνὶ καὶ πόλει, μεῖζόν γε καὶ τελειότερον δοκεῖ πόλεως φαίνεσθαι καὶ λαβεῖν καὶ σώζειν. ἀγαπητὸν μὲν γὰρ καὶ ἑνὶ καὶ μόνῳ: κάλλιον δὲ καὶ θειότερον ἔθνει καὶ πόλεσιν. Atq; ad hunc modum Cicero contrariè hunc locum effert, cùm in Topicis, longè & latè peruagata bona angustijs præferenda statuit.

i Quæq; molestiæ minus.) Græcè est, καὶ δὲ τοῖς κακοῖς ἀκινωνητότερον, ἀτιμοτέρων γὰρ μᾶλλον ἡμία δ' ἂν ἐχέσθαι ἀκολουθεῖ, ἢ ὧν ἀκολουθεῖ. Vide an hoc modo Cicero iucunda minus iucundis anteponat.

k Quæ alijs præstantiora.) Hunc locum bipartitò effert, cùm nunc ex simplicium collatione, res superlatiuo gradu dijudicet, nunc ex ijs quæ superlatiuo gradu inter se conferuntur, simplicium comparationem rursum æstimet. Hunc locum simili penè modo Aristoteles exprimit lib. 1. Rhetoricorum, cap. 7. etsi exemplum paulo diuersius est, de uirorum & fœminarum magnitudinis collatione.

l Et si res præstant.) Idem locus cum superiore, nisi quòd ἀνάπαλιν conuertatur.

m Quæq; cum amicis.) Quia amicis ex animo bene esse uolumus, utpote ijs, qui alteri ipsi sint, iuxta Adagium, cuius Aristoteles lib. 2. τῶν μεγάλων ἠθικῶν meminit, dū inquit: ἔστι γὰρ, ὥς φαμεν, ὁ φίλος ἕτερος ἐγώ: ea, quæ cum amicis communicata, & ijs præstita esse cupimus, (quia non alia, nisi reuera bona sint) alijs secus affectis præstare asserit. Estq; hic geminus & bipartitus locus.

Amicis ex animo bene volumus.

n Vt officia seruare, &c.) Græcè est, ὅσον δὲ δίκαιον πρᾶξαι καὶ εὖ ποιῆσαι.

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Caput 3.

Τὰ ἐκ τῶν ἀναγκαίων necessarijs meliora.

NOn a necessaria necessarijs meliora sunt, b eaq; interdum magis expetuntur. c Bene enim viuere præstat quàm viuere: cùm bene viuere d sit non necessarium, & viuere in necessarijs. Fit autem interdum vt quæ meliora sunt, non etiam magis expetantur. Non enim si quid melius, propterea id necesse sit etiam magis esse expetendum. e Philosophorum enim vita cùm eo genere vitæ, quod in pecunijs quærendis consistit, sit melior: attamen ei cui res ad viuendum necessariæ nō suppetunt, non magis experenda est. f Non necessaria autem sunt, cùm suppetunt res necessariæ, & aliæ præterea quædam honestæ parantur. Ac ferè quidem certè necessaria magis expetenda sunt, non necessaria, meliora. g Quæ ab alio nō suppeditari possunt & accipi, ijs quæ possunt, h quomodo iustitia ad fortitudinem affecta est. i Quæ sine alijs expetenda sunt, ijs quę nisi coniuncta cum alijs, non expetuntur: vt vires corporis k sine prudentia non sunt expetendæ, sine viribus etiam prudentia expetenda est. l E duobus si vnum dissimulemus aut negemus in nobis esse, vt alterum in no-

in nobis esse videatur, id anteponendum est, quo præditi esse videri velimus: vt laborioſos nos esse negamus, vt ingenio valere videamur. [m] Quorum bonorum defectio minus in ijs vituperanda est, qui molestè ferunt ea à se abesse, ea anteponenda sunt. Et quorum defectio in ijs qui non acerbè ferunt ea à se abesse, magis reprehendenda est, itidem præferenda sunt.

CAP. 3.

[n] Eorum quæ in eodē genere sunt, quod propria illius generis virtute & laude valet, alteri quod eo caret, anteponendū est. Ex ijs in qbus ineſt, id in quo maior est. [o] Quæ bonū eum in quo sint efficiunt, ijs quę nō efficiunt, vt calidius id est quod calefacit, eo quod non calefacit. Ex ijs quę efficiunt ea quę magis efficiūt, [p] aut quę id quod melius est, & magis prę cipuū bonum efficiunt, vt quæ animum bonū efficiunt, ijs quæ corpus. [q] Ex casibus etiā & vsu, actionibus, & operibus cōparationis locus sumitur, & quæ ab illis orta sunt, concluduntur. Alterum enim alteri consequens est: vt si id quod iustè fit ei quod fortiter anteponendum sit, iustitia fortitudini anteponetur. Et si iustitia fortitudini anteponenda sit: etiā id quod iustè fit ei quod fortiter. Quod idem fit in cæteris. [r] Si quo bono, vnum maius bonum sit, minus alterum, maius magis expetendum est, vel si maiore aliquo maius sit alterum. Quinetiam è duobus quæ alicui præponenda sint, id quod magis expetendum sit, potiùs eligendum erit, quàm id quod minus. [s] Quorum præstantia & laus, præstantiæ laudiq; aliorum anteponitur, ea etiam anteponenda sunt, vt amicitia diuitijs. Amicitiæ enim excellentia & gloria, opum excellentiæ & exuperantiæ anteponenda est. [t] Quæ ipsum sibi quisq; parare & quærere malit, quàm alterum, ea anteponenda, vt amici opibus. [u] Ex adiunctione hoc modo: Si eidem rei aliquid adiungatur, totumq; melius efficiat, id magis expetendum est. In quo cauendum est, ne ad ea progrediamur, in quibus altero eorum quæ coniunguntur, vtatur id quod vtriusq; commune est, vel aliqua alia ei adiumenta afferat, [x] reliquo non vtatur, neque ei sit adiumento: quales sunt cum fabrica, serra & falx coniuncta: quarū serra si coniuncta sit, optanda magis est, cùm magis [y] expetenda non sit omnino. [z] Rursum si quid ad minus additum, maius totum efficiat, [a] magis expetendum est. [b] Quod idem ex detractione effici potest. Quicquid enim est eiusmodi, quo detracto, id quod reliquum est, minus efficitur, id omne anteponendum. [c] Quæq; propter se expetenda sunt, ijs quæ ad existimationem hominum & opinionem accōmodantur: vt valetudo pul-

Quæ bonum aut melius faciunt id, in quo in sunt.

charitudini anteponenda est. [d] Illud autem ad iudicium hominum & opinionem dirigitur, [e] quod si nesciant, nullus in eo parando labor impendatur. [f] Quæ etiam propter se expetuntur & ad hominum cõmendationem, ijs quę alterius solùm gratia. [g] Quæque vi sua per se & propter se in maiore pretio & honore sunt, eadem meliora sunt & magis expetenda. [h] Ea autẽ per se in maiore honore sunt & pretio, quæ detracta omni opinione vtilitatis, tamen magis propter se pęteremus. [i] Diuisio etiam rerum expetendarum, & quarum causa expetantur, magnam suppeditabit copiam disputandi, vt vtilitatis, vel honestatis, vel voluptatis gratia res omnes expetendas. Quibus enim ad omnia, vel ad plura vtimur, ea ijs anteponenda sunt, quibus ad tot res non vtimur. Quòd si in vtrisque eadem reperiuntur, [k] in vtris magis reperiantur, videndum est, vtrum iucundiora sint, an honestiora, an vtiliora. [l] Quæ melioris rei causa comparata sunt, eadem magis expetenda: vt quæ virtutis, quàm quæ voluptatis gratia. [m] Eadem ratio est rerum fugiendarum. [n] Fugienda enim sunt magis quæ res expetendas magis impediunt, veluti morbus magis declinandus & vitandus est, q̃ deformitas, quòd magis nos à voluptate & virtute morbus detorquet. [o] Ex eo etiam argumenta sumuntur, si rem propositam & expetendam & fugiendam esse doceamus. Minus enim expetenda est res eiusmodi, quam expetere æquè ac fugere liceat, quàm altera quæ tantummodò sit expetenda. [p] Ac comparationes quidem rerũ inter se tractandę sunt, quemadmodum à me præscriptum est. Qui ijdẽ loci valent etiam ad faciendam sine comparatione fidem, quid sit expetendum, quidq; fugiendũ. [q] Detrahenda enim modò excellentia & præstãtia est, qua alterum alteri præstat. Si enim quę in maiore sunt honore & pretio, eadem magis expetenda sunt: certè quæ in honore sunt, & ducuntur glorię, eadem sunt expetẽda. & si quę vtiliora sunt, ea magis expetenda, vtilia etiam expetuntur. Quod idem fit in cęteris, quæ comparantur. [r] Sunt autem quædam, ex quorum inter se comparatione statim vtrumque expetendum esse, aut alterum intelligimus. veluti cùm vnũ natura bonum, alterum minimè dicimus. perspicuum est enim id quod natura tale sit, esse expetendum.

Rerum expetendarum tria genera.

CAP. 4.

Quo modo fine collatione quę expetenda aut fugiẽda, cognoscantur.

IN CAPVT TERTIVM, ANNOTATIONES.

a Non necessaria necessar.) *Etiamnum cæteros prægressę comparationis locos explicat. Quæ non necessaria hic interpres uocat, Græcè τὰ ἐκ περισσοῦ dicuntur, quæ*

sunt

sunt non simpliciter quidem non necessaria, sed ea quæ rebus necessarijs nobis suppetenti bus & comparatis, deinceps de magnis & præstantibus rebus comparantur, (quæ aliàs partim τὰ περιπλὰ, partim τὰ διαφέροντα appellari solent) quemadmodum ex ea, quã paulò pòst Aristoteles subiungit, descriptione intelligi licet. Græcè locus effertur: Καὶ τὰ ἐκ περιουσίας τῶν ἀναγκαίων βελτίω. Cicero in Topicis aliter non necessaria pro superfluis ac redundantibus accipere uidetur, cùm necessaria non necessarijs præstare & antecellere ex aduerso ait. τὰ ἐκ περιουσίας quæ sint.

b Eaq; interdum magis.) Nota discrimen inter τὰ βελτίω, hoc est, meliora. Καὶ τὰ ἀιρετώτερα, hoc est, magis expetenda hîc statui. Τὰ βελτίω, sua ui ac natura fere è spectantur: τὰ ἀιρετώτερα, non ui sua, sed usu, quem nobis afferunt. Ita tametsi sua natura τὰ ἐκ περιουσίας necessarijs antecellant, quia tamen non eundẽ usum, quem illa nobis præstant, non æquè ut illa semper expetuntur. Τὰ βελτίω καὶ ἀιρετώτερα distãt.

c Bene enim viuere.) Βέλτιον γὰρ τὸ ζῆν εὖ ζῆν, græcè idq; sententiosè ait.

d Sit non necessarium.) Quippe cùm & aliter uiui possit. Sed talis uita, nunquã beata, atq; felix esse potest.

e Philosophorum enim vita.) Ad uulgi sensum accommodatè loquitur. Aliter enim ueteres Philosophi senserunt, qui etiam abiectis & repudiatis fortunæ bonis, quæ in rebus ad uitam degendam necessarijs hîc ponuntur, ad philosophandum se transtulerunt, ut Anaxagoras, Bias, Diogenes, Crates, Hipparchia, & cæteri id genus, de quibus uide Laërtium in uitis. Simili modo & Phocylides ex uulgi sententia loquitur, ut eius uersiculum citat hîc Alexander. Philosophi sapientiam opibus præferunt.

Δεῖ γὰρ μὲν βιοτεύειν, ἀρετεύειν δὲ ὅταν μὴ βίος ἦ. Vulgus opes cõtrà.

Ad quem uersiculum uidetur alludisse Horatius lib. 1. Epistolarum:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm est,
Virtus post numos.

Huius loci sententia sic Græcè effertur: Δεῖ γὰρ μὲν φιλοσοφεῖν βέλτιον τοῦ χρηματίσασθαι, ἀλλ' οὐχ ἀιρετώτερον τοῦ εὐπορεῖν τῶν ἀναγκαίων.

f Non necessaria autem.) Explicat uerbum τοῦ ἐκ περιουσίας. Τὸ δ' ἐκ περιουσίας ὄντων, inquit, ὅταν ὑπαρχόντων τῶν ἀναγκαίων, ἄλλα τινὰ προσκατασκευάζηται τῶν καλῶν τισί. Τὸ δ' ἐκ περιουσίας.

g Quę ab alionõ sup.) Eiusmodi sunt, quæ proprio studio ac labore nobis paramus, ut uirtutes ac disciplinæ, quæ ab alijs suppeditari nõ possunt, ut fortunæ bona, quæ ideirco uirtutibus ac disciplinis comparata, illis cedunt. Sic Alexander. Græcè est, Καὶ ὃ μὴ ὅτι παρ' ἄλλου ποριστὸν, ἢ ὃ ὅτι παρ' ἄλλου.

h Quomodo iustitia ad for.) Id patet, si utriusq; uirtutis effecta secundum Alexandrum cõsideres. Cùm enim τὸ τοῦ ἰσχυρὸν διανεμητικοῖς εἶναι à iustitia sit, à fortitudine

uerò

uerò ἡ ἐκ τῶν κινδύνων σωτηρία, inquit Alexander, quia & aliunde, q̃ à fortitudine, in periculis liberari poßimus, aliunde autem, quàm ab ipsa iustitia τῶν ἴσου διανεμητικοῖς esse non licet, sequitur hac ratione, ut ad prægredientis loci præscriptum iusticia fortitudini antecellere uideatur.

i Quæ sine alijs.) Talia sunt, quæ propter se ipsa expetũtur, uti superiùs dixit: Quæ nisi cõiuncta, ea sunt, quæ κατὰ συμβεβηκὸς expetuntur. Græcè locus habet: καὶ εἰ τόδε μὲν ἄνευ τῶνδε αἱρετὸν, τόδε ἄνευ τῶνδε μή.

k Sine prudentia.) Id est, nisi prudentia & ratione quasi gubernentur. Sic enim lædunt & obsunt, de quo antegresso ca. dictum est. Vires hic δύναμις Græcè appellantur.

l E duobus si vnum.) Nota iactabundum hominis ingenium. Vt solertes & ingeniosi uideamur, etiam diligenter elucubrato & perfecto opere quopiam, industriam & lucubrationem adhibitam pernegamus. Sic Aristoteles, οἷον φιλοπονεῖν, inquit, ἀρνούμεθα, ἵν' εὐφυεῖς δόξωμεν εἶναι.

m Quorum bonorum defectio.) Græcè est, ἔτι οὗ τῇ ἀπουσίᾳ ἧττον ἐπιτιμητέον δυσφοροῦσι, τῶνδε αἱρετώτερον. καὶ οὗ τῇ ἀπουσίᾳ μὴ δυσφοροῦντι μᾶλλον ἐπιτιμητέον, τῶνδε αἱρετώτερον. Quorum locorum quæ uis sit, hoc exemplo intelligi licet. Si & is qui uirtute se carere molestè fert, minus coarguendus est, quàm qui se opibus carere dolet, & is qui uirtutem sibi deesse nõ ægrè fert, magis culpandus est, quàm qui fert sibi deesse facultates: certè hinc fit, ut opibus anteponendaesse uirtus uideatur.

Virtus opibus anteire vt intelligatur.

n Eorum quæ in eodem.) Ad hunc modum, si hominum inter se, si equorum, si reliquarum rerum, aut naturalium, aut artificiosarũ inter ipsas collatio instituatur, quicquid in suo genere alteri cuipiam, quod ad istius generis propriam naturam uirtutemq; attinet, antecellit, id eidem uerè præstat. Ita cùm hominis propria καὶ οἰκεία uirtus sit, mente ac ratione ualere, quisquis hac dote alterum anteit, is simpliciter illo melior præstantiorq; habetur. Cùm poculi aut uasis οἰκεία ἀρετὴ sit, ad id cuius gratia comparatum est, quàm aptißimè sese accommodare, quodcunq; demum præ cæteris ad eum usum se accõmodat, id alijs in eodẽ genere uniuersis antefertur. Græcè is locus apud Aristotelem sic habet: ἔτι τῶν ὑπὸ δ' αὐτὸ εἶδος δ' ἔχον τὴν οἰκείαν ἀρετὴν τῶν μὴ ἔχοντος αἱρετώτερον. ἄμφω δ' ἐχόντων, δ' μᾶλλον ἔχον. Alexander τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἑκάστου definit, ἀκρότητα καὶ τελειότητα τῆς οἰκείας φύσεως αὐτῶν.

Quæ propria virtute antecellunt, meliora.

οἰκεία ἀρετὴ ἑκάστου.

o Quæ bonum eum.) Hoc modo Cicero primo Paradoxo solum honestum, bonũ esse defendit, non ea quæ in bonis uulgò habeantur, quorum de numero una est uoluptas. Quicquam'ne bonum est, inquit, quod non eum qui poßidet, meliorem facit? Vt enim quisq; est maximè boni particeps, ita & laudabilis maximè. Et cætera quæ sequuntur. Locum enim notasse satis est. Græcè locus habet hoc modo: ἔτι εἰ δ' μὴ ποιεῖ ἀγαθὸν ἐκεῖνο ὃ ἂν πρῇ, δ' δὲ μὴ ποιεῖ, δ' ποιοῦν αἱρετώτερον. εἰ δὲ ἄμφω ποιεῖ, δ' μᾶλλον ποιοῦν.

Solum honestũ bonum, quia meliorem habentẽ facit.

p Aut quæ id quod melius.) Sic animi uirtutes ac disciplinæ, corporis commoditatibus & opportunitatibus præstant, ut iustitia, temperantia, et Philosophia, robori, uelocitati, formæ, & cæt. Græcè est, ἢ εἰ τὸ βέλτιον τῷ κυριώτερον ποιεῖ ἀγαθόν. Animi uirtutes corporis prætant.

q Ex casibus etiam, & usu.) Complures hîc locos congerit, ἀπὸ τῶν πτώσεων, καὶ τῶν χρήσεων, καὶ τῶν πράξεων, καὶ τῶν ἔργων. Ex quibus τῶν πτώσεων, hoc est, casuum collatio, ad coniugatorum collationem: τῶν χρήσεων, hoc est, usuum, ad rerũ earum quæ usui sunt, τὰ χρήσιμα Alexander uocat, qualia sunt bona, ut opes, possessiones, uirtutes, & cæt. τῶν πράξεων, hoc est, actionum, ad rerum earum quæ sub actionem cadunt: τῶν ἔργων, hoc est, operum, ad habituum & affectionum, à quibus & ex quibus opera oriuntur & proueniunt, collationem pertinet. Ac quia de casibus ipse exempla subiecit, nos de cæteris breuiter attingamus. Ita dicimus, quarum rerum, & usus, & actiones, & opera meliora & præstabiliora sunt, eas ipsas res item meliores & præstabiliores esse. Sic quia usus uirtutum potior est, quàm opum, uirtutes opibus præstare dicimus: quia functio animi, quæ in diuinis & cœlestibus rebus meditandis occupatur, præstantior est, quàm quæ occupatur in rebus terrenis & mortalibus, idcirco & diuina mortalibus, & cœlestia terrenis anteire dicimus: quia opus iustitiæ, & artis οἰκοδομικῆς præstabilius est, q̃ opus fortitudinis, & artis tectonicæ, ergo & iustitia fortitudini, & ἡ οἰκοδομικὴ τῇ τεκτονικῇ anteferetur. Atq; ad hunc ferè modũ de usu prædictorũ locorũ Aphrodisiensis. Comparatio è casu, usu, actione, & opere qualis. Exempla earundẽ.

r Si quo bono.) Subsequentes isti loci ferè in unum recidunt, suntq; quoties duo pluráue bona cum tertio quopiam inæqualiter cõferuntur. Vel enim ambo tertium excedũt, uel unum excedit, alterum secus. Posterioris exemplũ est, si cum uita actiua, & uoluptuaria, & contemplatiua cõparentur. Hîc qui cõtemplatiua actiuã dignitate excedit, uoluptuaria non item, etiam quæ contemplandi studio occupatur uita, uoluptariam longè superat. Prioris exemplum idem istud fuerit, si aliter collatio instituatur. Nam si cum uoluptaria & actiua & contemplatiua conferantur, quia utræq; hæ præstant, sed altera magis, minus altera, etiam illa quæ magis præstat, alteri dignitate excellit. Estq; hoc exemplũ Alexandri, qui uitam contemplationi deditam, τὸν θεωρητικὸν, deditam actioni, τὸν πρακτικὸν, uoluptatibus seruientem, τὸν ἀπολαυστικὸν βίον græcè uocat. Vita cõtẽplatiua, & actiua, & voluptuaria melior.

s Quorum præstantia & laus.) Hîc duorum bonorum æstimationes & ὑπερβολαὶ inter se comparantur. Sic quia utrtutum æstimatio dignitasq; præclarior est, quàm opum, etiam uirtus opibus dignitate præstat. Quia honestè pro patria occumbere maiori gloriæ ducitur, quàm turpiter uiuere, etiam uitæ infamĩ honesta mors pro patria obita anteferenda est. Græcè est, ἔτι οὗ ἡ ὑπερβολὴ τοῦ ὑπερβολῆς αἱρετώτερα καὶ ἀνλο ἀιρετώτερον. Honesta mors turpi vita melior.

t Quæ ipsum sibi quisq;.) Quorũ ipsi nobis authores esse malimus, potiora sunt, quàm quæ ab alijs nobis dari. Sic quia ipsi amicos parare, ab alijs uerò diuitias nobis re- Amicos parare, &

opes malumus. linqui malumus, etiam amici diuitijs hoc nomine præstant. Græcè locus habet: ἐν οὗ μᾶλλον ἂν ἕλοιτο αὐτὸς ἑαυτῷ αἴτιος εἶναι, ἢ οὗ ἕτερος.

u Ex adiunctione hoc modo.) Hic locus ἐκ τῆς προσθέσεως dicitur, cuius exemplum tale est. Iungatur opulentiæ tũ uirtus, tum sanitas, hic quia uirtutis accessione, quàm sanitatis, opulentia optabilior euadit, etiam uirtus sanitate potior iudicatur. Verùm id non in omnibus locum habet. Etsi enim liberalitas opum copia magis, quàm uel uirium, uel alterius id genus rei accessu honestatur, nõ tamẽ idcirco opum affluentia, uiribus, aut id genus alijs quibusuis rebus statim anteponitur. Atq; huius rei causa est, quòd opes quidem ad liberalitatem conferuntur, tanquàm illius exercendæ instrumenta, uirium autem aut consimilium aliarum rerum usus nequaquàm huc pertinet. Atq; illud quidẽ est, quod deinceps subiecta exceptione Aristoteles significat.

Virtus sanitate potior.

Non opes viribus.

x Reliquo non vtatur.) Pertinet ergo huc, ut locus iste in omnibus ualeat, ut ea quæ apponuntur, consimiliter ad id, cui appositio fit, sese habeant. Ita Alexander, ἐφ' ὧν οὖν τὰ προσιθέμενα ὁμοίως ἔχει πρὸς τὸ κοινόν, ἐπὶ τούτων ὁ τόπος ἀληθής.

Superioris loci explicatio.

y Expetenda non sit omnino.) Vt enim ad fabricandũ, & secandum ligna, serra sit conuenientior, certè ad uitem putandam, aut arborum ramos præcidendos falx est magis opportuna.

z Rursum si quid.) Locus propter breuitatem obscurior est, sed qui addita comparationis ἀνταποδόσει mox intelligetur. Caue hîc de alijs, quàm de bonarum rerum comparatione loqui Aristotelem putes. Si de uitijs intelligas, id quod minori adiunctum, maius totum efficit, non expetendum, sed auersandum est magis.

Locus breuitate obscurior.

a Magis expetendum est.) Quàm alterum scilicet, quod maiori bono adiunctum, totum hîc minus, quàm superiùs, efficit. Exemplo sic locus explicetur. Sint duo bona, quibus foris alia accedant, sanitas & εὐεξία. Iam si id quod minori bono foris accedit, ut sanitati uirtus, totum maius efficit, quàm quod εὐεξίᾳ bono maiori additur, ut uerbi gratia, diuitiæ, sequitur his ita positis, diuitijs magis esse expetendam uirtutem.

Virtus diuitijs præstabilior.

b Quod idem ex detract.) Monet parem τῆς ἀφαιρέσεως cum superiore rationem esse.

c Quæq; propter se ex.) Hunc locum in tres species diducit, propter triplicem τῶν δι' ἑαυτὸ comparationem. Estq; oratio apud Græcos minus perfecta. Primum confert αἱρετὸν τὸ δι' ἑαυτὸ, cum eo quod ad opinionem refertur, cui & præstare illud ipsum uult. Sic uirtus & uera sapientia, quia sui gratia quæruntur, opũ ostentationi & fucatæ sapiẽtiæ, quæ ad opinionem conferuntur, sua ui antecellunt.

τὸ δι' αὐτὸ αἱρετὸν trifariam cõfertur.

d Illud autem ad iu.) Explicat id quod dixit, τὸ δι' ἀ δόξαν αἱρετὸν, hoc est, quod opinionis & ostentationis gratia expetitur. ὅρος δὲ τῶν πρὸς δόξαν, inquit, τὸ μηδενὸς συνειδότος, μὴ ἂν σπουδάσαι ὑπάρχειν.

τὸ πρὸς δόξαν quid?

Quo

e Quod si nesciant.) De talibus sic Persius Satyra 1. O mores, usque adeóne
Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter?

f Quæ etiam propter.) Hic δὲ δι' ἑαυτὸ cum hominum opinione simul coniungitur, eiq; quod uel propter se, uel hominum causa solùm exquiritur, antefertur. Sic gloriosa & apud uulgus prædicata uirtus, & soli gloriæ, & obscuræ ingloriæq; uirtuti antecellit.

g Quæq; vi sua per se.) Hoc tertium genus est τοῦ δι' ἑαυτὸ, id quod cum se ipso confertur. καὶ ὁπότερον μᾶλλον δι' αὑτὸ, inquit, τίμιον, τοῦτο καὶ βέλτιον καὶ αἱρετώτερον. Sic cùm utraq; uita, & illa quæ contemplandi studio tenetur, & illa cuius munus in agendo est, propter se ipsa ametur & expetatur, magis talis est, ea quæ in contemplatione uersatur. Vita contẽplatiua, actiua potior.

h Ea autem per se.) Descriptio τοῦ μᾶλλον δι' αὑτὸ τιμίου, descriptioni τοῦ πρὸς δόξαν è regione opposita. Τιμιώτερον δ' ἂν εἴη καθ' ἑαυτὸ, (inquit) ὃ μηδενὸς ἄλλου μέλλοντος ὑπάρξειν, δι' ἑαυτὸ αἱρούμεθα μᾶλλον. Τὸ μᾶλλον δι' αὑτὸ τίμιον.

i Diuisio etiam rerum ex.) Annotat diuisionem rerum expetendarum, ut hinc quàm magna ad disserendum copia argumentorum suppetat, intelligatur. Diuiduntur res expetendæ in tria genera. Aut enim utilitatis, aut honestatis, aut uoluptatis gratia res expetuntur, quod Aristoteles οἷον τοῦ συμφέροντος, ἢ τοῦ καλοῦ, ἢ τοῦ ἡδέος Græcè ait. De hac rerum expetendarum diuisione, pari ferè modo Cicero lib. 2. de Inuentione præcipit, ex quo cuiusq; generis quæ uis ac natura sit, quàm lateq; singula genera patãet, fusiùs cognosci potest. Tractatio huius loci ex superioribus satis patet. Res expetendę triplices.

k In vtris magis repe.) Talia enim ijs, in quibus insunt minus, anteponenda sunt.

l Quæ melioris rei.) Id tale est, si uel prædicti generis res expetendæ nõ omnes in ijsdem insint, sed in his utilitas insit, aut uoluptas, in illis honestas, aut contrà: Vel si in ijsdem quidem insint, sed non æquali modo, ut uel maior utilitas aut uoluptas cum minore honestate, aut maior honestas cũ minore uel utilitate, uel uoluptate quasi certet: Vel etiã si in eodẽ genere, eorũ quæ uel honesta sunt, uel utilia, uel iucunda cõtentio incidat, ut de duobus honestis, utrum honestius, de duobus utilibus, utrum utilius, de duobus delectabilibus & iucundis, utrum delectabilius & iucundius sit, comparatio instituatur. Quorum omnium si quispiam exempla desideret, ex Ciceronis Officijs hauriri ista poterunt. Vtrũ enim de duob. honestis, honestius sit, lib. 1. extremo disputat. Quo aũt modo aut honesta cum utilibus & uoluptuarijs, aut hæc inter se, ultro citroq; comparentur, de eo disserit, lib. 3. idq; copiose, & ut cætera omnia, tum suauiter, tum eruditè. Præsens is locus Aristoteli dicitur, πάλιν δὲ τοῦ βελτίονος ἕνεκεν αἱρετώτερον. Ita à fine, rerum ad finẽ tendentium, & destinatorum, quàm ex illis alijs alia præstent, comparatio dijudicatur. Rerum expetendarum multiplex cõparatio.

m Eadem ratio est re.) Quæ modò περὶ τοῦ αἱρετοῦ, hoc est, de rebus expetendis

Collatio τῶν φευκτῶν varia.

admonuit, ea nunc ἐπὶ τῶν φευκτῶν, hoc est, in rebus fugiendis & uitandis contrario modo obseruanda præcipit. Ita fugienda sunt magis, ea quæ amplius res expetendas impediunt, quàm quæ minus. Et quæ magis expetendas, siue honestas, siue utiles, aut etiam iucundas, quàm quæ expetendas minus. Et sic de alijs.

n Fugienda enim sunt.) *Græcè est, φευκτότερον γὰρ δὲ μᾶλλον ἐμποδιστικὸν τῶν αἱρετῶν.*

Res mediæ expetendis inferiores.

o Ex eo etiam arg.) *Loquitur de rebus medijs & indifferentibus, quod genus δὲ ὁμοίως φευκτὸν καὶ αἱρετὸν uocat, id quod rebus appetendis per se est præferendum. Hoc modo Philosophari, quàm δὲ πολιτεύεσθαι, agrũ colere, q̃ nauigare καὶ ἐμπορεύεσθαι, præstare Alexander ait: quia cùm priora solum in rebus expetendis sunt, posteriora simul & in appetendis & in fugiendis numerari licet. Hoc modo & fortunæ bona, & ea quæ corporis sunt, si quidẽ in rebus medijs omnia ducẽda sint, animi bonis omnia postponuntur.*

p Ac comparationes.) *Hactenus de mutua rerum συγκρίσει & comparatione docuit: Nunc porrò quomodo sine comparatione ex ijsdem locis quæ res expetendæ aut fugiendæ sint, cognosci poßit, breuiter demonstrat. Estq; hæc transitio quædam.*

q Detrahenda enim.) *Sic Grammatici detracto aduerbio magis, ex comparatiuo gradu positiuum efficiunt. Græcè est, ἀφαιρεῖν γὰρ μόνον δεῖ τὴν πρὸς ἕτερον ὑπεροχήν.*

r Sunt autem quædam.) *Hoc ait, ne excellentiam semper detrahendam existimes.*

QVOMODO PRAEDICTI LOCI, GENERALIORES EFFICIANTVR, ET QVAE RATIO SPECIALIS quæstionis tractandæ.

Caput 4.

Speciales loci vt generaliores fiant.

SVmendi [a] sunt autem à maiore & minore loci, qui quàm latissimè pateant, sic enim ad plura cõcludenda valebunt. [b] Possunt autẽ quidam ex ijs locis quos exposuimus, generaliores effici, si parua nominum fiat mutatio: [c] veluti quod natura tale vel tale est, eo est magis tale, quod non est tale vel tale natura. Ex duobus si vnum efficit, alterum non efficit tale vel tale, id quod ipsum habet, aut in quo inest, magis tale est, quod interdum facit, quàm quod non facit. Sin vtrumq; vim efficiendi habeat, id quod plus efficit, & magis tale vel tale est. Et si ex duobus, vnũ magis superet tertium quippiam, quàm alterum. Si è duobus vnum magis tale vel tale sit, quàm quod tale est: alterum magis quàm quod nõ est eiusmodi: profectò primum in eo genere vincat necesse est. Ex coniunctione idem efficitur. Si quid ad eandem rem addatur, totumq́ue magis tale vel tale efficiat. Et si quid ad rem additum quæ minus sit eiusmodi,

totam

totam magis talem reddat. Itemq; detractione. Nam si quid detrahatur ab aliquo, ex eoque quod reliquum est minus tale vel tale existat, id in eo genere præstat.[d] Quæ mixta coniunctaque sunt minus cum contrarijs, ea magis talia vel talia. veluti id albius est, quod minus admixtũ habet nigrorem.[e] Præter illos autem locos, qui suprà enumerati sunt, hic alius est locus. Quod sibi magis rei de qua agitur veram adsciscit definitionem, velut si candoris hæc sit definitio. Color aspectum oculorum diuidens, is albior color erit,[f] quò magis dispertit aspectum.[g] Quòd si quæstio non generalis, sed quæ subiecta sit generi tanquam pars ponatur, primum loci qui expositi sunt ad confirmandum vel reprehendendum, omnes valent plurimum. Si quid enim omnino & totum confirmemus aut refellamus, etiam partem ostendimus:[h] propterea quòd si quid in toto genere reperiatur, etiam in parte: & si in nulla parte, in aliqua intelligi non potest.[i] Aptissimi autem sunt loci, latissimeq; patent ij, qui ex contrarijs coniugatisque sumuntur.[k] Aequè enim probabile est effari, si omnis voluptas sit in bonis, etiam dolorem omnem in malis esse: ac si qua voluptas sit bonum, aliquem etiam dolorem esse in malis. Et si quis sensus non sit vis & facultas, sequitur,[l] vt sensus aliqua priuatio non sit imbecillitas.[m] Et si quod opinabile est scientię subiectum sit, fit vt quædam opinio sit scientia. Rursum si qua res iniusta sit in bonis, aliqua etiam res iusta sit in malis necesse est: & si quid eorum quæ iniustè fiunt malum est, aliquid etiam eorum quæ iustè fiunt, erit bonum: & si quid eorum quæ iucunda sunt in rebus fugiendis sit, aliqua etiam voluptas fugienda. Eodemque modo, si quid eorum quæ iucunda sunt, vtile sit,[n] aliqua etiam voluptas erit in bonis.[o] Quod idem in ijs quæ vim interimendi habent, & in ortu & interitu contingit. Si quid enim quod vim habeat interimendæ voluptatis, & scientiæ, in bonis est, sit etiam necesse est aliqua voluptas & scientia in malis. Itemque si aliquis interitus scientiæ sit in bonis, aut ortus in malis, erit in malis aliqua scientia. vt si obliuio flagitiorum alicuius in bonis, aut recordatio in malis numeretur, certè & cognitio flagitiorum alicuius in malis ducitur. Quod idem in cæteris contingit, propterea quòd eadem ratio verisimilitudinis valet in omnibus.[p] Idem ex maiore, minore, & pari efficitur, hoc modo: Si quid eorum quæ ex alio genere sunt, magis tale vel tale sit, illorum autẽ nihil sit, efficitur vt id quod propositum est, non sit eiusmodi: vt si qua scientia bonum sit potiùs quàm voluptas, nec vlla sit in bonis scientia, ne

Trãsit ad specialem quæstionem.

voluptas quidem in ijs numerabitur. Similiter ex pari & minore licebit confirmare & refellere,[q] nisi quòd ex pari vtrumque efficietur: ex minore constituere solùm, non etiam destruere. Si enim pari ratione, vis aliqua in bonis sit & scientia, sit autem vis aliqua in bonis, etiam scientia erit. Sin nulla vis & facultas, ne vlla quidem scientia. Si autem minore ratione vis aliqua bonum sit, quàm scientia, sitque vis aliqua bonum, etiã scientia: Sin nulla vis in bonis ducatur, non necesse est, nullam etiam scientiam duci in bonis. Ex quo perspicuum est, locum ex minore solũ vim habere ad probandum. [r]Non solùm autem ex cõparatione eorum, quæ sunt diuersorum generum, [s]argumentum duci potest, sed ex eodẽ etiam genere, si quis sumat quod sit in eo genere maximè tale: vt si quaponatur esse in bonis scientia, probatum que sit non esse in bonis prudẽtiam, nulla etiam numerabitur: quippe cùm ne ea quidem quæ maximè videatur. [t] Ex fictione idem efficitur si id antè conueniat, pari ratione si cui cõueniat, etiã omnibus cõuenire, aut nõ conuenire: vt si hominis animus sit immortalis, etiam cæterorũ. Quòd si non hic, ne cæterorũ quidẽ esse. [u] Si igitur in quęstione positũ sit alicui conuenire, non conuenire alicui docere debemus. Sic enim illud cõsequens erit ex fictione nulli cõuenire. Quod si cui nõ conuenire ponatur, probandum est alicui conuenire. sic enim illud consequens erit, conuenire omnibus. [x] Illud aũt perspicuum est, eum qui ex huiusmodi fictione argumentum ducit, ad generalem reuocare quæstionem, quæ in parte proposita est. eum enim vult qui partem concedat, totum etiam concedere: quandoquidem si vni, pari ratione æquum putat conuenire omnibus. [y] Ac infinitæ quidem quæstiones vno modo euerti, refellique possunt: vt si voluptatem bonũ esse dixerit, aut non esse bonum, neq; aliud quicquam exposuerit. [z] Nã si voluptatem aliquam in bonis esse dixerit, nullam esse omnino probãdum est, si rem propositam velit euertere. Item si voluptatem aliquam non bonam esse enunciauerit, omnino demõstrandum est omnem esse: aliter enim non potest reprehendi. Nam si voluptatem aliquam nõ esse bonum, aut esse doceamus, nondum proposita res reprehẽsa est. Ex quo perspicuum est, rem infirmari vno modo posse, [a] confirmari duobus. Si enim omnino doceamus omnem in bonis voluptatem duci, siue aliquam, res confecta erit. Item que si opus sit ostendere aliquam voluptatem non esse in bonis, si nullam esse doceamus, aut aliquam non esse, vtrum effecerimus, aliquam in bonis non esse voluptatem docuerimus.

Ex fictione specialis quęstio in generalem abit.

[b] Definita

[b]Definita autem quæstione, duo ad refellendum loci suppetent, vt si quis ponat in bonis voluptatem aliquam esse, aliquam non esse: siue omnis in nobis esse doceatur, siue nulla esse, res proposita infirmata erit. [c]Quòd si vnam tantum modò in bonis voluptatem posuerit, tribus modis id poterit refelli. Si enim omnem esse, vel nullam, vel plures docuerimus, rem propositam euerterimus. [d]Si verò quæstio definita expositaque sit pluribus, veluti prudentiam solam ex virtutibus esse scientiam, ad id reprehendendum quatuor modis instructi erimus. Nam si doceamus omnem virtutem scientiam esse, aut nullam, aut etiam aliam, veluti iustitiam, aut ipsam prudentiam non esse scientiam, euersum erit id de quo agitur. [e]In quo vtile erit, quid cuique rerum singularum quæ cõtinentur sub specie de qua quæritur, accidat, aut non accidat, videre: quemadmodum de generalibus quæstionibus tradidi. [f]Genera etiam videnda sunt diligenter, eaque in partes, vt dixi, vsque ad individua tribuenda. Siue enim in toto genere videatur inesse, siue in nulla parte, [g]postquam in singulis rebus aliquot, ita rem habere docueris, petendũ est, vt omnino totum q; concedat, aut certè occurrat, in quo non ita reperiatur. Postremò quibus in rebus, diuidi in specie diuersa, aut numero potest accidens, facta eius diuisione, nunquid conueniat videndum est: [h]vt tempus non moueri, [i]aut non esse motum, si probare velimus, quot sint genera motus docendum est. Si enim nullum eorum conueniat tẽpori: tempus certè non mouetur, nec motus est. [k]Item q; animum non esse numerum licebit docere, diuisione adhibita, omnem numerum aut parem esse, aut imparem. Nam si animus neque par, neque impar sit, profectò esse numerus nullo modo potest. [l]Ac ex his quidem locis argumenta ducenda sunt, & depromenda ad cofirmandum, vel refellendum accidens.

De specialiquæstione præcepta communia.

IN CAPVT QVARTVM.

ANNOTATIONES.

[a] Sumendi sunt autem.) *Redit ad locorum comparationem, ea quæ hactenus ad certam quandam materiam astrinxit, nunc fusiùs & generaliùs explanans. Nempe ut sic præsentem rerum tractationem non prædictis tantum moralibus quæstionibus concludendis, sed & alijs quibusuis in eodem genere disputandis conuenire intelligatur. Sicq; præditæ doctrinæ usus maior demonstratur.*

[b] Possunt autem.) *Ostendit quo modo generaliores, μᾶλλον καθόλου antecedentes loci efficiantur, ut πρὸς πλείω χρήσιμοι, hoc est, ad plura concludenda utiles existant.*

existant. Id fit modica nominum immutatione, seu τοῦ μικρὸν παραλλάσσειν τῇ προσηγορίᾳ, ut ipse loquitur.

c Veluti quod natu.) Quædam exempli gratia proponit. Tu horum imitatione, cæteros omnes locos, qui superiùs traditi sunt, ex specialibus facilè generales effecris. Neque enim res adeò inuoluta est. Quare neq; in his explicandis opera aliqua nobis ponenda esse uidetur. Quod Interpres tale aut tale ait, tu qualecunque intelligas, id quod ad ea quæ in præsens differantur, rectè concludenda ualeat, Græcè τοιοῦτον, καὶ τοιόνδε Aristoteli dicitur.

Tale aut tale.

d Quæ mixta coniunctaq;.) Græcè τὰ τοῖς ἥττοσι μιγέντα dicuntur. Sic candidius est, ἢ τοῦ μέλανι ἀμιγέστερον, hoc est, quod minus cum atrore est permistum.

e Præter illos autem.) Superioribus hic locus accedit, de asciscenda sibi rei subiectæ definitione. In Categorijs cap. 5. disputat nullius rei definitionem uni plus, alteri minus conuenire, eò quòd ex æquo omnibus sub definita re comprehensis & conclusis definitio accommodetur. Verùm id in quarta specie Qualitatum. Quam hic ueram rei eius de qua agitur, definitionem Interpres uocat, Aristoteles τὸν ὁρισμὸν τοῦ προκειμένου λόγου dicit. In quo nota τοῦ λόγου uerbum pro definitione capi.

Definitio an omnibus æquè cõueniat.

f Quò magis dispertit.) Est enim aspectum dispartiri seu distrahere, cãdoris proprium, ut in antegressis patuit.

g Quòd si quæstio non.) Initio libri antecedentis cùm ordinem, quem in tractandis propositis quæstionibus seruare statuisset, nobis proponeret: primùm de uniuersis & generalibus quæstionibus se præcepturum admonuit, cùm inquit: Primùm igitur de locis qui ad refellendum totum genus pertinent, dicendum est. Istis itaq; de disputando accidente hactenus explicatis, nunc breui quid tum de specialibus, tum de indefinitis quæstionibus in hoc eodem genere statuendum sit, declarat. Ac uult quidem antecedentes locos omnes hic ualere, propterea quòd quæ de uniuersalibus rectè disputantur, eadem & suo modo ad particularia possint accommodari. Quò fit, ut & breuius hanc tractationem ipse expediat.

Ad specialẽ quæstionem disputationem accommodat.

h Propterea quòd si.) Ita Cicero in Oratore: Latiùs enim de genere, quàm de parte disceptare licet, ut quod in uniuerso sit probatum, idem in parte nõ sit probari necesse.

i Aptissimi autem.) Inter cæteros locos, qui maximè ad hanc tractandam quæstionem faciant, ostendit. Aptissimi loci, Græcè μάλιστα ἐπιτήδειοι, καὶ κοινοὶ τῶν τόπων dicuntur.

k Aequè enim proba.) Hoc ad contraria pertinet.

l Vt sensus aliqua pri.) Græcè est, καὶ ἀναισθησίας τῆς, οὐκ ἔστιν ἀδυναμία.

m Et si quod opina.) Hæc ad coniugata & casus pertinent, nisi quòd secundo loco contraria cum coniugatis & casibus permiscere uidetur.

n Aliqua

n Aliqua etiam volupt.) Maximè cùm uoluptas & id quod iucundum est, in numero sint coniugatorum, si non tam uoce, at certè significatione. Græcè ἔστι τῶν ἡδέων, ἡ ἡδονή τις apertiùs dicitur.

o Quod idem in ijs.) Quod de contrarijs & coniugatis ostendit, idipsum & in alijs ualere demonstrat, nempe in ortu & interitu, in comparatis, & similibus, & cæt. Quod ad ortum & interitum attinet, horum dissimilem in argumentando rationem esse lib. 2. docuit, ad quem locum hîc recurrendum erit.

p Idem ex maiore.) De hoc loco uide lib. 2. capite ultimo.

q Nisi quòd ex pari.) Ex pari in contrarias partes argumenta suppetunt, ex minore non nisi in aientem. Id græcè hîc dicitur: τὸ μὲν ἐκ μὴ τῶν ὁμοίως, ἀμφότερα, ἐκ δὲ τοῦ ἧττον, κατασκευάζειν μόνον, ἀνασκευάζειν δὲ οὔ. De hoc uide lib. 2. ca. 5.

r Non solùm aũt.) Comparationem rerum partim diuersi generis, partim eiusdem constituit. De illa paulo suprà disseruit, de hac in præsenti agit consimili modo.

s Argumentum duci potest.) Ad refellendum scilicet accõmodatum. Græcè enim est, ἔξεστι ἀνασκευάζειν λαμβάνοντι δὲ μᾶλλον τοιοῦτον.

t Ex fictione idem.) Græcè δὲ ἐκ ὑποθέσεως dicitur, quod cum Fabio Quintiliano lib. 5. cap. 10. Interpres ex fictione ait. Illud adijciendum uidetur (inquit) duci argumẽta, non à confessis tantum, sed etiam à fictione, quam Græci καθ' ὑπόθεσιν uocant. &c. Huius loci exemplum fuerit illud lib. 2. de Cœlo, cap. 11. cuius suprà lib. 2. cap. 2. meminimus, quo ex lunæ rotunditate omnes stellas esse rotundas Aristoteles disputat. Argumentum à fictione.

u Si igitur in quæ.) Docet, quomodo in aduersam partẽ instituendũ sit argumẽtũ.

x Illud autem per se.) Nota uim argumenti τῶν δὲ ὑποθέσεως, quod ex speciali quæstione uniuersalem conficit. δῆλον δὲ ὅτι (inquit Aristoteles) ὑποτιθέμενος οὕτως ἂν πρόβλημα καθόλου ἐπὶ μέρους τελέου. ἂν γὰρ ἕως μέρους ὁμολογοῦντα, καθόλου ἀξιοῖ ὁμολογεῖν.

y At infinitæ quidem.) Sequitur de quæstione τῇ ἀδιορίστῳ, cuius par cum specialibus ratio est, quod ad refellendi coarguendiq; uiam pertinet. Vtraq; enim nisi μοναχῶς per uniuersale contradicens, refelli non potest. In hunc locum uide quædam lib. 1. de Ratiocinat. cap. 14.

z Nam si volupt.) Hîc signum apponit, ut & in sequentibus, cùm tamen ἀδιόριστα, partim ἁπλῶς καθόλου, partim οὐχ ἁπλῶς dici in præsens asseuerat.

a Confirmari duob.) διχῶς. Per uniuersale scilicet & particulare: sequitur enim ad utrunq; ἀδιόριστον.

b Definita autem.) Plures modi τῶν διορισμῶν nunc deinceps consequuntur, quorum singuli peculiarem tractationẽ obtinent. Primus refellitur διχῶς, alter τριχῶς, tertius τετραχῶς, ut ipse declarat.

c Quòd si vnam tantum.) *Hæc exclusiua particula est. Græcè est,* εἰ δὲ μίαν μόνην ἔφησεν.

d Si verò quæstio definita sit plurib.) *Græcè* ἐπὶ πλέονων τὴν θέσιν διορισθεῖσαν *uocat.*

e In quo vtile aut.) *Subijcit nunc communia quædam præcepta, seu monita, quorum usus in specialibus & indefinitis quæstionibus tractandis consistit. Horum & suprà meminit, cùm de generalibus quæstionibus sermo haberetur, ut lib. 2. cap. 2.*

f Genera etiam videnda sunt.) *Sic Cicero de Oratore ad Brutum: Idemq; etiam cùm res postulabit, genus uniuersum in species certas, ut nulla neq; prætermittatur, neq; redundet, partietur & diuidet. Græcè est,* ἔτι δὲ ἐν τοῖς γένεσιν ἐπισκεπτέον διαιροῦντα κατ' εἴδη μέχρι τῶν ἀτόμων.

g Postquam in singulis aliquot.) *Nota quomodo tandem* τὴν ἔνστασιν *sit in disputatione locus: nempe ubi nonnullarũ rerum probationem attuleris. Sine enim omni antegressa probatione* ἔνστασιν *postulare, insani hominis, & in disputando ineruditi fuerit. De hoc eodem modo & lib. 2. cap. 2. dictum est.*

ἔνστασις vbi locum habeat.

h Vt tempus non moueri.) *De hoc uide lib. 4. De Natura, quo loco temporis naturam indagat.*

i Aut non esse motum.) *Vt Zeno iudicauit, de quo uide Aristotelem lib. 6. de Natura, cap. 2.*

k Itemq; animum non esse.) *Hoc contra Platonem disserit, seu Zenocratem, ut uult Macrobius. Plutarchus lib. 4. de placitis Philosophorum, cap. 2. Pythagoram statuisse ait, animum esse numerum seipsum cientem, non uerò talem numerum, quo numeramus, quem ad modum hîc de eo loquitur Aristoteles, sed numerum, qui pro mente & intelligentia ipsa capiatur, ut loco suprà dicto Plutarchus asseuerat.*

Animũ q̃ numerum dixerint.

l Ac ex his quidem.) *Conclusio qua transit ab Accidentis quæstione, ad problematum generis, tum proprij, quorum illud quarto libro, hoc quinto sibi explicãdum sumit.*

ARIS-

ARISTOTELIS STAGIRITÆ TOPICORVM LIBER IIII. IOACHIMO PERIONIO BENEDICTINO CORMOERIACENO INTERprete, ad Græci exemplaris fidem diligenter recognitus, vnà cum Annotationibus Gerardi Matthisij Geldrienſis, nunc denuò recognitis & locupletatis.

IN GENERIS QVAESTIONE DISPVTANDA LOCI QVI. Caput. I.

DEINCEPS[a] ea quę ad genus & proprium pertinẽt, videamus.[b] In ijs autem elementa definiendi tradentur:[c] illa autem ipſa, rarò in diſputationem incidunt. Tranſit ad locos Generis.

[d] Si igitur ponatur genus alicuius eorum quæ ſunt, primum videndum eſt, an de aliquo eorum quæ illi cognata ſunt, & vicina, minimè dicatur: vt ſit in accidentibus: vt ſi voluptatis genus bonum ſtatuatur, an aliqua voluptas non ſit in bonis, videndum erit. Nam ſi ita fiat, certè voluptatis bonum non eſt genus,[e] quippe cùm genus in formis omnibus quæ ſub ipſum ſubiectæ ſunt, intelligatur.[f] Deinde conſiderãdum eſt, an in quęſtione qua quid ſit res exquiritur, minimè dicatur, ſed vt accidens: vt album de niue, aut de animo, pulſu ſuo, et interiore agitari. Neq; enim idem nix eſt quod album aliquid. itaq; nõ eſt album niuis genus,[g] nec animi id quod à ſe mouetur, accidit enim ei vt moueatur, quemadmodum ſæpe animali vt ambulet. Præterea quod à ſe mouetur, non quid eſt, ſed facere aut pati indicat. Item q̃; album, non naturam niuis ſignificat, ſed qualitatem. Ita neutrum eorum in naturæ quæſtione dicitur. Genus ἐν τῷ τί ἐστι dicitur.

[h] Maximè verò an definitio accidentis in id genus quod datum eſt, conueniat, ſpectare debemus. Nam vt in eo exemplo quod modò protuli, permaneam, fieri poteſt, vt aliquid ſeipſum, & moueat, & non moueat. Item q̃; vt album ſit aliquid & non album: ex quo efficitur, neutrum eorũ genus eſſe, ſed accidens: quandoquidem accidens diximus eſſe, id quod & conuenire alicui poteſt, & non conuenire.[i] Iam illud etiam videndum eſt, an non in eadem diuiſione, genus & ſpecies numerata ſint, vnumq̃; eorũ ad ſubſtantiam, alterũ ad qualitatẽ: aut illud ad ea quæ cum aliquo cõferũtur,

Genus & species eiusdē Categoriæ.

hoc ad qualitatem pertineat. veluti nix & cygnus ad substātiam: album autem non ad substantiam, sed ad qualitatem pertinet. Ita album, nec nix genus est, nec cygni. Rursus quoniam scientia in ijs est, quæ cum aliquo conferuntur, bonum autem & honestum in qualitate: fit, vt honestum, aut bonum non sit genus scientiæ, præsertim cùm eorum quæ cum aliquo conferuntur genera, etiam ipsa in eodem genere esse debeant. Id quod in duplo cernere licet. Nā cùm multiplum dupli sit genus, ipsum etiam in ijs est, quæ cum aliquo conferuntur: atque vt summatim dicam, eidem diuisioni, cui species, genus subijci debet. Siue enim species substantia sit, etiam genus: siue qualitas sit species, etiam genus qualitas sit necesse est. Vt si candor ad qualitatem referatur, color etiam refertur. Quod etiam fit in cæteris. [k] Prætereà videndum est, an necesse sit, aut posſitne genus eo participare quod in genere positum est: [l] definitio autem participandi est, eius quod communicatur, recipere definitionē.

Species generis particeps, nō contrà.

[m] Ex quo perspicuum est, species generum participes esse, genera formarum non esse, quandoquidem generis cum specie communicatur definitio, speciei cum genere non item. Illud ergo videndum est, genúsne id de quo agitur particeps sit, an posſit esse speciei particeps. [n] vt, si quis eius quod est, aut vnius, aliquod genus tradat. Ita enim fiet, vt particeps sit formarum genus. quoniam in rebus omnibus quæ sunt, id quod est & vnum intelliguntur: [o] ergo etiam eorum definitio. [p] Illud etiam, an species data & proposita, in aliqua re verè dicatur, genus non dicatur: veluti si id quod est, aut quod sciri potest, opinabilis ponatur genus: de his enim rebus, quæ nullæ sunt, opinabile dicitur. quoniam multa eorum quæ nulla sunt, in opinione consident. Id autem quod est, aut quod scientia comprehenditur, de ijs quæ nulla sunt, vt perspicuum est, non dicuntur. Ex quo fit vt neque id quod est, neque id quod scientia comprehēditur, sit genus opinabilis: [q] præsertim cùm in quibus species dicitur, genus quoque dici debeat. [r] Prætereà illud etiam considerandum est, an nullius formæ id quod positum est in genere particeps esse posſit. fieri enim non potest, vt generis sit particeps, id quod nullius formarum est: nisi fortè aliquid eorum sit, quæ in diuisione prima formarum collocantur, quæ omnia genere tantum modo participant. [s] Si igitur motus ponatur voluptatis genus esse, an neque interitus, neque commutatio, neque vllus motus alius eorum qui eodem genere cōtinentur, voluptas sit, videndum est. Perspicuum est enim, nullius formæ recipere posse

commu

communionem: [x] ita ne generis quidem: [y] quãdoquidem id necesse est, quod generis est particeps, alicuius etiam particeps esse formarum. Ita fit, vt motionis species voluptas esse non possit, neque indiuiduorum, neque eorum, quæ subiecta sunt sub specie motionis: [z] quandoquidem generis specieiq; cum indiuiduis definitio communicatur, vt certus homo, & hominis particeps est, & animalis. [a] Præterea illud etiam videndum est, an [b] id quod positum est in genere, in pluribus quàm genus intelligatur. vt opinabile in pluribus quàm id quod est, dicitur. Etenim id quod est & quod non est, in opinione consistit. Ita opinabile eius quod est, species esse nullo modo potest. [c] Semper enim ad plura genus quàm species pertinet. Item q; illud, an genus in totidem rebus quot forma dicatur. vt si [d] eorum quæ res omnes consequuntur, vnum genus, alterum species statuatur, qualia sunt id quod est, & vnum. Omnibus enim in rebus id quod est, & vnum intelliguntur. Neutrum igitur alterius esse genus potest, [e] quandoquidẽ in rebus paribus æqualibusq; dicũtur. Quod etiam fiet, si [f] quod primum est & principium, alterum alterius genus esse statuatur. Nam & initium primum est: & quod primum est, id initium. Ita si vtrumq; idem valet, certè neutrum alterius genus futurũ est. In quibus omnibus [g] illud initium & quasi elementũ nobis propositum esse debet, Genus ad plura quàm speciẽ differentiam q; pertinere. [h] Pauciora enim quàm genus, etiam continet differentia. [i] Animaduertendum etiam est, an id quod pro genere adhibitum est, non sit genus alicuius eorum quæ specie non differunt, an etiam non possit videri. Is quidem qui rem confirmabit, sitne cuiuspiam videbit. [k] Est enim omnibus ijs quæ specie non differunt, idem datum genus. quòd si vnius docuerit esse. profectò omnium esse ostenderit: sin vnius non esse docuerit, certè nullius docuerit. [l] Vt si quis indiuiduas lineas ponat, dicatq; earum genus esse id quod secari non potest: linearum enim earum quæ diuidi possunt, non est genus id quod datum est, cùm specie non differant: quandoquidem rectæ lineæ omnes specie non differunt.

Genus & specie & differentia latius patet.

IN CAPVT PRIMVM,

ANNOTATIONES.

[a] Deinceps quæ ad.) *Accidentis locis omnibus hactenus expositis, transit nunc ad cæterorum attributorum, in quibus omnes Dialecticæ quæstiones uersantur, locos explicandos. Sũt aũt reliqua ista attributa, genus, proprium, & definitio, (quemadmodum ex li. 1. patet) ex quibus quòd genus & propriũ ante definitionem exponit, eius causa est,* Ordinis ratio.

quòd & genus, & proprium, ipsius definitionis tanquã elementa καὶ στοιχῶα quædam sunt, quæ suo iure quidem certè præcedunt. A genere uerò primùm propterea orditur, quòd genus cùm cæteris communius sit, hac ratione quàm proximè ad Accidens, id quod teste Alexandro κοινότατον καὶ ἀπλούστατον τῶν προβλημάτων est, accedat.

b In ijs autem elementa.) Hîc tacitè causam reddit, quam ob rem hos locos definitioni præmittat, Nempe quia initia & tanquam elementa sint conflandæ definitionis.

Elementa τὰ στοιχῶα Elementa, initia dicuntur rerum earum, quæ ex ipsis fiunt. Ita Alexander, καὶ ἐπεὶ τὰ στοιχῶα πρῶτα τόπων, ὧν ὄντι στοιχῶα. De uoce τῶν στοιχείων plura Aristoteles libro 4. τῶν μετὰ τὰ φυσι. cap. 2.

c Illa autem rarò.) Significat rariorem de genere, proprio, ac definitione apud Dialecticos disputationem incidere, propterea quòd omnes ferè quæstiones dialecticæ, ut Alexandro uidetur, accidens attingãt. Quæstio enim generis, & proprij, & definitionis paulo accuratiorem, quàm pro Dialectica, & methodum & tractationẽ requirit. Sicut his uerbis Alexander testatur, τὰ δὲ περὶ τῶν γενῶν γε καὶ τῶν ἰδίων καὶ τῶν ὁρισμῶν προβλήματα, ἀκριβεστέρας ἢ κατὰ διαλεκτικὴν μεθόδου χρήζει καὶ ἐπισκοπικωτέρας.

Quæstio accidentis ferè Dialectica.

d Si igitur ponatur.) Præceptionem orditur, quod ad generis rectè cognoscendi disputandiq; locos attinet. Si quod pro genere collocatur, eiusmodi est, ut uel de omnibus formis non dicatur, uel de ijs quæ formis subiecta sunt, (Alexander τὰ ὁμοειδῆ, Aristoteles τὰ συγγενῆ τῷ λεχθέντι uocat) non est reuera illud genus. Siquidem hæc Generi propria & quasi naturalis dicendi ratio est, ut de subiectis omnibus dicatur, quemadmodum ex Porphyrij Institutionibus patet.

Genus de omnibus formis dicitur.

d Quippe cùm genus.) Id græcè Aristotel. dicit, ὁ γὰρ γένος τῶν ὑπὸ αὐτὸ εἰδῶν κατηγορεῖται. Alexander eodem sensu, ἔτι δὲ γένος, inquit, κατὰ πάντων τῶν ὁμοειδῶν ὁμοίως κατηγορεῖται.

c Deinde considerandum.) E` modo dicendi, sit`ne genus nec ne, explorandum indicat. Genus ἐν τῷ τί ἐστι dicitur, qui dicendi modus si in id, quod pro genere sumitur, non conuenit, palam est non esse genus. Quæ accidenti tribuitur dicẽdi ratio, illa nõ naturæ, sed qualitatis est, quam Porphyrius τὸν ἐν τῷ ὁποῖόν τί ἐστι capite de Genere appellat.

Genus ἐν τῷ τί ἐστι dicitur.

Accidens ἐν τῷ ὁποῖόν τί ἐστι.

g Nec animi id quod à se mo.) Græcè ὅπερ κινούμενον est, quod antè κινούμενον ὑφ' ἑαυτοῦ dixit eodem sensu. Differit hæc aduersus Platonem, qui τὸν ἀυτοκινησίαν teste Alexandro genus animi constituit. Vide in hunc locum de Platonis sententia Macrobium lib. 2. in Somnium Scipionis.

Animi genus.

h Maximè verò an.) Si & conuenire rei subiectæ, & non conuenire poterit, accidens, non genus est. Sic enim & Accidens lib. 1. Topicor. cap. 3. definitũ est: et cui alterius cuiusplam definitio conuenit, illi idipsum ut conueniat necesse est.

i Iam

i Iam illud etiam.) *Si non sit eiusdem ordinis & Categoriæ cum illis, de quibus dicitur, non est genus. Sunt enim genera & species eiusdem συσοιχείας & naturæ, ut initio lib. Categoriarum diximus. Nota hîc διαίρεσιν pro Categoria ab Aristotele poni, ut hoc loco, sic & paulo posteriùs, ubi dicit: καθόλε δὲ ἐιπεῖν ὑπὸ τὰ αὐτὰ διαίρεσιν δεῖ ἄγειν ὧν ἐιδη εἶναι.* Diuisio, & Categoria.

k Præterea videndum.) *Si quod pro genere ponitur, inferioris, τοῦ τελευτᾶν ἐν τῷ γένει, hoc est, ipsius speciei, (ut pòst loquitur) natura definitione ne participat, certum est non esse genus. Neque enim genus speciei, ut hæc generis è conuerso, naturam participat.*

l Definitio autem participandi.) *Explicat uerbum τοῦ μετέχειν, quo usus est,* ὅρος δὲ τοῦ μετέχειν, *inquit,* ὃ ἐπιδέχεται ἐν τοῦ μετεχομένου λόγον. τὸ μετέχειν.

m Ex quo perspicuum est.) *Hæc ad Porphyrij uocum collationem adiungi poterant, ut τὰ μὲν εἴδη μετέχειν τῶν γενῶν, τὰ δὲ γένη τῶν εἰδῶν, οὐ. Cuius rationem subijcit, quia species generis definitionem recipit, ut homo & bos animalis: genus autem speciei non item. Quo modo enim animali, aut bouis, aut hominis definitionem adiũgas: cùm hæ definitiones suis differentijs explicatæ, longè angustiùs, quàm pro animalis natura, pateant?* Species generis finitionem recipit, non contrà.

n Vt si eius quod est.) ὅλως γὰρ ἓν dicit, quæ cùm omnium summa sint, non potest de ijs ut genus quicquam rectè dici.

o Ergo quod eorum defini.) *Nimirum cùm uicißim & definitio, & id quod definitur, inter se reciprocentur.*

p Illud etiam an species.) *Si non de omnibus quod pro genere sumitur, dicitur ijs, quæ speciei complexu tenentur, non est genus. Debet enim genus de omnibus talibus dici.* καθ' ὧν γὰρ δεῖ εἶδος κατηγορεῖσθαι, καὶ τὸ γένος δεῖ καταγορεῖσθαι. *Sic neq; τὸ ἐπιστητὸν, neque τὸ δοξαστὸν genus esse queunt, propterea quòd et τὰ μὴ ὄντα, quæ nulla sunt, opinabile continet, de quibus neutrum prædictorum affirmari potest.* Genus dicitur de omnibus speciei subiectis.

q Præsertim cùm in quib.) *De hoc uide Porphyrium cap. 2. de Specie.*

r Præterea illud etiam.) *Si quod genus alicuius ponitur, eius nulla pars aut species, de eo cui genus positum attribuitur, enũciari potest, non est reuera genus. Sic motus, si nulla specierum eius de uoluptate dicatur, non est uerè genus τῆς ἡδονῆς, hoc est, uoluptatis.*

s Si igitur motus.) *Sic Cicero 2. lib. de Finib. Omnes enim iucundum motum, quo sensus hiarent, græcè ἡδονὴν, Latinè uoluptatem uocant. Idem lib. 3. Tusculan. quæstion. uoluptatem esse perturbationem, omnem autem perturbationem, animi quendam motũ esse ait, ita ut hinc conficiatur, motũ de uoluptate uti genus quoddam dici. Verùm quod* Motus an voluptatis genus.

in Tuscula-

πάθος καὶ κίνησις. *in Tusculanis, seu perturbationem, seu animi motum Cicero appellat, id isto libro δὲ πάθος Græcè dicitur, quod nomen est qualitatis cuiusdam: Hic motus non δὲ πάθος, sed ἡ κίνησις græcè ab Aristotele appellatur, quæ uox à Categoria Qualitatis lōgè est aliena.*

t Ita ne generis quidem.) *Quippe cùm speciebus seu formis omnibus remotis, remoueatur necessariò & genus, quemadmodum suprà ex Fabio diximus.*

u Quandoquidem id necesse.) *Græcè est,* ἐπεὶ δὴ ἀναγκαῖόν ἐστι δὲ τοῦ γένους μετέχον, καὶ τῶν εἰδῶν τινὸς μετέχειν.

x Quandoquidem generis.) καὶ γὰρ τὰ ἄτομα μετέχει τοῦ γένους καὶ τοῦ εἴδους.

Genus latiùs speciebus patet. y Præterea illud etiam.) *Si quod pro genere assumitur, uel minus latè pateat, quàm id quod generi subest, uel æquè latè angustéue cum eodem illo pateat, nō est illius genus, propterea quòd genus omne speciebus suis latiùs & dicitur, & manat.* ἐπὶ πλέον γὰρ ἀεὶ τὸ γένος τοῦ εἴδους λέγεται, *ut hic Aristoteles dicit.*

Species & genus vt hic dicantur. z Id quod positum est in ge.) *Græcè est,* δὲ ἐν τῷ γένει τεθὲν, *quod suprà* τὸ τεθὲν ἐν τῷ γένει, *infrà* τὸ ἐν γένει κείμενον *eodē sensu dicit, pro eo quod generi subest, hoc est, inferiore, seu specie. Id quod generis loco assumitur, nunc* τὸ γένος *simpliciter, nunc* τὸ γένος εἰρημένον, *nūc* τὸ ῥηθὲν *seu* δὲ ἀποδοθὲν γένος, *nunc* τὸ τεθὲν ὡς γένος, *nunc* τὸ ὡς γένος ἀποδεδομένον *partim Alexandro, partim Aristoteli dicitur.*

a Semper enim genus.) *De hoc uide Porphyrianam Isagogen.*

b Eorum quæ omnes res.) τῶν πᾶσιν ἑπομένων *Græcè est.*

c Quandoquidem in rebus parib.) *Græcè est,* ἐπὶ ἴσων λέγεται.

d Si quod primum est.) *Græcè est,* τὸ πρῶτον καὶ ἡ ἀρχὴ.

e Illud initium, & quasi.) *Græcè* τὸ στοιχεῖον *appellat, de qua uoce suprà dictum est. Est autem illud* στοιχεῖον, τὸ ἐπὶ πλέον τὸ γένος, ἢ τὸ εἶδος καὶ τὴν διαφορὰν λέγεσθαι.

Genus differentia latiùs patet. f Pauciora enim quàm ge.) *Id patet, quia cùm genus in duas repugnantes differentias diuidatur, de utriusq; istarum differentiarum formis ac speciebus subiectis dicitur, cùm quælibet differentia non nisi de sui generis, seu ordinis subiectis speciebus enuncietur, de quo uide Isagogen Porphyrij.*

Indiuidua specie ἀδιάφορα. g Animaduertendum etiam est.) *Si quod pro genere capitur, unius eorum quæ specie conueniunt, genus fuerit, omnium erit: Si unius non fuerit, nullorum erit. Quia ea quæ specie conueniunt,* τὰ ἀδιάφορα τῷ εἴδει *Aristoteles uocat, inter se similia sunt, de quibus similibus idem esse iudicium, superioribus libris aliquoties dictum est.*

h Est enim omnibus.) *Græcè est,* ταυτὸ γὰρ πάντων τῶν ἀδιαφόρων τῷ εἴδει τὸ γένος

i Vt si quis indiuiduas.) *Græcè* ἀτόμους γραμμὰς *uocat, quarum genus uideri*

uult

vult διαίρετον. De lineis rectis uide Euclidem lib. 1.

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Cap. 2.

ILlud [a] etiã, an sit aliud aliquod genus eius speciei quæ data est, quod nec genus propositũ contineat, neq; sub illud subiectum sit, vt si quis iustitiæ genus esse scientiam ponat. quoniam enim genus est etiam virtus, neutrumq; genus alterum continet, scientia genus esse iustitiæ nullo modo potest. Cùm enim species vna duobus generibus subiecta est, tum alterum altero continetur. [b] Quanquam de nonnullis quæstio est, nonnullis enim & virtus, & scientia, prudentia videtur esse, nec alterum genus altero contineri: [c] non tamen omnium consensu prudentia scientia est. Quòd si quis id quod dixi verum esse concedet, at certè alterum alterius genus esse, [d] aut sub eodem genere vtrumque subijci, quod eidẽ genus sit necesse est. quod & in virtute, & in scientia contingit. [e] vtrumque enim eidem generi subiectum est, quippe cùm eorum vtrumq; habitus sit & affectio. Illud igitur videndum est, an neutrum generi proposito conueniat: quoniam si nec alterum altero continetur, nec vtrumq; eodem, certè id quod propositum est, esse genus nullo pacto potest. [f] Spectandum etiam genus est propositi generis, & semper id genus quod suprà est, omniáne illa de specie dicantur, & in quæstione naturæ intelligãtur. [g] De specie enim in quęstione naturę genera quæ suprà sunt dici debent omnia. Quòd si cubi hæc non constet ratio, profectò id quod propositum est, non est genus. [h] Iam illud etiam considerandum est, an speciei cum genere, aut cum aliquo genere eorum quæ suprà sunt, communicetur definitio. Quod enim genus suprà est, nullius eorum quæ infrà sunt, definitione participat. Accidit quidem qui partes infirmãdi obtinet, ita vt dixi, hic tractandus locus est. [i] Ei autem qui probabit rem, si speciei, genus propositum conuenire constiterit, in dubium autem veniat, an vt genus cõueniat: [k] satis erit aliquod eorum generũ quæ suprà sunt, dici de specie in quæstiõe qua quid quicq; sit exquiritur, docere. Etenim si vnũ aliquod in illa quæstione dicatur, certè [l] omnia & quę hoc priora antiquioraq; sunt, & quæ posteriora: si quidem de specie dicantur, in naturæ quæstione dicentur. ex quo efficitur, id genus quod datum sit, in eadem quæstione dici. Quòd si vnum in naturæ quæstione dicatur, cætera etiam omnia, si quidem dicantur, in eadem dictum iri quæstione, inductione concludendum est. [m] Sin an omnino genus propositum speciei

An prudẽtia sit scientia.

Genus in quęstione naturæ dicitur.

conueniat in controuersia versetur: non satis est docere, vnum aliquod genus eorum quæ suprà sunt, in naturæ quæstione dici de specie: velut, si quis ingressui genus dederit delationem, [p] non satis est ingressum esse motionem docere, ad probandum ingressum esse delationem, quandoquidem alia sunt etiam motionum genera: [q] sed antè docendum est, ingressum [r] nullius eorum, quæ in eadem diuisione, qua delatio collocantur, nisi delationis retinere definitionem. [s] Quod enim particeps est definitionis generis, id alicuius etiam formarum, quæ prima partitione continentur, definitione participet necesse est. Quòd si ingressus nec accretionis, nec imminutionis, neque aliarum motionum sibi definitionem vendicet, profectò delationis vendicet necesse est. ita ingressus delatio genus erit. [t] Præterea in quibus species posita, vt genus dicitur, considerandum est, an etiam genus quod datum est, in quæstione naturę de ijs de quibus etiam forma, dicatur: Itemq; an quæ supra genus sunt, omnia. Nam si quo loco hoc non conueniat, certè id quod datum est, generis nomẽ non obtinebit. Etenim si genus esset, omnia & quę suprà sunt, & ipsum illud in naturæ quæstione dicerentur, quemadmodum etiam species in ea quæstione dicitur. Commodum igitur erit ei qui refellendi partes obtinebit, non dici genus in quæstione qua quid sit quæretur, de ijs omnibus de quibus etiam forma dicatur. [u] at ei qui confirmabit, in ea dici quæstione. Ita enim efficietur, & genus & formam de eodem in quę stione naturæ dici: ex quo consequens erit, idem duobus generibus esse subiectum. Alterum igitur altero contineatur necesse est. Quòd si demonstratum sit, id genus quod cõstituere volumus, non esse subiectum sub specie, profectò species sub eo subiecta erit. Ita ostẽsum erit, generis id nomen obtinere. [x] Videndum etiam est, an speciei propositæ, ijsq; quibuscum species communicatur, generum conueniat definitio. Necesse est enim in specie, ijsq; omnibus quæ specie participant, generum dici definitiones. Quod si quo loco non conueniat, certè quod datum est, generis nomen nõ obtinet. [y] Illud etiam, num differentiã pro genere adhibuit: vt, si immortale, genus Dei dixerit. Est enim animantium differentia immortale: quandoquidem animantium alij sunt mortales, alij immortales. ex quo perspicuum est in errore illum esse versatum, quoniam nullius rei genus differentia est. Quod verum esse ex hoc intelligi potest, [z] quia differentia quid res sit, non indicat, sed potiùs quale quid sit, quemadmodum gradiens & bipes. Illud etiam, [a] an differentiam in

Differentia pro genere locari nequit.

genere

genere quasi speciem posuerit, vt si quis impar speciē numeri dixerit. differentia enim numeri est impar, non species: nec differentia generis est particeps, [a] præsertim cùm quicquid generis est particeps, id vel species sit, vel individuum: & differentia, nec speciei, nec individui nomen obtineat omnino. Ita fit, vt generis non sit particeps differentia. Non igitur impar species est, sed differentia, quandoquidem non est particeps generis definitionis. Prætereà illud etiam considerandum est, [a] an genus in formarum numerum retulerit: [b] vt cōtiguitatem idem esse quod continuationem: aut permixtionem idem quod temperationem: aut [c] vt Plato definit, delationem, loci mutationem. neque enim necesse est contiguitatem continuationem esse: sed contrà, continuationem contiguitatem esse necesse est. [d] quippe cùm non omne quod coaptatur, continuetur: sed quod continuatur, aptatur. quod idem fit in cæteris. Neque enim confusio omnis temperatio est, quoniam siccorum permixtio [c] nō est temperatio: nec mutatio loci omnis, delatio. Ingressus enim [f] delatio non videtur esse, [g] propterea quòd in ijs tantummodo quæ vi non spōte, & voluntate sua locum mutant, dicitur. id quod in rebus inanimis contingit. [h] Ex quo intelligitur speciem, quā genus in pluribus dici, in ijs quæ data sunt, cùm contrà necesse sit fieri. Videndum etiam illud est, [i] an sub formarum aliqua differentiam collocarit: veluti, si immortale idem esse quod deum dixerit. Ex eo enim consequens erit, [k] id quod inferius est specie in paribus, aut pluribus dici specie. [l] semper enim in paribus rebus, aut in pluribus, quàm species, differentia dicitur. Etiam illud [m] an genus sub differentia quasi speciem reposuerit, vt colorem sub eo quod vim habet ad aspectum oculorum comparandum, vel numerum sub impari. Item q; illud, [n] an genus dixerit ut differentiam. Fieri enim potest, vt aliquis hoc propositum afferat & inducat, temperationis differentiam esse confusionem, aut delationis, loci immutationem. Atq; hęc omnia ex ijsdem locis, quoniam inter eos communio est, & societas quædam, intelligenda sunt. Nam & genus in pluribus dici debet, quàm differentia, & differentiæ non esse particeps. quòd si ita, vt in superioribus exemplis, genus detur, neutrum eorū quæ exposuimus accidere potest. Sic enim & in paucioribus dicetur genus, & participabit differentia. Prętereà illud intelligendum est, si [o] differentia nulla earū quæ generi subiectæ sunt, de specie quæ data sit, dicatur, ne genus quidem dictū iri. nam quoniā de animo, nec impar, nec par dicit, cò fit, vt ne numerus quidē.

περὶ de quibus propriè dicat.

Iam verò [p] si species sit prior naturæ ordine, & genus vnà secum tollat, & euertat: nam id contrà fieri debet. quod idem fit, [q] si species genus expressum & propositum, aut differentiam, potest relinquere, vt animus motum, aut opinio verum & falsum. neque enim alterum eorum genus potest esse, aut differẽtia, quoniam quamdiu species est, [r] eam & genus, & differentia sequuntur.

IN CAPVT SECVNDVM.

ANNOTATIONES.

a Illud etiam.) Cæteros locos persequitur. Quia eadem res diuersis generibus subesse non potest, maximè si genera μὴ ὑπάλληλα ponantur, sequitur si quod diuersum ab eo quod propositum est, subiectarum specierum genus sit, non esse alterum, id de quo quæstio controuertitur. Sic quia iustitiæ genus est uirtus, non potest esse scientia, cùm hæc genera diuersa sint, καὶ τὰ μὴ ὑπάλληλα τεταγμένα.

Eadẽ res diuersis generibus nõ subest.

b Quanquam de nonnullis.) Superiorem locum clariùs explicat, κατ' ἔνστασιν dubitationi occurrens. Si non alterum genus sub altero ponatur, necesse est minimũ ambo genera sub tertio quopiam collocari, ut eadem species diuersis generibus subijciatur.

c Non tamen omniũ con.) Maximè si propriè scientiæ, ἡ ἐπιστήμης, uocabulũ sumatur, ut in sempiternis & immutabilibus rebus uersatur, non ijs quæ aliter aliterq; possunt contingere, quarum rerum propriè dicitur esse ἡ φρόνησις, hoc est, prudentia, teste Aristotele lib. 6. Nicomachiorum Ethicorum. Cicero lib. 1 Officior. prudentiam, rerum expetendarum fugiendarumq; scientiam esse definit.

Prudẽtia an verè sit scientia.

d Aut sub eodem gen.) Hoc est, quod ad loci superioris explanationẽ adiunxit.

e Vtrumq; enim eidem gene.) Nempe qualitati studio & industria comparatæ, quam τῷ ἕξιν καὶ διάθεσιν in Categorijs cap. 5. appellat. Græcè est, ἄμφω γὰρ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος ἐστίν, ἑκάτερον γὰρ αὐτῶν ἕξις καὶ διάθεσίς ὅστι.

f Spectandum est etiam.) Quum superiora omnia de inferioribus eodem modo dicantur, necesse est, si propositi, τοῦ κατὰ τοῦ τεθέντος generis, τὰ ἐπάνω, hoc est, superiora genera de subiecta specie non dicantur, idipsum reuera non esse genus.

Genera τὰ ἐπάνω.

g De specie enim.) De hoc uide Porphyrium in Institution. cap. 2. τὸ γὰρ ἐπάνω (inquit) γένος κατηγορεῖται καὶ τοῦ εἴδους καὶ ἑνὸς ἑκάστου.

h Iam illud etiam.) Non est genus, quod proponitur, si uel idipsum, uel ea quæ eo superiora sunt, subiecte speciei ratione participent. οὐδενὸς γὰρ ἐπάνω τῶν ὑποκάτω μετέχει. Huic simile quiddam & capite antecedenti docuit.

i Ei autem qui probab.) Superiorem locum in utramq; partẽ ualere demonstrat. Si quidem in aientem adhibeatur, duplex eius usus est. Vel enim in confesso est, propositum genus subiecto conuenire, uel non conuenire. Et pro hac diuersitate tractandi argumenti

mentiratio alia atque alia est.

k Satis erit aliquod.) Hic prior modus est. ἀπόχρη δ' ὅθεν τι τῶν ἐπάνω γενῶν ἐν τῷ τί ἐστι τῶν εἰδῶν κατηγορούμενον. Vide Porphyrianas Institutiones, cap. de Specie.

l Omnia, & quæ hoc.) Græcè est, πάντα ἢ τὰ ἐπάνω τούτου ἢ τὰ ὑποκάτω.

m Sin an omnino.) Hic alter modus est. Nota non si genus aliquod propositæ rei conueniat, propterea quamuis eius speciem in eandem conuenire oportere. Satis enim est, si uel una quæpiam congruat.

n Non satis est ingress.) Etsi necessariũ quidem est, ingressum, τὴν βάδισιν, esse delationem, hoc est, loci mutationem, quam Græcè τὴν φοράν uocat, non tamen uirtute argumenti, quod à genere sumptum est, idipsum docetur. Similiter etsi gratitudo, & pietas, est iustitia, non tamen idipsum, quia uirtus utraq; sit, ita esse demonstratur. Ingressus an delatio, ratione motus.

o Sed antè docendum est.) Ostendit quo pacto superiori defectui occurratur, Nempe per enumerationem. Ita si & nulla alia uirtus pietati aut gratitudini præter iustitiam conuenire, & nulla motus species præter delationem conuenire ingressui docebitur, consequens est, ut & ingressus delatio, & pietas aut gratitudo necessariò sit iustitia. Enumeratione defectus sarcit

p Nullius eorum quæ in eadem.) Hoc est, reliquarum motus specierum. Nam hæ omnes eadem diuisione explicantur.

q Quod enim particeps est.) Græcè est, ἀνάγκη γὰρ δ' τοῦ γένους μετέχον, μὴ τῶν εἰδῶν τινὸς μετέχειν τῶν κατὰ τὴν πρώτην διαίρεσιν.

r Præterea in quib.) Si nec genus δ' ἀποδοθῇ, nec quæ eo superiora sunt, de ijs quibus species tribuitur, ἐν τῷ τί ἐστι dicatur, reuera genus non est. Siquidem ista ueri generis natura est, ut paulo suprà asseruit.

s At ei qui confir.) Hunc locum rursum duplicem ostendit, quòd in utramq; partem ualeat.

t Videndum etiam est.) Si propositi generis finitio in speciem, eaq; quæ speciei subiecta sunt indiuidua non conuenerit, non est genus. Nam genus tali natura est, ut eius definitio subiectis omnibus uerè accommodetur, iuxta id quod Aristoteles his uerbis ait: ἀνάγκη γὰρ τοὺς τῶν γενῶν λόγους κατηγορεῖσθαι τῶν εἰδῶν καὶ τῶν μετεχόντων τῶν εἰδῶν. Generis definitio de speciebus dicit.

u Illud etiam in different.) Cùm suprà lib. 1. cap. 2. differentiam quodammodo cum genere confuderit, cùm inquit: ἔστι γὰρ τῷ διαφορὰν ὡς οὐσίαν γενικῶν ὁμοῦ τῶν ὡς οὐσία γενέσθαι τακτέον: hoc loco quid genus à differentia interfit, dum pro illo differentiam non rectè collocari coarguit, demonstrat. Vtrumq; quidem substantiale est illi, de quo dicitur, simulq; ad complendam eius, de quo dicuntur, ambo naturam adhibentur. Verùm genus communius est, ac latiùs manat, quàm differentia, & cùm hæc in quæstione qualitatis de re differt, Differẽ ti cum genere. Vt à genere

specie dicatur, genus non dicitur nisi in quæstione naturæ & essentiæ. Quod ad animalis differentias attinet, τὸ θνητὸν ἡμᾶς ἀδύνατον, de ijs uide Porphyrium in Isagoge cap. 3.

x **Quia differentia quid.**) Græcè est, οὐδεμία γὰρ διαφορὰ σημαίνει τί ἐστιν, ἀλλὰ ποιόντι.

y **An differentiam in ge.**) Hoc modo Quintilianus ferè lib. 5. cap. 10. κατάχρησικῶς loquitur: Nunquàm itaq; tolletur à specie genus, nisi omnes species quæ sunt generi subiectæ, remoueantur, hoc modo: Quod neq; immortale est, neq; mortale, animal non est. Quod differentiam generis participem esse negat, id ita habere intelligi potest, quòd cùm dicitur rationale, significatur aliquid quod rationem habet, etsi non sit animal. Neq; enim de intellectu rationalis est, ut sit animal, quemadmodum B. Thomas libello de natura generis cap. 1. docet. Alexander admonet hic de diuidente differentia Aristotelem uerba facere, cùm eo qui proximè anteceſsit loco de specie procreatrice differẽtia loquutus esse uideatur.

Differentia an generis particeps.

z **Præsertim cùm quid.**) Græcè est, πᾶν γὰρ τὸ μετέχον τοῦ γένους, ἢ εἶδος ἢ ἄτομόν ἐστιν. De uerbo τὸ μετέχειν superiore capite dictum est.

a **An genus in formã.**) Id fit, si species latiùs τὸ ἐπὶ πλέον dicatur, quã id quod assumitur, ut genus. Sic enim & ipse deinceps explicat, & ea quæ subduntur exempla, congruunt. Quod in formarum numerum redigi ait, Græcè est, εἰς δὲ εἶδος τίθεται. Dicitur enim hic locus Græcè, ἔτι εἰ δὲ γένος εἰς δὲ εἶδος ἔθηκεν.

b **Vt contiguitatem idem.**) Tria exempla adfert, in quibus quod pro genere assumitur, tãquam species sit, angustiùs patet. Sic ἡ συνάφεως genus, τοῦ συνοχὴν, τῆς μίξεως τοῦ κεράσαι, ἡ φορᾶς τοῦ κατὰ τόπον κίνησιν, quasi genus dicit, cùm contrà potiùs, maximè in duobus prioribus exemplis dici oporteat, sicut ipse docet.

Tria exẽpla superioris loci

c **Vt Plato definit delat.**) Delationis, τῆς φορᾶς, nomen speciale est, id quod ijs demum competit, quæ non sponte, nec ui sua mouentur, ut res inanimæ, & quæ ab alijs feruntur animantes. Verùm Plato τοῦ φορᾶν pro omni motu eo, qui in loco fit, siue per se ipsi animantes moueantur, siue ab alio instar rerum inanimatarum gerantur, promiscuè sumit, definitq; in præsens eam τοῦ κατὰ τόπον κίνησιν, ut Aristoteles declarat.

ἡ φορὰ nomen speciale generatim Platoni dicit

d **Quippe cùm omne.**) In hunc locum uide Aristotelem lib. 5. de Natura, cap. 3. ubi similiter hæc uerba, ὃ ἅπτεσθαι ἢ δ' συνέχεσθαι, seu ὃ συνεχὲς inter se conuertit & confert.

e **Non est temperatio.**) Quippe cùm hæc omnis in reb. liquidis uersetur. Quod ad permixtionem attinet, & illa quidem propriè est rerum liquidarum, quæ sponte sua inter se facilè coeunt & transmutantur. Neque enim si arida quæpiam inter se composuerit, ut uerbi gratia, hordei, tritici, & auenæ granula quædam, horum talium inter se compositio & adaptatio, reuera permistio est, ut lib. 1. de Ortu, cap. 10. Aristoteles ostendit, his uerbis:

Permixtio quarũ rerum fit propria.

his uerbis: οὔτε σύνθεσις τ' αὐτὸ τὸ μῖξις, ἀλλ' ἕτερον. Sed in præsentiarum τὸ μίξεως, hoc est, permistionis, nomen aliquanto latiùs sumitur.

f Delatio non videtur esse.) Maximè si propriè delationis, seu τῆς φορᾶς nomen accipiatur.

g Propterea quòd in.) Sic & lib. 5. de Natura, cap. 2. καίτοι λέγεταί γε φέρεσθαι ταῦτα μόνα κυρίως, ὅταν μὴ ἐπ' αὐτοῖς ἢ τὸ σῦναι τοῖς μεταβάλλουσι ἐν τόπον, τὸ ὅσα αὐτὰ μὴ ἑαυτὰ κινεῖ κατὰ τόπον. τὸ φέρεσθαι κυρίως.

h Ex quo intelligitur.) Hoc incommodum est, quod allegat ad docendum prædictam generis sumptionem minus aptam esse. Græcè est, δῆλον δ' ὅτι τὸ ἐπὶ πλέον λέγεται τὸ εἶδος τοῦ γένους ἐν τοῖς ἀποδοθεῖσι, δέον ἀνάπαλιν γίνεσθαι.

i An sub formarum.) Quod modò de genere ait, id nunc de differentia ostendit, nec illam εἰς τὸ εἶδος redigi & poni posse. Ratio ex incommodo sumitur, ut suprà. Genus specie latius, non cõtrà.

k Id quod inferius est specie.) Græcè τὸ εἶδος simpliciter dicitur. At sententia postulat, ut τὸ ὑπὸ τὸ εἶδος legatur, quemadmodum Interpres conuertit. τὸ εἶδος.

l Semper enim in parib.) In paribus rebus differentia dicitur, cùm ea quæ speciei constituens est, propria καὶ ἀντίστροφος differentia de specie dicitur. In pluribus dicitur, cùm non propria, sed communis generalisq; differentia sumitur, quæ in multa specie diuersa discrepantiaq; conuenit. Quod genus differentiarum solum Porphyrius uidetur agnouisse. Quod in paribus rebus dici Interpres conuertit, Græcè partim τὸ ἐπ' ἴσων, partim τὸ ἐπίσης λέγεσθαι Aristoteles ait. Sic quod in pluribus, seu de pluribus dici Latinè ait, Græcè τὸ ἐπὶ πλειόνων, τὸ ἐπὶ πλέον λέγεσθαι eodem sensu dicitur. Differen. duplex. In parib. & plurib. dici.

m An genus sub differentia.) Hic locus è regione opponitur superiori illi, An differentiam in genere quasi speciem posuerit. Græcè est, ἔτι εἰ τὸ γένος εἰς τὴν διαφορᾶν. Notum est genus differentia & superius & communius esse, ut sub hac tanquam inferius illud nequaquam collocari poßit. De eo uide & Porphyrium in Institutione ca. 6. Genus differẽtia superius.

n An genus dixerit vt.) Hic locus ex altera parte respondet superiori illi, Num differẽtiam pro genere adhibuit. Hic enim dicitur, εἰ τὸ γένος ὡς διαφορὰν εἶπεν: ille, εἰ τὴν διαφορὰν ὡς γένος ἀπέδοκεν. Locus superiori oppositus

o Differentia nulla earum.) τὰς διαιρετικὰς, hoc est, diuidentes, differentias intelligit, ut suprà. Et huc reuocari potest exemplum illud Fabij, de quo paulo antè meminimus.

p Si species sit prior.) Genera speciebus priora sunt naturæ ordine, non contrà, de quo uide Porphyrium cap. 6. & Aristotelem in Categor. cap. 9.

q Si species genus.) Species cum genere & differentia semper necessariò cohæret, ut per quas tanquàm partes efformatur, & constat, de quo uide Porphyrij Institutiones, capite 3.

[r] Eam & genus.) *Sic quamdiu homo est, & animal est, & rationis compos. Græcè est:* ὁκῆ γὰρ & γένος ᾖ ἡ διαφορὰ παρακολυθῆμ ἕως ἂμ ᾖ & εἶδος.

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS. Cap. 3.

ATq; [a] etiam illud videndum est, an idipsum quod positum est in genere, particeps sit alicuius contrarij generi, aut esse possit. Sic enim eadem res simul contrariorum poterit esse particeps, propterea quòd species [b] nunquam genus prætermittit: & contrarij est, aut potest esse particeps. Illud etiam, [c] an cum specie aliquid communicetur, quod ijs quæ subiecta generi sunt, conuenire non possit omnino: vt si animus vitæ est particeps, nec vllus numerus possit viuere, certè animus esse numeri species nullo modo potest. Illud etiam videndum est, [d] an species multis varijsq; modis cũ genere collata dicatur. In quo ex locis eorum quę multis modis dicuntur, [e] quos exposuimus, argumenta nobis suppetent. Sũt enim genus & species synonyma. [f] Cumq; omnium generum multæ sint formæ ac species, considerandũ est, an possit alia species esse illius generis quod datum est. Nã si nõ sit alia species, profectò id quod propositum est, in numero generum non est habendum omnino. Illud etiam, [g] an quod per translationem dicitur, pro genere sit positum. veluti si quis temperantiam, [h] concordiam concentumq; dixerit. [i] Nam cùm genera omnia propriè de formis dicantur, concentus de temperãtia non propriè, sed per translationem dicitur. quandoquidem [k] concentus omnis in sonis cernitur. [l] Iam verò an aliquid speciei contrarium sit, videndum est. qui sanè locus multis modis tractari potest. Primùm, [m] si in eodem genere etiam contraria reperiantur, cùm interim nihil sit generi contrariũ. In eodem enim genere cõtraria inesse debent, si nihil generi sit contrarium. [n] Quòd si quid contrarium sit generi, an contrariũ in contrario sit, videndum est. Contrarium enim, si quidem sit generi aliquid contrarium, in cõtrario necesse est esse: [o] quæ omnia ex inductione intelligi licet. [p] Præterea illud etiam, an in nullo omnino genere id insit quod speciei contrarium est, sed genus ipsum sit: quale est bonum. Nam si illud in genere non reperiatur, nec contrarium quidem eius in genere reperietur, sed ipsum in generum numero habebitur. Quod in bono maloq; contingit: quorum neutrum ad genus refertur vllum, sed vtrumque eorum genus est. Illud etiam, [q] an contrarium & genus sit alicui & species, [r] & quibus aliquid est interiectum, & quibus nihil est.

Genus propriè dicit.

Cõtrariorum multiplex ratio.

Nam

Nam si quid interiectum sit generibus, etam formis est: & si formis, etiam generibus vicissim. Quod in virtute & vitio, iustitia & iniustitia perspici licet: quorum vtrisque aliquid interiectum est. Huic loco occurritur, [z] inter valetudinem & morbum nihil medium esse, inter malum & bonum aliquid esse. Tum videndum est, an inter species & genera aliquid interiectum sit, [x] nec eodem modo, sed ita vt inter alia negatio interiecta sit, inter alia res aliqua subiecta: siquidem eodem modo vtrisque probabile est data esse. Id quod videre licet in [w] virtute & in vitio, & in iustitia & iniustitia, quibus aliqua interiecta est negatio. [x] Porrò quando non erit generi contrarium, non solùm illud videndum est, an contrarium in eodem genere reperiatur, sed etiam illud quod medium est. quandoquidem in quo extrema, etiam medium collocatur, quod in candore & nigrore contingit. Nam & eorum & colorum omnium qui medij sunt & interiecti, color genus est. [y] Cui tamen loco occurritur. Parum enim & nimium cùm in eodem genere reperiantur, (sunt enim in malis) tamē mediocritas quæ ijs interiecta est, non in malis est, sed in bonis. [z] Illud etiam, an genus alicui, species nulli sit contraria. Nam si genus alicui contrarium est, etiam forma est, veluti virtus & vitium, iustitia & iniustitia. Quod idem in cæteris omnibus perspici licet. [a] Hoc tamen loco nobis occurritur. valetudo enim vniuersa, morbo contraria est, certus autem morbus cùm morbi sit species, nulli contrarius est: vt febris, vt oculorum dolor, & singuli alij. [b] Ac ei quidem qui refellendi partes tuebitur, tot modis hæc videnda sunt. quoniam si ea ipsa quæ exposuimus minus reperiantur, certè quod datum est & propositum, non est genus. Ei autem qui confirmabit, tribus ex locis ad disputandum supperet copia. Primus est, si quod contrarium est speciei, id [c] in eo genere situm sit quod positum est, cùm interim contrarium generis minimè reperiatur. Si enim contrarium ad aliquod genus pertineat, [d] profectò propositum etiam ad illud genus pertinebit. Alter locus est, si id quod interiectum est & medium, ad genus propositum referatur: [e] ad quod enim genus media, etiam extrema referuntur. Tertio loco, si quid contrarium est generi, an etiam contrarium sit in contrario, videndum est. si enim sit, profectò propositum etiam genus sit in proposito necesse est.

Transit ad locos affirmantes.

1.

2.

3.

IN CAPVT TERTIVM, ANNOTATIONES.

a Atq; etiam illud.) *Si species assignati generis quippiam generi repugnans & contrarium participat, non potest id quod pro genere assumptum est, reuera esse genus.*

Nihil simul contrariorũ particeps.

Nam ita sequeretur, eandem rem simul contrariorum esse participem. Τὸ γὰρ ἀνδ' ἑνὸς ἐναντίοιν ἅμα μετέξει. *Id quod dictu absurdum est. Ad hunc modum* ὁ ἀγαθὸς *Tyrannidis genus esse non potest, quia cum iniustitia, quæ boni naturæ aduersatur, Tyrannis quodammodo participat. Species, hoc loco dicitur* τὸ ὑπὸ γένει κείμενον.

b Nunquam genus prætermittit.) *Quò fit, ut & eius naturam ac proprietatem retineat, eam quæ alteri contrario aduersetur.*

c An cum specie aliquid.) *Si quid speciei tribuatur, quod in nullam generis partem conueniat, non est uerum genus. Sic quia uita animo tribuitur, cuius nulla ex parte particeps est numerus, fieri non potest, ut numerum animi genus rectè dicamus. Hæc rursum contra Platonem disputat, de quo suprà meminimus.*

An numerus animi genus.

d An species multis va.) *Si species generi sit* ὁμώνυμον, *hoc est, si de specie genus* ὁμωνύμως *dicatur, non est legitimum genus. Quia & genus & species in genere Synonymorum sunt, de quo uide cap. 1. lib. Categoriarum.* συνώνυμον γάρ, *inquit Aristoteles,* ᾧ γένος καὶ ὁ εἶδος.

Genus & species synonyma.

e Quos exposuimus.) *Lib. 1. cap. 9. & cap. 10.*

f Cumq; omnium gener.) *Si una sola propositi generis sit species, non est uerum genus: siquidem cuicq; generi plures subsunt species, de quibus in quæstione naturæ genus dicitur, ut eius habet definitio lib. 1. tradita.* Ἐπεὶ δὲ γένος παντὸς εἴδη πλείω, *inquit hîc Aristoteles.*

Cuiusque generis multæ species.

g An quod per translat.) *Vult genus proprie* κυρίως *de speciebus dici. Ita si* κατὰ μεταφορὰν *quicquam dicatur, non est germanum genus, quemadmodum si quis adolescentiam, florem ætatis, senectutem, occasum uitæ cum Ciceronc dicat. Qui enim ita loquitur, translatione uteris discedit à uerbis rerum proprijs ac suis, neque uerum genus specierum exprimit.*

Genus proprie de formis dicitur.

h Concordiam concentumq;.) *Græcè* συμφωνίαν *appellat, quæ uox cùm in sonis ac modulationibus propriè uersetur, non dubium, quin* κατὰ μεταφορὰν *de temperantia,* τῇ σωφροσύνῃ, *dicatur. Est enim temperantia uirtutis genus, id quod in uoluptatibus ac libidinibus frenandis & coercendis uersatur, quemadmodum in Ethicis Aristoteles docet. Temperantia, (inquit Cicero lib. 2. de Inuentio.) est rationis in libidinem atq; in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio.*

συμφωνία.

Temperãtia.

i Nam cùm genera omnia.) πᾶν γὰρ γένος κυρίως κατὰ τῶν εἰδῶν κατηγορεῖται.

k Concentus omnis in sonis.) *Aristoteles lib. 2. de Demonstratione, cap. 1. concentum definit rationem numerorũ in graui & acuto sono.* τί ἐστι συμφωνία, *inquit,* λόγος

συμφωνία quid.

λόγος ἀριθμῶν ἐν ὀξεῖ ἢ βαρεῖ. De eodem multa Macrob. lib. 2. in Somnium Scipionis cap. 1.

l Iam verò an aliquid.) Nunc porrò ex speciei repugnantia & contrario, utrũ genus probè aßignatum sit, nec ne, considerandum monet, estq; hæc multiplex & uaria cõsideratio, prout non uno modo contraria omnia affecta sunt. Alia enim sunt, quæ in eodem genere uersantur, alia quæ in generibus contrarijs, alia quæ ipsa genera sunt contraria, ut in Categorijs cap. 7. ostẽsum est. Ac de his singulis nũc deinceps subijcietur. Quod Interpres uertit, an aliquid speciei contrarium sit, Græcè conuersim, ἐὰν ᾖ ἐναντίον τινὶ δ' εἶδος dicitur eodem sensu. Cõtrariorũ varia ratio.

m Si in eodem genere.) Quod si non sit, speciei contrarium habentis non legitimè positum est genus. Estq; hæc prima monitio, quæ tum incidit, cùm speciei genus non habet ullum contrarium.

n Quòd si quid.) Altera monitio, quum genus contrarium obtinet. Si speciei contrarium, sub generis contrario non subsit, illegitimè genus aßignatum est.

o Quæ omnia ex inductione.) Sic iustitia & iniustitia, prudentia & imprudentia, fortitudo & temeritas, contrariæ species sunt, quæ sub contrarijs generibus, uirtute & uitio continentur.

p Præterea illud etiam.) Tertia monitio, Si contrarium positæ speciei genus sit, & id quod pro specie positum est, genus erit, ut in bono & malo patet, quorum utrumq; ipsum per se genus est, neutrum in altero continetur. οὐδέτερον γὰρ τούτων ἐν γένει, ἀλλ' ἑκάτερον αὐτῶν γένος, inquit Aristoteles, de quo similiter & cap. 7. lib. Categoriarum loquitur. Bonum & malum p se genera.

q An contrarium & genus.) Vult parem generis & speciei per omnia rationẽ esse, ut si uni quid sit contrarium, sit & alteri: si inter species cõtrarias q̃d interiectũ sit, aut non sit, sic & sit inter genera: & ut id quod interiectum est, pari modo & in generibus spectetur, & in formis, & cæt. Quorum unum aliquod si in prædictis desideretur, uult non uerum esse genus, id quod generis loco assumptum fuit, Quanquam uideas, ubi & ipse contra secundam annotationem exceptionem afferat. Generis & speciei ratio similis

r Et quibus interiectum est.) Hîc duplex contrariorum genus nota, alterum τῶν ἐμμέσων, alterum τῶν ἀμέσων, de quibus in Categorijs cap. 7. docuimus.

s Inter valetudinem.) Vide cap. 7. lib. Categoriarum. Græcè est, ὑγιείας τινόσου οὐδὲν μεταξύ.

t Nec eodem modo.) Medium bipartitò sumitur in contrarijs, partim per extremorum participationem, partim per eorundem negationem. Hoc κατὰ ἀπόφασιν, illud ὡς ὑποκείμενον Aristoteles uocat. Medium duplex.

u In virtute & vitio.) Græcè est, ἐπὶ ἀρετῆς καὶ κακίας. Κακία uerbum de uerbo

malitia trãsferenda uidebatur. Dicitur enim ἀπὸ τοῦ κακοῦ, quod malũ Latinè declarat.

κακία vitiositas trãsferenda.

Verùm rectiùs uitium aut uitiositas Latinè transfertur, teste Cicerone, cuius ea super hac re uerba sunt, lib. 4. Tusculanarum. Huius igitur uirtutis contraria est uitiositas. Sic enim malo quàm malitiam appellare eam, quam Græci κακίαν appellant. Nam malitia certi cuiusdam uitij nomen est, uitiositas omnium.

x Porrò quando.) Non solum extrema contrariorum uult in eodem genere esse, sed & τὰ μεταξύ, hoc est interiecta. ἐν ᾧ γὰρ τὰ ἄκρα, inquit, καὶ τὸ μέσον.

y Cui tamen loco.) Excipit defectum & superlationem, inter quæ extrema mala, bonum interiectum est. Τὸ μέτριον, ἢ μᾶλλον ἔνδεια, inquit, καὶ ὑπερβολὴ ἐν τῷ αὐτῷ γένει, ἐν ᾧ δὲ κακῷ γὰρ ἄμφω, τὸ δὲ μέτριον ἀνὰ μέσον ὂν τούτων, οὐκ ἐν τῷ κακῷ, ἀλλ' ἐν ᾧ δὲ ἀγαθῷ. Huc pertinet Phocylidis iste uersiculus: πάντων μέτρον ἄριστον & cæt.

Excessus & defectus vitiosi.

z Illud etiam, an ge.) Si genere contrarium habente, nihil speciei aduersetur, malè genus positum est. De hoc & suprà meminimus.

a Hoc tamen loco.) Excipit morborum species, quæ inter se (etsi morbo ἢ ὑγίεια, hoc est, sanitas, aduersatur) nullo modo contrario nomine repugnant.

b Ac ei quidem.) Hactenus complures de animaduersione τῶν ἐναντίων, hoc est, cõtrarij locos annotauit. Nunc quis prædictorum locorum usus sit in differendo, admonet. Vultq; prædicta omnia ad infirmandam & labefactandam Generis quæstionem ualere, si quid ex ijs, quæ præmonuit, minus cũ ipsa re conueniat. Quanq; quod ad asserendam confirmandamq; eiusdem Generis quæstionem attinet, tres tantum loci sunt, qui utiliter huc accommodari possunt, ut ipse deinceps subijcit.

Prædictorum locorum usus in differendo.

c In eo genere, quod.)) Græcè est, ἐν ᾧ δὲ εἰρημένῳ γένει.

d Profectò propositum.) Δῆλον ὅτι καὶ τὸ προκείμενον. Vide de hoc cap. 5. lib. Categor. in prima Qualitatis proprietate.

e Ad quod enim ge.) Hoc superiùs conuersim dixit: Quandoquidem in quo extrema, etiam medium collocatur. Græcè est, ἐν ᾧ γὰρ τὰ ἀνὰ μέσον, καὶ τὰ ἄκρα.

EIVSDEM GENERIS ALII LOCI.

Cap. 4.

AT verò & ei qui infirmabit, & ei qui confirmabit, à casibus & cõiugatis videndum erit, an eodem modo sint cõsequentia quæ proponuntur. [b] Nam si semel in uno, etiam in omnibus intelligetur aut nõ intelligetur: uelut si iustitia scientia quædam est, etiam id quod iustè fit scienter fiat, & iustus sciens sit necesse est. Quòd si nihil eorum sit, neadum est, eandem habet rationem ad uoluptatem, quam id quod utile est ad bonum:

ad bonũ: siquidem vtrumq; vtriusq; efficiens est: ita fit, vt si voluptas sit in bonis, etiam id quod iucundum est, sit in ijs quæ vtilia sunt. Perspicuum est enim boni esse efficiens, quando quidem voluptas est in bonis. [d] Hoc etiam modo locus ab origine & ortu interituq; ducitur. [e] vt, si ædificare sit agere, ædificasse etiam erit egisse. [f] & si discere est recordari, certè didicisse recordatũ esse erit. [g] & si dissolui, interire est, profectò & dissolutum esse interisse erit; & dissolutio aut direptio, interitus. [h] Eadem est ratio eorum quæ vim habent ad gignendum & interimendum. Itéq; vis & vsus, omninoq; in quauis similitudine, & is qui refellet argumentationem, & qui confirmabit, eodem modo perspicere debet, quomodo in loco ab ortu & interitu exposuimus. Si enim id quod vim habet ad interimendum, vim etiam habet ad dirimendum, etiam interire erit dirimi: & si quod vim habet ad gignendum, pertineat ad efficiendum, certè & gigni idem quod fieri erit, & ortus idem quod effectio. quod de vi & vsu eodem modo iudicandum est. Nam si vis affectio sit, etiam posse, affici erit. & si alicuius rei vsus & functio actio sit, profectò & fungi idem quod agere: & functum esse, idé quod egisse valebit. [i] Quòd si priuatio erit id quod speciei contrarium est, [k] dupliciter licebit refellere. Primò quidem, si in genere quod propositum est, id contrarium reperiatur. [l] Aut enim in nullo omnino genere eodem, aut certè nõ in extremo priuatio est: veluti si aspectus in extremo genere sensus insit, certè sensus cęcitas esse non potest. Deinde si & generi & speciei contraria sit priuatio, neq; sit cõtrarium in contrario, ne id quidem genus quod propositum est, in proposito intelligetur. [m] Atq; is quidem qui refellit, argumenta sumet, quemadmodum exposui: qui autem cõfirmabit, vnum tantummodò depromet, hoc modo: Si contrarium in contrario, etiam propositum genus in proposito reperiatur necesse est: vt si cæcitas, quædam sensus vacuitas sit: etiam aspectus sensus sit necesse est. [n] Ab aientibus autẽ & negantibus, commutato ordine [o] quẽadmodum in accidentibus expositum est, argumenta ducenda sunt, hoc modo: Si quod iucũdum est, bonum est: quod est non bonum, [p] id non iucundum est. si enim non ita sit, erit aliquid iucundum, quod non est bonum. Fieri autem nõ potest, vt si bonum genus sit, [q] eius quod iucundum est, sit aliquid non bonum iucundum: præsertim cùm in quibus genus non dicitur, ne vlla quidem species in ijs dici queat. Hoc quidem modo ei qui confirmabit ducẽdum argumentum est: Si quod non bonum est, id non iucundum est, quod

A priuantibus.

A contradicentib.

iucundum est, in bonis est: ita genus est bonum eius quod iucundum est.

A relatis, quę locũ fusiùs tractat.

[r] Quòd si in ijs sit species, quæ cum aliquo conferuntur, an etiam genus in ijs sit, videndum est. Si enim species in eorum habeatur numero, quæ cum aliquo conferuntur, etiam genus habeatur necesse est. quod in duplo [s] & multiplo cernere licet. quorũ vtrumq; in ijs est, quæ cum aliquo conferuntur. [t] At verò non si genus ad ea pertineat, speciem etiam pertinere necesse est. Nã & scientia in ijs est, & grãmatica non item. [u] An ne id quidem quod suprà diximus, verum videri potest? nam cùm virtus in bonis sit, & in rebus honestis, virtusq; in ijs quæ cum aliquo conferuntur, tamen nec bonum, nec honestum in ijs quæ cum aliquo conferuntur, sed in qualibus. [x] Prætereà videndum est, an species non ad idem referatur, per se, & generis ratione, vt si duplum simpli dicitur duplum, etiam quod multiplum est ad simplum referri debet: sin minus, certè multiplum esse genus dupli nullo modo potest. Itemq; illud, [y] an minimè ad idem referatur, & generis, & omnium generum superiorum ratione. si enim duplum sit simpli multiplum, erit etiam duplum exuperans simplum, omninoq; omnium generum quę suprà sunt ratione ad simplum referetur. [z] Quanquam huic loco occurritur, propterea quòd non necesse sit, ipsum per se & generis nomine cum eadem re conferri. Nam cùm scientia ad rem quæ scientia comprehenditur, referatur, tamen habitus & affectio non ad rem quæ sub scientiam cadit, sed ad animum pertinet ac refertur. Illud etiam, an genus & species [a] ijsdem casibus explicẽtur: vt an alicui tribuatur, an verò alicuius sit, aut alióne modo dicatur.

Relata ijsdem casibus inter se conferũtur.

Eadem enim est ratio speciei & generis. Id quod fit in duplo, ijsq; omnibus quæ suprà sunt. Alicuius enim rei & duplum & multiplum, duplum multiplumq; dicitur: quod eodem modo de scientia iudicandum est. Alicuius enim scientia, & ipsa scientia, & genera, vt affectio, vt habitus esse dicuntur. [b] Occurritur tamen interdum, non ita rem habere, propterea quòd differens & contrarium alicui contrario dicitur, cùm interim diuersum [c] quod illorum genus est, non alicui diuersum, sed ab aliquo dicitur. Diuersum enim quid ab aliquo nominatur. Rursum illud videndum est, [d] an ea quæ cum aliquo conferuntur, ijsdem casibus explicentur, minimeq; reciprocentur eodem modo: vt fit in duplo & multiplo, quorũ vtrumq; alicuius & ipsum, & cùm vicissim reciprocatur dicitur. Nam & simplum, & subduplum alicuius rei simplum, & submultiplum appellatur, quod idem in scientia, & opinione cõtingit, quę alicuius esse dicuntur.

dicuntur. Item q; reciprocantur. [c] Nam quod sub opinionem cadit & scientiam, eodem modo in ablatiuo, cum scientia & opinione reciprocantur: ex quo fit, vt si in aliquo non vicissim respondeat alterum alteri, nõ sit futurum genus. Illud etiam videndum est, an in hoc ipso genere quod tractamus, genus & species [f] paribus casibus explicentur, quoniam ijsdem paribus q; casibus vtrumq; dici debet, quod fit [g] in dono & largitione. Nam & donum, alicuius donum, & alicui dono datum esse dicitur: & largitio alicuius largitio, & alicui facta largitio dicitur: quorum largitio genus doni est. Est enim donũ, [h] largitio quæ reddi non debet. [i] Quãquam nonnulla sunt in hoc genere, quę paribus casibus non efferantur. Duplum enim alicuius duplum est. [k] quod autem vincit, & maius est, & aliqua re maius est, & aliqua magnitudine maius est. Quicquid enim præstat, id excellentia aliqua præstat, & alicui rei præstat. Ita non sunt genera dupli, quæ proposita sunt: quandoquidem paribus casibus ea & species non exprimuntur, [l] aut certè non omnino verum est, speciem & genus paribus casibus efferri. [m] Atque etiam illud videndum est, an cõtrarij contrarium genus sit, vt dupli multiplum, & simpli submultiplum: contrarium enim contrario genus esse debet. [n] Quod si quis scientiam ponat esse sensum, id etiam quod sub scientiam cadit, sub sensum cadere oportebit. non ita est. [o] neq; enim omne quod scientia comprehenditur, mouet sensum: cùm præsertim quædam eorum quæ intelligentia & ratione continentur, subiecta sint scientiæ. Ita nõ est genus eius quod scientia comprehenditur, id quod sub sensum cadit: quod si ita non est, ne sensus quidẽ scientiæ genus est. [p] Quoniam aũt eorum quæ cum aliquo cõferuntur, partim necesse est [q] in ijs sita esse quibuscum conferuntur, vt affectio, vt habitus, vt apta compositio membrorum, quæ in nullo alio possunt inesse, [r] quàm in ijs ad quæ referuntur: partim [s] nõ est necesse in ijs sita esse ad quę pertinent, potest tamẽ, vt ita sit, euenire: (vt, si animus est, qui scientia contineatur: nihil prohibet animum sui continere scientiã, & tamẽ nõ est necesse: cùm præsertim fieri possit, [t] vt hæc ipsa in alio sita sit) [u] parum non possunt in ijs inesse omnino ad quę referũtur, vt cõtrarium in cõtrario esse nõ potest, neq; scientia in eo quod subiectũ est scientiæ, nisi cùm animus aut homo ea sunt quę sub scientiã cadunt: [x] illud videndum est, an aliquis ad aliquod genus eiusmodi quippiam retulerit, quod non est eius generis: [y] vt si quis memoriam retentionem scientiæ dixerit. Omnis enim retẽtio in eo sita est quod retinet. [z] Ita fit, vt scientiæ

Donũ largitio ἀνταπόδοτον.

Rela orũ triplex natura.

retentio

retentio in scientia sita sit. memoria igitur in scientia sita erit, quandoquidem scientiæ retentio est. [a] quod fieri non potest. Omnis enim memoria in animo sita est. [b] Hic autem locus ad accidens referri potest: nihil enim interest, virum memoriæ genus sedem & retentionem dicamus, an ei hoc accidisse: quoniam si quouis modo memoria, retentio sit scientiæ, eadem ei attribuetur ratio.

IN CAPVT QVARTVM,

ANNOTATIONES.

a At verò & ei qui.) Hactenus multa de contrarijs disseruit: nunc transit ad ceteros locos, & primùm quidem ἀπὸ τῶν συζυγῶν, quem in contrarias partes ualere ait, perinde ut suprà lib. 2. ubi de Accidentis quæstione disserebat, cap. 5. Alexander Coniugatorum locos τοὺς κοινοὺς καὶ ἐπικαιροτάτους πρὸς πάντα appellat.

Coniugatorum locus anceps

b Nam si semel.) Si principale genus est principalis, & coniugatum coniugatierit, & casus alterius casus.

c A simili hoc modo.) Græcè est, ἐπὶ τῶν ὁμοίως ἐχόντων πρὸς ἄλληλα. Videtur commutatæ proportionis locus esse. Vult utile, τὸ ὠφέλιμον, iucundi, τοῦ ἡδέος genus esse, si bonum genus sit uoluptatis: quia ut iucundum ad uoluptatem, sic utile ad bonum sese habeat. Alexander in contrarias partes hunc locum ualere annotat, cùm inquit: ἔστι δὲ καὶ κατασκευαστικὸς καὶ ἀνασκευαστικὸς ὁ τόπος.

An vtile genus iucundi.

d Hoc etiam modo.) Præsenti loco temporum distinctionem, simul & concretorum & abstractorum notat, in qua pari ratione singula in quoq; genere efferuntur. Græcè ἀπὸ τοῦ γενέσεως καὶ τοῦ φθορᾶς locus nominatur.

e Vt si ædificare.) Alexander monet hæc exempla ad normam Coniugatorum esse ferri. Præferunt enim coniugationem quandam, & agere & egisse, & ædificare & ædificasse, & cæt.

f Et si discere est recordari.) Iuxta Platonem, qui τὰς μαθήσεις ἀναμνήσεις esse ait, de quo suprà.

g Et dissolui.) Hæc exempla τοῦ φθορᾶς sunt.

h Eadem est ratio.) Hic locus ἀπὸ τῶν γενητικῶν καὶ φθαρτικῶν dicitur. Item ἀπὸ τῶν δυνάμεως καὶ ἕξεως, καὶ τῶν καθ' ὁτιανοῦν ὁμοιότητα, qui præcedenti per omnia conformatur.

i Quòd si priuatio.) Cùm suprà de contrarijs & aduersis disseruerit, hìc de cæteris oppositorum generibus tractationem subijcit, et primo quidem loco de priuantibus, quæ in negantem partem διχῶς, hoc est, bipartitò: in affirmantem, μοναχῶς, hoc est, singulari modo, ualere ait. Speciei contrarium, τὸ ἀντικείμενον τῷ εἴδει dicitur.

Priuatiõis ratio.

k Dupliciter licebit refelli.) Genus id quod positum est.

l Aut enim in nullo est.) *Priuatio per se in nullo rerum genere est, quia generis naturam & essentiam nequaquam participat. Potest tamen ad genus sui habitus* κατὰ συμβεβηκὸς *reuocari, propterea quòd in eodem subiecto cum suo habitu uersatur, & ad eundem habitum propensionem quandam & aptitudinem declarat. Verùm illud genus non est postremũ & propinquũ, id quod* ἔσχατον ἢ πρόσεχες *à Græcis appellatur.* Priuatio quomodo ad genus referatur.

m Atq; is quidem.) *Transit ad aientem modum.*

n Ab aientibus autem.) *Sequitur de contradictorijs & disparatis, quæ nomine* τῶν ἀποφάσεων, *hoc est, negationum, præsenti loco uocat, cùm negatio altera solùm cõtradictionis pars sit. Hinc Cicero fortasse motus est, ut in Topicis contradictoria simpliciter* τὰ ἀποφατικά, *hoc est, negantia, appellari dixerit.* Disparata, ἀποφατικά.

o Quemadmodum in accidentibus exposi.) *Nempe suprà lib. 2. cap. 4. Hoc commutationis genus* ἀνάπαλιν *uocat, cui uel idem, uel affine est id genus conuersionis propositionum, quod* κατ' ἀντίθεσιν *in scholis appellatur, de quo in antegressis aliquoties meminimus.*

p Id non iucundum est.) *Hic non iucundum,* οὐχ ἡδύ, *tanquàm genus non boni ponitur: quia quanto uox quæpiam affirmata, altera specialior est, tanto si cum negatione proferatur, eadem communior & generalior existit. Ita cùm animal hominis genus sit, non homo, quasi genus non animalis contrà efficitur.* Non iucundum non boni genus.

q Eius quod iucund.) *Sunt enim bona alia iucunda, alia honesta, alia utilia.*

r Quòd si in ijs.) *Transit ad relata,* τὰ πρός τι, *quem locum paulo fusiùs explanat. Quòd si genus, specie relationem præferente, in relatis nõ sit, malè id assignatũ erit. Sequitur enim speciei relationem genus, etsi non contrà generis relationem sequitur species, ut deinceps per exceptionem annotat.* Genus speciei relationem sequitur.

s Et multipl.) *Id est, quod alterum aliquoties repetitum in se continet, quomodo octo, duo quater repetita continent. Græcè* διπλασίον *appellatur.* διπλασίον.

t At verò non si ge.) *In hunc locum uide librum Categoriarum cap. 5.*

u An ne id quidem.) ἔνστασις *est. Vult præcedentem rationem in pluribus, non omnibus, necessariò ualere. Id quod exemplo* τῆς ἀρετῆς *demonstrat. Nam cùm* ἀρετὴ *quandam relationem præ se ferat, neq; ἀγαθὸν, neq; καλὸν, sub quibus tanquam speciebus* ἀρετὴ *subest, sub relationem cadunt.*

x Præterea videndum.) *Si quod pro genere ponitur, non ad idem referatur, cum illo quod speciei locum obtinet, nõ est genus. Sic multiplum,* διπλάσιον, *quia nõ refertur ad simplum instar dupli,* τοῦ διπλασίου, *non potest* τοῦ διπλασίου, *hoc est, dupli, esse genus.*

y An minimè ad idem.) *Vult ad quodcunq; species seu inferius genus per se referatur, ad idipsum & superiora genera omnia pertinere. Quod si non fiat, malè inferius*

Genus & species ad idem referuntur.

genus expressum esse. Quanq; huic loco per contrarium exemplum ipse occurrit. Quod ait ad idem referri, & generis & omnium & cæt. græcè est, εἰ πρός τ' ἄνω κατάτε τὸ γένος λέγεται, καὶ κατὰ πάντα τὰ τοῦ γένους γένη.

z Quanquam huic loco.) Diuersi exempli subiunctione loco occurrit. Etsi scientia per se ad rē sciētiæ subiectā refertur, neq; illius rei cōparatione dicitur, aut habitus, aut affectio, nihilominus tamen hæc illius & sunt, & manent uera genera. Habitum & affectionem non rei scientiæ subiectæ, sed rei sciētiam habentis, aut scientia præditæ, hoc est, ipsius animi, seu hominis, comparatione dici uult, cùm inquit ἕξις δὲ καὶ διάθεσις οὐκ ἐπίσταται, ἀλλὰ ψυχῆς. Quanquam Alexander utroq; modo dici posse indicat his uerbis: ἢ διότι ἡ ἕξις καὶ ἡ διάθεσις. ἕξις γὰρ καὶ διάθεσις λέγεται καὶ τὸ ἔχον & αὐτὰ ὡς ψυχῆς, καὶ τῷ ἐχομένῳ ὑπ' αὐτῆς.

Scientia ad quid referatur.

Ad quid habitus & affectio.

a Iisdem casibus.) De casuum distinctione, qua relata inter se conferuntur, uide 4. cap. lib. Categoriarum. Quod iisdem casibus explicari ait: Græcè est ὥσαύτως λέγεσθαι κατὰ τὰς πτώσεις.

b Occurritur tamē.) ἔνστασις diuersi exēpli. Ἕτερον, id est, diuersum, etsi et cōtrarij, & differentis, (Græcè δ' ἐναντίον καὶ διαφέρον dicuntur) genus est: non eodem tamen, quo illa, casu apud Græcos construitur. Nam, cùm hæc dandi casum requirant, illud non dandi, sed gignendi casum efflagitat. Dicitur enim non τινὶ ἕτερον, perinde ut διάφερον καὶ ἐναντίον, sed τινός, ut Aristoteles annotat.

ἐναντίον. διαφέρον. ἕτερον.

c Quod illorum genus est.) Nimirum cùm de utroq; in ipsorum finitionibus dicatur, ut patet lib. 4. Metaphysicor. cap. 10. & 11.

d An ea quæ cum aliquo.) Vult iisdem casibus τὰ πρός τι, καὶ τὰ ἀντιστρέφοντα inter se conferri, ut id quod generis loco positum est, rectè positum intelligatur. Sit paulo infrà ipse dicit. εἰ οὖν ἐπίτιμος μὴ ὁμοίως ἀντιστρέφει, δῆλον ὅτι οὐ γένος ἡ τέρα.

Genus in relatis vt cōuertat.

e Nam quod sub op.) Græcè ὑπολητόν καὶ ἐπιστητόν dicuntur, quæ uulgò opinabile & scibile conuertunt, quæ sanè nisi in auferendi casu cum opinione & scientia non reciprocantur, de quo in Categorijs dictum est.

f Paribus casibus.) Quod hic paribus casibus interpres reddit, græcè πρὸς ἴσα, καὶ ἰσαχῶς eodem sensu dicitur, id est, æquè multis & iisdem casibus. Quod si alterum uno casu, alterum pluribus efferatur, id quod pro genere assignatū est, nequaquàm genus erit.

Paribus casibus.

g In dono & largitio.) Donum græcè ἡ δωρεὰ, largitio ἡ δόσις dicitur, quæ utraque duobus casibus ἰσαχῶς græcè efferuntur. Ἥτε γὰρ δωρεὰ καίτινος καὶ τινὶ λέγεται, καὶ ἡ δόσις τινὸς καὶ τινί, ut Aristoteles ait. Quò fit, ut unum uerè alterius genus sit. Largitio enim genus doni est, id quod allata huc doni definitione probatur.

Donum. Largitio.

h Largitio, quæ reddi.) Græcè δόσις ἀναθόδοτον dicitur, quæ est, quam quis reddere

reddere non tenetur. Munera enim gratuita esse debent, nec referendi fructus, aut utilitatis spe in quenquam collocari. gratuita.

i Quanquàm nonnulla sunt.) Ostendit superiorem locum non omnino uerum esse, quia cùm duplum, τὸ διπλάσιον, simplici tantum modo ad aliud referatur, τὸ ὑπερέχον ἢ τὸ μεῖζον, quæ eius genera sunt, duobus modis enunciantur. Partim enim gigni di casu, partim dandi dicimus, τὸ ὑπερέχον ἢ μεῖζον, τινὶ ἢ τινός ὑπερέχειν, cùm διπλάσιον gignendi solum, ut τινὸς διπλάσιον dicatur. Superioris loci castigatio.

k Quod autem vincit.) Græcè est, τὸ ὑπερέχον ἢ τὸ μεῖζον, quæ bifariã ob duplicem uerbi τοῦ ὑπερέχειν constructionem Græcè efferuntur, ut diximus. Vide an ad Aristotelis imitationem rectiùs hunc locum sic exprimas, Quod autem uincit & maius est, id & alicui rei, & aliqua re antecellit. Nam & sic bifariam hæc Latinè conuertitur. Diuersa lectio.

l Aut certè.) Si omnino dupli genera esse differi non possumus. Id enim superiùs aliquo modo concessum est, præsertim de uerbo τοῦ ὑπερέχοντος. Ad hunc modum superiorem locum διὰ ἐπανορθώσεως contrahit & castigat. Græcè uerba hîc habent: ἢ οὐ καθόλου ἀληθὲς, τὸ πρός τι ἅπαξ τὸ εἶδος λέγεσθαι. Alexander hunc locum οὐκ ἀληθῆ, ἀλλὰ πιθανὸν μόνον appellat. Locus à mendo.

m Atq; etiam illud.) Hactenus de relatis, nunc de oppositis relatorum agit, quorum si alterum in genere proposito, uel est, uel non est, & alterum similiter uel esse, uel non esse debet. δεῖ γὰρ τὸ ἀντικείμενον τοῦ ἀντικειμένου γένους εἶναι.

n Quòd si quis scient.) Ostendit in utramq; partem locum ualere, non solum affirmantem, sed & negantem. Ita quia sensus, ἡ αἴσθησις, ἀντικείμενον, τὸ ἀισθητὸν, non est genus τοῦ ἐπιστητοῦ: neq; sensus, ἡ αἴσθησις, ἡ ἐπιστήμης, hoc est, scientiæ, genus esse potest. Dicitur autem & sensus ἀντικείμενον, τὸ αἰσθητὸν, & scientiæ, τὸ ἐπιστητὸν: quia in relatis, ad quæ alia referuntur, illa demum contraria ἢ τὰ ἀντικείμενα censeri solent, iuxta id quod Alexander ait: τὸ δὲ πρός τί ἔχειν τὰ ἀντικείμενα ταῦτα πρὸς ἄλληλα λέγεται. Relatorũ ἀντικείμενα.

o Neq; enim omne.) Probat τὸ ἐπιστητὸν latiùs patere, quàm ut τοῦ αἰσθητοῦ tãquam generi subsit: quia & plurima si non sola, τῶν νοητῶν, ἐπιστητὰ sunt, quæ nemo utique τὰ αἰσθητὰ reputauerit.

p Quoniam autem eorum.) Cùm multiplex relatorum consideratio sit, quod attinet ad rerum subiectarum distinctionem: monet in præsens diligenter animaduertendum esse, ne isti modi in assignando genere temerè inter se confundantur. Sunt autem tres modi, quibus pro subiectarum rerum uarietate, hîc inter se relata distinguuntur. Nam alia ita affecta sunt, ut in ijs, cum quib. conferuntur, τὰ ἀντιστρέφοντα dico, necessariò inhæreant: alia, ut tantum inhærere possint: nonnulla, ut omnino in ijs ad quæ referuntur, collocari non possint. Quorum omnium exempla deinceps ordine subiungit. Relatorũ tres modi.

q In ijs sita esse.) *Græcè est,* ἐν ἐκείνοις, ἢ περὶ ἐκεῖνά ἐστι πρὸς ἄποτε τυγχάνειλε γόμενα. *Atq; hoc primum genus est.*

r Quàm in ijs, ad quæ.) *Sic habitus & affectio in animo insunt, cuius comparatione, uti suprà assertum est, dicuntur:* συμμετρία *uerò (pro qua Interpres aptam compositionem membrorum dicit)* ἐν τῷ συμμέτρῳ, πρὸς ὃ λέγετε, *ut Alexander ait.*

Animus scientiæ sedes.

s Non est necesse in.) *Ita scientia cùm ratione* τοῦ ἐπιστητοῦ *in relatis uersetur, non inest* ἐν τῷ ἐπιστητῷ, *nisi ipsemet animus, in quo propriam sedem scientia habet, sub scientiam cadat. Estq; hoc genus alterum.*

ἐν ἄλλῳ ὑπάρχειν.

t Vt hæc ipsa in alio sit.) *Quod Græcè est,* ἐν ἄλλῳ ὑπάρχειν, *Alexander* ἀντὶ τοῦ ἄλλου εἶναι *positum ait. Itaq; interpretatur:* δυνατὸν γὰρ τὸ ἐν ἄλλῳ ὑπάρχειν, τοῦ τέστι καὶ ἄλλου τινὸς εἶναι τὴν ἐπιστήμην.

Scientia an insit τῷ ἐπιστητῷ.

u Partim non possunt.) *Hic tertius modus est, quo relata in ijs, cum quibus comparantur, uti suis contrarijs, inesse nequeunt. Sic* ἐν τῷ ἐπιστητῷ *nequit inesse scientia, nisi qua ex parte aut homo, aut animus, uelut paulo suprà dictum est, ipse sub scientiam cadat.*

x Illud videndum est.) *Hîc admonet supradictos modos diligenter secernendos esse, ne in generis assignatione aberretur.*

Memoria an μονὴ τῆς ἐπιστήμης.

y Vt si quis memori.) *Docet memoriæ genus non esse scientiæ retentionem, seu mansionem, (Græcè enim* ἡ μονὴ τῆς ἐπιστήμης *dicitur) propterea quòd memoria non in eodē cum scientiæ ista permansione subiecto insit. Inest enim in animo, cùm scientiæ permansio in ipsa scientia cohæreat.*

Ratiocinatio perfecta.

z Ita fit, vt scientię.) *Perfecta ratiocinatio est, qua hoc loco utitur, etsi non omnes partes suo loco collocatæ sunt. Orditur à propositione, cuius comprobatio antecedit illis uerbis: Omnis enim retentio. Deinde sequitur conclusio cum subiecta assumptione.*

a Quod fieri non potest.) *Negat memoriam scientiæ retentionem esse, quòd in diuerso à scientiæ retentione subiecto uersetur.*

b Hic autem locus.) *Monet superiorem locum Generi cum accidente communem esse.* ἔστι δ' ὁ εἰρημένος, *inquit,* τόπος τῶν πρὸς τὸ συμβεβηκὸς κοινός.

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Cap. 5.

ILlud [a] etiam intelligendum est, si quis habitum pro actione dixerit, aut actionē pro habitu, eorum neutrum esse genus: vt si quis sensum, [b] motum corporis dixerit. [c] est enim sensus habitus, motus autem actio. Quod idem fiet, si memoriam [d] habitum continendæ opinionis appellauerit. [e] nulla enim memoria habitus est, sed potius actio. Errant etiam ij, qui habitum statuunt [f] esse vim quæ consequens est ex habitu, [g] vt clementiam

mentiam iræ continentiam, & fortitudinem atq; iustitiam, metus lucrique continentiam. Nam & fortis clemensq; [h] vacuus à perturbatione dicitur: [i] & continens is qui est in perturbatione, neq; ab ea vincitur. [k] Ac vis quidem ex vtroque, talis fortasse consequitur, vt si sit in perturbatione, non ab ea vincatur, sed eam vincat, sed tamen fortē aut clementem esse, non est hoc se modo continere, [l] sed nihil omnino ab ijs perturbationibus agitari. [m] Interdum etiam quod ex re qualibet consequens est, id pro genere dicunt: vt dolorem, iræ genus, & fidei opinionē. vtrumq; enim eorum cùm ex formis propositis quodammodo consequatur, neutrum tamen in numerum generum venit. qui enim irascitur, dolet ille quidem, sed ira [n] vt dolorem antè esse quàm iram intelligamus, quandoquidem non ira doloris, sed dolor iræ causa est. ex quo efficitur, [o] vt ira non sit dolor omnino. Ex quibus etiam intelligi potest, fidem non esse in opinione. Fieri enim potest, vt is etiam qui non fidem habeat, eandē habeat opinionem. quod fieri non posset, si quidem fides esset opinionis species. [p] Non enim fieri potest, vt idem etiam permaneat aliquid, si ex specie omnino aut genere in genus transferatur: quēadmodum fieri nō potest, vt aliquid sit idem animal, & aliàs homo sit, aliàs non sit. [q] Quòd si quis contendat necesse esse eum qui opinetur etiam credere, idem paria esse, & ęquè patere opinionem ac fidem fatebitur. Ita non erit genus, quoniam genus ad plura debet pertinere. [r] Illud etiam videndum est, an in aliquo eodem vtrumq; inesse possit. In quo enim species inest, etiam genus. [s] vt in quo candor existit, etiam color: & in quo grammatica, etiā scientia solet existere. [t] Si quis igitur verecundiam metum esse dicat, aut iram dolorem, non efficietur, vt in eodem genus speciesq; intelligātur. Est enim verecundia [u] in ea parte animi sita, quæ rationis est particeps, metus autem in ea in qua irarum existit ardor, & dolor in ea in qua cupiditates versantur: [x] quoniam in ea etiam voluptatis est sedes: ira verò in qua ira versatur. Ex quo efficitur nō esse genera ea quæ proposita sunt, [y] quandoquidem non in eo ipso insunt in quo species & formæ. [z] Itemque si amicitia in ea sit parte in qua voluptates habitant, non erit voluntas aliqua, præsertim cùm voluntas omnis in ea parte sita sit quæ rationis est particeps. [a] Valet etiam hic locus ad subiecta & accidentia, in quo enim accidens situm est, etiam id cui conuenit situm est: ita fit vt si in eodem non existant, non sit accidens. [b] Illud etiam, an quadam ex parte cū specie genus quod datum est cōmunicetur. Non enim quadam ex parte

Fortis & clemens ἀπαθὴς.

Genus & species in eadem re subiecta versant.

genus communicatur, quippe cùm homo non sit quadam ex parte animal, nec grammatica aliqua ex parte scientia, quod idem in cæteris contingit. Illud ergo considerandum est, an quædam cum genere quadam ex parte communicentur. veluti si animal, cadere sub sensum aut aspectabile quoddam esse dictum est. Animal enim & sub sensum, & sub aspectum quadam ex parte cadit. [c] quandoquidem corpore sensum & aspectum mouet, animo autem non mouet. ex quo sequitur non esse genera animalis aspectabile, & quod sensum mouet. Falluntq; nos interdum [d] ij qui totum ad partem transferunt, veluti animal ad corpus animatũ: [e] atqui pars in toto nullo modo dicitur. non est igitur corpus genus animalis, quandoquidem pars eius est. Atque illud etiam spectandum est, [f] num quid eorum, quæ vituperanda & fugienda sunt, ad vim, aut ad id quod aliquid potest, relatum sit: vt si sophistã eum statuerit aliquis, [g] qui potest parare pecunias sapientia quę in eo videtur existere: aut calumniatorem eum, qui potest calumniari, & ex amicis inimicos facere: aut furẽ eum, qui potest clàm aliena furari. nemo enim eorũ quos exposuimus, eiusmodi appellatur, [h] ex eo quòd possit aliquid eorum efficere. [i] Quandoquidem & deus potest, & vir bonus quæ mala sunt efficere, cùm interim non sint eiusmodi. Omnes enim improbi [k] ex animo & voluntate nominantur. [l] Præterea omnis vis & facultas in numero expetendorum habentur. etenim malorum vis expetenda est. Itaque Deum & viros bonos ijs ipsis præditos esse dicimus. Eos enim fatemur [m] res malas & flagitiosas agere posse. [n] Ita fit vt vis nullius rei, quę quidem vituperanda sit, genus possit esse. Sin secus, certè efficietur, vt aliquid eorum quæ vituperanda sunt, sit expetendum. Sic enim vis aliqua vituperanda erit. Itẽq; illud videndum est, [o] an aliquid eorum quæ propter se & per se honorabilia sunt, aut expetenda, ad vim & facultatem, aut ad id quod potest aliquid, aut quod efficiens est, relatum sit. [p] Vis enim omnis, & quicquid aliquid potest, aut efficiens est, id omne propter aliud expetẽdũ est. [q] Aut, an aliquid eorum quæ duplex habent genus, aut plura, ad alterum retulerit. Sunt enim quædam, quæ ad vnum genus referri non possunt, quo in genere sunt impostor, & calumniator, neq; enim is calumniator aut impostor habendus est, qui vult, nec potest, neq; is qui potest, neq; vult, sed is demum in quo vtrumque horum ineſt. ex quo efficitur, ea quæ posita sunt, non in vno genere, sed in vtroque esse collocanda. [r] Iam verò contrà interdum genus pro differentia, & differentiã pro genere dicũt.

Vnde quis improbus cõstituat.

Differẽtia

vt stupo-

vt stuporem magnitudinem admirationis, & fidem stabilitatem opinio nis. neque enim magnitudo, neq; firmitas & stabilitas generis, sed differentiæ nomine appellari debent. [s] quoniam & stupor admiratio est nimia, [t] & fides firma opinio. ex quo perspicuum est, & admirationem genus esse & opinionem: magnitudinem verò nimiam, & firmitatem, esse differentiam. [u] Præterea si quis exuperantiam & firmitatem pro genere explicauerit, efficietur, [x] vt res inanimæ & fidem habeant, & consternétur. Nam quoniam ineſt vnicuiusque rei firmitas, & magnitudo, aut exuperantia in eo, cuius est firmitas & exuperantia, certè si stupor exuperantia est admirationis, stupor inerit in admiratione: ita obstupescet admiratio. Itemque fides erit in opinione: siquidem firmitas opinionis est. ex quo efficietur opinionem credere. [y] Consequens etiam erit, vt is qui isto pacto de genere sentiet, firmitatem firmam exuperantiamq; nimiam esse fateatur: quandoquidem fides aliqua firma est. Si igitur fides firmitas sit, certè firmitas firma futura est. [z] Itemque quoniam stupor aliquis nimius est, si stupor exuperantia sit, erit nimia exuperantia. quorum neutrum verum est, quemadmodum nec scientia id est, quod sub scientiam cadit, neq; motus id quod mouetur. [a] Errant etiam interdum [b] ij qui affectionem eius faciunt speciem cuius est affectio, quales sunt ij, [c] qui immortalitatem vitam sempiternam esse definiunt. [d] Est enim affectio quædam, aut certè comes vitæ immortalitas, quod verum esse fiet perspicuum, [e] si quis ex mortali immortalem effici concesserit. Nemo enim eum hominem [f] aliam vitam degere, sed aliquid ei conuenire, aut affectionem accidere fatebitur. Ita fit vt immortalitatis vita non sit genus. Quo etiam in errore versantur ij [g] qui affectionem eius rei cuius est affectio, genus esse ponunt, [h] vt vētum esse aërem motum & agitatum. Est enim potiùs vētus, aeris impulsio: quandoquidem idem aer & cùm agitatur, & cùm stat, permanet. ex quo efficitur ventum non esse omnino aerem. Esset enim ventus etiam si aer non impelleretur: siquidem idem aer qui ventus erat, permanet. Similis est ratio cæterorum eius generis. [i] Quòd si etiam in hac re ventum esse aerem impulsum & agitatum concedere debeamus, at certè non omni ex parte id approbandum est: non ijs quidem in rebus, in quibus hoc tale genus non verè dicitur, sed in ijs in quibus verè intelligitur genus id quod propositum est. Sunt enim quædam in quibus non verè dicitur: ex quo genere sunt, nix & cœ

pro genere reponi nequit.

Affectio subiecti, nec speciei, nec genus est.

[i] cœnum

num. [k] Aiunt enim niuem esse aquam congelatam atque concretam:

[l] cœnum verò terram humore temperatam: atqui neq; cœnum terra est, neque nix aqua. Neutrum igitur genus esse eorum quæ proposita sunt, vllo modo potest: quippe cùm semper genus de formis verè dici debeat. [m] Item ne vinum quidem aqua est putris, vt ait Empedocles: Aqua putruit in ligno.

IN CAPVT QVINTVM,

ANNOTATIONES.

Actus & potestatis genera q.

a Illud etiam intelligen.) *Cùm perfrequens sit mentio apud Philosophos, & de actus & potestatis, monet non rectè ea inter se confundi & permisceri, quod ad Generis designationem spectat. Vt enim actionis solum genus est actio: ita potestatis nõ aliud est,*

Actus ἐνέργεια. Potestas δύναμις ἢ ἕξις.

quàm potestas. Actio Græcè ἢ ἐνέργεια dicitur: potestas etsi δύναμις propriè appellatur, hoc tamen in loco κατάχρησικῶς τῷ ἕξιν, hoc est, habitum, Aristoteles eam nũcupat, quemadmodum & aliàs interim solet.

b Motorum corporis.) *Græcè est,* κινήσιν διὰ σώματος.

Sensus vtrum motus.

c Est enim sensus.) *Sensus potestatis nomen est, motus, actionis. Ita cùm de potestate actio dici non queat, nec motus de sensu poterit. De sensu verò vide Aristotelem lib. 2. de Animo, cap. 5. De motu lib. 3. de Natura, cap. 2. Etsi motus hîc ἐνέργεια Aristoteli*

Motus, ἐνέργεια καὶ ἐντελέχεια.

dicitur: lib. 3. de Natura, non ἐνέργεια, sed quod eiusdem significationis est, ἐντελέχεια nominatur. Definit enim ibidem Aristoteles motum, ut sit ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια ἢ τοιοῦτον, hoc est, actio eius quod est potestate, quatenus est eiusmodi.

d Habitum continẽdæ opinionis.) *Græcè est,* ἕξιν καθεκτικὴν ὑπολήψεως.

Memoriæ nomen varium.

e Nulla enim memoria.) *Videas memoriæ, ἡ μνήμης, uocabulum, non uno semper ac simplici modo accipi. Quandoq; enim pro animi parte seu facultate ea accipitur, quæ anteceptam rerum præteritarum notitiam nobis exhibet. Quandoq; pro ipsa notitia, seu specie rerum antè cognitarum apud animum deposita & quiescente, quomodo Cicero ferè 1. Tusculana. ex Platonis sententia in Theæteto ait: An imprimi quasi ceram animum putamus, & memoriam esse signatarum rerum in mente uestigia? Quandoq; pro ipsa rei in animo quasi impressæ & defixæ conseruatione, & repetitione, quemadmodum 1. Rhetoricor. ad C. Herennium propè Cicero definit, cùm inquit: Memoria est firma animi rerum et uerborum dispositionis perceptio. Ac cùm his quidem modis, nõnullisq; aliis*

Hic aliter quàm in Physicis capitur.

Memoriæ uerbum capiatur, primus est, quo animi uim ac potestatem significat: secundus, quo affectionem et habitum: tertius, quo significat actionem ἡ κατὰ τὴν ἐνέργειαν, qui modus tertius præsenti loco ab Aristotele spectatur, etsi in Physicis, libello de Memoria & recordatione, pro affectione & habitu accipere uidetur, cùm inquit his uerbis capite 1. ἔστι μὲν οὖν ἡ μνήμη οὔτε αἴσθησις, οὔτε ὑπόληψις, ἀλλὰ τούτων τινὸς ἢ ἕξις ἢ πάθος, ὅταν γένηται χρόνος.

f Esse

f Esse vim quæ consequens est.) Græcè τὴν ἀκολουθοῦσαν δύναμιν appellat, atq; in præsens propriè περὶ ἕξεως, hoc est, habitus nomen accipitur.

g Vt clementiam.) Clementia, fortitudo, & iustitia, uirtutum, seu habituum sunt nomina, quæ dum per ἐγκράτειαν περὶ ὀργῆς, καὶ τῶν φόβων, & τῶν κερδῶν quispiam definiendo explicat, is quidem habitum, subsequentem quandam uim ac potentiam dicere uidetur. Ineſt enim in uerbo περὶ ἐγκρατείας uis quædam & potestas, resistendi ijs motibus & perturbationibus, quæ incidunt, ut in mansuetudine, iræ, in fortitudine, timori, in iustitia, lucris, & sic de alijs, quemadmodum deinceps Aristoteles ostendit. Quam Clementiam hîc Interpres uocat, Græcè ἡ πραότης dicitur, quod alij Latinè Mansuetudinem appellant, de qua uirtute uide Aristotelem lib. 4. Nicomachiorum Ethicor. cap. 5. De fortitudine, quæ Græcè ἡ ἀνδρία dicitur, uide Nicomachiorum Ethicorum lib. 3. cap. 6. & deinceps. De Iustitia, quæ ἡ δικαιοσύνη dicitur, uide Nicomachiorum Ethicorum libr. 5. ἐγκράτεια vim quandā insitā habet. πραότης. ἀνδρία. δικαιοσύνη.

h Vacuus à perturbatione.) Græcè ὁ ἀπαθὴς dicitur. ἀνδρεῖος μὲν γάρ, inquit, καὶ πρᾶος ὁ ἀπαθὴς λέγεται

i Et cõtinens is qui.) Græcè est, ἐγκρατὴς δὲ, ὁ σώφρων καὶ μὴ ἀγόμενος. Quod ad naturam τοῦ ἐγκρατοῦς, καὶ περὶ ἐγκρατείας attinet, de eo uide Aristotelem lib. 7. Ethicorum. Quòd à perturbatione continens non uincitur, eius causa est, quia consilij gubernatione affectum regit, & ratione superat. Sic 7. Ethicorum Aristoteles, cap. 1. ἐν ἐγκρατεῖ ἐμμενετικὸν τοῦ λογισμοῦ, καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις οὐκ ἀκολουθοῦντα διὰ λόγον uocat. Continẽs à perturbatione nõ uincit.

k Ac uis quidem ex utroq;) Docet uim superiorum habituum consequentem esse, quia ut iustus illicitis & inhonestis lucris resistendi facultatem habet, sic & fortis imminentium periculorum metui, & mansuetus seu clemens inuadenti animum iræ. Quanquam in ea ipsa contrarijs cupiditatibus resistendi & obuiandi facultate, prædictæ uirtutes non consistunt. Est enim ἡ πραότης, ἀοργησία potiùs, & ἡ δικαιοσύνη potiùs ἐν τῇ ἀποχῇ τῶν κερδῶν, quàm ἐν τῇ ἐγκρατείᾳ, teste Alexandro uersatur. Et similiter de fortitudine, τῇ ἀνδρείᾳ, dici debet, magis eam ἐν τῇ ἀποχῇ τῶν φόβων, quàm in eorundem ipsorum contimentia seu ἐγκρατείᾳ uersari. Sic enim Cicero lib. 5. Tusculanar. quæstionum, Quæ est enim alia fortitudo, nisi animi affectio, cùm in adeundo periculo, & in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu? quomodo & lib 4. ex Chrysippi sententia fortitudinem definit, ut sit scientia perferendarum rerum, uel animi affectio in patiendo & perferendo, summæ legi parens sine timore. πραότης. δικαιοσύνη. Fortitudo.

l Sed nihil omnino.) Ita ὁ πρᾶος, ἀόργητος, ὁ ἀνδρεῖος, ἄφοβος propriè Alexandro præsenti loco dicuntur. Græcè est, ἀλλὰ δὲ ὅλως μὴ πάσχειν ὑπὸ τῶν τοιούτων μηδέν.

Non omne consequens genus.

m Interdum etiam.) Etsi genus formarum consequens est, non omne tamen quod ad alterum consequitur, genus erit. Consequentium enim, τῶν παρακολουθούντων, natura longè ampliùs patet, ut sequentibus exemplis docetur. Dolor enim etsi iræ consequens est, causa tamen potiùs est illius, quàm genus. Opinio sic ad fidem consequitur, ut eius etiam qui nequaquam credit esse poßit. Vnde Cicero in Partitionibus, fidem firmam opinionem esse cum adiunctione dicit. Dolor Græcè ἡ λύπη, Ira ἡ ὀργὴ, opinio ἡ ὑπόληψις, fides ἡ πίστις nominatur. Quod ex qualibet re consequens Interpres ait, Græcè est, τὰ παρακολουθοῦν ὁπωσοῦν. ἐνίοτε, δὲ inquit, καὶ τὰ παρακολουθοῦν ὁπωσοῦν, ὡς γένος τιθέασιν.

Dolor. Opinio.

Ira ex dolore.

n Vt dolorem antè esse.) Dolet enim quispiam iniuria se affectum esse, ex qua re iram concipit. Sic Alexander, λυπηθεὶς γάρ τις, inquit, ὡς ἠδικημένος ὀργίζεται.

o Vt ira sit dolor om.) Hoc est, ut dolori tanquam species generi supponatur, seu, ut Alexander exponit, ut in iræ substantia sit dolor. Sic enim Alexãder inquit: τὸ δὲ ὥστε ἁπλῶς ἡ ὀργὴ οὐκ ἔστι λύπη εἶπεν, ὡς ἴσον τῷ ὥστε οὐκ ἔστιν ἐν τῇ οὐσίᾳ ἐστὶ ὀργῆς ἡ λύπη.

p Non enim fieri potest.) Græcè est, οὐ γὰρ ἐνδέχεται τὰ αὐτὰ ἔτι διαμένειν, ἄνπερ ἐκ τοῦ εἴδους ὅλως μεταβάλῃ.

q Quòd si quis conten.) Πρόληψις obiectionis per conceßionem. Etsi de sola fide dicatur opinio, non tamen eius genus erit, cùm semper latiùs, quàm forma, genus manet. ἐπὶ πλέον γὰρ δεῖ λέγεσθαι τὸ γένος.

r Illud etiam videndum.) Ex diuersitate subiectorum, non rectè genus aßignari docet. Genus enim & species in eodem inesse debent. ἐν ᾧ γὰρ τὸ εἶδος, καὶ τὸ γένος.

s Vt in quo candor.) Nempe in corpore, quemadmodum Grammatica, & scientia existunt in animo.

t Si quis igitur ver.) Contraria exempla affert de uerecundia, quæ inest in parte animi τῇ λογιστικῇ, & metu, qui inest ἐν θυμοειδεῖ. Item de dolore, qui est ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ, & ira quæ ἐν τῷ θυμοειδεῖ. Quò fit ut ex his altera alteris nec genera sint, nec species.

u In ea parte animi.) Hoc loco tres diuersas animi partes obserua, τὸ λογιστικὸν, τὸ θυμοειδὲς, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, in quas Plato animũ diuisit, teste Diogene Laërtio li. 3. & Cice. 1. Tuscul. ubi inquit: Eius doctor Plato triplicẽ finxit animã, cuius principatũ, id est, rationẽ in capite sicut in arce posuit: et duas partes separare uoluit, iram & cupiditatem, quas locis suis disclusit: iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locauit. De his animi partibus uide & suprà lib. 2. cap. 4.

Tres animi partes quæ.

x Quoniam in ea.) A' contrario probat. Contrariorum idem τὸ δεκτικόν.

y Quandoquidem non in eo.) Græcè est, ἐπειδὴ οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ τοῖς εἴδεσι

πέφυκε

πέφυκε γίνεσθαι.

z Item q; si amicitia.) *Aliud exẽplum de amicitia, quæ est* ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ, *& uoluntate, quæ sedem habet* ἐν τῷ λογιστικῷ. πᾶσα γὰρ βούλησις ἐν τῷ λογιστικῷ, *inquit Aristoteles, de quo uide & lib. 3. de Animo, cap. 9.*

a Valet etiam hic locus.) *Ostendit prædictum locum & in accidens conuenire, propterea quòd subiectum & accidens etiam in eadem re uersentur.* ἐν τῷ αὐτῷ γὰρ τὸ συμβεβηκὸς, καὶ ὃ συμβέβηκεν, *inquit Aristoteles. Quod caue, ne de quibusuis subiectis simpliciter intelligas. Neq; enim corpus et color in eadem re insunt. Verùm subiecta,* τὰ ὑποκείμενα, *hic intelliguntur ea, quæ et ipsa in alijs inhærent, ut irascendi potestas, cui ira: extremitas, cui color accidit: Intellectus, cui scientia: uoluntas, cui peccatum attribuitur, quorum ut illa in corpore, ita hæc in animo simul collocata sunt. Ita de subiectis Alexander:* τοῦτο δὲ ἐπὶ τούτων ἂν λέγοιτο, ἐν οἷς καὶ τὰ ὑποκείμενα ἐν ἄλλοις πέφυκε γίνεσθαι.

Subiecta quæ hic intelligant.

b Illud etiam, an.) *Genus uniuersæ speciei conuenit, non* κατά τι. οὐ δοκεῖ γὰρ κατά τι (*inquit Aristoteles*) μετέχεσθαι τὸ γένος. *Ita sentiens & aspectabile, cùm ratione corporis tantùm animali attribuantur, illius genera esse non possunt.*

c Quandoquidem corpore.) *Græcè est,* κατὰ τὸ σῶμα γὰρ ἀισθητὸν καὶ ὁρατὸν, κατὰ δὲ τὴν ψυχὴν, οὔ.

d Ii qui totum ad partem.) *Græcè est,* τὸ ὅλον εἰς τὸ μέρος τιθέντες. *Quod corpus animatum uocat, Græcè* σῶμα ἔμψυχον *dicitur, quod est corpus, cui anima inest, quod quidem pars animalis est, si ipsum per se separatim spectetur, nõ genus.* ὥσ' οὐκ ἂν εἴη τὸ σῶμα, *inquit paulo infrà,* γένος τοῦ ζώου, ἐπειδὴ μέρος ἐστίν. *Secus Porphyrius corpus animatum sumit, cùm illud animantis genus esse statuit, cap. 3. de Differẽtia. Vide in hunc locum, quod ad multiplicem Corporis distinctionem attinet, D. Thomam Aquinatem, libello de Natura & essentia rerum, cap. 3.*

Corpus, an genus animalis.

e Atqui pars in toto.) *Græcè est,* οὐδαμῶς δὲ τὸ μέρος τοῦ ὅλου καὶ λεγόμενον. *De multiplici partium ratione uide Aristotelem lib. 4. Metaphysicorum, cap. 25. Partes alias rei, alias rationis esse aiunt, quarum has de toto quodammodò dici, illas minimè dici uolunt. In hunc locum uide B. Thomam libello suprà nominato, cap. 3. 4. & deinceps.*

Partes alię rei, alię rationis.

f Num quid eorum quæ vit.) *Vult uituperabilium & uitiosarum rerum genus minimè esse* τῶν δυνάμει, *propterea quòd cùm hæc in bonis, & expetendis rebus sit, ita sequeretur, contrariorum contraria esse genera, hoc est, rerum malarum genus esse bonum, & fugiendarum, expetendum. Atq; ita ne per* δύναμιν *quidem res fugiendæ detestandæq; finiri & explicari possunt, ut subiectis exemplis* τοῦ σοφιστοῦ, τοῦ διαβόλου, καὶ τοῦ κλέπτου *docetur.*

δύναμις an rerum uituperabilium genus.

g Qui potest parare pe.) *Non qui potest parare, sed qui aut parat, aut qui uult*

Non vi, sed voluntate mali censentur

parare simulatione sapientiæ pecunias, is Sophista est. Neq; enim à potestate acui, sed ab actione, aut certè uoluntate, non modò Sophista, sed & alij quiuis improbi iudicantur, ut deinceps sequitur. Huc spectat, quod Aristoteles Sophisten à Philosopho, lib. 3. Metaphysicor. cap. 2. τῷ βίῳ τῇ προαιρέσει distare ait. Cicero 4. Academicar. Sophistam definit, qui aut quæstus aut ostentationis causa philosophetur. At quis est nũc is Sophistes? inquit, Sic enim appellantur ij, qui ostentationis aut quæstus causa philosophantur. Aristoteles initio lib. de Reprehensionibus Sophistar. ἂν σοφιστὴν χρηματιστὴν appellat ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης.

Sophistæ qui.

h Ex eo quòd potest.) τῷ δυνατὸς εἶναί τι τούτων.

i Quandoquidem &.) A repugnantibus argumentum. An Deus poßit mala efficere, uide B. Thomam, part. pri. quæst. 25. Articulo. 3. De dijs gentium non est dubium quidem id, quum paßim historiæ, quæ ij mala ediderint, præ se ferant.

k Ex animo & voluntate.) Proposito, non facultate, aut etiam euentu. Huc pertinet, quod ex uoluntate fraudem metiendam esse & Iureconsulti docent. Aristoteles græcè: πάντες γὰρ (inquit) οἱ φαῦλοι κατὰ προαίρεσιν λέγοντι.

l Prætereà omnis vis.) Docet facultatem in rebus expetendis esse, non solum bonorum, sed & malorum: quia etsi per se facultas in rebus medijs posita sit, tamen quia hoc rerum genere bene uti possumus, non est, cur facultas cuiquam reprehendenda uideatur. πᾶσαι αἱ δυνάμεις, inquit Aristoteles, τῶν αἱρετῶν. καὶ γὰρ αἱ τῶν φαύλων δυνάμεις αἱρεταί.

Facultas omnis in bonis.

m Res malas, & flagitio.) Tales multas de Ioue, Venere, Neptuno, & cæteris id genus fictitijs Gentilium Dijs, Homerus, alijq; Poëtæ, & præter hos Lactantius lib. 1. Institutionum diuinarum commemorant.

Gẽtiũ dij flagitiosi.

n Ita fit, vt vis nullius.) Concludit nullius rei fugiendæ genus esse τὴν δύναμιν, ratione ex absurdo ducta. ὥστε οὐδενὸς ἂν εἴη, inquit, ψεκτοῦ γένος ἡ δύναμις.

o An aliquid eorum.) Cùm uis in rebus expetendis numeretur, non per se, sed ratione eorum ad quæ ipsa refertur: non uult eam rerum per se bonarum & honorabiliũ, τῶν δι' αὐτὰ τιμίων ἢ αἱρετῶν, genus rectè collocari. Nam sic quædam rerum accuratè secernendarum inter se confusio sequeretur.

Nec rerũ per se bonarum genus ἡ δύναμις.

p Omnis enim vis.) Græcè est, πᾶσα γὰρ δύναμις καὶ πᾶν δ' δυνατόν, ἢ τὸ ποιητικόν, δι' ἄλλο αἱρετόν.

q Aut an aliquid.) Si quid pluribus in generibus uersetur, id non uni acceptum ferendum est, sed omnibus ijs, in quibus reperitur. Ita impostor & calumniator, ὁ φέναξ καὶ ὁ διάβολος, quia & uoluntate & facultate simul constant, non ex altera solum, sed ex utraq; simul denominandi sunt.

Impostor & calumniator vnde cẽseãt.

r Iam verò contrà.) Nec genus pro differenti, nec differens pro genere collocãdum

monet,

monet, de quo & in superioribus docuit.

s Quoniam & stupor.) Stupor græcè ἔκπληξις dicitur, quam Aristoteles θαυμα σιότητα ὑπερβάλλουσαν definit, cùm inquit: δοκεῖ γὰρ ἡ ἔκπληξις θαυμασιότης εἶναι ὑπερβάλλουσα. Stupor.

t Et fides, firma opi.) Græcè est, καὶ ἡ πίστις ὑπόληψις σφοδρᾶ. De hoc & antè Fides. ex Cicerone diximus.

u Præterea si quis.) Docet nec ὑπερβολήν, nec σφοδρότητα, hoc est, superlationem et firmitatem, (quèadmodum dixit) genera esse. Idq; probat ex absurdo duob. modis.

x Vt res inanimæ.) Nempe & opinio & admiratio, ut deinceps probat.

y Consequens etiam erit.) Alterum absurdum. Id est, ut prædicto modo concretum de abstracto dicatur, ut, & firmitas firma, et ὑπερβολὴ ὑπερβάλλουσα.

z Itemq; quoniam.) Hoc loco nota tertij schematis ratiocinationes, quibus propositum concluditur.

a Errant etiam interd.) Docet nec subiectum affectionis, nec affectionem subiecti genus esse posse. Ita nec immortalitatis genus est uita æterna: nec uenti, aër agitatus. Est enim & immortalitas, ἡ ἀθανασία, uitæ affectio, καὶ σύμπτωμάτι: & aër uenti, τῷ πνεύματι, subiectum quoddam. Videas tamen, ubi aliquoties hæc apud authores in rerum finitionibus explicandis etiã contrà fiant, de quo nonnihil in lib. περὶ ἑρμηνείας diximus, in explicanda definitione κατὰ ἀντιφάσεως, hoc est, contradictionis. Immortalitas. Ventus.

b Ii qui affectio.) Græcè est, οἱ δὲ πάθος εἶς γένος δὲ ποιοῦσι τιθέντες.

c Qui immortalitatem.) οἱ τὴν ἀθανασίαν ζωὴν ἀΐδιον φάσκοντες εἶναι.

d Est enim affectio.) Græcè est, πάθος γάρ τι ζωῆς ἡ σύμπτωμα.

e Si quis ex mortali.) Quemadmodum omnes Gentium dij, ut Iupiter, Saturnus, Hercules, Quirinus, & cæt.

f Aliam vitam degere.) ἑτέραν αὐτοζωὴν λαμβάνειν.

g Qui affectionem.) εἰ δὲ πάθος, δῆλον ὅτι πάθος ἐκεῖνο γένος φασὶν εἶναι.

h Vt ventum esse aerem.) Plerique Veterum, uentum aërem esse motum crediderunt. At istam sententiam refellit Aristoteles lib. 2. Meteorologicῶν, cap. 4. Græcè hîc dicitur, οἷον δὲ πνεῦμα ἀέρα κινούμενον.

i Quòd si etiam in hac.) Obiectioni occurrit per concessionem, utens quadam distinctione, de qua uide lib. 2. Meteororum, cap. 4.

k Aiunt enim niuem.) τὴν χιόνα, ὕδατος πεπηγός. Quod ad niuem attinet, de Nive ea uide Aristotelem, lib. 1. Meteorologi. cap. 12.

l Cœnum verò terram.) τὸν πηλόν, γῆν ὑγρῷ πεφυρμένην.

m Item ne vinum.) Aliud eiusdem exemplum. Empedocles uinum aquam in uite putrefactã dixit, cùm inquit, σαπὲν ὂν ξύλῳ ὕδωρ. Vnde Aristoteles negat esse putre- Vinum an aqua putefactam

factam aquam, seu ὕδωρ ἐσεσηπός.

ALII EIVSDEM GENERIS LOCI. Cap. 6.

IAm [a] verò si omnino nullius sit genus id quod datũ est, perspicuum est, ne eius quidem quod positum est esse. quod hinc intelligi potest, [b] quia nihil specie differunt ea omnia, quibus cum genus id quod datum est, communicatur. Cuius generis sunt alba, quæ specie inter se non differunt. [c] Species autem omnis generis differunt. Non igitur id quod album est, vllius genus esse potest. [d] Illud etiam videndum est, idne pro genere aut differentia dixerit, [e] quod ex rebus omnib. consequens est. [f] Sũt enim multa quæ res omnes consequuntur. [g] veluti id quod est, & vnum, in ijs sunt quæ rem omnem sequuntur. [h] Itaque si id quod est, genus esse posuerit, certè omnium rerum genus futurum est, quandoquidem in iis dicitur: [i] genus autem de nullo, nisi de formis dicitur. Ita vnum eius quod est, species esset. ex quo efficeretur, [k] in ijs omnibus in quibus genus, etiam speciem dici, quandoquidem & id quod est, & vnum de reb. omnibus dicitur, cùm species pauciora, quàm genus continere debeat. [l] Quòd si id quod omnibus ex rebus sequatur, differẽtiam appellauerit, profectò paria aut plura quàm genus, differentia continebit. Nam si genus etiam in ijs est, quæ consequentia sunt ex omnibus, ex æquo: sin minus ex omnibus genus sequatur, plura eo contineat differentia necesse est. [m] Iam si in subiecta specie genus id quod datũ est, velut album in niue insit, perspicuum est id non esse genus. Solum enim genus de subiecta specie dicitur. Atq; illud etiam videndum est, [n] an genus & species sint synonyma. Genus enim de formis omnibus nominis definitionisque communi societate dicitur. [o] Qui etiam error nascetur, [p] quãdo generi & speciei aliquid erit contrarium, [q] meliusque contrariorum ad genus deterius referetur. ita enim fiet, [r] vt id quod reliquum est, insit in alio. sunt enim in contrarijs generib. contraria. fit igitur ex his, vt id quod melius est, sit in deteriore: atqui optimæ cuiusq; rei, etiam genus optimum est. [s] Illud etiam videndum est, idémne aliquid quod ad vtrumq; eodem modo affectum sit, ad deterius genus, non ad præstantius retulerit: vt si animum motum, vel id quod mouetur, dixerit. Nam quoniam idem animus [t] æquè vim habet stãdi ac mouendi, profectò [v] si status melior est, in eo genere animus statuendus erat. [x] Iam ex maiore & minore elicere argumenta licet ei qui refellit, si genus accessionem capiat, & species

Multa τὰ πᾶσιν ἐπόμενα.

Genus & species synonyma.

ſpecies non capiat, nec ipſa, [y] neque quod ab ea deductum eſt, hoc modo: Si virtus elationem habeat, etiam iuſtitia, & iuſtus habebunt. [z] alius enim alio iuſtior dicitur. nam ſi genus quod datum eſt, acceſsionem accipiat, ſpecieſque non accipiat, neque ipſa, neque id quod ab ea natum ſit, id quod datum eſt, eſſe genus nullo modo poteſt. [a] Præterea ſi id quod magis, aut æquè videtur genus, non eſt genus, certè ne id quidem quod datum eſt. Atque huius loci in ijs plurimus vſus eſt, in quibus multa de ſpecie in quæſtione dicentur, qua quid res ſit quæritur, nec certum genus traditum eſt, neque quod eorum genus ſit, poſſumus explicare, vt de ira, & dolor, [b] & opinio contemptus in naturæ quæſtione dicuntur: præſertim cùm is qui iraſcitur, angatur, ſeq; contemni putet. [c] Quæ eadem tractatio in ſpecie per locum comparationis ſuppetit, hoc modo: Si quæ ſpecies magis aut æquè ineſſe videtur in genere quod datum eſt, non ineſt in genere, ne ea quidem quæ data eſt, in genere erit omnino. [d] Atque is quidem qui infirmabit quemadmodum expoſui, hunc tractabit locum: qui autem confirmandi partes tenebit, ei hic locus nihil ad argumentandum ſuppeditabit, quoties genus quod datum eſt, & ſpecies recipient acceſsionem. nihil enim prohibet, ſi vtrumque recipiat, alterum alteri non eſſe genus. Nam & id quod album eſt, quodque honeſtum, acceſsionem capit, nec alterum alteri genus eſt. [e] Sed generum ac formarum inter ſe comparatio magnam ei ſuppeditabit argumentorum copiam, hoc modo: Si eadem eſt huius & illius generis ratio, & alterum genus eſt, etiam alterum erit. Item q; ex minore & maiore idem effici poteſt, hoc modo: Si cõtinentiæ vis magis, quàm virtus genus eſt, virtus autem genus eſt, vis etiã erit. Quod de ſpecie eodem modo iudicãdum eſt. Si enim æquè hoc atq; illud eius de quo agitur ſpecies eſt, & alterum eſt ſpecies, etiam reliquum. Et ſi quod minus videtur, ſpecies eſt, etiã quod magis videtur. [f] Illud etiam in confirmatione videndum eſt, an genus de ijs quibus datum eſt & tributum, in naturæ quæſtione dicatur, nec vna ſit ſpecies eius quod genus eſſe poſitum eſt, ſed & plures & differẽtes. [g] Sic enim genus erit. Quòd ſi vna ſit ſpecies ea quæ data eſt, videndum eſt, an etiam de alijs formis genus dicatur in quæſtione naturæ. ex quo iterum efficietur, & de pluribus ipſum ac differentibus dici, & genus approbari. [h] Quoniam aũt quibuſdam placet, differẽtiam in quęſtione naturæ dici de formis, ſecernendum eſt genus à differentia, [i] ijs locis quos expoſuimus. quorũ primus eſt, [k] genus plura quàm differentiã cõtinere:

Generum & formarum inter ſe comparationes quæ.

Differẽtię à genere tripartita diſtinctio

Alter,

Alter, Genus[l] in respõdendo quid quicq; sit aptiùs dici posse, quàm differentiam. Qui enim hominem animal esse dixerit, planius facit quid sit homo, quàm si gradiens dicat. Tertius est, differentiam[m] generis qualitatem declarare semper, genus differentiæ qualitatem non item. Nam & qui gradiens dixerit, quale quid animal exprimit: & qui animal dicit, non quale quid gradiens explicat. Ac differentia quidem à genere hoc pacto separanda est. [n] Quoniam autem videtur musicus, quia musicus sit, sciens esse, etiam musica scientia quædam est. quoniamq; si quod ingreditur, ob eam causam, quia ingreditur & ambulat, mouetur, ingressus etiam quædam est motio. In quo autem genere aliquid confirmare & efficere velimus, quemadmodum dixi, diligenter videndum est, hoc modo: Si scientiam esse fidem confirmandum est: si is qui scientia prædi tus est quia sciat, credit, profectò scientia fides sit necesse est. Eademq; ratione in alijs omnibus facere licebit. [o] Postremò quoniam quod alicui consequens est semper, nec vicissim retrò commeat, id difficile est improbare non esse genus, si hoc ex illo omni ex parte sequatur, illud verò ex hoc non omnino: (ᵖ veluti ex tranquillitate quies sequitur, & ex numero id quod secari potest, contraq; non sequitur: quandoquidem non quicquid diuidi potest, numerus est, nec quies tranquillitas omnis) eo quidem vtendum est pro genere quod semper sequitur, tum cùm alterum non reciprocatur. [q] quòd si ab altero id proponatur, non in omnibus, neque omni ex parte probandum est. ei autem hoc loco sic occurrendum est: [r] id quod non est, ex rebus omnibus quæ gignuntur consequens est, [s] cùm præsertim quod gignitur non sit. neque retrò id commeat vicissim. Non enim omne, [t] quod non est generatur. attamen non est genus id quod non est, eius rei quæ gignitur, quandoquidem eius quod nõ est, [u] nullæ sunt species omnino. [x] Ac in genere quidem probãdo vel improbando eam viam ac rationem quam præscripsi, sequi ac tenere debemus.

Id quod semp consequit, ꝑ genere interim ponendum.

ἃ μὴ ὄν, eõ sequens eorum q̃ fiunt, etsi nõ genus.

IN CAPVT SEXTVM,

ANNOTATIONES.

[a] Iam verò si omni.) *Postremum hoc caput est, quo reliquos modos agnoscendile gitimi generis præscribit. Si ἀπροσδιορίστου nullius omnino genus fuerit, neq; eius de quo in præsens quæritur, genus esse posse indubitatum est. Ita cùm album nullius genus sit, neq; cygni, neq; niuis fuerit. Et sic de alijs.*

Albũ, nullius genus

[b] Quia nihil specie.) *Non germani generis nota est, si quæ ei subsunt, eiusdemq; finitione*

finitione participant, specie inter se conueniunt. Debēt enim ueri generis partes τῷ εἴδει διαφέρειν. Ita fit, ut infimæ species genera censeri non poßint, quia istorum partes, etsi accidentibus & proprietatibus quibusdam inter se distinguantur, specie tamen non dißident. Sunt enim omnia talia ἀδιάφορα κατ' εἶδος, ut Alexander hîc monet, loquens de homini subiectis generibus, bono, malo, simo, adunco, uiro, muliere, & cæt.

Generis partes specie dissident: speciei nō itē

c Species autem omnis.) παντὸς δὲ γένους ἐστὶν εἴδη διάφορα.

d Illud etiam videndum.) Loquitur de transcendentibus, docens ea nec pro genere, nec pro differentia rectè collocari, quia cùm diuersa ea sint, singulaq; de omnibus dicātur, sequeretur alia de alijs uicißim dici. Quo pacto unum idemq; & genus esset & species, & speciei prædicatio tam latè, quàm generis, funderetur. Quod eodem modo & de Differentia ostendit.

Transcendentia an genera sint.

e Quod ex omnibus cons.) Græcè δ' πᾶσιν ἀκολουθοῦν καὶ ἑπόμενον dicitur.

f Sunt enim multa.) Vulgò sex commemorant in scholis, Ens, unum, bonum, res, aliquid, & cæt. de quibus Laurentius Valla lib. 1. Dialectic. disputationum meminit.

g Veluti id quod est.) δ' ὂν καὶ τὸ ἓν Græcè dicit.

h Itaq; si id quod est.) Ad paulo antè demonstratum incommodum orationem deducit. Si δ' ὂν, genus esset, diceretur & de Vno, tanquam de specie: Et contrà si δ' ἓν esset genus, diceretur de eodem, uti specie. Ita consequens esset, utrumq; & genus esse & speciem, & speciem (quemadmodum antè diximus) æqualiter cum genere enunciari. In hūc locum uide, quæ in Porphyrium notauimus, cap. 2. de Specie.

Nec ens, nec vnū, reuera genera.

i Genus autem de nullo.) Quid audio? nónne & de Indiuiduis specie comprehēsis genus dicitur? Dicitur quidem, sed hîc de proxima prædicatione loqui Aristoteles intelligendus est. Græcè dicitur: κατ' οὐδενὸς γὰρ δ' γένος, ἀλλ' ἢ κατὰ τῶν εἰδῶν κατηγορεῖται.

Genus an de solis formis dicatur.

k In ijs omnibus.) Quod falsum est, δέον ἐπ' ἔλασσον δ' εἶδος κατηγορεῖσθαι.

i Quòd si id quod.) Iam de differentia ostendit, futurum, ut uel ἐπίσης, uel ἐπὶ πλέον, quàm genus, illa dicatur.

m Iam si in subiecta.) Quòd si genus in specie, ut in subiecto, insit, non est propriū genus. Siquidem ita alteri inesse, uti subiecto, id demū accidentiū proprium est, quē admodum initio libelli Categoriarum patet. Vult ergo genus de subiecta specie dici, non in eadem subiecta inesse. Hoc ἐν ὑποκειμένῳ τῷ εἴδει: illud καθ' ὑποκειμένου τοῦ εἴδους λέγεσθαι in præsens ait.

Genus de subiecta specie dicitur, nō illi inest.

n An genus & species.) Si quod pro genere adhibetur, non συνωνύμως de specie enunciatur, non est reuera genus. κατὰ πάντων γὰρ τῶν εἰδῶν συνωνύμως δ' γένος κατηγορεῖται. Hoc loco nota genera speciebus synonyma esse. Nam Aristoteles hîc ait, σκοπεῖν δὲ καὶ εἰ μὴ συνώνυμον τὸ γένος τῷ εἴδει. De hoc et suprà mētio fuit cap. 3.

Genera specieb. synonyma.

o Qui etiam error.) Nempe ut non genus pro genere ducamus.

p Quando generi & ſpe.) Quomodo, uerbi gratia, uirtuti uitium, & iuſtitiæ iniuſtitia: item bono malum, et uoluptati dolor, contrario nomine opponuntur.

q Meliuſq; contrarium.) Vti iuſtitia ad uitium, & uoluptas ad malum.

r Vt id quod reli.) Deterius ſcilicet, ut iniuſtitia & dolor, quorum hic ad bonum, illa ad uirtutem referetur. Id quod incommodum eſſe cenſet, cùm & meliora melioribus, & peiora peioribus referenda eſſe iudicet, cùm inquit: δοκεῖ δὲ τὸ βέλτιον καὶ τὸ γένος βέλτιον εἶναι.

s Illud etiam videndum.) Vult, ſi quando diuerſorum generum idem ſit particeps, ad præſtantius genus id referendum eſſe. Ita cùm & ſtatus, & motus particeps ſit animus, uult potiùs è ſtatu τῶν στατικῶν, quàm ex motu τῶν κινητικῶν ψυχὴν nominari, propterea quòd ſtatus motioni dignitate antecellat. Græcè ait, εἰ δὲ τὸ αὐτῶν ὁμοίως πρός ἄμφω ἔχοντος, εἰς τὸ κρεῖττον, καὶ μὴ εἰς τὸ βέλτιον γένος ἔθηκεν.

Ad præſtãtius genꝰ quicq; referendum

t Aequè vim habet ſtandi.) Græcè eſt, ὁμοίως στατικὴ καὶ κινητικὴ εἶναι δοκεῖ.

u Si ſtatus melior eſt.) Vtpote cuius cauſa motus ſuſcipitur & inchoatur. Motus enim omnis quietis cauſa ſuſcipitur.

Statꝰ motui p̃fert.

x Iam ex maiore.) Quòd ſi genus ſeu intentionem, ſeu remiſſionem accipiat, uult & ſpeciem pari modo affici, ut id quod loco generis uſurpatum eſt, rectè explicatum uideatur. Sunt enim & genera & ſpecies eiuſdem rationis ac naturæ.

y Neq; quod ab ea ded.) Græcè eſt, μήτε τὸ κατ' ἐκεῖνο λεγόμενον.

z Alius enim alio iuſtior.) Diſputat Ariſtoteles in Categorijs poßitne iuſtitia alia maior, alia minor eſſe. Ac cùm iſta quæſtio nonnullam difficultatem, propter diſſentientium inter ſe Philoſophorum ſententias habeat, iſtud in confeſſo relinquitur, quæ à iuſtitia denominatiouem accipiunt, concreta, intentionem & remiſſionẽ capere, de quo uide cap. 5. lib. Categoriarum.

Concreta nõ abſtracta intentionẽ ſuſcipiunt.

a Prætereà ſi id quod.) Alter locus ex comparatione, qui tum incidit, cùm plura de ſpecie ſimiliter dicuntur, nec quod proprium illius genus ſit, facilè internoſcitur, ut ipſe deinceps oſtendit. Græcè eſt, πάλιν εἰ μᾶλλον δοκεῖ ἢ ὁμοίως, μὴ ὅτι γένος, ἄλλο ὅτι οὐδὲ τῶν ἀποδοθέν.

b Et opinio contemptus.) Hæc interim iracundiæ cauſa eſſe ſolet. Græcè ἡ ὑπόλημψις ὀλιγωρίας dicitur.

c Quæ eadem tractatio.) Superiorem locum inuertit, ad ſpeciem, quæ de genere dicta ſunt, accommodans.

d Atq; is quidem.) Docet prædictos locos tantùm ad refellendum uim habere, ad cõfirmandum non item.

e Sed generum ac for.) Hic locus ex ſimilitudine uim habet. Nam de ſimilibus eſt

idem

idem iudicium. Græcè dicitur, ἡδὲ τῶν γενῶν καὶ τῶν εἰδῶν πρὸς ἄλληλα σύγκρισις χρήσιμος.

f Illud etiam in confirmat.) Quos hactenus tradidit locos, in differenda generis quæstione, omnes ferè ἀναστευαστικοὶ sunt. Nunc duos deinceps τοὺς κατασκευαστικούς subijcit, qui ex generis definitione lib. 1. allata, ipsi per se satis patent. Transitio

g Sic enim genus.) Quippe cùm ita de multis specie differentibus ἐν τῷ τί ἐστι dicatur.

h Quoniam autem.) Nunc porrò generis à differentia tripartitam distinctionem docet, ne quis ea temerè confundat, eò quòd lib. 1. τὰ διαφορὰν γενικὴν appellauit. De his uerò distinctionibus & suprà dictum est, & de ijsdem copiosiùs Porphyrius cap. 6. in Isagoge disserit.

i Iis locis quos expos.) Superiùs cap. 2. Locos, τοὺς τόπους Græcè uocat.

k Genus plura quàm.) Græcè est, τὸ γένος ἐπὶ πλέον λέγεται καὶ διαφοράς.

l In respondendo quid.) κατὰ τὸ τῷ τί ἐστιν ἀποδοῦναι, Græcè est.

m Generis qualitatem.) De hoc uide Porphyrium in Institutione, cap. 3. Generis qualitas, ἡ ποιότης τοῦ γένους dicitur.

n Quoniam autem vide.) Quæ hoc loco sequuntur, ad coniugationẽ pertinent, docetq; si concreta concretorum sint genera, & abstracta abstractorum futura esse.

o Postremò quoniam.) Vltimus locus, quem in contrarias partes effert. Si tibi cõmodum sit, monet id quod generi assimile, uix dum utrũ uerè genus sit internosci potest, pro genere asserendum esse: Sin autem ab alio ita dicatur, contrarijs exemplis resisti debere. Quod alicui consequens, et cæt. Interpres dicit, Græcè est τὸ παρεπόμενόν τινι ἀεὶ καὶ μὴ ἀντιστρέφον.

p Veluti ex tranquil.) Græcè est, οἷον τῇ γαληνίᾳ ἡ ἡρεμία.

q Quòd si ab altero.) Hæc altera loci pars est.

r Id quod non est.) τὸ μὴ ὄν, quod in permanentibus rebus, etsi ad omne id quod fit, consequens, non reciprocatur, non tamen est genus. De permanentibus uerò rebus dicimus, quia in alijs, quarum partes simul non cohærent, (uulgò successiuas uocant) aliaratio est. Nam tum demum ea esse dicuntur, cùm fiunt, ut patet de motu, tempore, &c. τὸ μὴ ὄν rerum nascẽtium consequens.

s Cùm præsertim.) Græcè est, τὸ γὰρ γινόμενον οὐκ ἔστι. De hoc uide in lib. περὶ ἑρμηνείας. cap. 4.

t Quod non est, generatur.) Ita Tragelaphus cùm non sit, non tamen gignitur.

u Nullæ sunt species omnino.) Quid ita? quia species omnes sunt ἐν ὑπάρξει, cùm id quod non est, sit ἀνύπαρκτον, id quod de ijs quæ ἐν ὑπάρξει sunt, tanquam genus dici non potest. Sic Alexander: καθόλου δὲ μᾶλλον εἶδος ἐν ὑπάρξει ὄντι, τὸ δὲ μὴ ὄν, ἀνύπαρκτον, πῶς ἂν ἔτι θείημεν τὸ ἀνύπαρκτον, γένος τοῦ ἐν ὑπάρξει; τὸ γὰρ γένος ἐν

ὑπάρξει ὀφείλει εἶναι. Græcè Aristoteles hic loquitur: ἁπλῶς γὰρ οὐκ ὄντος εἰδέναι.

x Ac in genere quidem.) *Conclusio per transitionem.*

ARISTOTELIS STAGIRITÆ TOPICORVM LIBER V. IOACHIMO PERIONIO BENEDICTINO CORMOERIACENO Interprete, ad Græci exemplaris fidem diligenter recognitus, vnà cum Annotationibus Gerardi Matthisij Geldriensis, nunc denuò recognitis & locupletatis.

DE VARIIS MODIS VERBI PROPRII. Cap. I.

Cap. I.

VTRVM [a] autem proprium sit néc ne id quod propositum est, ex ijs locis quos deinceps exponemus, intelligetur. [b] Explicatur quidem proprium aut per se, & vi sua, ac semper, aut alterius comparatione, & interdum. [c] veluti hominis propriũ est per se ac vi sua, [d] animal esse humanum natura, alterius autem comparatione, [e] vt animi ad corpus, quòd animus imperare, corpus parêre debet. Proprium autem semper est, exempli causa, [f] dei, animal esse immortale: Interdum proprium est, vt certi hominis deambulare in gymnasio. [g] Nascuntur autem ex eo, quod collatum cum altero proprium explicatur, aut duæ aut quatuor quæstiones. nam si alicuius proprium esse ponat, alterius idem neget esse, duæ tantum modò quæstiones oriuntur, vt hominis cum equo collati proprium est bipedem esse. [h] Nam hominem non esse bipedem, aliquis possit concludere, & equum bipedem. et vtroq; modo, proprium sic positum confutabitur. Quòd si vtriq; suum proprium concedatur, ita vt etiam vtrumq; ab vtroq; negetur, quatuor quæstiones existent. veluti hominis cum equo collati proprium est bipedem esse, & equi quadrupedem. Nam & hominem non esse bipedem, & natura quadrupedem esse, argumento concludere licet. Itemque equus bipes esse & non quadrupes, probari potest. Ergo si quouis modo doceatur, quod propositum est refellitur. [i] Proprium autem per se ac vi sua id est, quod omnibus tribuitur, & ab omni genere separat, vt hominis proprium est, mortale esse animal, [k] & natum ad cognitionem & scientiam. [l] Proprium verò ad alterũ est, quod nõ ab omnibus, sed à quodam certo distinguit

Proprij nomen multiplex.

Καθ' αὐτὸ ἴδιον. 1.

τὸ πρὸς ἕ.

distinguit & separat, vt virtutis cum scientia collatæ proprium est, [m] in pluribus animi partibus esse: [n] scientiæ in ea solùm quæ rationis est particeps, & in ijs solùm animalibus quæ ratione vtũtur, existere. [o] Semper proprium est, quod per omne tempus verè dicitur, nec vnquam amittitur: vt animalis, ex animo & corpore cõstare. [p] Aliquando id proprium est, quod ad aliquod tempus verè dicitur, nec semper consequens est necessariò. veluti cuiuspiam hominis in foro deambulare. [q] Fieri autem potest, vt proprium proponamus ad aliud, & differentiam inter aliqua dicamus duobus modis. Vno modo, vt id quod proprium dicitur, omni & semper cõueniat: altero, vt in maxima parte & plerunq; insit. [r] veluti hominis cum equo collati, bipedem esse ita proprium est, vt & in omnibus hominibus id & semper intelligatur: quandoquidem omnes homines bipedes sunt per omne vitæ tempus, equus autem nullus vnquam bipes est. [s] Imperare autem parti ei animæ, [t] in qua voluptates versantur, & ei in qua irarum ardor existit, sic proprium est eius partis animi quæ rationis est particeps, vt ferè et maxima in parte intelligatur. [u] huius enim imperare est, illarum parére: nec pars animi rationis particeps omni ex parte imperat, interdumq; cõtrà paret. Neq; pars ea in qua voluptates habitant, & in qua iræ, parent semper, sed interdum imperant, tum cùm hominis animus vitiosus est & deprauatus. [x] Sed ea plurimùm ad differendum valent propria, quæ per se sunt & semper conueniunt, & ea quæ cũ aliquo conferuntur. [y] nam ex eo quod proprium est cum altero collatũ, multæ, quemadmodum suprà dixi, quæstiones nascuntur. aut enim duę aut quatuor inde eliciuntur necessariò. [z] multa igitur argumenta ex eis ducentur. Ex eo verò quod per se & perpetuò proprium est, [a] multa argumẽta licet ducere, aut ad plura tempora trahere. quod enim per se inest, ad multa pertinet, quandoquidem ei cui proprium est exclusis separatisque omnibus alijs quod hoc modo proprium est, conuenire debet. [b] Quamobrem si ab omnibus non separet, certè non est commodè attributum propriũ. [c] Quod autem semper proprium est, id in pluribus temporibus obseruari debet an conueniat. nam nisi conueniat & conuenerit & conueniet, non est futurum proprium. [d] Quod verò interdum proprium est, non in alijs temporibus, nisi in instanti spectatur. Itaque paucæ argumentationes ducuntur ex eo. [e] Quæstio autem ad differendum valet ea, ex qua & crebra & firma argumenta trahuntur. [f] Atque ijsdem ex locis quos in accidente exposuimus, argumenta ad differendum de eo

τερον 2.

δ' ἀεί. 3.

δ' ποτὲ. 4.

Collatio prædictorum generum, ꝙ ad differendi rationem attinet.

πρόβλημα δ' λογικόν.

proprio quod ad alterum est, suppetent, si proprium alicui conueniat, alicui non conueniat. Ad tractandum autem quod semper proprium est & per se, ij loci qui deinceps exponentur, magnam nobis ad argumentãdum copiam suppeditabunt.

IN CAPVT PRIMVM,

ANNOTATIONES.

Transitio

a Vtrum autem proprium.) *Explicatis Generis locis omnibus, nunc ad Proprij, τοῦ ἰδίου, locorũ tractationem accedit. Antequàm uerò quicquam ex professo de ea agat, initio ambiguum Proprij uerbum in certa genera partitur, quò hac distinctione præmissa, luculentior deinde præceptio euadat.*

Proprij nomen multiplex.

b Explicatur quidem.) *In duos modos Proprium partitur. Quanquam in sequẽtibus gratia maioris euidentiæ, hos modos ad quatuor membra reducit. Prior modus duo membra continet. Dicitur enim* Ἴδιον καθ' αὑτὸ μόνῃ ἀεί. *Alter itidem. Nam dicitur* πρός ἕτερον μόνῃ ποτέ. *Simili ferè modo de Proprij generibus disserit & Porphyrius in Institutionibus cap. 4. In hunc locum quædam uide & suprà lib. 1. cap. 3.*

c Veluti hominis.) *Hîc prædictos modos in quatuor dispescit, singulos exemplis declarans. Posteà eosdem definiendo explicabit.*

d Animal humanum natura.) Ἔστι ζῷον ἥμερον φύσει græcè est.

Animus corpori imperat.

e Vt animi ad corpus.) *Sic Salustius alibi: Animi imperio, corporis seruitio utimur. Græcè est,* ὅτι μὲν πρὸς σῶμα, ὅτι δὲ μᾶλλον προσακτικόν, δὲ μᾶλλον ὑπηρετικόν ὄζη.

Deus an animal.

f Dei, animal esse.) *Cùm Deum animal esse dicit, cum populo loquitur, qui Deum finxit corporeum. Nam Plato* Θεὸν ἀσώματον *in Timæo asserit. Vide in hunc locũ Porphyrium cap. 2. de Specie.*

g Nascuntur autem.) *Prioribus generibus diductis, nunc quot ex altero* τῷ πρός ἕτερον *quæstiones,* τὰ προβλήματα, *ducantur, ostendit. Si unius proprium comparatione alterius exquiratur, duæ quæstiones nascuntur: sin utriusque, collatione alterius, quatuor, quemadmodum ipse declarat.*

Exempla falsa.

h Nam hominem non esse.) *Monet Alexander exempli causa, & ut intelligatur ex prædicto Proprij genere superiores duci quæstiones, hæc ab Aristotele asseri.* Χάριν δὲ παραδείγματος μόνῃ πρὸς ἔνδειξιν, *inquit,* τοῦ δύο γίνεσθαι προβλήματα ἐκ τοῦ πρός ἕτερον ἰδίου, τοιοῦτον παράδειγμα εἴληπται. Ἀδύνατον γὰρ ἄνθρωπον εἶναι ἥμερον ἄνθρωπον τετράποδον, ἢ ἥμερον ἵππον ἄποδα.

τὸ καθ' αὑτὸ τὸ ἴδιον.

i Proprium autem per se.) *Nunc deinceps prædictorũ finitiones subijcit. Quod* καθ' αὑτό, *per se, proprium uocat, id κυρίως dicitur, quod quartam uocem Categoricam apud Porphyrium constituit. Græcè est,* Ἔστι δὲ μόνῃ καθ' αὑτὸ ἴδιον, ὃ πρὸς ἅπαντα ἀποδίδοται,

ἀποδίδοτη, καὶ παντὸς χωρίζει.

k Natum ad cogni.) Græcè est, ἐπιστήμης δεκτικόν, id quod Porphyrius cap. 3. Isagoges, differentiæ exemplum subiecit, (quemadmodum et θνητόν, hoc est, mortale) de quo uide suprà lib. 1. cap. 3.

l Primum verò ad alterum.) Græcè est, τὸ δὲ πρὸς ἕτερον, ὃ μὴ ἀπὸ παντός, τὸ πρός τι ἀλλὰ ἀπότινος καὶ τακτῶς διοχωρίζει. gon.

m In pluribus animi partib.) Nempe intelligentia, & uoluntate, seu in parte cõ cupiscendi, irascendi, & intelligendi, quomodo Plato animum partitus est, de quo pri. Tuscul. Cicero memimit, ut superiore lib. diximus.

n Scientiæ in ea solùm.) Scientia tantùm inest in intelligendi animi parte, quæ τὸ λογιστικὸν græcè appellatur.

o Semper proprium.) Græcè est, ἓν δ' ἀεί, ὃ κατὰ πάντα χρόνον ἀληθεύει, καὶ τὸ ἀεὶ. μηδέποτε ἀπολείπει. Atq; hoc genus cum primo genere conuenit, nisi quòd paulò latiùs eodem dicatur, ut inquit Aphrodiseus, ἰσέρρωτι ἐπὶ πλέον τὸ ἀεὶ τοῦ καθ' αὑτό. Item, ὡς δὲ γινώσκειν ὅτι τὸ ἀεὶ ἴδιον πλέον ὄζει, τοῦ καθ' αὑτό. Sic τὸ δίπουν, hoc est, bipedem esse, tametsi semper homini cõuenit, nõ tamen per se propriéq; illi inest, cùm præter hominem etiam auibus conueniat. Atq; ad hunc ferè modum Alexander. τὸ δίπουν semp homini conuenit.

p Aliquando id propo.) Hoc paulo angustius est secundo genere, καὶ πρός ἕτερον, siue καὶ πρός ἄλλο. Nam utroq; modo id appellatur. τὸ δὲ ποτὲ Aristoteles definiuit, ὃ κατά τινα χρόνον ἀληθεύει, καὶ μὴ ἐξ ἀνάγκης ἀεὶ παρέπει. τὸ ποτέ.

q Fieri autem potest.) Distinguit proprium τὸ πρός ἄλλο in duas partes, prout diuersè in rebus subiectis cernitur. Aut enim in omnibus, & semper, aut in plurimis & frequenter inest, ἢ γὰρ ὡς ἅπασι καὶ ἀεί, inquit, ἢ ὡσεπὶ τὸ πολὺ καὶ ὡς τοῖς πλείοσις. τὸ πρός ἄλλο duplex.

r Veluti hominis.) Prioris modi exemplum. Quod omnem hominem & semper bipedem esse ait, ἄνθρωπος μὲν γὰρ, καὶ πᾶς καὶ ἀεί ὄζει δίπους: id intellige, quatenus natura id ei conuenit. Neq; enim actu talis & semper & omnis cernitur, de quo uide infrà, cap. 3. & Porphyrium in Institutionib. cap. 4. An omnis homo semper bipes.

s Imperare autem.) Alterius generis exemplum, τὴν ἀρχὴν τὸ λογιστικὸν τοῦ ἐπιθυμητικοῦ καὶ τοῦ θυμικοῦ. Pulcher locus est, quo mentis & rationis naturale imperium, καὶ ἡγεμονικὸν in inferiores animi partes ac potestates animaduertimus: Etsi non semper propter deprauatum Naturæ habitum, in nobis isti imperio locus est, quemadmodum his uerbis deinceps Aristoteles declarat: οὔτε γὰρ τὸ λογιστικὸν πάντοτε προσάπτει, ἀλλ' ἐνίοτε καὶ προσάπτει, οὔτε τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμικὸν ἀεὶ προσάπτεται, ἀλλὰ καὶ προσάπτει τε ὅταν ἢ μοχθηρὰ ἡ ψυχὴ τοῦ ἀνθρώπου. Mens inferiorib. animi partibus dominatur.

t In qua voluptates.) Græcè τὸ ἐπιθυμητικὸν dicitur, quemadmodum in qua irarum ardor uersatur, τὸ θυμικὸν, seu τὸ θυμοειδές, ut alibi appellat.

u Huius

u Huius enim imperare est.) *Si incorruptum Naturæ iudicium sequaris.*

Collatio prædictorũ generũ

x Sed ea plurimum) *Confert prædicta quatuor τῶν ἰδίου genera inter se, docens quid inter ea, quod ad disserendi facultatem attinet, intersit. Neq; enim eadem ab omnib. commoditas facultasq; desumitur, cùm tria priora genera maiorem ad disserendum argumentorum copiam suppeditent, postremum uerò τὸ ποτὲ, non pari modo affectum sit. Maiorem ad disserẽdum argumentorum copiam suppeditare intelliguntur, quæ pluribus uijs aggredi & confutare, si quid earum rerum desit, quæ ad cuiusq; modi constitutionem pertinere uideãtur, licet, quæ τὰ λογικὰ Aristoteles appellat. Ita Alexander, τὸ δὲ καθ' ἁυτὸ Ἐκυρίως ἴδιον, inquit, καὶ τοῦτο λογικόν ἐστιν, ὅτι δυνατὸν καὶ ἐξ αὐτῶν πρὸς πλείονα ἐπιχειρεῖν, ἤγουν πολλὰ ἐπιχειρήματα λαμβάνειν.*

τὸ καθ' αὑτὸ λογικόν.

y Nam ex eo quod.) *De postremo genere, τῷ πρὸς ἕτερον primùm docet.*

z Multa igitur argu.) πλείους οὖν οἱ λόγοι γίνοντι πρὸς ταῦτα.

a Multa argumenta licet.) *Græcè est, πρὸς πολλά ἐστιν ἐπιχειρεῖν, ἢ πρὸς πλείους χρόνους παρατηρεῖν. Quorum prius pertinet ad Proprij modum τὸν καθ' αὑτὸ: posterius ad modum Proprij τῶν ἀεὶ, quemadmodum deinceps docetur.*

b Quamobrem si ab.) *Hoc loco ostendit, quo modo magnam ad disserendum uim in contrariam partem suppeditent. Nempe si quid desit rerum earum, quæ ad modi uniuscuiusq; naturã pertineant, ut paulò antè indicauimus. Id quod καθ' αὑτὸ rei alicui proprium tribuitur, tale est, quod ab omnibus alijs id ipsum quod propositum est, disseparet. Quod si ex ulla parte non fiat in eo de quo agitur, certum est, id non rectè pro Proprio assignatum esse. Sic Aristoteles, πρὸς ἕκαστον γὰρ τῶν ὄντων δεῖ ὑπάρχειν αὐτῷ τὸ ἴδιον. ὥστ' εἰ μὴ πρὸς ἅπαντα χωρίζετι, οὐκ ἂν εἴη καλῶς ἀποδεδομένον τὸ ἴδιον.*

τὸ καθ' αὑτὸ quale.

c Quod autem semper.) *τὸ ἀεὶ ἴδιον, ad tres temporũ differentias pertinet, præsens, præteritum, & futurum. Quorum unum si desit, οὐ καλῶς ἀποδεδομένον τὸ ἴδιον ἔσαι.*

d Quod autem interdum.) *τὸ ποτὲ ἴδιον, solum τὸν νῦν λεγόμενον χρόνον spectat, in quo si non conueniat, simplex eius refutatio est.*

e Quæstio autem ad diss.) *Cùm aliquoties nunc τῶν λογικοῦ προβλήματος meminerit, quod nam illud ipsum sit, hoc loco definiendo explicat. Est autem illud, πρὸς ὃ λόγοι γίνοντ' ἂν καὶ συχνοὶ Ἐκαλοί. Alexander, Λογικὰ προβλήματα, inquit, λέγει, τὰ ἐπιχορηγοῦντα πολλοὺς λόγους καὶ πολλὰ ἐπιχειρήματα καὶ ἰσχυρά.*

λογικὰ προβλήματα.

f Atque ijsdem ex locis.) *Ostendit de quónam genere τῶν ἰδίου deinceps tractaturus sit: Nempe de eo, quod ἀεὶ καὶ καθ' αὑτὸ rei conuenit. Nam quod alterius respectu dicitur, quia reuera proprium non est, sed magis accidens, ex ijs locis, qui de Accidẽte suprà traditi sunt, explicari posse.*

DE

DE LOCIS PROPRII, QVOS IN CONTRARIAS PARTES EXPONIT.

Cap. 2.

AC [a] primùm quidem videndum est, an rectè & aptè, nécne explicatum sit proprium: esse autem rectè aut minus rectè explicatum, ex vno loco illo intelligemus, si rebus minimè notioribus, aut si rebus magis perspicuis expositũ sit proprium. [b] Ac is quidem qui refellit, non constare ex notioribus ostendet: is autẽ qui confirmabit, ex ijs ipsis quæ magis perspicua sunt, constare demonstrabit. [c] Esse autem expositum verbis minus perspicuis & notis, cognoscemus: primùm, si [d] omnino obscurius & magis inuolutum erit proprium quod datur, quàm id cui attribuitur proprium. Neque enim proprium aptè & commodè propositũ erit, [e] quandoquidem cognoscendæ, & illustrandæ rei gratia proprium inuentum est. [f] Nam & proprium & definitiones discendi cognoscendique causa adhibemus. verbis igitur magis perspicuis illustranda sunt. sic enim facilius intelligemus. [g] Vt qui posuit ignis proprium esse proximè ad animi similitudinem accedere, is certè obscuriore vsus est verbo animi, quàm ignis. quoniã faciliùs quid ignis sit quàm quid animus cognoscimus: ita non rectè, minusque aptè propositum fuit proprium ignis, ad animi similitudinem proximè accedere. [h] Deinde, cùm minus planum sit ac perspicuum hoc illi conuenire, non enim solùm propriũ re clarius & notius esse debet, verùm etiam rei conuenire. qui enim nescit an huic rei proprium conueniat, ne illud quidem, an huic rei soli cõueniat, intelliget. [i] ita fit vt si alterutrum horum interueniat, incertum & obscurum futurum sit proprium, vt quando aliquis ignis proprium esse ponit, [k] in quo primùm animi sedes est, eo vtitur quod obscurius est igne, animum in igne & in eo primùm consistere. ex quo fit, proprium ignis non esse aptè positum, id in quo primo animus ineſt natura. [l] In cõfirmatione autem, vt rebus magis perspicuis, & ijs perspicuis magis duobus modis quos modò exposuimus, videndum est. [m] Sic enim aptè & cõmodè hac ex parte proprium explicabitur. quandoquidem loci ij qui ad confirmandum aliquid rectè positũ esse valent, alij [n] ex hac tantùm parte, alij omnino rectè expositum docebunt. veluti si quis proprium animalium dicat habere sensum, [o] is rebus magis perspicuis, et planiùs vtroque genere proprium explicabit. Aptè igitur expositum est, hac ex parte animalis proprium esse, sensum habere. [p] Proximus locus est in refu-

Proprii duob. modis ἀσαφῶς εἰρημ.

A Proprio

ambiguitas removenda.

tatione, si quod verbum eorum quibus proprium explicatur, pluribus modis dicatur, [q] aut oratio ipsa multa declaret omnino. Sic enim minus aptè positum erit proprium: veluti, [r] quoniam sentire plura significat, vnum, habere sensum, alterum, vti sensu, certè animalis non erit aptè explicatum proprium, [s] sentire natura: ob eamque causam non est vtendum verbo aut oratione, quæ pluribus modis dicatur, qua proprium exponamus: [t] propterea quòd ea quæ multis modis dicuntur, obscuram faciunt orationem: cùm præsertim in dubium veniat ei qui argumentaturus est, vtrum tandem alter dicat ex ijs quæ multiplici verbo continentur. [u] profectò enim cognitionis causa comparatum est proprium. [x] Iam verò præterea necesse est eos reprehendi, qui isto pacto explicant proprium, [y] quando aliquis in ea significatione, in qua id quod propositum est, verum non sit, ratiocinationem conficiet de eo quod multis modis dicitur. In confirmatione huius loci vsus est, si id quod proprium datur, nec multa significat, neque vllum verbum, neque ipsa oratio, sic enim hac ex parte aptè proprium ponetur: veluti quoniam [z] nec corpus multa declarat, nec id quod celerrimè sursum fertur, neq; ea quæ ex his verbis constat oratio, ob eam causam rectè ponetur ignis proprium esse, [a] corpus quod maxima celeritate sursum mouetur. Sequitur locus in refutatione, si multis modis dicatur [b] id cuius proprium explicetur, neque exponatur, cuius eorum ponatur esse proprium. Neque enim rectè proprium illud datum est. Quibus autem de causis, ex ijs quæ suprà dixi intelligi potest. Eadem enim necesse erit concludere, hoc modo: [c] Quoniam aliquid scire multa significat, ([d] nam & scientiam habere aliquid, & scientia vti aliquid, & scientiam esse eius, & scientia vti eius) ob eam causam nullum proprium rectè dari poterit [e] illius, scire aliquid, nisi cuius eorum proprium ponat, explicetur. In confirmatione autem eius vsus erit, si multis modis non dicatur id cuius proprium ponitur, vnumque sit & simplex. hac enim ex parte proprium aptè explicabitur: vt quoniam homo vno modo dicitur, homini rectè proprium tribuetur, animal [f] cur natura. [z] Coniunctus huic locus in refutatione valebit, si sæpe idem in proprio dictum erit. sæpe enim fallunt nos ij qui hoc faciunt, vt in definitionibus, sic in proprijs. quod si in proprio contingat, non erit rectè datum: quippe cùm id quod sæpe dicitur & iteratur, auditorem conturbet. ex quo fit, vt & obscura sit oratio, & præterea delirent & nugentur, qui eam inducunt. [h] Duobus aũt modis aliquid idem sæpe repetitur.

& ἐπίσασθαι τῶτο, ambiguum.

ταυτολογία à proprio remouenda.

Primùm

Primùm, cùm eandem rem sæpe nominabit: vt si quis dicat, ignis proprium esse corpus leuissimũ corporum: [i] sic enim sæpe dixit corpus. Deinde [k] si quis pro nominibus definitiones accipiat, vt si quis terræ proprium tribuat, [l] substantia quæ naturaliter fertur celerrimè corporum deorsum: deinde vtatur pro verbo corporum, illa oratione, [m] substantiarũ talium, quoniam corpus idem valet quod substantia talis, ex quo efficitur substantiæ nomen iterari: vt neutrum proprium rectè tributum esse videatur. At verò in cõfirmatione huius loci vsus erit, si nullo verbo eodem sępe vtare. hac enim ex parte aptè proprium statuetur: vt si quis proprium hominis dixerit, animal ad cognitionem, & scientiam natum, is nec sæpe eodem verbo vtetur, & hac ex parte rectè homini proprium statuet. [n] Sequitur locus in refutatione, si tale aliquod verbum in proprio expresserit, quod conueniat rebus omnibus: inusitatum enim & minus aptum erit verbum, quod à nullo separat. atqui vt in definitionibus, sic quod in proprijs exprimitur, [o] debet sciungere: non igitur rectè expositum erit proprium: vt si quis proprium scientiæ dicat, [p] opinionẽ, quę ratione dimoueri non potest, cùm sit vna: quoniam in proprio exponẽdo aliquo eiusmodi vsus est, vnius scilicet nomine, [q] quod rebus omnib. cõuenit, profectò scientiæ proprium rectè positum nullo modo videri potest. In confirmatione valebit hic locus, si nullum verbum commune adhibeatur, sed eiusmodi quod à re aliqua separet. hac enim ex parte præclarè positum erit proprium, vt si quis animali proprium tribuat habere animum, is quoniam nullo verbo communi vsus est, habere animum, rectè ex hac parte animalis proprium dedit. [r] Proximus locus est in refutatione, si quis plura propria eidem statuat, neque se plura ponere explicet. Tum enim haud rectè positum erit proprium. vt enim in definitionibus [s] nihil adhibendum est præter orationem, quæ rei vim & naturam explicet: sic ne in proprijs quidem, præter orationem, quæ proprium id quod datum est efficiat, quicquam exprimendum est. quandoquidem inusitatum minusque aptum est, quod prętereà additur. Id quod continget, si quis ignis proprium dixerit corpus [t] tenuissimum & celerrimum: vtrunque enim de solo igne verè dici potest, ex quo efficitur ignis proprium, corpus tenuissimum & leuissimum, non esse rectè datum. In confirmatione huius loci vsus erit, si nõ plura propria eiusdem, sed vnum esse ponatur, hac enim ex parte proprium rectè ponetur: vt si quis dicat humoris proprium, corpus [u] quod in omnem formã flectitur,

ταυτολογία duplex.

Propriũ communi verbo nõ exprimendum.

Vnũ eiusdem proprium, nõ plura ponenda.

is quoniam vnum expressit proprium, non multa, eo rectè vsus est humoris proprio. [x] Sequitur locus in refutatione, si vel eo vtatur cuius proprium explicat, aut eorum aliquo quæ ei tribuuntur. Nam quoniam cognitionis gratia inuentum est proprium, eo modo non rectè ponit. [y] Eadem quidem res semper ęquè obscura est. [z] quod autem alicui tributum est, id [a] quoniam eo est posterius, non est magis perspicuum. ita fit, vt ex his nihil disci cognosciq; possit: vt, si quis proprium animalis ponat [b] substantiam, cuius est species homo, is quia aliqua re vsus est earũ, quæ animali tributæ sunt, profectò non commodè vsus est proprio. In confirmatione autem ita demũ proprium rectè hac ex parte statuetur, si nec eo, neque aliquo eorum quæ ei tributa sunt vtamur. quod fiet, si proprium animalis ponamus, [c] quod ex animo & corpore concretum est: sic enim neque ipsum, neque quicquam ipsius adhibebimus. ex quo efficietur, vt præclarè hac in parte animalis proprium explicemus. Eademq́ue ratione ea spectanda sunt in alijs etiam rebus, [d] quæ non faciunt, aut quę faciunt aliquid planius. [e] Iam verò in refutatione videndum est, an tale aliquid adhibitum sit, quod aut contrarium sit, aut omnino æquè antiquum naturæ ordine, aut posterius, neque enim rectè proprium ponetur. Nam contraria sunt ordine naturę æquè antiqua. quod autem æquale est alicuius naturæ ordine, & eo posterius, non facit ipsum planius, neque declarat. Vt si quis boni proprium dicat malo maximè esse contrarium, is boni contrarium adhibuit, ob eamq́ue causam proprium boni haud rectè explicauit. In cõfirmatione autem huius loci vsus erit, si nec contrario vtemur, neq; vllo alio, quod æquale sit ordine naturæ, vel posterius. sic enim rectè hac in parte statuemus proprium. vt si quis scientiæ proprium ponat, [f] opinionem quæ maximè fidem faciat, is quia nihil adhibuit, nec quod scientiæ esset contrariũ, nec quod omnino simul esset cum ea, aut ea posterius naturæ ordine, eo rectè proprium scientiæ hac ex parte statuit. [g] Sequitur locus in refutatione, si quod non semper sequitur, proprium positum est, sed id quod interdum non propriũ est. non enim præclarè & commodè proprium erit explicatum. Neq; enim in eo nomen necessariò verè dicitur, [h] in quo inesse ipsum intelligimus: neque in eo necesse est nomen non dici, cui illud [i] non intelligimus conuenire. Ita non erit rectè expressum proprium. Prætereà non erit perspicuum an cõueniat id quod statutum est esse proprium, [k] si tale sit, vt prætermitti separariq́; possit. Itaque non erit perspicuum, neque apertum

Propriũ τοῦ μαθεῖν χάριν.

Propriũ nec æquale, nec posterius naturà ponendum.

Propriũ δ' ἀεὶ παρεπόμενον.

proprium.

proprium. vt si quis proprium animalis ponat, moueri interdum aut stare, is, quia tale statuit proprium, quod interdum nō proprium efficitur, certè haud aptè proprium statuit. In confirmatione considerabimus, an id proprium statutum sit, quod semper est in re necessariò. hac enim ex parte rectè proprium ponetur, vt si quis virtutis proprium dicat, [l] eum in quo sit, bonum efficere: is quia proprium statuit quod semper consequens est, ob eam causam rectè virtutis proprium hac ex parte constituit. [m] Sequitur locus in reprehensione, si id quod hoc tempore propriū est, statuat, neque se proprium huius temporis dare, exponat. neq; enim rectè statuet proprium. [n] Primùm enim quod contra mores, & consuetudinem statuitur, id omne enodationis indiget. Atque solent ferè omnes id proprium statuere, [o] quod sempiternum est. Deinde incertū est, ísne qui non explicat mentem suam, velit id ponere, quod hoc tempore sit proprium. Non igitur dare debet reprehensionis occasionem. quod continget si quis ponat alicuius hominis proprium esse sedere vnà cum aliquo homine, illudq; hoc tempore proprium esse non statuat. Neq; enim illud rectè statuat proprium, nisi se dixisse hoc tempore proprium esse, explicet. Atque hic locus ad confirmandum valebit, si explicemus cùm aliquid proprium statuemus hoc tempore, nos proprium hoc tempore ponere. sic enim rectè proprium hac in parte statuemus. Exempli causa, si quis alicuius hominis propriū dicat esse, aliquo in loco hoc vel illo tempore deambulare, quoniam distinctione vsus est, rectè id proprium esse posuit. [p] Proximus in reprehensione locus erit, si quis tale statuat proprium, quod conuenire aliter, quàm sensu perspici non licet. Neque enim tum positum proprium erit, [q] quandoquidem quicquid mouet sensum, si id extra sensum sit, obscurum est. incertum enim est an iã conueniat, propterea quòd sensu tantum modo intelligatur. [r] Quod verum esse, in ijs quæ non necessariò semper consequuntur perspiciemus. veluti si quis solis proprium esse dicat, [s] astrum splendidissimum quod supra terram fertur, is adhibet in proprio, illud quod supra terram fertur: quod quidem quia sensu cognoscitur, non rectè solis proprium statuit. [t] Incertum enim erit, cùm sol occiderit, an supra terrā feratur, quòd tum sensus oculorum nos deficit. At in confirmatione huius loci vsus erit, si proprium statuamus eiusmodi, [u] quod sensu non sit perspicuum, aut certè quod si sensum mouet, perspici potest necessariò conuenire. Hac enim ex parte rectè statutum erit proprium. [x] vt si quis extremita-

τὸ παρὰ τῆς ἐξηγήσεως expli cationis eget.

Propriū cōuenire, non solo sensu cognoscendum.

tis proprium ponat, quod primum colore inficitur, is illo toto, colore inficitur, quod sensum mouet, ille quidem vtitur, sed eiusmodi, quod perspicuum est semper conuenire. Ita hac ex parte rectè statutum est extremitatis proprium. [y] Iam in reprehensione videndum erit, an definitionem vt proprium posuerit. sic enim proprium non rectè ponetur, quandoquidem nõ debet proprium rei vim naturamq; explicare. [z] Cuius exemplum erit, si quis hominis propriũ dicat, animal gradiens bipes, proprium enim hominis statuet, quod quid res sit, explicat. Non igitur rectè statuit hominis proprium. In cõfirmatione autem huius loci vsus erit, si propriũ eiusmodi statuamus, [a] quod vicissim dicatur, neq; rei vim naturamq; declaret. Erit enim hac ex parte rectè explicatum proprium, vt si quis hominis proprium ponat, animal cicur natura, proprium ille quidem statuet quod vicissim dicitur, sed quod non quid res sit, indicat. Ita fiet, vt hac ex parte rectè statutum sit hominis proprium. [b] Coniunctus huic locus est in reprehensione & refutatione, cùm proprium datur, cuius nulla pars quid res sit, explicet. Oportet enim vt in definitionibus, sic in proprijs primùm genus exprimi, deinde iam hoc pacto adiungi cætera quæ separant atque seiungunt. Non igitur rectè proprium ponetur, quod non eo modo statuetur: vt si quis proprium animalis dicat, animum habere, non ponet in quæstione naturæ animal, ex quo sequetur animalis proprium non rectè positum esse. In confirmatione autem considerandum est, an collocatum sit aliquid, quod in quæstione naturæ dicatur de eo, cuius proprium ponitur, & ita demum adiungatur cætera. Hac enim ex parte rectè proprium datum erit. veluti si quis proprium hominis ponat, [c] animal ad scientiam & cognitionem natum, is et proprium quod in quæstione naturæ aliqua ex parte positum est, dabit: & ea ex parte hominis proprium rectè explicabit. [d] Ac vtrum rectè an minus rectè propriũ datum sit & explicatum, ex ijs locis qui adhuc sunt expositi, intelligere debemus.

Propriũ à definitione quid distet.

Propriũ vt circuitione exprimendũ

IN CAPVT SECVNDVM,

ANNOTATIONES.

[a] Ac primùm quidem.) *Aggreditur præceptionem, quod ad Proprij rectè cognoscendi explorandiq; viam ac rationem attinet. Ac vult quidem primùm διὰ γνωριμώτερον, sit ne rectè an secus Proprium assignatum, dijudicari. Ita si γνωριμώτερον καὶ ἀσαφέστερον sit proprium, rectè assignatum uidebitur: sin ἀγνωσότερον καὶ ἀσαφέστερον, non rectè. Nota hos locos in contrarias partes ab Aristotele explicari, & primum*

Propriũ loci cõtrariè explicantur.

quidem

quidem eos proponi, qui ad refutationem pertinent, deinde qui ad confirmationem. Quorum qui ad confirmationem pertinent, τοὺς κατασκευαστικοὺς: qui ad refutationem, τοὺς ἀνασκευαστικοὺς τρόπους τε καὶ τόπους nominari licet.

b Ac is quidem qui.) Ostendit, quo modo in contrarias partes hi loci disputentur. Hîc obserua, quod Cicero de Oratore monet, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex ijsdem suppeditari locis.

c Esse autem expos.) Bipartitò ostendit μὴ ἴδια γνωρίμωτέρων Proprium exponi. Alter modus est, cùm proprium re subiecta omnino est ignotius. Alter, cùm illud notũ quidem est, sed num subiectæ rei conueniat, in cõtrouersia ponitur. Hoc enim modo, perinde ut superiore, ne Proprium clariùs explicetur, efficitur, iuxta id, quod inferiùs Aristoteles subijcit: ὥσε ὁποτέρῳ τούτων συμβάντ' ἀσαφὲς γίνεται τὸ ἴδιον. Bifariam obscurius proprium explicat.

d Omnino obscurius.) Græcè est, ὅλως ἀγνωστότερον.

e Quandoquidem cog.) A fine argumentum, cuius & infrà sæpè meminit. γνώσεως γάρ, inquit, ἕνεκα τὸ ἴδιον ποιοῦμεν.

f Nam & proprium.) Quia hîc proprium cum definitionibus confert, Faber Stapulensis per Proprium τὰς καταγραφάς, hoc est, descriptiones, (quarum cum definitionibus permagna cognatio est) hoc libro designari ab Aristotele arbitratur. Græcè est, τὸ γὰρ μανθάνειν ἕνεκεν καὶ τὸ ἴδιον, καὶ τοὺς ὁρισμοὺς ποιοῦμεν. Faber Stapulensis.

g Vt qui posuit.) Exemplo declarat. Animi notio, quàm ignis, est obscurior. Siquidem hic sensu, ille uix tenui mentis cognitione apprehenditur. De quo uide Ciceronem lib. 1. Tusculana. Quisquis igitur ignis proprium esse ait, ὁμοιότατον ψυχῇ, non recte Proprium explicauerit.

h Deinde cùm.) Hic alter modus est, quo in dubium uocatur, utrum rei subiectæ, id quod pro proprio assignatur, conueniat.

i Ita fit, vt si.) Concludit locum reprehensionis per exempli repetitionem.

k In quo primum.) Græcè est, ἐν ᾧ πρῶτον ψυχὴ πέφυκεν εἶναι. Intelligit aũt natiuum calorẽ, cuius uehiculum aiunt esse animam, teste Alexandro, qui sic ait: τῶν μὲν λέγουσιν ὅτι τοῦτο τὸ ἐμφυτον θερμόν, οὗ φασὶν ὄχημα εἶναι τὴν ψυχήν. Diuersæ de anima sententiæ. Quid anima sit, non satis inter Veteres conuenit, dum alij sanguinem cordi suffusum, alij cerebri partem, nonnulli spiritum, quidam ut Zeno Stoicus, ignem, animum esse crediderunt, ut Cicero testatur lib. 1. Tusculana. quæstionum.

l In confirmatione.) Transit ad dientem locum, cuius eadem cum superiore exposito ratio est.

m Sic enim aptè & com.) Quod aptè & commodè explicatum Interpres ait, Græcè est, καλῶς κειμένου τε καὶ ἀποδεδομένου. Sic enim passim hîc Aristoteles loquitur, etsi & καλῶς εἰρημένον τὸ ἴδιον infrà dicit.

n Ex

ἐι κατὰ τοῦτο μόνον loci.

n Ex hac tantum parte.) κατὰ τοῦτο μόνον, Id est, quatenus & per se perspicuum est, & inesse rei subiectæ constat. Sic enim Alexander, καθὸ τὲ σαφὲς ὑπάρχει τὸ ἴδιον, καὶ πρόσδηλός ἐστιν ἡ τούτου ὕπαρξις. Qui omnino rectè expositum doceant, ij loci sunt, qui in sequentibus explicabuntur, ut quòd omni, et soli, & semper, subiecto proprium conueniat, quemadmodum Alexander exponit. Illos, τοὺς ἁπλῶς τρόπους τοὺς καλῶς Aristoteles uocat.

ἐι ἁπλῶς.

o Is rebus magis perspicuis.) Græcè est, διὰ γνωριμωτέρων.

p Proximus locus.) Vult à proprio ambiguitatem abesse: Neq; à proprio tantùm, sed etiam à subiecto, cui illud attribuitur, de quo pòst sequitur.

Ambiguitas bipartita.

q Aut oratio ipsa.) Nota bifariam ambiguitatem orationi accidere, nunc ex uerbis simplicibus, cuius generis sunt ὁμώνυμα: nunc ex simplicium non homonymorum structura, quale est illud apud Alexandrum, τὸ ἐπίστασθαι γράμματα, hoc est, Literas scire, cuius meminit et Aristoteles lib. de Reprehensionib. Sophistarum, cap. 2.

δ' αἰσθάνεσθαι

r Quoniam sentire.) δ' αἰσθάνεσθαι, nunc sensum habere, nunc sensu uti significat. Sic & rationale, teste Boëtio, bipartitò dicitur, de quo uide Porphyrij Institutio. cap. 6.

s Sentire natura.) δ' αἰσθάνεσθαι πεφυκός.

homonymia obscura.

t Propterea quòd ea.) ὁμωνυμία obscuritatis author. διότι δ' πλεοναχῶς λεγόμενον, inquit, ἀσαφὲς ποιεῖ τὸ ῥηθὲν, ἀποροῦντος τοῦ μέλλοντος ἐπιχειρεῖν, ὁπότερόν ποτε λέγει τὴν πλεοναχῶς λεγομένων.

u Profectò enim cog.) δ' γὰρ ἴδιον τοῦ μαθεῖν χάριν ἀποδίδοτι. Sic & aliquanto superiùs.

ἔλεγχος.

x Iam verò præterea.) Alexander reprehensionis occasionem è superiore Proprij assignatione oriri ait, dum is qui rogat, alio sensu ex multiplici uerbo conclusionem efficit, quàm respondens dederat. Id enim esse reprehensionem ait, his uerbis: ἔλεγχος δὲ ἐστὶ τὸ δὲν προσδιαλεγόμενον εἰς ἀντίφασιν περιάγειν δὲν ἀποκρινόμενον.

y Quãdo aliquis in ea significatione.) Græcè ἐπὶ τοῦ διαφωνοῦντως dicitur.

z Quoniam nec corpus.) Præsertim aut naturale, aut mathematicum. Nam si in genere id capias, dubium nullum est, quin multis modis id intelligatur, de quo lib. antegresso meminimus.

a Corpus quod maxi.) σῶμα δ' εὐκινητότατον εἰς δὲν ἄνω τόπον. In hunc locum de Igne uide Aristotelem lib. 1. de Cœlo, cap. 3. & lib. 4. cap. 4.

b Id cuius proprium expli.) Nempe subiectum, τοῦτο οὗ δ' ἴδιον ἀποδίδωσι.

c Quoniam aliquid scire.) δ' ἐπίστασθαι τοῦτο, Græcè est, id quod pro subiecto haberi uult, cuius quæpiam assignetur proprietas.

τοῦτο.

d Nam & scientiam hab.) Hoc modo, τοῦτο, personam græcè significat: sequenti, non personam, sed rem, quæ scientia comprehendatur.

e Illius, scire aliquid.) Nempe τοῦ ἐπίστασθαι τοῦτο, quod hic τεχνικῶς ponitur, ut suprà.

f Cicur natura.) Suprà humanum Interpres conuertebat, quod hic cicur ait. Græcè est δὲ ἥμερον utrobiq;.

g Coniunctus huic loc.) Vult ταυτολογίαν à proprij aßignatione abesse, ut non sæpius idē dicas, propterea quòd sic et obscuritas nascatur, et ἀδολεσχία τις, hoc est, nugatio quædam. Ταράττει γὰρ τὴν ἀκούοντα, inquit, δὲ πλεονάκις λεχθὲν, ἀσαφὲς οὖν ἀναγκαῖόν ἐστι γίνεσθαι, καὶ πρὸς τούτοις ἀδολεσχεῖν δοκοῦσιν. ταυτολογία vitiosa.

h Duobus autem modis.) In duos modos ταυτολογίαν diuidit. ἔσται δὲ συμπίπτον, inquit, τὸ πλεονάκις εἰπεῖν τὸ αὐτὸ, κατὰ δύο τρόπους. In hunc locum uide nonnulla & lib. de Reprehensionib. Sophistar. cap. 9.

i Sic enim sæpe dixit.) Sæpe, τὸ πλεονάκις, ἀντὶ τοῦ δὶς ponitur, hoc est, pro bis. Sic et lib. 1. de Ratiocinat. cap. 18. idem uerbum πλεονάκις in syllogismo adhibendū ait. πλεονάκις.

k Si quis pro nom.) Id interim ab Aristotele fieri memineris, sed tum cùm nomen simplex obscurius est, enodationisq; indiget. Id quod hic non fit.

l Substātia quæ natur.) Græcè est, οὐσία ἡ μάλιστα κατὰ φύσιν φερομένη τῶν σωμάτων εἰς τὴν κάτω τόπον. Vide 1. de Cœlo, cap. 3. & 4. de Cœlo, cap. 4.

m Substantiarum talium.) τῶν οὐσιῶν τοιωνδὶ, hoc est, materiatarum, quæ in omnem partem dimensionem habent, de quo uide initium lib. 1. de Cœlo.

n Sequitur locus in.) Vult tali uerbo proprium exprimi, quod rem subiectam ab alijs disseparet. Alioqui μὴ καλῶς istud aßignatum iri. ἀχρεῖον γὰρ ἔσται, inquit, τὸ μὴ χωρίζον ἀπότινων. Proprij est seiungere.

o Debet seiungere.) Id fit, quoties aut generi, aut alienis speciebus comparatur, teste Rodolpho lib. 1. cap. 8. δὲ δ' ἐν τοῖς ἰδίοις λεγόμενον, inquit, χωρίζειν δεῖ, καθάπερ καὶ τὰ ἐν τοῖς ὅροις.

p Opinionem quæ ratione.) ὑπόληψιν ἀμετάπιστον ὑπὸ λόγου ἓν ὄν.

q Quod omnibus rebus con.) De quo lib. superiore patet, cap. 6.

r Proximus locus.) Vult in aßignatione καὶ ἀποδόσει Proprij, nihil redundans & superfluum poni, quemadmodum neq; in definitionibus. καθάπερ γὰρ οὐ δ' ἐν τοῖς ὅροις δεῖ πρὰ τὴν δηλοῦντα λόγον τὴν οὐσίαν προσκεῖσθαί τι πλέον, οὕτως οὐδ' ἐν τοῖς ἰδίοις παρὰ τὴν ποιοῦντα λόγον ἴδιον δὲ ῥηθέν, οὐδὲν προσαποδοτέον. ἀχρεῖον γὰρ γίνεται δὲ τοιοῦτον. Proprio nil supfluum addendum.

s Nihil adhibendum est.) Si enim quicquā addatur, contractior fit definitio, quæ non in totam rem definitam conuenit.

t Tenuissimum & celerr.) δὲ λεπτότατον καὶ κουφότατον..

u Quod in omnem formam.) Id fit, quia fluidum est, nec suo proprio termino

ἀ ὑργόν. facile coercetur, & terminatur, de quo Aristoteles lib. 2. de Generat. cap. 2. ὑγρὸν δὲ τὸ ἀόριστον οἰκείῳ ὅρῳ ἐνόριστον ὄν. Quod in omnem formam flecti Interpres ait, Græcè dicitur, τὸ εἰς ἅπαν σχῆμα ἄγεσθαι.

Subiectũ, & subiecti pars pro proprio.

x Sequitur locus.) Monet proprium uitiosè explicari, si pro eo aut subiectum, aut subiecti pars aliqua afferatur. Subiectum affertur, si hominis proprium, animal rationis particeps dicatur, pro eo quod est mentis & disciplinæ capax, teste Alexandro: Subiecti pars afferetur, si animalis proprium substantiam esse dicas, cuius homo species sit.

y Eadem quidem res.) Id est, subiectum alijs uerbis expressum, ut animal rationis particeps pro homine. Græcè dicitur, αὐτὸ γὰρ αὐτῷ ὁμοίως ἄγνωστόν ἐστι.

z Quod autem alicui.) Partem subiecti dicit, ut hominem animalis, de quo infrà exemplum dat. Græcè est, τὸ δέ τινι τῶν αὐτῶν ὕστερον.

a Quoniam eo est poste.) Græcè τὸ ὑστερογενὲς Alexandro dicitur.

b Substantiam cuius species est ho.) Id est, ipsum hominẽ, Græcè est, οὐσίαν ἧς ἐστὶν εἶδος ἄνθρωπος.

c Quod ex animo.) Græcè est, τὸ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συγκείμενον

d Quæ non faciunt, aut quæ fa.) Quorum hæc accommodata sunt εἰς κατασκευήν, illa εἰς ἀνασκευήν. Planius facere, τὸ ποιεῖν γνωριμώτερον, Græcè dicitur.

e Iam verò in refu.) Vult nec subiecti ἀντικείμενον, nec id quod cum re subiecta uel simul est natura, uel eadem posterius, pro proprio collocari, propterea quòd ea subiectum non faciant (id q̃ proprij munus est) γνωριμώτερον. τὸ μὲν γὰρ ἀντικείμενον, inquit, ἅμα τῇ φύσει, τόδ' ἅμα τῇ φύσει καὶ τὸ ὕστερον οὐ ποιεῖ γνωριμώτερον.

Subiecti ἀντικείμενον.

f Opinionem quæ maxi.) Græcè est, ὑπόληψιν τὴν πιστοτάτην.

Propriũ semper & necessariò conuenit.

g Sequitur locus.) Quod interdum conuenit, & separari à re subiecta potest, proprium non est, ut hîc de eo loquimur. Quia & semper & necessariò id subiecto conuenire debet, cùm ex essentialibus subiecti principijs nascatur, quæ principia nunquàm rem subiectam deserunt. Græcè τὸ ἀεὶ παρεπόμενον, καὶ δὲ δὲ ἀνάγκης ἀεὶ ὂν ἴδιον uocat.

h In quo inesse ipsum.) Simpliciter & absolutè, ita ut τὸ ὑπάρχον cum necessario confundatur.

i Non intelligimus conuenire.) In præsens, quia re ita ferente, aliâs inesse & conuenire potest.

k Si tale sit, vt prætermitti.) Græcè est, εἴπερ τοιοῦτόν ἐστιν, οἷον ἀπολείπειν.

l Eum in quo sit bonum.) Nota uirtutis ingenium, quod est bonum eum efficere in quo inest. Sic Plato τὴν ἀρετὴν definiuit, τὴν καθ' αὑτὴν ἐπαινετὴν ἕξιν, καθ' ἣν τὸ ἔχον ἀγαθὸν λέγεται. Quo modo & Cicero ferè 4. Tusculana. Quando igitur uirtus est affectio animi constans conueniensq; laudabiles efficiens eos in quibus est, & cætera. Græcè Aristoteles τὴν ἀρετῆς ἴδιον esse ait, τὸ τὸν ἔχοντα ποιεῖν σπουδαῖον.

ἀρετὴ.

Virtus.

m Sequitur

m Sequitur locus.) τὸ νῦν ἴδιον, quod in præsens rei subiectæ conuenit, non omnino & simpliciter, sed cum adiunctione, ὅτι νῦν, Proprium dicendum esse præcipit. Verùm id de germana rei proprietate nequaquàm intelligi conueniet. τὸ νῦν ἴδιον.

n Primùm enim contr.) Bipartitò probat. Sententiam hoc loco nota, τὸ πρὰ τὸ ἔθος γινόμενον ἅπαν διορισμοῦ προσδεῖται. τὸ παρ' ἔθος.

o Quod sempiternum est.) τὸ ἀεὶ παρεπόμενον.

p Proximus in reprehens.) Vult proprium non solo sensu, sed & intellectu perspicuum esse, quòd aliter an necessariò rei subiectæ conueniat, non satis intelligi possit. Quod aliter conuenit, quàm sensu & cæt. id Græcè dicitur, ὃ φανερὸν μή ἐστιν ἄλλως ὑπάρχον ἢ αἰσθήσει. Propriũ intellectui perspicuum.

q Quandoquidem quicq.) Græcè est, ἅπαν γὰρ αἰσθητὸν ἔξω γινόμενον τῆς αἰσθήσεως ἄδηλον γίνεται. ἁφανὲς γὰρ ἐστιν εἰ ἔτι ὑπάρχει, διὰ τὸ τῇ αἰσθήσει μόνον γνωρίζεσθαι. In hanc sententiam uide et lib. 2. de Ratiocinat. cap. 9. τὸ αἰσθητόν.

r Quod verum esse.) A consequentium, τῶν παρακολουθούντων, distinctione, prædictum locum clariùs explicat. Ea quæ consequuntur, alia necessariò semper consequuntur, alia non semper. Et in ijs quæ non semper consequuntur, antegressam monitionem locum uult habere. Consequẽtia varia.

s Astrum splendidissimum.) ἄστρον φερόμενον ὑπὲρ γῆν τὸ λαμπρότατον.

t Incerium enim erit.) In hunc locum uide Lactantium lib. 3. cap. 24. quo loco disputat, sint ne Antipodes, sit ne & terra rotunda, & cœlum in omnes partes deuexum. Id quod à Physicis, & alijs plerisq; non minutis Philosophis certò ponitur, & necessarijs rationibus confirmatur. Lactãt. de Antipodibus.

u Quod sensu non sit.) ὃ μὴ τῇ αἰσθήσει φανερόν ἐστιν, ἢ ὃ αἰσθητὸν ὄν, ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχον δῆλόν ἐστιν.

x Vt si quis extre.) Etsi color omnis in corpore inest, ut lib. Categoriarum Aristoteles docet, quia tamen sine extremitatis seu superficiei (quam τὴν ἐπιφάνειαν græcè appellat) interuentu minimè id contingit, fit, ut & primum coloris subiectum extremitas sit, & eidem τὸ κεχρῶσθαι, hoc est, coloratum esse, præsenti loco proprium Aristoteles tribuat. Coloris subiectũ primum.

y Iam in reprehensio.) Distinguit proprium à definitione, quòd hæc quid res sit, illud qualis sit, declaret, de quo & lib. 1. superiùs docuit. οὐ γὰρ δεῖ δηλοῦν, inquit, τὸ τί ἦν εἶναι τὸ ἴδιον.

z Cuius exemplum erit.) Nota hoc loco exemplorum ueritatem, non adeò in disciplinis necessariam esse, de quo lib. 1. de Ratiocinatione dictum est, cap. 21. Nam hæc oratio ζῶον πεζὸν δίπουν, hoc est, animal gradiens bipes, non uera hominis definitio sit, cùm et qualitatẽ magis hominis declaret, et alijs quibusdam præter hominẽ etiã cõueniat. Exempla falsa esse licet.

a Quod vicissim dicatur.) ἀντικατηγορούμενον μὲν, οὐ τὸ τὶ ἦν εἶναι δὲ δηλοῦν.

b Coniunctus huic locus.) *Quoties proprium circuitione exprimendum est, uult perinde ut in definitionibus fieri assolet, primùm genus exprimi, deinde qualitates & differentias adiungi, quæ generi coniunctæ, illius quod propositum est proprium explanent. Hîc uidetur τὸ ἴδιον pro descriptione (ut antè ex Fabro diximus) ab Aristotele usurpari.* δεῖ γὰρ τὴν ἰδίων, *inquit,* καθάπερ τὴν ὅρων τὸ ἀποδίδοσθαι γένος, ἔπειθ' οὕτως ἤδη προσάπτεσθαι τὰ λοιπὰ καὶ χωρίζειν.

Propriũ circuitione vt describatur.

c Animal ad scientiam.) *Græcè est,* ζῶον ἐπιστήμης δεκτικὸν, *de quo & libro 1. dictum est, & in sequentibus sæpius mentio fiet.*

d Ac vtrum rectè.) *Concludit per transitionem.*

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Cap. 3.

VTrùm [a] autem id proprium sit omnino, quod explicatur, & datur, nécne, ex ijs quæ deinceps exponemus, licebit concludere. Iisdem enim locis aliquid omni ex parte rectè poni proprium concludemus, [b] quibus proprium omnino statuitur. quorum primus erit in refutatione, [c] diligens eorum omnium animaduersio, & consideratio, quorum propria dabuntur. veluti videndum erit, an ea ex parte qua datur, [d] non verè de singulis dicatur, an verò non sit proprium vniuscuiusque eorum [e] eius ratione, cuius proprium explicetur: sic enim non erit proprium quod esse ponebatur, [f] vt quia de geometra non verè dicitur, eum nulla ratione falli posse, (fallitur enim geometres [g] in falsa descriptiõe) non est proprium futurum docti & artificis, non falli ratione. In confirmatione autem an in omnibus verè dicatur, [h] & hac ex parte qua sub illo toto genere continentur, videndum est, quoniam proprium erit quod positum est esse proprium: vt quia animal ad cognitionem & disciplinam percipiendam natum, in omni homine verè dicitur, [i] & quia homo sit, eò hominis proprium erit animal ad disciplinam percipiendam natum. Huius autem loci vsus erit in refutatione, quoties [k] in quo nomen, non etiam oratio verè dicetur, & cùm in quo oratio, non etiam nomen intelligi licet. In confirmatione autem, cùm in quo nomen, etiam oratio, & in quo oratio, nomen quoque intelligetur. [l] Alter locus est refutationis, cùm de quo oratio, non etiam nomen verè dicitur: & cùm de quo nomen, non etiam verè dicitur oratio. tum enim quod positum est esse proprium, non erit proprium: quod ex hoc exemplo intelligi potest.

Propriũ cum subiecto retrò vicissim cõmeat.

[m] Animal

[m] Animal enim ad disciplinam & scientiam percipiendam natũ, in deo verè intelligitur, homo non intelligitur. ex quo efficitur non esse proprium hominis hoc totum, animal quod ad disciplinã cognitionemque percipiẽdam natum est. In confirmatione autem valebit, quoties in quibus omnibus oratio, nomen etiam dicetur: & in quibus nomen, etiam oratio. quod enim proprium positum est non esse, proprium erit. Quod hinc intelligi potest, quia de quibus illud totum, habere animum, [n] etiã animal verè dicitur: & de quibus animal, etiam animatum. ita habere animum, animalis proprium est. [o] Refutationis tertius locus erit, si subiectum eius esse proprium statuatur, quod in subiecto esse dicatur. vt si quis proprium statuat [p] tenuissimæ rei ignem, quia rem subiectam, proprium ei quod de illa dicitur tribuit, certè non rectè posuit ignem proprium esse rei tenuissimæ. Ob eamque causam subiectum non est futurum proprium eius, quod in subiecto esse dicitur: [q] sic enim idem multorum, & quæ specie differunt proprium esset, [r] quandoquidem multa quædam quæ specie differunt eidem conueniunt, quæ de eo solo dicuntur: quorum omnium subiectum proprium futurum est, si quis isto pacto statuat proprium. Ad confirmandum autem valebit, si id quod in subiecto inest, subiecti proprium esse ponatur: quandoquidem propriũ futurum est id quod positum est non esse proprium, si quidem in solo eo intelligitur, vt dixi, proprium, cuius proprium esse dicitur. vt si quis terræ proprium dicat, [s] corpus grauissimum specie, is quia proprium subiecti dedit eiusmodi, quod & de sola re, & vt proprium dicitur, efficitur vt rectè positum sit terræ proprium. [t] Sequitur locus proprius refutationis, si quis per communicationem proprium tribuat: non enim erit proprium quod positum est esse proprium: quippe cùm id quod communione quadam conuenit, ad vim naturamq; rei explicandam pertineat. [u] Erit autem hoc modo positum proprium differentia quædam, quæ de specie aliqua dicetur. vt si quis proprium hominis dicat hoc totum, gradiens bipes, per communionem quandam proprium explicabit: ex quo fiet, vt non sit proprium hominis gradiens bipes. Hoc loco videbit is qui confirmandi partes obtinebit, ne per communionem propriũ explicet, neque vim naturamque rei delaret: [x] ita tamen vt vicissim de re dicatur. Quod enim positum est non esse proprium, id proprium futurum est. vt si quis animalis proprium ponat hoc totum, [y] quod vim habet sentiendi, is nec propriũ cõmunione explicabit, neq; rale quod vim naturamq;

Proprii subiecti attributum, non contrà.

Proprii κατὰ μέθεξιν dicat.

rei declaret, & tamen eiusmodi quod vicissim de re dicatur. Ita propriũ erit animalis hoc totum, quod vim habet sentiendi. [a] Proximus locus refutationis erit, si doceatur proprium non posse vnà cum re cuius proprium ponitur cohærere: [a] sed vel posteriùs vel priùs quàm ipsum nomen rei conuenire. Sic enim aut nunquam, aut certè non semper proprium est futurũ, id quod positum est esse propriũ. Vt quia alicui priùs conuenit esse hominem, posteriùs autem ambulare per forum, certè volitare in foro, aut nunquã, aut non semper hominis est proprium. In confirmatione autem huius loci vsus erit, cùm id quod proprium ponitur, [b] vnà cum re semper aderit necessariò, neq; definitionis vim, neq; differentiæ habebit. Sic enim proprium erit quod positum est non esse proprium, vt quia hoc totum, animal quod ad disciplinam cognitionemq; natum est, vnà cum homine existit necessariò, neque differentia est, neq; definitio, certè hominis proprium id ipsum futurum est. [c] Sequitur locus refutationis, cùm eorundem, quia eadem sint, non est idem propriũ. Non enim quod positum est proprium esse, proprium erit. quod intelligi potest ex hoc exemplo. Nam quia eius quod persequendum est proprium non est, [d] videri nonnullis bonum, ne eius quidem quod expetendum est, proprium erit videri nonnullis bonum. Idem enim valẽt quod persequendum est, & quod expetendum. Is autem qui confirmabit, ex hoc loco argumẽtum ducet, [e] quando eiusdem rei quia eadem sit, idem proprium esse ponetur. Nam proprium erit quod positum est non esse proprium, vt hominis quatenus est homo, proprium dicitur, [f] habere animum tripertitum, & mortalis quatenus mortalis est, tripertitum animum habere proprium erit. [g] Valet etiam hic locus in accidente, quoniam ijsdem quatenus eadem sunt, eadem conuenire aut non conuenire debent. [h] Coniunctus huic locus est in refutatione, cùm [i] eorũ quę sunt eiusdem speciei, non ea ponuntur propria, quæ etiam eadem sint specie: non enim rei illius id quod positum est, proprium erit: [k] vt quoniam eiusdem generis homo & equus habentur, neq; semper proprium est equi à se stare, ne hominis quidem proprium erit, à se semper moueri & agitari. Sunt enim eiusdem generis moueri & stare per se, quoniam vtrique eorum quatenus animalia sunt, hæc conueniant. In confirmatione autem illud videndum est, an eorum quæ sunt eiusdem generis, id proprium statuatur quod semper ad idem genus referatur. erit enim proprium, quod non esse propriũ positum est, vt quoniam hominis proprium est,

Proprium quale, nec prius, nec posterius.

Eiusdem rei, qa eadem, idem proprium

Species τῶν ὁμογενῶν, etiam ppria τὰ ὁμογενῆ.

est, esse gradientem bipedem, auis etiam proprium erit, volucrem esse bipedē. [l] Sunt enim hæc eiusdem generis omnia. alia enim, vt species quæ sub eodem sunt genere, cùm sint animali subiecta, alia verò vt generis animalis differentiæ. [m] Sed hic locus falsus est, cùm alterum eorum quæ numerata erunt, [n] vni alicui soli speciei conueniet, alterum pluribus, qualia sunt gradiens quadrupes. [o] Quoniam autem idem & alterū multis modis dicuntur, difficile est, si quis captionibus contrà disputare velit, vnius & solius alicuius rei explicare proprium. [p] Quod enim conuenit alicui, cui quid accidit, etiam accidenti conueniet, [q] si cum eo sumatur cui conuenit. vt quod inest in homine, etiam in albo homine, si modò sit albus, reperietur. Item que quod in albo homine inest, id etiam in homine inerit. Sed quispiam multa propria refellit, si subiectum [r] aliud per se faciat, aliud si cum accidente coniunctum sit. vt si dicat aliud esse hominem, aliud album hominem: [s] Idem fiet si aliud ponat habitum, [t] aliud id quod ex habitu nominetur. vt enim quod in habitu inest, in eo etiam inest qnod ab habitu appellatur: sic quod in eo quod ex habitu nominatur inest, etiam in habitu insit necesse est. veluti [u] quoniam artifex ab arte dicitur: [x] non erit artis propriū non posse ratione dissuaderi: quippe cùm id etiam artifici conueniat, qui nulla ratione de sententia deduci dimoueriq; possit. [y] In confirmatione autem dicēdum est, non esse aliud omnino id quod accidit, & aliud id ipsum cui accidit, si cum eo comprehendatur quod accidit: sed ob eam causam aliud dici solere, [z] quòd eorum sit natura & ratio diuersa, quoniam aliud est hominem esse hominem, & aliud hominem album esse hominē album. [a] Præterea ex casibus eruendum est, quod contra huiusmodi captionem adferamus: [b] scilicet, non esse artificem aliquid quod ratione mutari nō possit, sed eum qui ratione dissuaderi non possit. nec artem & scientiam esse id quod ratione sit immutabile, sed ipsam ratione esse immutabilem. [c] Nam ei qui omni ratione contendit, omni etiam ratione occurrendum. [d] In refutatione proximus locus erit, si quis velit aliquid quod natura ineſt explicare, eoque verbo id ponat, [e] vt id semper ineſſe declaret. Sic enim fiet, vt iacere id & ruere quod positum est proprium videatur. [f] vt si quis hominis proprium dicat, esse bipedem, vult ille quidem exponere aliquid quod natura insitum est, sed oratione sua id quod semper insitum est, significat. ita non est futurum hominis propriū bipedem esse: quandoquidem nō omnis homo duos habet pedes. In cōfirmatione aūt huius

An idem plurium propriū, ἐφεξῆς dicatur.

Sophisma tum in primis.

Quod natura ineſt, non semper actu conuenit.

huius loci vsus erit, si id quod natura insitum est, proprium statuere velimus, idq; oratione nostra exponamus. Neque enim proprium [g] ex hac parte tolletur aut corruet. vt si quis proprium hominis ponat hoc totum, animal ad disciplinam & cognitionem percipiendam natum, idq; significet oratione sua, natura illud esse insitum proprium, hac ex parte nunquam improbabitur hominis proprium esse id quod diximus. [h] Iam verò in quibus est aliquid primùm, & aliquid cui per illud primum conuenire quippiam dicitur, difficile est explicare proprium. Nam si eius proprium dederit, quod in alio aliquo intelligitur, etiam de primo verè dicetur: sin autem primi proprium ponat, etiam in illo quod in alio intelligitur, reperietur. [i] vt si quis extremitatis proprium dicat colore inesse, etiam colore insici, in corpore dicetur: quòd si in corpore, etiam in extremitate. Ita fiet, vt non [k] in quo oratio, nomen quoque verè dicatur. Sæpe autem accidit vt in quibusdam proprijs explicandis peccetur, propterea [l] quòd nec quomodo, nec quorum proprium ponant, explicent. Omnes enim enituntur proprium statuere id quod aut natura insitum est, quale est hominis bipes: [m] aut quod hoc tempore conuenit: vt hominis alicuius quatuor habere digitos: aut specie, quemadmodum ignis tenuissimis ex partibus constare: [n] aut omnino & & per se, vt animalis viuere. aut per aliud, vt animi, [o] prudentia esse præditum: aut quasi in quo primùm aliquid ineat, vt in parte animi quæ rationis est particeps, prudentiæ esse sedem: aut ex eo quod aliquid habet, quemadmodum artificis est proprium, ratione de sententia deduci non posse. Neque enim ex alia re, quàm ex eo quod habet quicquã, ratione de sententia deduci non potest. aut etiam statuitur proprium ex eo quòd aliquid habetur, sicuti proprium est scientiæ ratione non posse mutari: aut ex eo quòd aliquid communicatur, quale proprium est animalis sentire. Nam & si aliquid aliud, veluti homo sentit, tamen iam cum illo hoc communicatur: aut ex eo quod communicat, vt alicuius animalis viuere. [p] Si igitur non adiungatur illud natura, certè in eo peccatur, propterea quòd fieri potest, [q] vt quod natura insitum est, ei non cõueniat, cui natura cõuenit: quemadmodum homini duos habere pedes: peccat etiam qui se non explicat, proprium dare quod nunc sit proprium: propterea quòd ex eo efficitur quod est proprium rei, certo quodam tempore illi non conuenire: quale est, quatuor habere digitos hominẽ: si etiam non exponat, se id propriũ ponere quod primùm, aut quod per aliud conueniat, non in quo oratio, etiam

Color & corpori, & extremitati inest.

Quot modis erret in explicatione proprij.

Superiorũ modorum explicatio.

etiam nomen verè dicetur: vt si quis colore infectum esse, vel extremitatis vel corporis proprium exposuerit. Quòd si non antè explicarit se id proprium dare, vel quia habeat ipsum, vel quia habeatur, certè id quod dedit non est futurum proprium. Nam si ei proprium tribuit, cui hoc ipso conuenit, quo ab aliquo habetur, etiam ei illud conuenire perspicietur, quod ex eo tale esse intelligitur, quia in se habet quippiam: & si ei qui habet, tribuat, ei etiam quod habetur, conueniet. quod fiet si hoc totum, ratione non posse dissuaderi, scientiæ aut artificis proprium esse po natur. Atque etiam peccabit in explicando proprio, qui non exposuerit se id statuere proprium, quod dat, [r] vel ex eo quod participet, vel ex eo quod communicetur, propterea quòd isto pacto alijs quibusdam conueniet proprium. Nam si in eo statuat, quod communicatur, cum ijs quæ participant, conueniet: at si in eo quod participat, ijs quæ communicantur. vt si quis alicuius animalis, aut animalis proprium ponat viuere. peccat etiam qui [s] verbum illud, specie, non addit, eò quòd vni soli eorum quæ illi subiecta sunt, cuius proprium statuitur, cõueniet. [t] Quod enim præstat & excellit, id vni soli conuenit, vt igni cõuenit celeritas maxima. [u] Fit etiam interdum, vt is aberret in tradẽdo proprio, qui verbum illud, specie, addidit. Oportet enim earum rerum quibus proprium tribuitur esse vnam speciem, vt rectè addatur hoc verbum, specie: quod in nonnullis non contingit: quo ex genere ignis est. neque enim vna est species ignis. quandoquidem species inter se differunt, pruna, flamma, & lumen, quorum vnumquodq; ignis est. [x] ob eam autem causam, cùm speciei nomen adiungitur, alia species eius quod dictum est, non debet esse, [y] quia alijs magis, alijs minus, id quod proprium explicatum est conuenire accidet: cuius generis est tenuissimum esse, si ignis proprium esse ponatur: [z] nam & prunis, & flamma lumen tenuius est, quod non debet accidere, [a] quoties nomen non dicitur magis in eo, in quo oratio verius dicitur: alioqui id verum non erit in quo sit magis oratio, etiam nomen magis potiusque dici. [b] Præterea ita fiet, vt sit idem proprium, [c] & illius quod omnino, & illius quod maximè inest in eo quod omnino tale vel tale existit, qualem habet rationem subtilissimum corpus ad ignem. Nam & luminis & ignis omnino illud ipsum futurum propriũ est: quippe cùm lumen sit tenuissimum. [d] Ac si quis isto pacto proprium statuerit, argumenta contrà ducenda erunt: ei autem qui ponit quæstionem vidẽdum est, ne his obiectionibus det locum, sed vt primùm proprium posuerit,

Ignis tripartita species.

quemadmodum, & cuius generis proprium ponat, explicandum.

IN CAPVT TERTIVM,

ANNOTATIONES.

τὸ ὅλως καὶ ἁπλῶς ἴδιον.

a Vtrum autem id.) Diligentius priores locos excutit, docens unde τὸ ἁπλῶς καὶ τὸ ὅλως ἴδιον propriè tãdem agnoscatur. Vultq; τὸ ὅλως ἴδιον omnibus quæ sub specie (cuius proprium assignatur) comprehensa sunt, quatenus talia sint, uerè competere.

b Quibus proprium omnino.) Omnino, & omni ex parte, pro eodem sumit. Illud τὸ ὅλως, hoc τὸ ἁπλῶς græcè nominatur.

c Diligens eorum omnium.) ἐπιβλέπειν ἑφ' ἑκασον, οὗ τὸ ἴδιον ἀποδίδωκεν.

d Non verè de singulis.) Indiuidua speciei intelligit, Sic ridens hominis proprium, de singulis hominibus, Catone, Sophroniſco, Callia, & cæt. qua ex parte homines sunt, uerè dicitur.

e Eius ratione, cuius.) κατ' ἐκεῖνο, οὗ τὸ ἴδιον ἀποδίδωκεν.

f Vt quia de Geome.) Exemplo probat. Nullaratione falli posse, græcè est, τὸ ἀνεξαπάτητον εἶναι ὑπὸ λόγου, quod paulo infrà τὸ μὴ ἀπατᾶσθαι ὑπὸ λόγου, eodem sensu ait.

g In falsã descriptione.) Circulorum & figurarum, de quo suprà lib. 1. cap. 1. dictũ est. Græcè est, ἐν τῷ ψευδογραφεῖσθαι.

h Et hac ex parte.) Græcè est, κατὰ τοῦτ' ἀληθεύειν. Sic Catoni proprium est ridentem esse, non qua ex parte Cato est, sed qua ex parte homo. Sic Isoſceles tres angulos duobus rectis pares habet, non quia Isoſceles, sed quia triangulum est, ut lib. 1. de Demonstratione Aristoteles docuit.

i Et quia homo sit.) καὶ ἄνθρωπος.

Nomen. Oratio.

k In quo nomen, non etiam.) Nomen, τοὔνομα, ipsum subiectũ dicit, uidelicet hominem. Orationem, τὸν λόγον, ipsum proprium, quo subiectum explicatur, ut natum ad percipiendam disciplinam. Atq; sic & in sequentibus iisdem uerbis utitur.

l Alter locus refutat.) Vult proprium & subiectum æquè latè patere, & alterum cum altero uicißim conuerti & reciprocari. Locus superiori affinis est.

m Animal enim ad dis.) Hoc loco negat ex Platonis sententia, hominis proprium esse, τὸ ζῷον ἐπιστήμης δεκτικόν, id quod hactenus asseuerauit.

n Etiam animal verè dici.) Non apparet, cùm τὸ ψυχὴν ἔχειν, hoc est, animũ habere, etiam plantis Aristoteles attribuat, quæ cùm res animatæ sint, nemo tamen eas animalia dixerit, quòd sensu careant.

Propriũ

o Refutationis tertius.) Vult Proprium, subiecti attributum esse, non contrà subiectum proprio attribui. τὸ γὰρ ἴδιον ὑπάρχειν, inquit Alexander, δεῖ ἐν ἑτέρῳ, οὐχ ἕτερον

ἕτερον ἐν αὐτῷ. Cùm subiectum proprio attribuitur, indirectum ἐν δὲ πρὰ φύσιν dicendi genus efficitur, id quod ὡς συμβεβηκὸς Aristoteles uocat, de quo uide lib. I. de Demonstratione, cap. 10. Subiectum, δὲ ὑποκείμενον uocat: Proprium, τὸ ἐν ὑποκειμένῳ λεγομένου, καὶ τὸ κατηγορουμένου nomine simpliciter intelligit. Paulo infrà καὶ δὲ ἐν ὑποκειμένῳ, ab ipso dicitur.

subiecto attribuēdū.

Subiectū. Propriū.

p Tenuissimæ rei ignem.) τὸ λεπτομερεστάτου σώματος, τὸ πῦρ.

q Sic enim idem.) Ex absurdo probat. Si superiore modo τὸ ἐν τῷ ὑποκειμένῳ λεγομένου subiectum, proprium foret, sequeretur idem τῶν πλείονων καὶ τῶν διαφόρων τῷ εἴδει proprium esse. Atqui illud non est, cùm specie differentium rerum diuersa propria sint, ut inquit Alexand. his uerbis: δεῖ δὲ τῶν διαφερόντων τῷ εἴδει, διάφορα καὶ τὰ ἴδια εἶναι.

Diuersorū diuersa propria.

r Quandoquidem multa quædam.) Sic Alexander, Si quis dicat ignem tenuissimi corporis esse proprium, cur non & leuissimi, & calidissimi, & ardentissimi, & omnium breuiter, quæ ad eum modum ei conueniunt, & insunt? Estq; hæc connexæ propositionis approbatio.

s Corpus grauissimum speci.) Specie ait, quia etsi terræ pars una altera grauior est, utraq; tamen specie consentit & congruit. Græcè est, σῶμα δὲ βαρύτατον τῷ εἴδει.

t Sequitur locus propri.) Non uult κατὰ μέθεξιν proprium dici, quòd hoc illorum proprium est, quæ essentiam naturamq; rei declarant. τὸ γὰρ κατὰ μέθεξιν (inquit) ὑπάρχον, εἰς δὲ τί ἦν εἶναι συμβάλλετο.

δὲ κατὰ μέθεξιν.

u Erit autem hoc modo.) Prædictum Proprij genus differentiam quandam esse ait, εἰὴ δ' ἂν δὲ τοιοῦτον, διαφοράτις κατάτινος εἴδους λεγομένη. Eiusmodi est τὸ πεζὸν δίπουν, quod differentiæ exemplum in Categorijs Aristoteles ponit, cap. 2. de Substantia.

δὲ πεζὸν δίπουν.

x Ita tamen vt vicissim.) ἀντικατηγορουμένου τὸ πράγματος.

y Quòd habet vim sentiend.) τὸ αἰσθάνεσθαι πεφυκός. Rectiùs hoc dicitur, quā τὸ ἔχειν ψυχήν, de quo suprà meminit.

z Proximus locus refutat.) Vult proprium nec prius, nec posterius re subiecta esse, sed simul cum ea cohærere. Quod etsi temporis ratione uerum est, tamen quod ad ordinem naturæ attinet, longè secùs habet. Ita Porphyrius cap. 6. in collatione proprij & speciei: καὶ τὸ μὲν εἶδος προϋφέστηκε τὸ ἰδίου, τὸ δὲ ἴδιον ἐπιγίνετο τῷ εἴδει, &c.

Proprium speciei æquale.

a Sed vel posterius.) Posterius subiecto est accidens: prior differentia, inter quæ proprium tanquàm medio loco intercedit.

b Vnà cum re semper aderit.) Græcè est, εἰ ἅμα δὲ ἀνάγκης ἀεὶ ὑπάρχει, μήτε ὅρος ὄν, μήτε διαφορά.

c Sequitur locus refutat.) *Vult earundem rerum, quatenus sunt eadem, idem esse proprium.* τῶν ἀυτῶμ, *inquit,* ἢ ταυτά ἐσι, δ' ἀυδ' ἴδιον. *Hoc loco sciendum est, trifariam uerbii* τοῦ ταυτὸ, *hoc est, eiusdem, apud Philosophos sumi, Aut enim genere quædã eadem sunt, aut specie, aut numero, sicuti lib. 1. Topicor. ostensum est, cap. 4. Iam si genere eadem sunt, quorum propria inuestigantur, et hæc genere conuenient: sin specie eadem sunt, & hæc specie conuenient: sin numero, & hoc numero idem erit. Atq; ad hanc talem diuersitatem significandam, illud* ἢ ταυτὰ, *seu* ἢ ταυτὸ *(quemadmodum deinceps loquitur) in præsens adhibitum esse uidetur. Quanquam Aristoteles de postremo tantum genere, quod numero,* τῷ ἀριθμῷ, *idem est, hoc loco exempla subiungit, de cæteris in sequentibus separatim tractaturus. Quæ hoc loco exempla adhibet, duo sunt, alterum* περὶ τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀνδρείου, *quorum si non δ' φαινόμενόμ τισιμ ἀγαθὸμ, (ut uult Aristoteles) at certè δ' τῇ ἀυτῇ φύσει ἀγαθὸμ, (quemadmodum Alexandro uidetur) idẽ numero proprium est. Alterum est* περὶ τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ βοὸς, *quorum ut et ipsa numero est eadem natura, ita et proprium,* δ' τριμερῆ ψυχὴμ ἔχειμ, *idem numero ijs conuenit, quemadmodum deinceps patebit.*

δ' ταυτὸ trifariam dicitur.

Exempla de eodem numero.

d Videri nonnullis bo.) δ' φαίνεσθαι τισιμ ἀγαθὸμ.

e Quando eiusdem rei.) *Græcè est,* τοῦ ἀυτοῦ ἢ ταυτόμ ἐσι, δ' ἀυδ' ἴδιον.

f Habere animum tripertitum.) δ' τριμερῆ ψυχὴμ ἔχειμ. *De tripertitione animi uide Aristotelem lib. 3. de Anima, cap. 9. Tripartitum dicit, quia in tres facultates, intelligendi, irascendi, & concupiscendi humanus animus à Platone distributus est, ut patet apud Diogenem lib. 3. & Ciceronem 1. Tusculanarum, de quo & lib. antegresso dictum est, cap. 5.*

ψυχὴ τριμερὴς Platonis.

g Valet etiam hic.) *Ostendit prægredientem locum etiam accidenti conuenire.*

h Coniunctus huic locus.) *Hic de alijs duobus* τοῦ ταυτὸ *generibus & modis loquitur, docens si res aut genere, aut specie inter sese conueniant, etiam proprium simili modo conuenire oportere. Quanquam de altero modo* τῶν ἀυτῶμ τῷ γένει, *si Alexandro credimus, præcipuè uerba facit.*

i Eorum quæ sunt eiusdem speciei.) *Græcè est,* τῶν ἀυτῶμ τῷ εἴδει. *Verùm Alexander* δ' εἴδει ἀντὶ τοῦ γένει *hic positum arbitratur. Certè subiuncta exempla Alexandri sententiæ suffragantur.*

εἴδει- ἀντὶ τοῦ γένους.

k Vt quoniam eiusdem gene.) *Interpres partim Alexandri sententiam, partim exempli ueritatem sequens, pro specie, genus hic uertit. Græcè enim est,* ὅτιμ ἐπεὶ ταυτόμ ὄτι τῷ εἴδει ἄνθρωπος καὶ ἵππος. *Atq; sic & in sequentibus gratia perspicuitatis* καὶ τῆς σαφηνείας *facit.*

l Sunt enim hæc eiusdem.) *Partim species, partim differentiæ, ut ipse subiungit. Vide in hunc locum cap. 4. lib. 1. in descriptione modi* τοῦ ταυτὸ τῷ γένει.

m Sed

m Sed hic locus falsus.) Ostendit prædictum locum tum demum uerum esse, cùm utrumq; τῶν ὁμογενῶν ἰδίων uni tantum, non pluribus τοῖς ὁμογενέσι εἴδεσιν accõmodatur. Ita quia δὲ πεζὸν δίπουν uni tantum speciei, nempe homini, accommodatur, τὸ πεζὸν τετράπουν (id quod proprium est illi ὁμογενὲς) non uni, sed pluribus speciebus adiungitur: fit, ut non æqua lege hoc illi respondeat.

n Vni soli speciei.) Vt gradiens bipes, quod soli homini conuenit. Etsi enim & aues bipedes sunt, non tamen hæ tam gradientes, quàm uolucres & pennatæ dicuntur. Ita bipes εἰς πεζὸν καὶ πτηνόν, hoc loco ab Aristotele diuiditur. Gradiens quadrupes, conuenit equo, leoni, asino, boui, & alijs id genus infinitis speciebus. Gradiens bipes. Quadrupes.

o Quoniam autem idem.) Πρόληψις est, qua docet proprium unius esse propriũ, etsi secus cauillo sophistarum allato, prima fronte uideatur. Idem & alterum (quæ græcè τὸ ταυτὸν καὶ τὸ ἕτερον dicuntur) partim ratione, partim subiecto & materia intelliguntur, partim etiam alijs quibusdam modis, de quo uide lib. 4. Metaphysicorum. Idem & diuersum multiplicia.

p Quod enim conuenit alicui.) Subiecto scilicet per se, καὶ καθ' αὑτό. Cauillum explicat: Diuersa sunt, subiectum nudum, & idipsum accidente informatum. Verùm quod nudo subiecto conuenit, etiã illi cum accidente conflato proprium attribuitur. Ergo non uni soli, uerùm pluribus distinctis proprietas accommodatur.

q Si cum eo sumatur.) Hoc est, subiecto accidente informato. Hypothesis est, quã primùm hîc declarandam assumit.

r Aliud per se.) Nudum scilicet, & per se consideratum. Græcè est, τὸ ὑποκείμενον ἄλλο μὲν καθ' αὑτὸ ποιῶν, ἄλλο δὲ μετὰ τοῦ συμβεβηκότος.

s Idem fiet, si.) Alterum exemplum superiori cognatum. Diuersa sunt habitus & res habitu informata. Verùm quod alteri horum conuenit, conuenit & alteri. Ergo.

t Aliud id quod ex hab.) Concretum dicit, hoc est, subiectum habitu præditum. Græcè δὲ κατὰ τὴν ἕξιν λεγόμενον dicitur.

u Quoniam artifex ab arte.) ἐπεὶ ὁ ἐπιστήμων κατὰ τὴν ἐπιστήμην λέγεται διακεῖσθαι.

x Non erit artis pro.) Maximè si dicatur, unum unius tãtum proprium esse, quod antè positũ fuit. Græcè est, οὐκ ἂν εἴη τοῦ ἐπιστήμης ἴδιον δὲ ἀμετάπειστον ὑπὸ λόγου.

y In confirmatione autem.) Hactenus obiectiones instructæ, nunc easdem explicat. Ac primùm quidem dicit, etsi suprà proposita, definitione καὶ τῷ εἶναι inter sese discrepent, subiecto tamen καὶ ἁπλῶς ea inter se congruere, Ita ut ne sic quidem nisi uni tantùm reuera proprium accommodatum esse uideatur. Explicatio obiectionum.

z Quòd eorum sit natura.) Græcè est, τῷ ἕτερον εἶναι αὐτοῖς τὸ εἶναι. Alexander, κατὰ δὲ ὁρισμὸν καὶ τὸ εἶναι ait.

a Prætereà ex casibus.) Altera eiusdem solutio, ut abstractum & concretũ casibus

Casus. differunt, ita & propria illorum casu discrepare. Casus est uerbi inflexio & exitus, quam τῶν πτώσιν Græci uocant, ut suprà lib. 2. dictum est.

b Scilicet non esse artificem.) Casuum discrepantia non in alio hîc sita est, nisi quòd de artifice & sciente, ὁ ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου masculino genere: de arte uerò & scientia, ἡ ἀμετάπτωτος genere fœminino dicatur.

c Nam ei qui omni rat.) Sophistam importunum intelligit, cui quouis modo, ne quid concedatur, obuiandum præcipit. πρὸς γὰρ τὸν πάντως ἐνιστάμενον, πάντως ἀντιτακτέον ἐστίν, inquit.

d In refutatione proxi.) Vult quemadmodum subiectæ rei proprium conuenit, ita & intelligi & oratione explicari. Ita si natura seu potestate conuenit, non tanquam actu & reipsa conueniat, accipiendum est. Nam sic urere & iacere, seu ut ipse loquitur, κινεῖσθαι, id quod positum est, proprium uidebitur. Natura conuenire, ὃ φύσει ὑπάρχειν Græcè dicitur: actu seu reipsa, ὃ ἐνεργείᾳ, seu ut hîc Aristoteles loquitur, ὃ ἀεὶ ὑπάρχειν.

τὸ φύσει, καὶ ὃ ἀεὶ ὑπάρχειν.

e Vt id semper inesse.) Tanquam actu & reuera conueniat, ὡσανεὶ ἐνεργείᾳ ἀυτῷ καὶ ἀεὶ παρόν, inquit Alexander.

f Vt si quis hominis.) Homini natura conuenit, bipedem esse, tametsi non actu semper is talis est, de quo suprà cap. 1. dictum est. De hoc exemplo uide Porphyrium ca. 4. in secundo genere τῶν ἰδίων.

g Hac ex parte tolletur.) κατὰ τοῦτο κινήσει.

h Iam verò in quibus.) Ostendit in plerisq; difficilem esse proprii consignationem. Græcè est, ἔτι ὅσα λέγεται ὡς κατ' ἄλλοτι πρῶτον, ἢ ὡς πρῶτον ἄυτό.

i Vt si quis extre.) Primum coloris subiectum est ἡ ἐπιφάνεια, alterum, ὡς κατ' ἄλλοτι πρῶτον, τὸ σῶμα. Iam tametsi colorari, τὸ κεχρῶσθαι, de utroq; subiecto dicatur, alterum tamen de altero nequaquàm dici poterit. Neq; enim aut corpus est extremitas, aut contrà extremitas corpus. De hoc & antegresso capite dictum est.

Coloris duplex subiectũ.

k In quo oratio.) Hoc est, cui proprietas conuenit, illi quoq; subiecti nomen accommodetur. Id quod certè necessarium est.

l Quòd nec quo modo.) Vulgò bipartitò hunc locum distinguunt: Vel enim ad subiectum referunt, uel ad certi modi consignationem. Atq; utrunq; genus quasi uarium est, & multiforme.

m Aut quod hoc tempore.) Græcè est simpliciter, ἢ τὸ ὑπάρχον.

n Aut omnino & per se.) Græcè est, ἢ ἁπλῶς. Atqui hæc genera ad certi modi designationem referuntur, quæ dein sequuntur, ea referunt ad designationem subiecti.

o Prudentia esse præditum.) Græcè est, τὸ φρόνιμον, id quod paulo pòst, prudentiæ esse sedem, Latinè conuertit.

τὸ φρόνιμον.

p Si igi-

p Si igitur non adiungat.) *Ostendit, quem ad modum ob prædictarum particularum omißionem, in Proprij consignatione peccetur. Ac uult quidem, quoties pluribus modis quæpiam aliquibus conueniunt, certum modum, quo præsenti rei aliquid conueniat,* ἐν ἀποδόσει τοῦ ἰδίου *explicari. Sic Alexander:* καθόλου οὖν δείκνυσιν, ὅτι εἰ κατὰ πλείους τρόπους ὑπάρχει τὰ ὑπάρχοντά τισιν, ἀναγκαῖον τὴν ἀπόδοσιν μετὰ τοῦ οἰκείου τῇ ὑπάρξει προσδιορισμοῦ ποιεῖσθαι. οὐ γὰρ ὑγιὴς ἡ χωρὶς διορισμοῦ ἀπόδοσις τῶν διορισμοῦ τινὸς δεομένων.

Modus q̃ proprium congruat, explicandus.

q Vt quod natura insitum est.) ἐνδέχεται τὸ φύσει ὑπάρχον, μὴ ὑπάρχειν ἐκείνῳ, ᾧ φύσει ὑπάρχει.

r Vel ex eo quòd participet.) *Græcè est,* τοῦ μετέχειν, ἢ τοῦ μετέχεσθαι.

s Verbum illud specie, nõ addit.) *Cùm hoc uerbum additur, necesse est ea quib. proprium attribuitur, specie inter se conuenire. Sic paulo infrà,* δεήσει γὰρ ἓν εἶδος εἶναι τῶν λεχθέντων, ὅταν τὸ τοῦ εἴδει προσεθῇ.

t Quod enim præstat &.) *Græcè est,* ἐπὶ καθ' ὑπερβολὴν ἑνὶ μόνῳ ὑπάρχει.

u Fit etiam interdum.) *Speciei uerbum non semper adiungi posse declarat, præsertim tum, cùm id cui adiungitur, non est unius eiusdemq; planè speciei, ut exemplo* τοῦ πυρὸς, *hoc est, ignis, ostendit. Sunt enim tres extremæ ignis species,* ἄνθραξ καὶ φλὸξ καὶ φῶς, *hoc est, carbo ardens, seu pruna, flamma, & lux, seu lumen. Quanquã q; ad lumen attinet, non est id uera species ignis, quippe cùm non sit corpus, quale esse ignem omnibus constat. Ex aliena ergo sententia, non sua ipsius Aristotelem hic loqui sciendum est, idq; admonitu Alexandri, qui ad hunc modum inquit:* κοινότερον δὲ νῦν καὶ φῶς πῦρ λέγει κατὰ δόξαν τινῶν, ἐπεὶ αὐτῷ οὐ δοκεῖ τὸ φῶς πῦρ εἶναι. ὅτι οὐδὲ σῶμα, πᾶν δὲ πῦρ, σῶμα. *Vide in hunc locum Aristotelem lib. 2. de Animo, cap. 6.*

Ignis species quot.

x Ob eam autem.) *Rationem prædictæ annotationis affert bipartitam.*

y Quia alijs magis.) *Hæc prior ratio ex absurdo. Vult proprium æqualiter omnibus conuenire, non magis his, & illis minus. Sic & Porphyrius cap. 6. Institutionum, in collatione Generis & proprij:* καὶ τὸ ἐπίσης κατηγορεῖσθαι τὸ γένος τῶν εἰδῶν, καὶ τὸ ἴδιον τῶν αὐτοῦ μετεχόντων ἀτόμων.

Proprium ex æquo omnibus inest.

z Nam & pru.) *Pruna, corpulenta et terrea materia, ignis craßißimus est: flamma, feculenta & fumida, aliquanto subtilior: Lumen uerò cælestis naturæ particeps, omnino subtile est, & tenue, in tantum, ut per minutißimos etiam uitri poros & meatus, non animaduertente oculorum sensu, quemadmodum Empedocli uisum est, penetret, de quo dictum est lib. 2. de Demonstrat. cap. 5. Ita fit, ut lumen cæterorum omnium* λεπτομερέστατον *rectè dicatur, si modò corporeum foret, & non potiùs corporis expers qualitas quædam, sicut dictum est.*

Pruna. Flamma. Lumen.

z Quoties nomen.) *Nomẽ,* τοὔνομα, *dicit, ut suprà: Oratio est proprietatis explicatio.*

catio. Hæc pari lege inter se dici uult, aut utrinq; cum acceßione aduerbiorum magis & minus, aut utrinq; sine acceßione. Ita Alexander, εἰ γὰρ τὸ ἴδιον κατηγορεῖται μᾶλλον, τὸ δὲ ὄνομα οὐ κατηγορεῖται μᾶλλον, οὐκ ἔσται ἴδιον τὸ ἀποδοθὲν ἴδιον.

b Prætereà ita fiet.) *Hæc altera ratio est, similiter ex incommodo ducta.*

c Et illius quod omnino.) *Græcè est,* τοῦτε ἁπλῶς καὶ τοῦ μάλιστα ὄντος ἐν τῷ ἁπλῶς τοιούτῳ, *hoc est, generis & quasi potißimæ speciei, ut ignis & luminis, quē admodum continenter sequitur.*

d Ac si quis isto pacto.) *Generalis monitio, quo pacto in superiore loco res instituenda sit, ut ne à Sophista illaqueeris.*

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS Cap. 4.

Nihil sui ipsius proprium.

IN [a] refutatione proximus erit locus, si quis aliquid sui ipsius, propriū statuat, neque enim proprij vim obtinebit quod positum est esse proprium. [b] Quicquid enim idem est quod aliquid idem, id naturā explicat. quod autem naturam explicat, [c] nō est proprium, sed definitio. vt si quis honesti proprium dicat esse decorū, is quia [d] aliquid sui ipsius ponit proprium, ([e] honestum enim idem est quod decorum) certè non erit honesti decorum proprium. Huius autem loci vsus erit in confirmatione, si aliquid sui ipsius nō ponamus esse proprium, & tamen eiusmodi, quod vicissim dicatur: sic enim quod proprium non esse statutum est, proprij vim & nomen obtinebit. quod fiet, si quis piopriū animalis ponet [f] hoc totum, natura animata. neque enim aliquid sui ipsius proprium esse ponit, cùm interim vicissim dicatur. Ita proprium animalis erit animata natura. [g] Iam in ijs quę ex similibus eiusdemq́; generis partibus constāt, videndum erit. In refutatione [h] totiúsne proprium in parte non verè intelligatur, an proprium partis in toto minimè dicatur. quoniam non rectè explicatum erit, quod positum est esse proprium, hoc enim in quibusdam solet contingere. fieri enim potest, vt ijs quispiam proprium tribuat, quę ex sui similibus eiusdemq́; generis partibus cōstant, [i] modò totius, modò partis habita ratione: quorum neutrum rectè explicabit. Exēplum totius erit, si quis dicat maris proprium hoc totum, [k] aqua plurima quæ salsa est. Nam alicuius, quod ex sui similibus partibus concretū est, proprium ponit, sed eiusmodi [l] quod in parte non verè dicatur. quando quidem [m] certū quoddam mare nō est aqua plurima salsa: ita maris proprium non erit hoc totum, plurima aqua quæ salsa est. Partis autē exemplum tale est: [n] Si quis aëris propriū esse dicat, ꝙ respirabile est, is alicuius quod ex

In homogenijs idē & totius, & partiū τὸ ἴδιον.

quod ex ſui ſimilibus partibus conſtat, ponit proprium, ſed eiuſmodi q & ſi [o] de quodam aere verè dicitur, tamen de vniuerſo non dicatur: quip pe cùm non omnis aer ſit reſpirabilis: quare ſpirabile aeris futurum nõ eſt proprium. In confirmatione autem ex hoc loco argumentum duce- mus, ſi proprium quod dabimus, de vnoquoque quod ex ſui ſimilibus conſtat, verè dicetur: ita tamen vt proprium ſit eorum [p] totius ratione. ſic enim quod proprium non eſſe poſitum eſt, erit proprium, vt, quoniã in vniuerſa terra verè intelligitur, [q] in inferiorem locum ferri natura, certè propriũ erit hoc ipſum alicuius terræ omnino, quia terra eſt. Nam de terra, [r] hoc ipſo quòd terra eſt, dicitur: ex quo efficitur vt terræ ſit pro prium, natura ferri ad inferiores partes. [s] Ex contrarijs autem multa ar- gumenta vtranque in partem elici poſſunt. Primum in refutatione [t] ex contrariis, quæ aduerſa dicuntur, erit, quando contrarij non eſt contra- rium proprium. neque enim proprium contrarij contrarium futurum eſt, hoc modo: [u] Si iuſtitia iniuſtitiæ contraria eſt, & optimo id quod eſt deterrimum: iuſtitiæ autem optimum non eſt proprium, non erit igi- tur iniuſtitiæ quod deterrimum eſt, proprium. In confirmatione autem vſus erit, quoties contrarij contrarium eſt proprium, ſic enim fiet vt con trarij proprium ſit conrrarium. exemplum tale eſt: [x] Si malo bonum cõ trarium eſt, id quod fugiendum eſt, ei quod eſt expetendum: eſt autem boni proprium id quod expetendum eſt: profectò mali proprium erit id quod fugiendum eſt. Alter locus eſt ex ijs quæ cum aliquo conferuntur. In refutatione quidem hoc modo tractabitur: Si quid eorum quæ cum aliquo conferuntur, alicuius eiuſdem generis non eſt proprium, ne id quidem quod eſt in ijs quæ cum aliquo conferuntur, vllius eiuſdem ge- neris proprium erit. quod ex hoc exẽplo intelligi licet: [y] Si duplum ſim- pli duplum dicitur, & id quod vincit illius quod vincitur: id autem quod vincit, non eſt dupli proprium: certè ſimpli id quod vincitur & ſupera- tur, non erit proprium. In cõfirmatione autem hoc modo: Si illius quod cum aliquo confertur, aliquid eiuſdem generis proprium eſt, id etiam quod ex eo genere eſt, alterius eiuſdem generis erit proprium. cuius ex- emplum eſt: Si duplum cum ſimplo confertur, vnum cum duobus, & duo cum vno: dupli autem proprium eſt [z] id quod duorum habet ratio- nem ad vnum: profectò dupli proprium ſit, [a] id quod vnius ad duo ratio nem habet, neceſſe eſt. Proximus locus eſt ex priuantibus, qui in refuta- tione tractabitur hoc modo: [b] ſi rei res non eſt proprium, ne priuationis

In aduerſis contrariorum cõtraria pro pria.

Sic & in relatis.

Et in priuantibus.

quidem proprium priuatio erit. Et si priuationis priuatio non est proprium, ne rei quidem res proprium erit: vt si surditatis proprium nõ est, [c] vacuitatem esse sensus: (est enim id cæterorum sensuum commune) ne auditus quidem sensum esse, proprium videbitur. In confirmatione hoc modo: Si res rei proprium est, etiam priuationis proprium erit priuatio: & si priuationis priuatio proprium est, rei etiam res proprium erit. vt si aspectus proprium est cernere ex eo [d] quòd aspectum habemus: cæcitatis etiam proprium erit nõ cernere, quia aspectum non habeamus, cùm natura aptus nobis aspectus esse videatur. Sequitur locus ex aientibus & negantibus, [e] qui in multas partes distributus est. ac primi quidem, [f] qui ex ijs quæ dicuntur, ducitur, in refutatione solùm vsus est hoc modo: [g] Si id quod ait alterius est proprium, non erit eius proprium id quod negat. Et si id quod negat eius proprium sit, id quod ait non est illius futurum proprium, vt si animalis proprium est id quod animatum est, non erit animalis proprium id quod non est animatum. [h] Alter est ex ijs quæ dicuntur, aut non dicuntur, & ex ijs de quibus dicuntur, aut non dicuntur: qui in refutatione tractabitur hoc modo: [i] Si id quod ait eius quod ait nõ est proprium, ne id quidem quod negat, eius proprium est quod negat. Et hoc modo: Si id quod negat eius proprium non est quod negat, ne id quidem quod ait, eius quod ait futurum est proprium. Cuius exemplum est tale: Si hominis proprium non est animal, [k] ne eius quidem quod non est homo, proprium erit, id quod non est animal, viciſsimque: Si eius rei quæ non est homo, ea non videatur propria quæ non est ex genere animalium, ne hominis quidem animal proprium est futurum. In confirmatione autem huius loci tractatio est talis: Si eius quod ait id quod ait est proprium, etiam eius quod negat id quod negat erit proprium: & si eius quod negat id quod negat proprium est, etiam eius quod ait, id quod ait proprium erit: quod hoc exemplo illustrari potest: Si eius quod est non animal, proprium est non viuere, [l] certè animalis viuere erit proprium, contraque: Si viuere animalis est proprium, certè eius etiam rei quæ est non animal, proprium erit non viuere. [m] Tertius locus est ex ijs quæ subijciuntur, cuius in refutatione tractatio erit talis: Si ea quæ statuta sunt esse propria, aientium sunt propria, non erunt eadem etiam negantium propria. Et si negantium expressa sint propria, aientium propria non erunt. Exemplum tale est: Si animalis proprium est quod animatum est, certè quod animatum est, esse proprium eius quod

Et in contradictorijs, quem locum in tres species diducit

1.

2.

3.

est

est non animal, nullo modo potest. In confirmatione autem hoc modo: Si ea quæ posita sunt esse propria non sunt aientium, negantium erunt. [n]Quanquam hic locus interdum vitiosus est & captiosus. Nam nec aientia negantium, nec negantia aientium propria sunt. [o] Aientia enim negantibus non conueniunt omnino. Negantia autem aientibus [p] illa quidem conueniunt, sed non vt propria. [q] Sequitur locus ex diuisione, cuius in refutatione tractatio talis est: Si eorum quæ in diuisione enumerantur, nihil vllius reliquorum est proprium, ne id quidem quod eius positum est esse proprium, illius futurũ est proprium. vt si animal quod sensum mouet, [r] nullius aliorum mortalium animãtium est proprium, ne id quidem animal quod intelligentia, & ratione continetur, dei proprium est. In confirmatione autem hic locus nobis copiam ad argumentandum suppeditabit, quoties quiduis reliquorum omnium, quæ in diuisione enumerata sunt, sumetur proprium vnuscuiusque eorum quæ distributa sunt. Quòd si est alicuius eorum proprium quæ enumerata sunt in diuisione, etiam reliquum proprium erit illius alterius cuius proprium non esse statuebatur: id quod ex hoc exemplo intelligi poterit: [s] Si prudentiæ proprium est per se virtutem esse eius partis animi quæ rationis est particeps, cæterarumque virtutum, quarum singulæ hoc modo assumuntur, certè temperantiæ proprium erit per se, naturaque sua virtutem esse eius partis animi, in qua voluptates versantur. [t]Sequitur locus ex similiter cadentibus, qui in refutatione hoc modo tractabitur. Si casus alterius casus non est proprium, ne id quidem quod similiter cadit, alterius proprium erit. cuius exemplum est tale: [u] Si eius quod iustè fit, non est proprium præclarè fieri, [x] nec iusti id quod præclarum est, proprium erit. In confirmatione autem eius loci talis est tractatio. Si id quod cadit alterius proprium est, etiã casus erit alterius proprium. vt si hominis proprium est hoc totum, gradiens bipes, etiam homini [y] in datiuo conueniet gradienti bipedi. [z] Non solùm autem ex ijs quæ exposuimus à similiter cadentibus, sed etiam à contrarijs, quemadmodum in superioribus locis explicatum est, argumenta ducenda sunt, ac in reprehensione quidem hoc modo: Si contrarij casus non est proprium casui alicuius contrarij, ne contrarij quidem casus alterius casui contrarij futurum est proprium. cuius exemplum est tale: si eius quod iustè fit, non est proprium probè fieri, certè eius quod iniustè fit, improbè fieri proprium non erit. In confirmatione autem ducetur hoc modo:

Locus τῶν ἐντὶ διῃρημένων.

Locus cõiugatorũ.

Si contrarij casus alterius contrarij casui proprium statuitur, etiam contrarij casus alterius contrarij casui ponetur proprium: [a] vt si boni proprium est optimum, mali quoque id quod deterrimum est, proprium erit.

Locus τῶ ὁμοίως ἐχόντων. [b] Sequitur locus à simili, cuius in reprehensione talis erit vsus: si similiũ similia non sunt propria, nec similium similia propria erunt. Si enim exempli gratia, architectus eandem habet rationem ad extruendam domum, quam medicus ad efficiendam & restituendam valetudinem: medici autem proprium non est [c] efficere valetudinem, ne architecti quidẽ extruere domum proprium erit. In confirmatione autem hic locus hoc modo exponitur: Si similium similia propria sunt, similium quoq; propria erunt similia. vt si medicus eandem habeat rationem ad efficiẽdam valetudinem, [d] quam gymnasij præfectus ad efficiendam firmam constitutionem, & sit proprium præfecti gymnasij, [e] vim habere ad efficiẽdam firmam corporis constitutionem, erit etiam medici proprium esse effectorem valetudinis.

Locus τῶ ὡσαύτως ἐχόντων. [f] Proximus locus est eorum quæ habent eãdem proportionem, cuius tractatio est huiusmodi in refutatione: Si ea quæ eandem habent proportionem, aliorum quæ eandem habent proportionem non sunt propria, nec ea quæ eodem modo affecta sunt, aliorũ quæ eandem habent affectionem, propria erunt. Et si quid eorum quæ eodẽ modo affecta sunt, alterius proprium est, id non erit proprium eius cuius proprium esse ponitur. [g] vt si eodem modo prudentia affecta est ad honestum & turpe, quòd vtriusq; eorum est scientia: prudentiæ autem proprium non est, scientiam esse honesti, profectò non erit propriũ prudentiæ, rei turpis esse scientiam. Et si prudẽtiæ proprium est honesti scientiam esse, eius certè rei turpis scientiam esse non erit proprium. [h] quãdoquidem eiusdem multa esse propria non possunt. In confirmatione autem huius loci nullus est vsus, [i] quippe cùm id quod eodem modo affectum est, vnum cum multis comparetur.

Ab ortu, statu & interitu. [k] Proximus locus est ex ijs quæ ad naturam, originem, interitumq; referuntur, qui in reprehensione tractabitur, hoc modo: [l] Si id quod ad naturam & statum refertur, nõ est eius quod ad naturã & statum pertinet proprium, [m] ne id quidem q̃ ad interitum pertinet, illius quod eiusdem est generis: nec quod ad ortũ, vllius eiusdem generis proprium erit. vt si exempli causa hominis non est proprium, esse animal, non erit proprium huius totius, hominem gigni, illud totum, animal fieri: nec hominis interitus proprius est interitus occasusq; animantis. Eodemq; modo sumẽda argumenta sunt [n] ex

ortu

ortu concludendo ſtatum & interitum, itemque ex interitu concludendo ſtatum & ortum: quemadmodum paulo antè ex ſtatu concluſus ortus & interitus eſt. In cõfirmatione autem hoc modo:[o] Si id quod ad ſtatum pertinet eſt alicuius eiuſdem generis proprium, eius etiam quod ad ortum pertinet, erit propriũ id quod eiuſdem eſt generis, & illius quod ad interitum, quod eiuſdem generis eſſe ponitur: cuius exemplum tale eſt. Si hominis proprium eſt eſſe mortalem, etiam hominis ortus proprium erit, naſci mortalem: & interitus hominis, mortalem interire: eodẽque modo concludendus eſt ex ortu et interitu, ſtatus & ortus, quem admodum hic locus in refutatione expoſitus eſt.[p] Sequitur locus ex forma rei propoſitæ. In refutatione quidem huius loci talis erit tractatio. Si formæ non conuenit, aut certè[q] non ex ea parte qua id dicitur conuenire, cuius proprium datum eſt, quod proprium poſitum eſt, non erit proprium:[r] vt ſi ipſi homini non cõuenit quies, quia homo ſit, ſed quia idea, non erit proprium quieſcere. In confirmatione autem locus eſt eiuſmodi: Si quid ſpeciei conuenit, idq; ex hoc ipſo conuenit, quia dicatur de eo ipſo cuius ponitur non eſſe proprium, erit proprium id quod poſitum eſt non eſſe proprium. vt ſi conuenit[s] ipſi animali, ex animo & corpore concretum eſſe, idq; ei, quia animal ſit, conuenit, certè animalis proprium erit ex animo & corpore conſtare. A forma τῶ κατά τι.

IN CAPVT QVARTVM,

ANNOTATIONES.

a In refutatione proxi.) *Ad cæteros locos tranſit. Vult Proprium, etſi uiciſſim cũ ſubiecto reciprocetur, non idem, ſed diuerſum à natura ſubiecti eſſe.*

b Quicquid enim idem eſt.) *Græcè eſt,* ἀυτὸ γὰρ ἀυτῷ πᾶν, τὸ εἶναι ἓν λοι, τὸ δὲ τὸ εἶναι ἓν λεγόμενον, οὐκ ἴδιον, ἀλλ' ὅρος ἐστίν. *Ratio ſyllogiſmo explicatur in primo diſpoſitionis genere.*

c Non eſt proprium, ſed def.) *De hoc uide lib. 1. Topic. cap. 3.*

d Aliquid ſui ipſius.) ἀυτὸ ἑαυτοῦ ἴδιον ἀπέδωκε.

e Honeſtum enim idem eſt.) *In hunc locum uide Ciceronem 1. lib. de Officijs. Hoc loco continetur (inquit) id, quod dici Latinè decorum poteſt, græcè enim τὸ πρέπον dicitur. huius uis eſt ea, ut ab honeſto non queat ſeparari. Nam & quod decet, honeſtum eſt, et quod honeſtum eſt, decet. & cæt. Honeſtũ,* τὸ καλόν: *decorum,* τὸ πρέπον *dicitur.* Decorum cũ honeſto conuenit.

f Hoc totum, natura animata.) *Græcè eſt,* τὸ οὐσία ἔμψυχον. *Quod exemplum ſi rem ſpectes, parum accommodatum eſt. Neque enim tam proprium animalis eſt, quàm genus, cùm et in quæſtione* τῷ τί ἐστι *dicatur, & non uiciſſim cum animali retrò cõmeet.* οὐσία ἔμψυχον, genus animalis.

meet. Latiùs enim patet, quippe cùm & plantis conueniat. Cæterùm exemplorum non necessariam in disciplinis esse ueritatem, aliquoties suprà admonuimus. Alexander ut retrò uicißim cum animali commeet, τὸ αἰσθητικὴ addit, δεῖ δὲ προσκεῖσθαι, inquit, καὶ τὸ αἰσθητικὴ, τοῦ γὰρ ζώου τὸ οὐσία ἔμψυχος αἰσθητικὴ, ἀντικατηγορεῖται.

Alexand. τὸ αἰσθητικὴ addit.

g Iam in ijs quæ.) Vult in homogenijs & proprium totius, partibus singulis conuenire, & è conuerso. Homogenia, τὰ ὁμοιομερῆ, ea sunt, quæ constant ex partibus eiusdem generis et naturæ, cuiusmodi quæ sint, copiosè Aristoteles docet, lib. 4. Meteoror. ca. 10. Rodolphus Agricola lib. 1. cap. 4. ὁμογενῆ eadem uocat.

τὰ ὁμοιομερῆ.

h Totiúsne proprium in.) Græcè est, εἰ τὸ τοῦ συνόλου ἴδιον μὴ ἀληθεύεται κατὰ τοῦ μέρους, ἢ εἰ τὸ τοῦ μέρους ἴδιον μὴ λέγεται κατὰ τοῦ σύμπαντος. Hoc loco nota totum bifariam Aristoteli dici, nunc τὸ σύνολον, nunc τὸ σύμπαν.

Totum bifariam dicitur.

i Modò totius, modò part.) Græcè est, ἐνίοτε μὲν ἐπὶ τὸ σύμπαν βλέψας, ἐνίοτε δ' ἐπὶ τὸ κατὰ μέρος λεγόμενον.

k Aqua plurima, quæ.) τὸ πλεῖστον ὕδωρ ἁλμυρόν.

l Quod in parte, non verè.) Græcè est, ὃ οὐκ ἀληθεύεται κατὰ τοῦ μέρους.

m Certum quoddam mare.) Fortè Caspiũ, id quod dulcius esse cæteris Q. Curtius ait, tametsi non omnino salsitudinis & amaroris expers.

n Si quis aëris.) ἐπεὶ ὁ θεὶς ἀέρος ἴδιον τὸ ἀναπνευστόν.

o De quodam aere.) Nempe quẽ animus absorbet & attrahit, gratia pectoris refrigerandi, de quo uide libellum de Respirat. Meminit huius & cap. sequenti Aristoteles.

p Totius ratione.) Græcè κατὰ τὸ σύμπαν dicitur.

q In inferiorem locum.) τὸ κάτω φέρεσθαι κατὰ φύσιν græcè dicit.

r Hoc ipso, quòd terra est.) Græcè est, κατὰ τὴν γῆν, καὶ τὸ γῆν εἶναι.

s Ex contrarijs autem.) Quemadmodum superioribus libris in explicando Genere & Accidente de contrarijs disseruit: ita hîc quomodo ex ijs ad Proprij tũ ἀνασκευὴν, tum κατασκευὴν argumenta ducantur, nunc porrò exponit. Contraria autem hîc Ciceronis instituto, τὰ ἀντικείμενα, hoc est, opposita, appellamus, quorum genera quatuor sunt, quæ deinceps subiunguntur.

Cõtraria, ἀντικείμενα.

t Ex contrarijs, quæ aduersa.) Pari ferè modo in omnibus contrariorum generibus argumentum tractatur, quo uel approbamus, uel improbamus rectè Proprium explicari. Si enim cõtrariorum subiectorum contraria sunt attributa, quorum unum reuera uel est, uel non est alterius proprium, & alterum alterius simili modo uel erit, uel nonerit. Primùm de aduersis docet, inde de relatis, tum de priuantibus, postremò de disparatis.

Cõtrariorũ similis tractatio.

u Si iusticia iniusticiæ.) Hîc iusticia & iniusticia contraria subiecta sunt, de quibus τὸ βέλτιστον καὶ τὸ χείριστον contraria attributa dicuntur.

x Si malo bonum.) Hîc bonum & malum subiecta sunt, Expetendum & fugiendum attri-

dum attributa, quæ itidem inter se alia alijs contrario nomine opponuntur.

y Si duplum simpli.) Hîc duplum & simplum quasi subiecta sunt, de quibus ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον attributa enunciantur.

z Id quod duorum habet.) Græcè est, τὸ ὡς δύω πρός ἓν.

a Id quod vnius.) δ ὡς ἓν πρὸς δύω.

b Si rei res non est proprium.) Quod hîc rem dicit, græcè ἕξις καὶ δ' καθ' ἕξιν λεγόμενον dicitur. Sic priuatio, ἢ στέρησις καὶ δ' κατὰ στέρησιν λεγόμενον. Inter quæ ἕξιν καὶ στέρησιν hoc interest, quòd ἕξιν & στέρησιν subiecta uocare uidetur: τὰ καθ' ἕξιν καὶ κατὰ στέρησιν, attributa.

c Vacuitatem esse sensus.) ἀναισθησίαν εἶναι, ut sensum esse, αἴσθησιν εἶναι dicit, articulo & adiecto.

d Quòd aspectum habemus.) Aspectum, uim cernendi & uidendi dicit, Græcè est, καθ' ὃ ἔχομεν ὄψιν.

e Qui in multas partes distrib.) Prout contradictio nunc in subiecto, nunc in attributo, nunc in utroq; simul spectatur, ut deinceps sequitur. Hic locus ἐκ τῶν καταφάσεων καὶ τῶν ἀποφάσεων Græcè dicitur.

f Qui ex ijs quæ dicuntur.) De contradictorijs & disparatis attributis loquitur, quæ cùm ad unam rem subiectam referuntur, si alterum subiecti proprium fuerit, alterum non erit. Hunc locum solùm ἀνασκευαστικὸν esse ait, quia alterutro contradicentiũ proprio affirmato, alterius negatio sequitur, non contrà. Vt enim non consequitur, Rudere non est proprium hominis, ergo non rudere erit: ita ne hoc quidem, Non rudere non est proprium hominis, ergo rudere erit. Et sic de alijs. Ea quæ dicuntur, τὰ κατηγορούμενα Græcè uocat, ut hîc, sic & paulo infrà. Locus ex disparatis ἀνασκευαστικός.

g Si id quod ait.) Græcè est, εἰ ἡ φάσις ἢ δ' κατὰ τοῦ φάσιν λεγόμενον. Sic & id quod negat, ἡ ἀπόφασις ἢ δ' κατὰ τοῦ ἀπόφασιν λεγόμενον dicitur.

h Alter est ex ijs quæ dicuntur.) Hoc genus & subiectorum & attributorũ est contradicentium, in quo ut affirmans attributum subiecti affirmati proprium uel est, uel non est, ita & negans erit. Valet enim in contrarias partes hic locus.

i Si id quod ait.) Hîc simpliciter καὶ τὴν φάσιν ἢ φάσεως, & τὴν ἀπόφασιν ἢ ἀποφάσεως ἴδιον dicit, quemadmodum & infrà.

k Ne eius quidem quod nõ est ho.) Hoc loco uide, quem ad modum nomina infinita Latinè conuertenda sint. Neq; enim, non homo, non animal, satis intelligenter dicũtur, quæ Græcè sunt, ὁ μὴ ἄνθρωπος, δ μὴ ζῶον, & similia, de quo nonnulla uide in lib. περὶ ἑρμηνείας, cap. 6. Infinita nomina vt exprimenda.

l Certè animalis viuere.) Non tam uiuere, δ ζῆν, quàm δ αἰσθάνεσθαι, hoc est, sentire, animalis proprium est. Viuere enim & stirpibus & plantis conuenit, quæ animalia Exemplũ

minus accommodatum.

malia non sunt. Inaccommodatum ergo istud huius loci exemplum est, quemadmodum & in antegressis fuit.

m Tertius locus est ex ijs.) Hoc genus ex subiectis est repugnantibus, in quo si adiens attributum subiecti affirmati proprium est, negati non erit: & si negati fuerit, affirmati non erit. Et è conuerso. Quanquàm si reprehensio agatur, argumentum est firmius, ut ipse admonet. Subiecta, hìc τὰ ὑποκείμενα uocat, superiùs τὰ ὧν κατηγορεῖται eodem sensu dixit.

Subiecta.

n Quanquàm hic locus.) Posterior scilicet ὁ κατασκευαστικός. Ostendit in affirmantem partem non satis hunc locum ualere.

o Aientia enim negantibus non.) Neq; enim sequitur, quia non est homo, idcirco asinum aut equum esse.

p Illa quidem conueniunt.) Sic dicis, quia homo est, asinum non esse: quia uirtus sit, non esse uitium.

q Sequitur locus ex diuis.) Locis τῶν ἀντικειμένων hactenus pertractatis, sequitur nunc locus τῶν ἀντιδιῃρημένων, hoc est, eorum, quæ in eadem diuisione ex altera parte inter se respondent. Cuiusmodi sunt generis diuidentes inter se oppositæ differentiæ, ut in Categorijs cap. 9. patuit. Tales differentiæ animalis sunt hìc ὁ ἀιοθνητὸν καὶ ὁ θνητόν.

Locus τῶν ἀντιδιῃρημένων.

r Nullius aliorum mortalium.) Hìc animalis diuisio in mortale, ὁ θνητόν, & immortale, ὁ ἀθάνατον obseruanda est: Quanquàm τῶ θνητοῦ græcè Aristoteles non meminit, quod Interpres explicandi causa ex Aphrodiseo uidetur assumpsisse.

s Si prudentiæ propri.) Hoc loco uirtutem in tres partes tribuit, prudentiam, fortitudinem, & temperantiã, idq; per differentias, ὁ λογικόν seu λογιστικόν, ὁ θυμικόν καὶ ὁ ἐπιθυμητικόν, teste Alexandro. Iam si prudentiæ proprium est, ὁ καθ' αὑτὸ πεφυκέναι τῶ λογικῶ ἀρετῶ εἶναι, & fortitudinis erit τῶ θυμικῶ, & temperantiæ τῶ ἐπιθυμητικῶ ὁ καθ' αὑτὸ ἀρετὴν εἶναι.

Virtutis partes tres.

t Sequitur locus ex similiter.) De coniugatis & casibus loquitur, quæ hìc uno nomine generatim τὰς πτώσεις græcè appellat, teste Alexãdro. ἔθος δὲ αὐτῷ, inquit, καὶ τὰ σύσοιχα πάντα πτώσεις λέγειν.

u Si id quod iustè fit.) Græcè est, τῶ δικαίως ὁ καλῶς, qui uerè casus sunt.

x Nec iusti id quod.) Græcè est, τῶ δικαίῳ ὁ καλόν, quæ propriè sunt τὰ σύσοιχα, hoc est, Coniugata, ut lib. 2. patuit.

y In datiuo conueniet.) Græcè est, ὁ πρὸς τῶ δίποδι λέγεσθαι. Respicit hìc ad commutationem Casuum Grammaticorum, ut homo bipes, hominis bipedis, & sic deinceps.

z Non solùm autem.) Vult hunc locum & in oppositis seu contrarijs ualere, quemadmodum lib. 2. quo de Coniugatis egit.

a Ve-

a Vt si boni.) Bonũ, τὸ ἀγαθὸν, malum, τὸ κακὸν dicit, ὅιον ἐπεὶ τοῦ ἀγαθοῦ ἐστὶν ἴδιον τὸ βέλτιστον, καὶ τοῦ κακοῦ ἂν εἴη ἴδιον τὸ χείριστον.

b Sequitur locus à simili.) Vulgò hunc locum à proportione uocant, Alexander δὲ κατὰ ἀναλογίαν, Aristoteles Græcè ἐκ τῶν ὁμοίως ἐχόντων in præsens ait. Valet in partes contrarias, ut deinceps ostenditur.

c Efficere valetudinem.) τὸ ποιεῖν ὑγίειαν, sed tantum adhibere, quæ ad comparandam ualetudinem pertinent, etsi eam non recuperet, de quo lib. 1. cap. 2. dictum est.

d Quam Gymnasij præfectus.) Græcè γυμναστὴς est, Is est, qui exercitandis corporibus præest, ut qui ad artem gladiatoriam, militarem, palæstricam, alios instituit, παρὰ τὸ γυμνάζειν, quod est, exercere. γυμναστὴς quis.

e Vim habere ad effi.) Græcè est, τὸ ποιητικὸν εἶναι ἐνεξίας. Sic quod sequitur, effectorem esse ualetudinis, τὸ ποιητικὸν ὑγιείας εἶναι Græcè dicitur.

f Proximus locus est.) Locus superiori cognatus ἐκ τῶν ὡσαύτως ἐχόντων. Verùm hic ab illo distat, quòd hic unum cum multis comparat, ille duo cum duobus confert, teste Alexandro. Faber Stapulensis nonnullam in hoc loco esse difficultatem indicat. Locus à superiore distat.

g Vt si eodem modo.) ὅιον ἐπεὶ ὡσαύτως ἔχει ἡ φρόνησις πρὸς τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρὸν τῷ ἐπιστήμην ἑκατέρου αὐτῶν εἶναι.

h Quandoquidem eiusdem.) Græcè est, ἀδύνατον γὰρ εἶναι τὸ αὐτὸ πλειόνων ἴδιον. Verùm Interpres uidetur legisse τοῦ αὐτοῦ πλείω ἴδια εἶναι. Quam lectionem ex peruestuto codice etiam hîc restituit Stapulensis. Alia lectio.

i Quippe cùm id quod.) Græcè est, τὸ γὰρ ὡσαύτως ἔχον, ἓν πρὸς πλείω συγκρίνετε.

k Proximus locus est.) Hoc loco rerum statum, ortum & interitum inter se confert, docens uicißim ea inter se conuerti, & alia ex alijs (quod ad Proprij ἀπόδοσιν attinet) tum concludi, tum reprehendi.

l Si id quod ad naturam.) Græcè est, εἰ τὸ κατὰ τὸ εἶναι λεγόμενον, μή ἐστι τοῦ κατὰ τὸ εἶναι λεγομένου ἴδιον,

m Ne id quidem quod ad inte.) οὐδὲ τὸ τὸ φθείρεσθαι τοῦ κατὰ τὸ φθείρεσθαι, οὐδὲ τὸ γίνεσθαι τοῦ κατὰ τὸ γίνεσθαι λεγομένου ἔσται ἴδιον.

n Ex ortu concludendo.) καὶ ἐκ τοῦ γίνεσθαι πρὸς τὸ εἶναι καὶ φθείρεσθαι, καὶ ἐκ τοῦ φθείρεσθαι, πρὸς τὸ εἶναι καὶ πρὸς τὸ γίνεσθαι.

o Si id quod ad statum pertinet.) εἰ τοῦ κατὰ τὸ εἶναι τεταγμένου, ἐστὶ τὸ καθ' αὑτὸ τεταγμένον ἴδιον, & cæt.

p Sequitur locus ex forma.) Alludit ad Platonicas Ideas, quibus per se (quatenus Ideæ sunt, à subiecta natura separatæ) si quid conueniat, non uult idipsum statim eorum, quæ cum materia coniuncta in natura cohærent, proprium existimari. Ita Dialectica species, quia

cies, quia in materia cernitur, & Platonica ἰδέα, quæ à materia abstracta, ipsa per se consistere à Platone fingitur, longè discrepant, quemadmodum cùm alibi, tum lib. 1. de Demonstratione, cap. 10. indicauimus. Formarei propositæ, Græcè ἡ ἰδέα τῶν κειμένων dicitur.

ἰδέα τῶν κειμένων.

9 Non ea ex parte, qua.) Id est, formæ & Ideæ participatæ, quæ in subiecta materia cohæret. Nam per se, καθ' ἰδέα, separata intelligitur & auulsa, de quo uide Platonem in Parmenide.

ὁ ἄνθρωπος, καὶ ὁ αὐτοάνθρωπος.

1 Vt si ipsi homini.) Platoni aliud fuit homo, ὁ ἄνθρωπος, aliud ipse homo, ὁ αὐτοάνθρωπος. Homo, ei species erat cum materia coniuncta, quam Dialectici Aristotelis instituto considerant: ipse homo, idea abstracta, quam et Dialectici ignorant, et postsim Aristoteles refellit, cui τὸ ἠρεμεῖν, hoc est, planè immobilē esse & conquiescere, proprium dicebat. Id quod præsenti loco, homini, quia homo est, (id est quatenus in natura constat, motui & agitationi subiectus) Aristoteles conuenire negat.

ὁ ζῶον καὶ αὐτόζωον.

5 Ipsi animali.) Hìcrursum, τὸ αὐτόζωον, Platoni species & idea est: ὁ ζῶον, species cum materia conflata, cui proprium est, τὸ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συγκεῖσθαι, ut ipse ait.

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Cap. 5.

Locus maiorum & minorum quadripartitus. 1.

SEquitur [a] locus comparationis ex maiore & minore, qui quadripartitò distributus est, [b] quorum primus in refutatione tractabitur hoc modo: Si quod elationem habet [c] alterius eiusdem generis nō est proprium, ne id quidem quod submissionē habet, vllius eiusdem generis proprium erit, [d] nec quod minimam habet alterius, nec quod maximam habet elationem alterius eiusdem generis, nec deniq; id quod omnino dicitur, vllius eiusdem generis, vt si exempli causa, [e] colore magis infectum esse, magis corporis non est proprium, nec minus colore infectum esse, eius quod minus est corpus, proprium erit, nec infectum esse colore, corporis omnino. In confirmatione autem huius loci tractatio erit talis: Si id quod elationem habet, eiusdem generis alicuius proprium est, id etiā quod submissionem habet, alicuius eiusdem generis propriū erit. Itemque, id quod minimam habet submissionem alterius eiusdem generis: et quod maximam habet elationem, alicuius eiusdem generis, & quod omnino dicitur, alicuius eiusdem generis sit proprium necesse est. cuius exemplum est eiusmodi: [f] Si eius quod magis viuit, magis sentire proprium est, etiam eius quod minus viuit, id quod minus sentit: & eius rei quę maximè viuit, maximè sentire: & eius quod minimo beneficio vitæ vtitur, mi-

tur, minimè sentire: & eius quod omnino viuit, omnino sentire proprium erit. [g] Atque eriam ex eo quod omnino dicitur, argumenta ducenda sunt. In reprehensione quidem hoc modo: Si id quod omnino dicitur, alterius eiusdem generis non est proprium, ne id quidem quod elationem habet eius quod est eiusdem generis, neque id quod submissionem habet, alterius eiusdem generis, neque id quod maximam habet elationem alterius, neq; id quod minimam habet submissionē, alterius erit proprium. quod ex hoc exemplo intelligi potest: [h] Si hominis nō est proprium, bonum esse, ne eius quidem qui hominis nomine magis, aut potiùs appellatur, probiorem esse, proprium erit. At in confirmatione argumentum ab hoc loco sic sumitur: Si id quod omnino dicitur, eius quod est eiusdem generis proprium est, id etiam quod maiorem elationem habet alterius, & quod minorem habet submissionem, quodq́ue minimam ac maximam habet, alterius eiusdem generis, proprium futurum est, vt si ignis proprium est sursum ferri natura, eius etiam proprium erit, quod ignis potiùs dicitur, celeriùs in superiorem locum suapte natura ferri. Eodemq́ue modo ex cæteris hæc concludenda sunt omnia. [i] Alter locus est in reprehensione talis: [k] Si quod magis proprium videtur alicuius, non est proprium: ne id quidem, quod minus proprium esse videbatur, alterius proprium erit. Eius loci tale exemplum erit: Si animalis magis proprium est sentire, quàm hominis scire, nec proprium est animalis sentire, non erit hominis scire proprium. In confirmatione autem hoc modo tractabitur: [l] Si id cui illud minus additur, alterius cui idem adiungitur est proprium, etiam id cui magis additur, alterius cui idem iungitur, est futurum proprium: vt si minus homini proprium est cicurem, & humanum esse natura, quàm animalis viuere: hominis autem est proprium cicurem esse suapte natura & humanum, profectò animalis proprium erit viuere. [m] Tertius locus ex maiore & minore in reprehensione talis est: [n] Si quid eius cuius magis est proprium, proprium non est, ne eius quidem proprium erit, cuius minus est propriū, & si illius est, non etiam huius erit. vt si colore infici, extremitatis magis proprium est, quàm corporis, nec proprium est extremitatis, non erit proprium corporis omnino, colore infici. quòd si est extremitatis proprium, non erit corporis proprium. At verò in confirmatione huius loci nullus vsus est: cùm præsertim idem multorum proprium esse nullo modo possit. [o] Quartus locus est in refutatione huiusmodi: [p] Si q̄ magis

ἐκ τῶ ἁπλῶς.

8.

3.

4.

proprium videtur alicuius, id non est eius proprium, ne id quidem proprium erit, quod minus proprium eius videtur. Cuius exẽplum tale est: Si animalis magis proprium est sensu percipi, quàm secari in partes: & animalis non est proprium sensu percipi: non erit animalis proprium in partes secari. In confirmatione autem tractabitur hoc modo: [q]Si quod minus proprium est alicuius, id eius proprium est, certè quod magis proprium est, eius erit proprium. vt si minus est proprium animalis sentire, quàm viuere: & animalis sentire est proprium, profectò animalis proprium erit viuere. [r]Deinceps sequitur locus à paribus, cuius loci tractatio in refutatione hæc prima erit: [s]Si quod æquè est propriũ, nõ est proprium alicuius cuius æquè proprium est: ne id quidem quod æquè proprium est, eius erit proprium cuius æquè proprium est. vt si æquè proprium est [t]partis animi in qua voluptates versantur, appetere, [u]ac eius quæ rationis est particeps, ratiocinari: & eius partis in qua voluptates versantur, non est proprium appetere: non erit etiam ratiocinari eius quæ rationis est particeps, proprium. In confirmatione autem huius loci tractatio erit eiusmodi: Si id quod æquè propriũ est, eius est proprium cuius æquè proprium est, erit etiam quod æquè proprium est, eius proprium cuius æquè proprium est. cuius exemplum tale est: [x]Si æquè proprium est partis animi, quæ rationis est compos, primam esse sedem sapientiæ, atque eius in qua voluptates habitant, primam esse sedem temperantiæ, & partis eius quæ compos est rationis, primam esse sedem sapientiæ proprium est: illius etiam in qua voluptates habitant, proprium erit, primam sedem esse temperantiæ. [y]Alter locus in reprehensione talis est: Si quod pari ratione alicuius est proprium, non est proprium eius cui æquè proprium est, id non erit eiusdem proprium, vt si cernere æquè proprium est hominis ac audire: hominis autem non est proprium cernere: non erit etiam audire hominis proprium. In confirmatione autem talis vsus erit. Si quod pari ratione alicuius est proprium, id eius proprium est, etiam id quod æquè proprium, eius erit proprium. vt si æquè proprium est animi, [z]eius partem valere ad appetendum, ac posse ratiocinari primùm: animi autem proprium est eius partem esse, quę primum appetat: animi etiam proprium erit, partem eius primùm posse ratiocinari. [a]Tertius locus est in reprehensione eiusmodi: Si quid non est proprium eius, cuius æquè proprium est, non erit proprium eius cuius pari ratione est proprium: & si illius est proprium, alterius proprium non erit. Quod

Locus à pari tripartitus.

1.

2.

3.

hoc

hoc exemplo illustrandum est: Si exempli causa, incendere æquè proprium est flammæ atque prunarum, & flammæ incendere non est propriũ, non erit prunarum proprium incendere: quòd si flammæ proprium est, non erit prunarum proprium. huius autem loci nullus vsus est in confirmatione. [b] Interest autem inter locum à similibus & à paribus, quòd ille [c] ex proportione sumitur, non ex eo quòd vnum quodam modo alteri attribuitur: hic autem ex eo quòd inest vnum alteri certo quodam modo, vim habet. [d] Deinceps locus in refutatione tractatur, si quis ex vi proprium statuet, [e] propriumq; vi ad id quod non est, accommodabit, nec vis poterit rei quæ non est conuenire, non erit proprium quod positum est proprium esse: [f] vt si quis dicat aeris proprium esse, inspirabilem esse, ex vi proprium statuit, quandoquidem illud proprium respirabile, q respirari potest significat, atque etiam proprium statuit rei quę nulla est. siquidem sublato animali, [g] quod respirare aerem solet, aer esse potest. nec tamen si nullum sit animal, fieri potest, vt quid respiret: ita fit vt aeris non sit futurum proprium eiusmodi, quod respirari potest, tum cùm animal nullum erit tale quod respiret: quare aeris proprium non erit spirabilem esse. At in confirmatione huius loci vsus erit, quando ex vi proprium explicauimus, quod aut ad id quod est, aut ad id quod non est, refertur: sed ita vt vis ipsa rei quæ nulla est, possit conuenire. sic enim proprium erit id quod positum est non esse proprium. vt si quis [h] eius quod est, proprium ponat posse pati vel facere, is ex vi proprium expressit, idque ad id quod est accommodauit. Quamdiu enim aliquid est, id & pati aliquid & facere potest, ita eius quod est proprium, erit posse pati vel facere. [i] Extremus locus refutationis erit, quando ex præstãtia & excellentia proprium exponitur, proprium non est quod positum est esse proprium. ij enim qui hoc pacto proprium statuunt, faciunt vt in quo oratio, in eo non etiam nomen verè dicatur: [k] sublata enim re, tamen stabit oratio, quippe cùm alicui earum rerum quæ sunt, conueniat maximè: vt si quis ignis proprium dicat esse hoc totum, corpus leuissimum, igne sublato, erit corpus aliquod leuissimum. non est igitur ignis proprium hoc totum, corpus leuissimum. In confirmatione autem, ne præstantia statuamus proprium prouidendum est. ex ea enim parte rectè ponetur proprium, vt si quis hominis proprium ponat hoc totum, animal natura cicur & humanum, is quoniam non explicauit proprium ex præstantia, ex ea parte proprium rectè statuit.

Propriũ & συμβεβηκός.

Propriũ & ὑπεροχῆς.

IN CAPVT QVINTVM, ANNOTATIONES.

a Sequitur locus comparat.) Hoc capite magna ex parte Cõparationis, τῆς σύγκρισεως, locos persequitur. Quia uerò σύγκρισις alia parium est, alia maiorum & minorum, priore loco de maioribus & minoribus tractat, quem locum ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ τοῦ ἧττον uocat, eundemq; in quatuor genera dispertit, prout subiecta & attributa, inter quæ comparatio uersatur, non eodem modo sese habent, ut in sequentibus patebit. Sunt autem hi loci magna ex parte per se euidentes & faciles.

σύγκρισις alia pariũ, alia imparium.

b Quorum primus.) Hîc simplex attributum et subiectum inter se comparantur, ut ὁ κεχρῶσθαι καὶ ὁ σῶμα, ὁ ἀισθάνεσθαι καὶ τὸ ζῷον. Alexander hoc comparationis genus τὸ σύγκρισιν ἑνὸς πρὸς ἕν appellat.

σύγκρισις ἑνὸς πρὸς ἕν

c Alterius eiusdem generis.) Hoc est, elationem itidem habentis. Sic & in sequentibus idem intellige. Græcè est, εἰ ὁ μᾶλλον τοῦ μᾶλλον, καὶ ὁ ἧττον τοῦ ἧττον.

d Nec quod minimam.) Non solùm comparationem maiorum & minorum, sed & maximi & minimi, ἢ τοῦ ἁπλῶς hoc loco persequitur. Hoc est, per omnes comparationis gradus, qui à Grammatico ponuntur, decurrit, docens in omnibus parem esse rationẽ. Græcè est, οὐδὲ ὁ ἧκιστα, τοῦ ἧκιστα, οὐδὲ ὁ μάλιστα τοῦ μάλιστα, οὐδὲ ὁ ἁπλῶς τοῦ ἁπλῶς.

Comparationis gradu diuersi

e Colore magis infectum.) Græcè est, ὁ μᾶλλον κεχρῶσθαι τοῦ μᾶλλον σώματος ἴδιον οὐκ ἔστι.

f Si eius quod magis.) Græcè est, ἐπεὶ τοῦ μᾶλλον ζῶντος ὁ μᾶλλον ἀισθάνεσθαι ἔστιν ἴδιον.

g Atq; etiam ex eo.) Inuertit præcedentem locum. Græcè ἐκ τοῦ ἁπλῶς dicitur.

h Si hominis nõ est pro.) Διότι ἐπεὶ οὐκ ἔστι τοῦ ἀνθρώπου ὁ σπουδαῖον ἴδιον. Aristoteles ὁ σπουδαῖον etiam alijs quibusdam præter hominem tribuit, ut patet in Categorijs cap. 7. κατηγορεῖται μὲν καὶ κατὰ ἀνθρώπου ἢ κατὰ τῶν ἄλλων πολλῶν.

i Alter locus est in reprehens.) Hîc duo attributa cum duobus subiectis conferuntur, ut homo & animal, sentire & scire. Item homo & animal, natura cicurem esse & ulucere. Alexander σύγκρισιν δυοῖν πρὸς δύο appellat.

σύγκρισις δυοῖν πρὸς δύο.

k Si quod magis prop.) Εἰ ὁ μᾶλλον τοῦ μᾶλλον μὴ ὄζειν ἴδιον.

l Si id cui illud minus.) Εἰ ὁ ἧττον τοῦ ἧττον ὄζειν ἴδιον.

m Tertius locus ex.) Hîc idem attributum cum duobus subiectis confertur, ut colore infici, cum extremitate & corpore. Alexandro σύγκρισις ἑνὸς πρὸς δύο uocatur. Valet autem hic locus tantum πρὸς ἀνασκευήν, quòd idem multarum rerum proprium esse non potest, ut ipse ait: ἀδύνατον γὰρ ὄζειν ὁ αὐτὸ πλειόνων ἴδιον εἶναι.

σύγκρισις ἑνὸς πρὸς δύο.

n Si quid eius cuius.) Εἰ οὗ μᾶλλον ὄζειν ἴδιον, μὴ ὄζειν ἴδιον.

o Quartus locus est.) Hîc duo attributa cum uno subiecto comparantur, ut δ' αἰσθητὸν καὶ δ' μερισὸν cum animali: δ' αἰσθάνεσθαι καὶ δ' ζῆν cum eodem. Alexander cõparationem uocat δυοῖν πρὸς ἕν.. συγκρισιν δυοῖν πρὸς ἕν.

p Si quod magis prop.) εἰ δ' μᾶλλον αὐτοῦ ἴδιον μή ἐστιν ἴδιον.

q Si quod minus prop.) εἰ δ' ἧττον αὐτοῦ ὂν ἴδιον ἐστὶν ἴδιον.

r Deinceps sequitur locus.) Hactenus de imparium comparatione: sequitur nunc parium, τῶν ὁμοίως ὑπαρχόντων, collatio, quæ in tria genera est distributa, prout & hîc subiecta & attributa dissimiliter exponuntur. Pariũ collatio quadruplex.

s Si quod æquè est.) Hîc quatuor uerba occurrunt, appetere & ratiocinari: δ' ἐπιθυμητικὸν καὶ δ' λογιστικὸν, quorum illa attributa, hæc subiecta sunt. Item τὸ πρῶτον φρόνιμον, καὶ τὸ πρῶτον σῶφρον, & δ' λογιστικὸν ἢ δ' ἐπιθυμητικὸν, quæ similiter sunt affecta. Græcè est, εἰ τὸ ὁμοίως ὑπάρχον ἴδιον μή ἐστιν ἴδιον τούτου, οὗ ὁμοίως ἐστὶν ἴδιον.

t Partis animi, in qua.) τὸ ἐπιθυμητικοῦ τὸ ἐπιθυμεῖν.

u Ac eius quæ rat.) καὶ λογιστικοῦ τὸ λογίζεσθαι.

x Si æquè proprium.) ἐπεὶ ὁμοίως ἐστὶν ἴδιον, λογιστικοῦ δ' πρῶτον φρόνιμον καὶ ἐπιθυμητικοῦ δ' πρῶτον σῶφρον.

y Alter locus in reprehens.) Hîc uerba tria sunt, quorum duo attributi locum occupant, tertium subiecti, ut cernere, audire, homo, Item ad appetendum ualere, primùm posse ratiocinari, & animus.

z Eius partem valere.) δ' μέρος αὐτοῦ ἐπιθυμητικὸν εἶναι, καὶ λογιστικὸν πρώτως.

a Tertius locus est.) Hîc item tria uerba sunt, quorum duo subiecti uim habent, attributi tertium, ut pruna, flamma, incendere, quem locum tantum ad reprehendendum ualere admonet, cùm inquit: κατασκευάζοντι δὲ οὐδὲν οὕτως ὁ τόπος ἐστὶ χρήσιμος.

b Interest autem inter locũ.) Distinguit nunc locum à paribus hactenus explicatũ, à loco similium, τῶν ὁμοίως ἐχόντων, quem superiore capite exposuit, quem uulgò à proportione seu analogia uocari antè diximus.

c Ex proportione.) Comparatione seu habitudine unius ad alterum, Græcè κατ' ἀναλογίαν dicitur.

d Deinceps locus in.) Hactenus de comparationum locis, subijcit nunc breui, quo pacto tum ex ui & potestate, tum ex superlatione & præstantia, proprium rei alicuius uel sumi, uel non sumi possit. Atq; ex ui quidem sumitur, cùm proprium potestatem significans, aut ad id quod est, aut ad id quod non est, ita refertur, ut potestas τῷ μὴ ὄντι itidẽ conueniat, quo modo eius quod est, τὸ δυνατὸν παθεῖν ἢ ποιῆσαι proprium esse ait. Proprium ex vi & superlatiõe.

e Propriumq; vi ad id.) Tanquàm à quo illud oriatur, ac pendeat, quo modo infrà

τὸ ἀνα-

τὸ ἀναπνευστόν, *quod aëri attribuitur, ab animali pendet aërem respirante.*

f Vt si quis dicat.) *Exemplum præceptione clarius. Vult τὸ ἀναπνευστόν, sublato animali, à quo illud existit, nequaquàm aëri proprium esse. De hoc & suprà meminit.*

g Quod respirare aërem solet.) *De quo uide libellũ Aristotelis περὶ ἀναπνοῆς.*

h Eius quod est, propri.) τοῦ ὄντος ἐδυνατόν παθεῖν ἢ ποιῆσαι.

i Extremus locus.) *Locus est ἐκ τῆς ὑπερβολῆς, quo negat proprium superlatiuo gradu rectè subiecto attribui, propterea quòd hoc sublato, nihilo secius istud alijs rebus quàm maximè accommodari poßit, ut exemplo ignis, leuißimiq; corporis ostendit.*

k Sublata enim re.) φθαρέντος γὰρ τοῦ πράγματος οὐδὲν ἧττον ἔσται ὁ λόγος, τῶν γὰρ ὄντων, τινὶ μάλιστα ὑπάρχει.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ TOPICORVM LIBER VI. IOACHIMO PERIONIO BENEDICTINO CORMOERIACENO INTERprete, ad Græci exemplaris fidem diligenter recognitus, vnà cum Annotationibus Gerardi Matthisij Geldriensis, nunc denuò recognitis & locupletatis.

DE QVINQVE DEFINITIONIS VITIIS, ET QVO MODO TVM FINITIO OBSCVRA ESSE, TVM ALIQVID in ea redundare, intelligatur. Cap. I.

Quinq; definitionis vitia.

IN [a] tractatione autem locorum definitionis, quinque ad reprehendendum nobis proponere debemus. Primum, [b] omnino non verè dici, de quo nomen, [c] etiam orationem. debet enim in omni homine verè dici hominis definitio. [d] Alterum non esse positum pro genere, aut pro accommodato genere, id genus quod est in definitione. Nam qui definit rem, debet ad genus [e] differentiam adiungere: [f] cùm præsertim eorum quæ in definitione collocantur, [g] rei quæ definiendo explicatur, naturam genus declarat maximè. [h] Tertium, nõ esse propriam orationem, [i] quoniam debet propria esse definitio, quemadmodum suprà dixi. [k] Quartum, vt omnia quæ dixi perfecta sint, non tamen rem definitam esse, [l] nec eius vim explicatam. Postremum est, vitium, si tu quidem definiueris, [m] non autem rectè. [n] Ac si de quo nomẽ,

1. 2. 3. 4. 5. Quorum

non

non etiam oratio verè dicitur, [o] ex locis accidentis ad id demonstrãdum & concludendum argumenta ducenda erunt. Illic enim hoc vnum egimus, vt [p] veréne an falso diceretur, cognosceremus: cùm præsertim quãdo disserebamus accidens conuenire, verè dici: quando non conuenire, non verè dici, fateremur. [q] Non esse autem aptum genus id quod positũ est, aut non esse propriam orationem quæ data est, ex locis generis & proprij qui sunt expositi, docebimus. [r] quod autem reliquum est, non esse definitam rem, aut non rectè definitam, quemadmodum intelligemus, meditamur dicere. [s] Primùm quidem an minus aptè res definita sit, videndum est. [t] quandoquidem facilius est facere aliquid, quàm rectè facere. ex quo perspicuum est, sæpius in hoc ipso peccari, [u] quandoquidem difficilius est. ita argumenta [x] faciliùs in hoc quàm in illo genere suppetent. [y] Sunt autem duæ partes eius rei quæ non aptè definita est: Vna, si dubia & obscura interpretatione vtamur. debet enim is qui rem definit [z] quàm potest apertissima interpretatione vti: quandoquidem cognoscẽdæ rei causa traditur definitio. [a] Altera est, si aliquid amplius quàm necesse erat, in definitione posuerit: sic enim superuacaneum erit, quicquid amplius adiectum erit in ea definitione. [b] Rursus vtrumq; eorum quæ exposita sunt, in plures partes distributũ est. Ac primus quidem locus ad probandum definitionẽ esse obscuram erit, cùm aliquod verbum quod in definitione cõtinetur, ambiguum erit. Vt si quis definiat ortum, [c] motum ad naturam ferentem, aut valetudinem esse [d] aptam caloris & frigoris temperationem & moderationem. Est enim vt motus, sic moderationis ambiguum verbum, [e] ita dubium erit vtrum velit significare eorũ quæ explicata sunt & declarata, eo verbo, quod multis modis dicitur. [f] Quod idem continget, quoties res quę definitur, multis modis dicitur, neq; explicatur. Sic enim incertum erit vtrius definitionẽ explicauerit: inciduntq́; tum cauillationes, [g] quasi non ad omnia quæ definiendo explicata sunt, accommodetur definitio: idq́; tum incidet maximè, [h] cùm obscura est & latens ambiguitas. [i] Atq; etiam ratiocinatio cõfici potest, diuisione adhibita, [k] quot modis dicatur id quod in definitione cõcluditur. Si enim satis explicatum non sit vlla significatione earum, quibus id dicitur, profectò eo modo res rectè explicata non erit. [l] Proximus locus est, quando per translationẽ definitio explicatur. vt si quis scientiã definiens [m] immutabilẽ esse dicat, et quę nunquam decidat, [n] aut terram altricem, aut [o] temperantiã concentum. [p] Est enim obscurum quicquid

duo præsenti libro explicãda.

ἐμὴ καλῶς i duo genera tributum.

1.

2.

CAP. 2. Verbi ambiguitas obscurã definitionẽ facit.

Sic & trãslatio.

per translationem dicitur. Calumniari etiam poterimus aduersus eum, qui translatione vsus erit, [q] quòd non proprio verbo sit vsus. quandoquidem non poterit rei quæ definitur accommodari definitio, quod in temperantia contingit: quandoquidem in sonis omnis concentus cernitur. Prætereà si concentus genus sit temperantiæ, [r] idem in duobus generibus erit, quorum neutrum alterum continet. neque enim concentus virtutem continet, nec virtus concentum. [s] Deinceps locus sequitur, quando aliquis in definiẽdo verbis inusitatis vtitur, id quod Plato fecit, [t] qui oculum ὀφρυόσκιον, id est, cilij vmbram definiuit, & araneã [u] σκιδακὴς, id est, vt ita dicã, putrimordacẽ, aut si quis [x] medullam ossium procreatricem dicat. [y] quicquid enim inusitatum est, id obscurum est. [z] Sunt etiam nonnulla quæ nec per ambiguitatem, nec per translationem, nec propriè dicuntur. vt si lex definiatur esse [a] modus vel imago eorum quæ naturâ iusta sunt. quæ omnia translatione deteriora sunt. Translatio enim illustrat declaratq; quodammodo [b] propter similitudinem id quod significatur. [c] quippe cùm omnes qui transferunt verba, ea propter quãdam similitudinem transferant. At verò illud tale nullo modo rem illustrat, quandoquidem similitudo nulla reperitur, propter quam lex, modus, aut simulachrum dicatur. [d] nec id propriè dici solet. ita si modum propriè aut simulachra legem dicant esse, mentiuntur. [e] Est enim simulachrum id, cuius origo ab imitatione profecta est, [f] quod in lege non reperitur. [g] Quòd si impropriè id dicant, certè obscurè loquuntur, atque deteriùs, quàm ea quæ per translationẽ dicuntur. [h] Locus alius erit, quãdo contrarij definitio ex ea quæ data est, non intelligetur. Quæ enim rectè definitiones constituuntur, [i] etiam contrarias significant atque declarant. [k] Aut quando per se prolata, non perspicuum erit cuius sit definitio, [l] sed simile aliquid vsuueniet, quod in veterum pictorum operib. [m] quæ quidem nisi quis superscripsisset, nunquam cognosci intelligiq; potuissent. [n] ac ex ijs quidem locis ad probandum non esse definitionem dilucidam argumenta ducentur. Quando autem abundans dabitur, & constituetur definitio, primùm videndum erit, [o] an verbum aliquod adhibitum sit eiusmodi, quod conueniat omnibus rebus, aut quæ sunt omnino in rerum natura, aut quæ subiectę sunt generi eidem rerum earum quæ definiuntur. Sic enim vt in definitione [p] aliquid redundet, necesse est. [q] Nam & genus à cęteris, & differentia ab aliquo eorum quæ sub in eodem genere, debet rem quæ definitur seiungere. Atqui quod rebus omnibus

Verborũ insolens cõpositio, κὰ κατάχρησις.

Contrarij finitio ex contrario intelligit.

Quot modis aliqd in definitione redundet.

Generis & differentiæ vsus.

omnibus conuenit omnino, à nulla separat, & quod omnibus quæ subiectæ sunt eidem generi conuenit, ab ijs quæ sunt in eodem genere non secernit: [f] ita superuacaneum est tale illud quod adiectum est. [g] Alius locus erit, quando id quod adiectum est, est proprium, quo sublato, & reliqua oratio propria est, & naturam rei explicat. Quale est [h] in hominis definitione hoc totum quod adijcitur, natum ad disciplinam. eo enim sublato propria est definitio, naturamque rei indicat, [u] atque vt vno verbo complectar omnia, id omne superuacaneum est & redundans, quo sublato quod reliquum est, planam facit rem eam, quæ definitur. [x] Qualis est etiam animi definitio, si quidem numerus sit se ipse mouens, & agitans. Est enim animus [y] id quod seipsum mouet, quemadmodum Plato definiuit, [z] nisi fortè proprium est illud quidem quod expositum est, sed numero sublato rei vim naturamque non declarat, [a] quorum vtrum verius sit, difficile est explicare. In his autem omnibus quantum vtilitatis ratio postulat, videndum est. [b] Qualis est pituitę definitio illa, humor primus ex cibo incoctus. vnus enim primus humor est, non multi, ita redũdat illud, incoctus. quandoquidem sublato illo propria reliqua est futura definitio. Fieri enim non potest, vt aliquid ex cibo vnum atque alterũ primum decidat: [c] nisi fortè pituita non est id omnino quod ex cibo primum decidit, sed primum est eorum quę non sunt concocta, vt illud, nõ concoctum addendum esse videatur. Nam si illo modo dicatur, non vera erit definitio. siquidem non est primum omnium. [d] Proximus locus erit, quoties aliquid eorum quæ in definitione continentur, non omnibus ijs quæ sunt [e] sub eadem specie, conuenit. Qualis definitio deterius & absurdius explicata est ijs omnibus, in quibus aliquid adhibetur, quod omnibus naturis conuenit. illo enim modo si reliqua propria erat definitio, & tota propria erit. quandoquidem si ad proprium, aliquid quod verum est addatur, omnino propria est tota oratio. At si quid eorum quæ in definitione collocata sunt, non omnibus cõueniat ijs quę eidem speciei subijciuntur, tota esse oratio propria nullo modo potest. [f] neque enim de re vicissim dicetur: [g] cuius generis est hoc totũ, animal gradiens bipes quatuor cubitorum: neq; enim eiusmodi definitio de re vicissim dicitur, propterea quòd non omnibus ijs quæ eidem speciei subiiciuntur, magnitudo quatuor cubitorum conuenit. [h] Illud etiam videndum erit, an verbum idem iteratum est: [i] vt si quis cupiditatem definiat voluptatis & delectationis appetitionem. Omnis enim cupiditas est vo-

τί δ' περίεργον ἐν ὁρισμῷ.

Pituita.

Definitio omnibus cõuenire debet.

Ἆρ' ἀνὰ repetere in definitione

vitiosum. luptatis: quare illud etiam quod idem est cum cupiditate, voluptatis erit. Definitioni igitur cupiditatis conueniet, esse appetitionem voluptatis: nihil enim interest cupiditatem dicas, an appetitionem voluptatis. Itaque esse voluptatis de vtroq; dicetur, [k] nisi fortè hoc alienum videri nõ potest. homo enim cùm bipes sit, certè bipes erit, id quod idem est quod homo. Est autem idem quod homo, [l] animal gradiens bipes. ita animal gradiens bipes, bipes est. Sed non ex hoc alienum quicquam, & *incommodum* efficitur, [m] quandoquidem de animante qui gradiens est *solo*, ac per se sumpto bipes non dicitur bis. Sic enim bis de eodem bipes diceretur: cùm autem de animante gradiente bipede nomen bipedis dicatur, semel tantummodò bipes dicitur. [n] Eadem est ratio cupiditatis, propterea quòd non de appetitione dicitur [o] illud, esse delectationis, sed de tota oratione. ita fit, vt semel etiam hoc loco ratio dicendi exprimatur. [p] Atqui iterare idem verbum, non est incommodum: sed illud demum incommodum est, sæpe idem de aliqua re dicere: quod Xenocrati vsuenit, [q] qui sapientiam ait esse definitionem, & cognitionem naturarum, quippe cùm definitio quædam sit cognitio: ita bis idem dixit adiecto verbo cognitionis. [r] In eodem errore versantur ij qui refrigerationem caloris naturalis priuationem esse definiũt: nam cùm eius quod insitum est, omnis sit priuatio, superuacaneum est nomen naturalis addere, satisque erat addere caloris priuationem: quandoquidem ex ipso nomine priuationis, rei naturalis esse intelligitur. [s] Rursus videdum est, an ad id quod omnino dicitur, aliquid etiam quod in parte sit, adiungatur. [t] vt si quis æquitatem definiat imminutionem rerum vtilium atque iustarũ. Cùm enim quod iustum est, [u] etiam vtile sit quiddam, profectò in rebus vtilibus continetur. Ita illud, rerum iustarum, redundat. quia posito eo quod omnino & in totum dicitur, id adiectum sit quod est in parte. Quod idẽ fiet, si medicinam aliquis definiat, scientiam rerum salubrium [x] animali & homini: [y] aut legem, imaginem eorum quæ natura & vi sua bona sunt & iusta. Nam quoniã quod iustum est, quædam pars est boni, is qui ita definit, sæpe idem dicit. [z] Ac vtrum rectè nécne definitio explicata sit, ex his locis & alijs eiusdem generis intelligemus.

Priuatio omnis πᾶσα κατὰ φύσιν.

Aequitas, ἡ ἐπιείκεια

IN CAPVT PRIMVM,

ANNOTATIONES.

[a] In tractatione autem.) *Superioribus tribus generibus* τῶν κατηγορημένων *hactenus explicatis, sequitur nunc quartum genus & postremum,* τὸ ὁρικὸν, *id quod definiendi*

niendi rationem ac disciplinam (dum bene an secus propositæ rei explicata definitio sit, examinat) omnem nobis ob oculos sanè quàm luculenter & disertè proponit. Hoc genus si dignitatem spectes, cæteris anteponendum erat. Verùm quia eius tractatio & difficilior est, & cæterorum quoq; anticipatam notionem requirebat, nimirum cùm non modò genus definitio in se contineat, sed illi quoq; rei quæ definitione explicanda est, propriè conuenire debeat, ut his uerbis Alexander in lib. 4. ait: ἐπεὶ γὰρ δεῖ τὸν ὁρισμὸν μὴ μόνον τὸ γένος ἔχειν ἐν αὑτῷ, ἀλλὰ καὶ ἴδιον εἶναι τοῦ πράγματος, & cæt. ob has causas illius cõmentatio in hunc locum reseruata est. Debent uerò huius artis studiosi, plusculum in huius generis cognoscenda disciplina, tam præstanti & utili, laboris & operæ, pro suo officio, ut par est, collocare. Orditur Aristoteles ab annotatione quinq; uitiorum, τῶν ἁμαρτιῶν, quæ ut in definiendo summè caueri debent, ita quisquis in differendo ea admiserit, non mediocriter is definitionem labefactasse uidebitur.

Tranſit ad locos definitionis.

Ratio ordinis.

Quinq; definitionis vitia.

b Omnino non verè dici.) Id est, non omnibus quæ subre definita continentur, conuenire. Quod hîc nomen, τὸ ὄνομα, dicit, alibi τὸ ὁρισὸν, alibi τὸ πρᾶγμα, alibi τὸ ὁριζόμενον eodem sensu appellatur. Hoc libro ferè τὸ ὁριζόμενον dicit, sequenti τὸ πρᾶγμα uocat, cùm inquit: εἰ γὰρ ὅτιμ ὅρος ὁ τί ἦν εἶναι τῷ πράγματι δηλῶν. Atq; & sic sæpe Alexander.

Definitũ, vt græcè dicatur.

c Etiam orationem.) Orationem, τὸν λόγον hîc uocat, ualetq; idem, quod ὅρος uel ὁρισμός, quibus in hac re pro eodem fermè Aristoteles utitur. Fabius τὸν ὅρον, finẽ, finitionem, & definitionem lib. 5. appellat. Vulgò terminum dicere solent, uerbum de uerbo exprimentes, sed ineptè. Nos aut finitionem, aut definitionem rectiùs cum Cicerone uocabimus. Quod ad uerbum τὸν λόγον attinet, etsi simpliciter hoc in loco pro definitione id sæpè usurpat, ut cùm inquit: ἢ ὅτι οὐκ ἴδιος ὁ λόγος, δεῖ γὰρ τὸν ὁρισμὸν ἴδιον εἶναι, & ἢ εἰ μὴ ἴδιος ὁ ἀποδοθεὶς λόγος, & cæt. tamen alibi τὸν οὐσίας λόγον dicere solet, ut in lib. Categoriarum, in definitionibus τῶν συωνύμων, καθ' ὃν ὁμωνύμων, λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτὸς τῷ ἕτερος. & cæt. Author est Alexander, quod ad nomina τοῦ ὅρου & τοῦ ὁρισμοῦ attinet, ab agrorum dimensionibus ea κατὰ μεταφορὰν traducta esse, cùm sic in lib. 1. Topicor. scribit: μετενήνεκται δὲ τὸ τοῦ ὁρισμοῦ & ὅρος ὄνομα, ἀπὸ τῶν ὅρων τῶν ἐπὶ τῶν χωρίων, οἷς περιγράφουσιν αὐτὰ, & τῶν ἄλλων χωρίζουσιν.

Vt definitio.

λόγος pro definitiõe

Nomẽ definitionis vnde.

d Alterum non esse positum.) Alterum uitium est, si aut genus in definitione desit, aut non proprium, τὸ οἰκεῖον, sit positum, aut deniq; si non suo, hoc est, primo loco sit collocatum. Nam primus locus ei debetur, ut et hîc significat, & apertè lib. 2. τῆς ἀπὸ διαιρετικῆς cap. 7. profitetur. Quod ad proprij uerò generis agnitionẽ attinet, conferent huc loci περὶ τοῦ γενικοῦ προβλήματος explicati suprà lib. 4. quemadmodum & infrà admonetur.

Genus in definitione ponendum, & quale.

e Differentiam adiungere.) Græcè pluratiuo numero, τὰς διαφορὰς προσάπτειν ait, Idq; propterea, quòd una sola differentia, nisi propria & substantialis sit, ad contrahendam generis naturã, (ut soli rei definiendæ accommodetur) non sufficiat. Quam ob rem Rodolphus lib. 1. cap. 5. ambitu quodam & loquendi circuitu propriam differẽtiam circumscribendam admonet, de quo & 2. lib. Posteriorum Aristoteles cap. paulo antè citato meminit.

Differentiæ generis naturã contrahũt

f Cùm præsertim eorum.) Græcè est, μάλιστα γὰρ τῶν ἐν τῷ ὁρισμῷ, δ' γίνος δοκεῖ τὴν τοῦ ὁριζομένου οὐσίαν σημαίνειν.

g Rei quæ definiendo explicat.) τοῦ ὁριζομένου græcè ait. Ita δ' ὁριζόμενον, res quæ definiendo explicatur, Latinè dicitur, item id quod definitur, & res definienda, &c. quæ diligenter philologiæ candidatum obseruare hîc oportet.

δ' ὁριζόμενον.

h Tertium, non esse propriam.) Propriam, reciprocam & conuertibilem dicit. Debet enim cum re definita, oratio definitæ rei essentiam explanans, (quæ propriè definitio est) ultro citroq; conuerti & reciprocari. Græcè ὁ ἴδιος καὶ ὁ ἀντιστρέφων λόγος nominatur.

Finitio propria.

i Quoniam debet propria esse.) δεῖ γὰρ δὴ ὁρισμὸν ἴδιον εἶναι. In hunc locum uide lib. 1. Topic. ca. 3. ubi in duo genera δ' ἴδιον, hoc est, propriũ distribuit, alterũ, quo rei propositæ natura explicatur, id quod τὸν ὅρον, hoc est, definitionem uocat: alterum uerò, quo non natura, sed insita quædam naturæ facultas & affectio designatur, idq; peruagato nomine Proprium appellat. ἐπεὶ δὲ τοῦ ἰδίου, inquit, τὸ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνει, δὲ δὲ οὐ σημαίνει, διηρήσθω τὸ ἴδιον εἰς ἄμφω τὰ προειρημένα μέρη, &c.

Proprij, τοῦ ἰδίου, duo genera.

k Vt omnia quæ dixi perfecta sint.) Hoc est, ut et genus & differentiæ adhibita sint, oratioq; retro uicißim cum nomine commeet, non explicata tamen rei natura et essentia, id quod τοῦ ὁρισμοῦ proprium est.

l Nec eius vim expli.) Hæc superioris explanatio est. Vim rei ac naturam declarare, finitionis proprium est, qualitatem & accidentia, τὴν ὑπογραφῆς, hoc est, descriptionis, teste Rodolpho lib. 1. cap. 5. Quod hîc uim rei Interpres dicit, græcè τὸ τί ἦν εἶναι præsenti loco est. Dicitur enim, μὴ δὲ εἴρηκε τὸ τί ἦν εἶναι τῷ ὁριζομένῳ. Alibi τὴν οὐσίαν Aristoteles dicit, ut paulò suprà τὴν τοῦ ὁριζομένου οὐσίαν. Alexander τὸ τί ἦν εἶναι, τὴν φύσιν τοῦ ὁριστοῦ eodem sensu hîc interpretatur.

Vis rei vt græcè dicatur.

m Non autem rectè.) Hoc quàm latè pateat, in sequẽtibus uidebitur. Alexander non rectè definitam rem ait, εἰ μὴ οἰκεῖος ἦ τῷ πράγματι ὁ ὁρισμός.

n Ac si de quo nomen.) Breui prædicta repetit, unde singulorum petenda sit explicatio, indicans.

o Ex locis accidentis.) De quibus suprà lib. 2. egimus. Hîc quæ superiorum librorum tractationis sit utilitas, quantum ad rem præsentem spectat, uidere licet.

Veréne an falsò diceretur.) Quippiam scilicet alteri conuenire.

q Non esse autem aptum ge.) Id ad perspiciendum quandoq; est perdifficile, plurimiq; Veterum in ea re interdum grauiter lapsi sunt, ut in multis Aristotelis disputationibus cerni potest. Quod ad hæc duo dijudicanda spectat, in antegredientibus libris, quarto & quinto diffusè de ijs Aristoteles egit.

r Quod autem reliquum.) Prioribus tribus partibus ad antegressos libros relegatis, iam de posterioribus duabus deinceps tractandum admonet.

s Primum quidem an.) Docet à posteriori primum ordiendum esse, quòd huius explicatio, quàm alterius, minori cum difficultate coniuncta sit. Ordiẽdum autem esse in tractandis disciplinis ab ijs rebus, quæ maiorem euidentiã et facilitatem præferunt, lib. 4. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, cap. 1. Aristoteles docet, idq; his uerbis: Veluti etiam in disciplina, non à primo reiq; principio interdum ordiendum est, sed ab eo quod quisque facilimè discat & percipiat. A facilioribus & euidentioribus ordiendum.

t Quandoquidem facilius est.) Sententiosè dicit: ῥᾶον γὰρ ὁτιοῦν ποιῆσαι, ἢ καλῶς ποιῆσαι.

u Quandoquidem difficilius est.) Rectè uidelicet facere. δὲ ἐργοδέστερον græcè difficilius dicitur.

x Facilius in hoc.) Posteriore genere refellendo, nempe quòd idipsum constructu difficilius est, & sæpiùs in eodem peccatur. περὶ ὃ δὲ ἡ ἁμαρτία πλείων, inquit Alexander, ἡ ἐπιχείρησις τῶν ἀνασκευῶς εὐκολωτέρα ἔσται.

y Sunt autem duæ partes.) τὸ μὴ καλῶς, in duo genera distribuit, quorum alterius efficiens est δὲ ἀσαφὲς τῶν ἑρμηνείας, hoc est, orationis obscuritas: alterius, δὲ περίεργον seu δὲ περιττὸν, hoc est, quod in definitione redũdans adhibetur. Ita Alexander, δεῖ δὲ γινώσκειν ὅτι τὸ μὴ καλῶς ὡρίσθαι μέρη δύο, ἀσάφεια καὶ περιττολογία. τὸ μὴ καλῶς duæ partes.

z Quàm potest apertissima.) Sic lib. 2. τῶν ὑστέρων Αναλ. cap. 7. ὥσπερ δὲ ἐν ταῖς ἀποδείξεσι δεῖ τόγε συλλογίσασθαι ὑπάρχειν, οὕτω καὶ ἐν τοῖς ὅροις δὲ σαφὲς. Δεῖ γὰρ τὸν ὁριζόμενον, inquit hoc loco, ὡς εὐδέχετο σαφεστάτῃ τῇ ἑρμηνείᾳ κεχρῆσθαι, ἐπειδὴ τὸ γνωρίσαι χάριν ἀποδίδοτο ὁ ὁρισμὸς. Huc pertinet illud Alexandri ex lib. 5. δέοντε γὰρ σαφέστερον εἶναι δὲν ὁρισμὸν τὸ ὁριστοῦ. Finitionẽ perspicuitas decet.

a Altera est, si quid amplius.) Hoc τὸ περίεργον, καὶ δὲ περιττὸν eodem sensu ab Aristotele dicitur. Fabius lib. 8. cap. 3. περιεργίαν, superuacuam operositatem Latinè transfert. Est etiam quæ περιεργία uocatur, inquit, cùm superuacua (ut sic dixerim) operositas, ut à diligenti curiosus, & à religione superstitio distat. περιεργία.

b Rursus vtrunque.) Cùm utrunq; genus quasi uarium sit & multiplex, prioris formas aliquot seu modos nunc deinceps subijcit. Ac uult quidem obscuritatem in definitionibus nasci, si uerba adhibeantur ambigua, translatitia, inusitata, & similia. Obscuritas vnde finitioni accidat.

c Motum

ἀγωγὴ, καὶ συμμετρία, ambigua.

c Motum ad naturam ferentem.) *Græcè dicitur,* ἡ γένεσις, ἀγωγὴ εἰς οὐσίαν: *Item,* ἡ ὑγίεια, συμμετρία θερμῶν καὶ ψυχρῶν, *in quibus finitionib. nomina* τῆς ἀγωγῆς καὶ συμμετρίας *ambigua esse definit, de quo uide Alexandrum.*

Sanitas quid.

d Aptam caloris & frigoris temp.) *Hæc finitio quasi materialis est. Nam in apta temperatione quatuor humorum tanquam in subiecto sanitas & ualetudo consistit. Si formam spectes, ualetudo habitus est corporis animati, quo id naturales uitæ actiones præstare potest. Vide in hunc locum lib. 1. de Demonstrat. cap. 7.*

e Ita dubium erit vtrum.) *Nota quo pacto uerbi ambiguitas intelligentiã distrahat. In hunc locum uide Aristotelem lib. 1. de Cœlo, cap. 11.*

Ambiguitas ante finitionem explicãda.

f Quod idem continget.) *Monet nihil interesse, utrum in definitione, an in nomine rei definiendæ ambiguitas insit. Hoc ergo loco disce, quur tam sollicitè ambigua uerba priusquàm definiantur, significatorũ enumeratione explicare Philosophi studeãt. Vanum est, quod nonnulli per definitionem, ambiguitatem uerbi homonymi sustolli imperitis persuadent. Vide in hunc locum Porphyrij Isagogen, cap. 1.*

g Quasi non ad omnia.) ὡς οὐκ ἀφαρμόττοντος τοῦ λόγου ἐπὶ πάντων, ὧν ἂν ὁρισμὸν ἀπέδωκε.

h Cùm obscura est, &.) *Cùm ergo per se perspicua est uerbi ambiguitas, minus distinctione opus uidetur. Inde est, quòd nec ubiq; distinctionem in uerbis ambiguis definiendis Philosophi adhibent. Græcè est,* λανθανούσης τῆς ὁμωνυμίας.

συλλογισμόν.

i Atq; etiam ratiocinatio.) *Ratiocinatio græcè* συλλογισμὸς *dicitur, quam in præsens Alexander* τὴν συλλογὴν καὶ ἀπαρίθμησιν τῶν σημαινομένων, *hoc est, rerum significatarum comprehensionem & enumerationem, exponit.*

k Quot modis dicatur id.) ποσαχῶς λέγετο τὸ ἐν τῷ ὁρισμῷ ἀποδοθέν.

Proprietas finitionem decet

l Proximus locus est.) *Sequitur de translatione & metaphora, quam obscuritatẽ in definitione afferre declarat. Proprijs ergo uerbis, quoad eius fieri potest, omnis definitio explicanda est, Maximè apud Philosophos. Nam apud Oratores & poëtas (ut in Partitionibus & Topicis Cicero profitetur) etiã translationes in definiendo adhiberi solent.*

Scientia ἀμετάπτωτος.

m Immutabilem esse dicat, & quæ.) *Græcè uno uerbo* ἀμετάπτωτον *uocat, quæ metaphora à corpore ducta, propter causarum cognitionem demonstratione perceptam, in eadem sententia permansionem, ita scientiæ propriam esse docet, ut non labi & concidere, propter firmitatem & robur neruorum, proprium est corporis. Hac metaphora Aristoteles utitur lib. 1. de Demonstratione, cap. 2. ubi inquit,* δεῖ τὸν ἐπιστάμενον ἁπλῶς ἀμετάπτωτον εἶναι.

Terra τιθήνη.

n Aut terram altricem.) *Altricem,* τὴν τιθήνην *uocat, propterea quòd animantes alat & sustentet. Hoc nomine et Timæus apud Platonem materiam primam appellat, cũ inquit:* τὰν ὕλαν ἐκμαγεῖον καὶ ματέρα, τιθάναντε καὶ γεννατικὰν εἶμεν τῆς τρίτης οὐσίας.

o Tempe-

o Temperãtiam concentum.) De hoc exemplo suprà lib. 4. cap. 3. dictum est. Ad hunc modum & bonum uirum, tetragonum ex Simonidis sententia Plato definit, & senectutem, δυσμὰς τοῦ βίου, hoc est, uitæ occasum, de quo et Cicero in Topicis quædam. Vir bono, τετράγωνος

p Est enim obscurum.) πᾶν γὰρ ἀσαφὲς τὸ κατὰ μεταφορὰν λεγόμενον. In hunc locum uide lib. 2. de Demonstrat. cap. 7.

q Quòd non proprio verbo.) ὡς οὐ κυρίως εἰρηκότα. Calumniari aduersus metaphora utentem, græcè est, συκοφαντεῖν τὸν μεταφορὰν εἰπόντα.

r Idem in duobus generibus.) Nempe temperantia, in concentu & uirtute, id quod absurdum esse statuit. De hoc uide lib. 4. cap. 2.

s Deinde locus sequitur.) Probat de inusitatis et obsoletis uerbis, quæ ἀσάφειαν in definiendo afferunt. Eiusmodi uerba multa sunt in ueterum scriptis, cùm Philosophorum, tum maximè Poëtarum. Ita Plautus Captiuis, plagipatidam pro uerberone ait, quòd plagas frequentes patiatur. Mustellaria, nidoricupinam pro gulone, quòd escarum & culinarum nidore trahatur: & pro compedito ferritribacem, quòd eorum crura ferro atterantur, & cæt. Eiusmodi sunt & illa lib. 2. de Diuinatione apud Ciceronem: Vt si quis medicus ægroto imperet, ut sumat Antiquorũ verba obsoleta.

Terrigenam, tardigradam, domiportam, sanguine crassam, potiùs quàm hominum more cocleam diceret. Nam Pacuuianus Amphion

Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, & cæt. quæ sequuntur. Quæ inusitata uerba hìc interpres uocat, Græcè τὰ μὴ κείμενα ὀνόματα Aristoteli dicuntur. Alexander τὰ ἀσυνήθη ea uocat. τὰ κείμενα ὀνόματα, idem τὰς συνήθεις καὶ κατατετριμμένας λέξεις interpretatur. κείμενα ὀνόματα.

t Qui oculum ὀφρυόσκιον.) Quasi à cilio umbram habentem. Alij ciliumbram transferre malunt, Dicitur πρὰ τὸ ὀφρὺς, supercilium, καὶ σκιὰ, umbra.

u σηψιδακὲς.) Dicitur πρὰ τὸ σήπεσθαι, quod est, putrescere, καὶ δάκνειν. i. mordere.

x Medullam ossium procreatricem.) Græcè est, τὸν μυελὸν ὀστεογενὲς, quod alij oßigenam, quasi in oßibus genitam, malunt dicere, ut Boëtius.

y Quicquid enim inusitatum est.) πᾶν γὰρ ἀσαφὲς τὸ μὴ εἰωθὸς. Alexãder, πᾶσα δὲ λέξις, ait, ἀσυνήθης ἀσάφειαν ἐν τοῖς ὁρισμοῖς ἐμποιεῖ. In hunc totum locum uide Fabium Quintilian. lib. 8. cap. 2. de Perspicuitate: At obscuritas fit (inquit) in uerbis etiam ab usu remotis, ut si commentarios quis Pontificum, & uetustißima fœdera, & exoletos scrutatus authores, id ipsum petat ex his, ut quæ inde contraxerit, non intelligantur. Et cæt. τὸ ἀσύνηθες, ἀσαφὲς.

z Sunt autem nonnulla.) Aliud genus inusitati & obscuri sermonis κατὰ πράχρησιν. i. per abusionem. Nam id quod præcedit, propriè quidem dicitur, sed insolenti cõpositione obscurũ euadit. Comparat autem hoc genus τὸ καταχρηστικὸν cum trib. ante- κατάχρησις obscuritatis author

cedentibus, docens non paulo minorem quàm ista, hac in oratione obscuritatem parere.

a Modus vel imago.) μέτρον ἢ εἰκὼν τῆς φύσεως δικαίων, græcè ait. Hic nota, non modò uerba τοῦ μέτρου καὶ τῆς εἰκόνος, nimis aptè et conuenienter (id quod Aristoteles ostendit) in definienda lege adsumi. Nam & quod τῆς φύσεως δικαίων νόμον esse dicit, id non omnino ueritati consentaneum uidetur, præsertim cùm non tam natura, (ut quibusdam uidetur) quàm hominum iudicio decretoq; iustum illud, cuius regula præceptioq; lex est, constare uideatur. Sed de hoc uide Aristotelem in Ethicis, lib. 5.

τῆς φύσεως δικαίων.

b Propter similitudinem.) Ita in Topicis Cicero. Sæpe etiam definiunt & oratores & Poëtæ per translationes uerbi ex similitudine cum quadam suauitate. Huc pertinet illud Aristotelis ex lib. de Poëtica: διὰ τὴν μεταφέρειν, διὰ τὸ ὅμοιον θεωρεῖν ἐστίν. Græcè hic locus dicitur, ἡ γὰρ μεταφορὰ ποιεῖ πως γνώριμον διὰ σημαινόμενον διὰ τὴν ὁμοιότητα.

Definitio per metaphoram.

c Quippe cùm omnes.) Græcè est, πάντες γὰρ οἱ μεταφέροντες κατάτινα ὁμοιότητα μεταφέρουσι. Hoc loco nota similitudinem in transferendis uerbis spectandam esse, quæ si desit, non illustrat, sed obscurat, cui rei explicandæ adhibetur, translatio. In hunc locum de Metaphora seu translatione multa uide apud Fabium Quintilianum, lib. 8. cap. 6.

Similitudo in metaphora spectanda.

d Nec id propriè dici solet.) Quid ita? quia et mēsura, τὸ μέτρον, qualitas est, et imago, ἡ εἰκὼν, ut Alexander ait, imitatio & simulachrum animalis est, talibus aut talibus coloribus σχηματιζόμενον. Quorum neutrum quidem de Lege uerè dici potest.

εἰκών.

e Est enim simulachrum.) Græcè est, εἰκὼν γὰρ ὄψις, οὗ ἡ γένεσις διὰ μιμήσεως.

f Quod in lege non reperitur.) Præsertim cùm hæc τὸ συνθήκῃ δίκαιον, id est, quod homines iustum arbitrantur, ut paulò antè diximus, tanquàm materiam, in qua uersetur, subiectam habeat. Quanquàm Platoni secus uidetur, ut qui in Politico leges τῶν μιμήματα τῆς ἀληθείας, hoc est, diuinæ ueritatis imitationes assueuerat. Quam sententiam & in libris de Legibus M. Tullius sequitur, cùm alibi, tum lib. 2. ubi inquit: Ergo est lex iustorum iniustorumq; distinctio, ad illam antiquissimā et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiūt, defendunt & tuentur bonos.

Leges an μιμήματα ἀληθείας.

g Quòd si impropriè.) μὴ κυρίως. Quod nos improprium dicimus, Græcis δ' ὄνος κυρον dicitur. Sic Fabius lib. 8. cap. 2. Id quod apud nos improprium, ἄλογον apud Græcos uocatur.

Improprium, ἄλογον.

h Locus alius erit.) Vult & obscuram definitionem esse, si nec contrarium ex contrario intelligatur, εἰ μὴ δῆλον, inquit, ὃ τῷ ἐναντίῳ λόγῳ ἐκ τοῦ λεχθέντος: nec definitione posita, cuius tandem rei sit definitio, planum cuadat. εἰκαθ' ἑαυτὸν λεχθείς, inquit,

inquit, μὴ φανερὸς εἶναι τίνων ὅρων ὁ ὁρισμός.

i Etiam contrarias.) Proprereà quòd eadem ex contrario τῶν ἐναντίων est disciplina. Græcè est, ὅτι γὰρ καλῶς ἀποδιδόμενοι καὶ τοὺς ἐναντίους προσκαίνουσιν. Ad hunc modum si iustitia est uirtus animi, iniustitia erit animi uitium. Si candor est color aspectum dissipans, Atror erit, is qui aspectum congregabit. In hunc locum uide lib. sequentem cap. 2. ἆρ' ἡ τοῦ ἐναντίου, inquit Aristoteles, ὁ ὁρισμὸς φανερὸς, καὶ ὁ τοῦ προκειμένου ὁρισμὸς φανερὸς ἔσται. Cõtrariorum definitiones.

k Aut quando per se prolata.) Non adiecto definiti cuius sit nomine, quomodo & Cicero in Partitionibus ait: Quot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi? & in principio Topicorum Aristoteles: Hoc, inquit, loco nobis propositum est, uiam ac rationem inuenire, qua & bene de omni quæstione proposita, probabili argumentatione poterimus disserere, & cæt. Nam ut hic Dialecticæ πραγματείας, ita ille Rhetoricæ artis definitionem (ut eruditis placet) eo loco nobis proposuit. Quanquã idipsum cuiuis est manifestum, ut hanc ob causam nullius obscuritatis istæ definitiones insimulari possint. Sed quid, si nec quiuis intelligat, cuius nã sit, exemplóne tanquam obscura & minus rectè explicata definitio reijcienda est? Nequaquam uerò. Ut docti intelligant id, & qui diu multumq; in istis rebus uersati sunt, satis est. Sic Alexander, δεῖ φησὶ, inquit, ἅπασα φῶς ἀποδοθέντα ὁρισμὸν, καὶ μὴ προσκείμενον ἢ αὐτῷ τίνων ὅρων ὁρισμὸς, εὐθὺς γνώριμον εἶναι τοῖς δηλονότι περὶ ταῦτα σπουδαίοις, οὐ γὰρ δὴ καὶ τοῖς ἰδιώταις. Rhetoricæ Dialecticæ A doctis perspici satis est.

l Sed simile aliquid.) A simili probat. Vt ueterum picturæ, nisi nominibus appositis, quorum sint, non satis intelligitur, ita per se enunciatæ finitiones, quarum rerũ sint propriæ, nisi idipsum definiendo explicetur, minus interdum perspici poterit. Atq; hoc de obscurioribus finitionibus, quæ minus accuratè expositæ sunt, ut illud de antiquorum rudioribus, minusq; perfectis & absolutis picturis, intelligendum est, teste Alexandro. Simile à Veterum picturis.

m Quæ quidem nisi quis superscrip.) Vel quibus authoribus depicta essent, uel quorum potiùs picturæ effigiesq; existerent. Nam sic Alexander: ὅπερ οἱ παλαιοὶ ζωγράφοι ἐποίουν, μὴ ἀκριβῶς τὰς εἰκόνας ἀπεργαζόμενοι δι' ἐπιγραφῆς ἐδήλουν, τίνων ἕκαστοι ὦσιν.

n Ac ex ijs quidem locis.) Trãsit ab obscuritate ad alterum genus τοῦ μὴ καλῶς, nempe ἐκ περιέργου, cuius modos aliquot subijcit.

o An uerbum aliquod.) Id bipartitum est, quemadmodum deinceps exponit. Alexander prioris exemplum ponit, si quis hominem definiat esse animal rationis particeps mortale ἓν ὄν, hoc est, quod unum sit. Illud enim, ἓν ὄν, cùm de omnibus quæ sunt in natura, reuera dicatur, in hominis definitione redũdat. Posterioris modi exemplum ponit, si hominem definias animal esse rationis particeps sensu præditum. Illud enim, sensu præditum, Hominis finitiones uitiosæ.

ditum, cùm omnibus quæ animali subsunt, natura conueniat, itidem in homine definiendo superuacaneè apponitur.

p Aliquid redundet.) *Redundare, hîc ἐπὶ πλεῖον εἰρῆσθαι Aristoteles dicit. Alibi* ὑπάρχειν καὶ ἐπεκτείνειν ἐπὶ πλέον, *alibi* περιττὸν, περιέργον, καὶ κοινότερον εἶναι, *sensu eodem dicitur. Cicero in aliam rem transferri, latiùs patere & manare, ad plura pertinere, superare, redundare, latinè dicit, quæ phrases omnes studiosis sunt obseruandæ.*

Redũdare

q Nam & genus.) *Genus à dißimilibus, differentibus, & ijs quæ non sunt eiusdem generis, rem definiendam seiungit: Differentia uerò à cognatis & proprijs, quæ generis communione cum ea re, quæ definitur, conueniunt. Alexander hoc* ἀπὸ τῶν ὁμοιογενῶν, *illud* ἀπὸ τῶν μὴ ὁμοιογενῶν χωρίζειν *græcè dicit.*

Genus. Differẽtia

r Ita superuacaneum est.) *Quia neq; genus est, neq; differentia, quibus duabus partibus omnis definitio reuera completur. Complexio ratiocinationis est antè positæ. Superuacaneum, Græcè* τὸ μάταιον *hîc dicitur.*

τὸ μάταιον.

s Alius locus erit.) *Hic locus à superiore distat, quòd ille differentiam quandam cõmuniorem in definitione adiungebat, hic proprium id quod cum re definienda retrò uicißim commeat.*

t In hominis definit.) *Nempe animal rationis particeps mortale, quo modo Prisci hominem definierunt.*

u Atq; vt vno verbo complectar.) *Græcè est,* ἁπλῶς δ' εἰπεῖν, ἅπαν περιέργον, οὗ ἀφαιρεθέντος τὸ λοιπὸν δῆλον ποιεῖ τὸ ὁριζόμενον.

x Qualis est etiam animi def.) *De hac finitione aliquoties antè dictum est. Numerus se ipse mouens, græcè* ἀριθμὸς αὐτὸς αὑτὸν κινῶν *dicitur. Vide in hunc locum librum 2. de Demonstrat. cap. 2.*

y Id quod seipsum mouet.) *Omnino numero amoto. Græcè est,* τὸ αὐτὸ κινοῦν. *Quæ definitio est Platonis in Phædro, ubi ait:* ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτό τις λέγων οὐκ αἰσχύνετο. *Vide, an hac Platonis sententia imbutus Cicero, lib. 1. Tusculanarum quæstio.* ἐντελέχειαν, *(quo nomine Aristoteles animum appellauit) quasi continuatam quandam & perennem motionem conuertat.*

Plato animũ definit

Cicero ἐντελέχειαν vt reddat.

z Nisi fortè propri.) *Platonis definitioni occurrit, tanquàm non otiosè à Xenocrate adiectum sit uerbum* τοῦ ἀριθμοῦ. *Verùm neq; numerum seipsum mouentem, neq; id quod ipsum se mouet; esse animum, multis ex professo disputat Aristoteles, partim lib. 7. de Natura, partim lib. 1. de Animo, ex quibus locis qui ista cognoscere studeat, promptũ erit repetere.*

a Quorum vtrum verius sit.) *Nempe sit, nec ne genus animi numerus, & utrũ numero amoto, quod reliquum est, id sit aut proprium, aut definitio animi, nec ne. Sic*

enim

enim Alexãder, qui iſtius rei explicationem, quàm pro Dialectica, maiorem eſſe teſtatur, his uerbis: μείζονος γὰρ σκέψεως ἢ περὶ τόδε ζήτησις ἢ ἡ διαλεκτικῆς.

b Qualis eſt pituitæ.) Aliud exemplum è Medicina depromptum, quo diſputat, an in definiendo phlegmate, τὸ ἄπεπτον, hoc eſt, indigeſtum & incoctum, recte Medici adhibeant, cùm inquiunt phlegma eſſe, ὑγρὸν πρῶτον ἀπὸ τροφῆς ἄπεπτον. Ariſtoteles lib. 1. de generatione animalium, Phlegma primi & utilis nutrimenti excrementũ eſſe ait, his uerbis: ἡ μὲν οὖν πρώτης τροφῆς περίττωμα, φλέγμα, ὃ καὶ ἔστιν ἄλλο τοιοῦτο. ἡ δὲ φλέγμα ἡ δευτέρας τροφῆς περίττωμα. Phlegma quid.

c Niſi fortè pituita.) In contrariam partem diſſerit, defendens non ſuperfluè τὸ ἄπεπτον apposituм uideri.

d Proximus locus erit.) De alio genere additamenti agit, quod definitionem conſtringit, ut omnibus quæ definiti nomine continentur, nequaquàm conueniat. Quod genus ſuperioribus illis uitioſius & deterius eſt, quemadmodum deinſubiecta comparatione oſtendit.

e Sub eadem ſpecie.) Nomine ſcilicet definiendo. Sola enim ſpecies propriè definitur, teſte in Metaphyſicis Ariſtotele.

f Neq; enim de re.) Argumento reciprocationis, propriam uel eſſe uel non eſſe definitionem docet. Si enim reciprocetur, propria eſt: ſi non reciprocetur, non eſt. Reciprocari uerò ἀντιστρέφεσθαι τοῖς πράγμασι Græcè Ariſtoteles dicit. Reciprocari.

g Cuius generis eſt.) Exemplo declarat, in quo τετράπηχυ, hoc eſt, quatuor cubitorum longitudine præditum, redundare affirmat.

h Illud etiam videnᵈ.) Quemadmodum ſuperiore libro ταυτολογίαν à Proprio remouit, ſic & hoc loco uult ταυτὸ πλεονάκις à definitione abeſſe, ne quam nugationem incurrat. Quanquàm hoc infrà quodammodo modificatur. Alexander idem quippiam partim τῇ δυνάμει, partim τῇ ἐνεργείᾳ repeti admonet. Atque ut hoc poſterius quidem uitioſum eſt, ita illud prius non ſemper. ταυτολογία a definitione aliena.

i Vt ſi quis cupiditatem.) Cupiditas græcè ἡ ἐπιθυμία dicitur, quam definit eſſe ὄρεξιν ἡδέος, hoc eſt, iucundi appetitionem. Eſtq; hoc exemplum τοῦ ταυτὸ τῇ δυνάμει. Neq; enim actu idem bis ponitur, ſed in altero uerbo ſemel comprehenſum, cum altero palàm profertur. Quòd ſit, ut & à uitio hoc ipſum poſtea Ariſtoteles aſſerat. Cupiditas, ἐπιθυμία.

k Niſi fortè hoc alie.) Nunc deinceps à uitio aſſerit, ſimili exemplo propoſito, in quo idẽ reuera non iteratur. Quod alienũ hoc loco Interpres uertit, Græcè ἄτοπον eſt. Quę ἄτοπα, alij abſurdũ dicunt. Ita quę uulgò dicitur, Vno abſurdo dato, multa alia conſequũtur, id hũc in modũ li. 1. de Nat. ca. 3. Græcè Ariſt. ait: ἀλλ' ἑνὸς ἄτοπα δοθέντος τἄλλα συμβαίνει. ἄτοπα, abſurdum

l Animal gradiens bipes.) Quippe cùm ſic hominem nonnulli definiant.

m Quandoquidẽ di.) Diſtinctione explicat, quando idem repetatur, quando non.

n Eadem est ratio.) *Applicatio præsentis exempli.*

o Illud, esse delectationis.) τὸ ἡδέος εἶναι.

Correctio loci. p Atqui iterare idem verbum.) *Hîc modificatur superiorem locum, docẽs aliud esse,* τὸ δὶς φθέγξασθαι ταυτὸν ὄνομα, *aliud* τὸ πολλάκις πρίτινος τὸ ἀνὰ κατηγορῆσαι. *Sic enim iterare idem uerbum, & sæpe idem de re aliqua dicere, Græcè Aristoteles ait.*

φρόνησις. q Qui sapientiam ait.) *Græcè* τὴν φρόνησιν ὁρισικὴν καὶ θεωρητικὴν τῶν ὄντων *ait. Interpres* τὴν φρόνησιν *sapientiam dicit, cùm Cicero 1. Officior. prudentiam rectiùs conuertat.*

κατάψυξις. r In eodem errore versant.) *Aliud exemplum affert* περὶ τῆς καταψύξεως, *quã simpliciter caloris esse priuationem, non caloris* τοῦ κατὰ φύσιν, *definiendam asserit, propterea quòd in uerbo priuationis* τὸ κατὰ φύσιν *semper intelligatur.* πᾶσα γὰρ στέρησις, ἐστὶ τοῦ κατὰ φύσιν ὑπάρχοντος, *ut infrà ait.*

s Rursus videndum est.) *Pluribus eundem locum exponit. Quia* τὰ ἐπὶ μέρους, *hoc est, particularia, in uniuersi generis,* τοῦ καθόλου, *affirmatione continentur, si illa huic in definiendo coniugantur, uult idem si non* τῷ ἐνεργεῖν, *saltem* τῇ δυνάμει πλεονάκις *uitiose dici.*

ἐπιείκεια. ἐπιεικής. t Vt si quis æquitatem.) *Tria huius loci exempla subijcit, eodem modo efformata. Aequitas græcè* ἡ ἐπιείκεια *dicitur, quam Aristoteles* ἐλάττωσιν τῶν συμφερόντων *definit, propterea quòd* ὁ ἐπιεικὴς *semper moderatus est, & de iure suo potiùs, quã quicquam aliud tentet, caussa communis boni, & priuatæ tranquillitatis ergô, remittit. Vnde &* ὁ ἐλαττωτικὸς *in Ethicis ab Aristotele appellatur.*

τὸ δίκαιον pars vtilis u Etiam sit vtile quiddam.) *Vult iustum,* τὸ δίκαιον, *quasi speciem & partem esse* τῶν συμφερόντων, *hoc est, rerum conducentium & utilium. Quocirca rebus utilibus positis, illud superuacaneè adiungi.*

x Animali & homi.) *Etsi circa hominem præcipuè Medicus uersetur, tamen eum quatenus animalis officia exercet, magna ex parte curat. Ita cùm homo sub animali comprehensus sit, minus necessariò hîc adiungi uidetur.*

y Aut legem, imagi.) *De hoc lib. 5. dictum est. Hîc item uerbum* τῶν δικαίων *redundare statuit, ut quod sub uerbo* τῶν καλῶν *tanquàm pars quædam contineatur.*

Transitio. z Ac vtrum rectè.) *Conclusio prioris generis est,* περὶ τοῦ καλῶς, *id quod in duas partes,* τὴν ἀσάφειαν καὶ τὴν περιττολογίαν, *copiosè hactenus expositas, superiùs diuiserat. Transit nunc ad alterum genus* τὸ εἰ ὥρισται, *quo an simpliciter res proposita definitione explanata sit, nunc deinceps inquirit.*

QVOMODO RES OMNINO DOCEATVR NON ESSE DEFINITIONE EXPLICATA.

Cap.

Cap. 2.

AD [a] probandum autem naturam rei explicatam esse, aut non esse definiendo, ex ijs locis quos deinceps exponemus, argumenta sumentur. [b] Primùm videbimus, num prioribus & magis perspicuis verbis exposita sit definitio. [c] Definitio enim rei cognoscendæ gratia traditur. [d] Et rem cognoscimus nõ ex rebus & verbis quibuslibet, sed ex prioribus & magis perspicuis, [e] quemadmodum in demonstrationibus contingit: ea enim vis est omnis doctrinæ & disciplinæ. [f] Ex quo perspicuum est, eum non explicare rem definiendo, qui non rebus eius generis rem illustret & aperiat definitione. [g] Si enim rem definiuit, certè multæ erunt eiusdem rei definitiones: [h] quippe cùm perspicuum sit eum qui rebus magis perspicuis, & notioribus definierit, aptiùs & commodiùs rẽ definiendo explicasse: ita eiusdem rei vtraque definitio erit propria, [i] quod non ita est. [k] Sua enim cuiusque rei vna est vis atque natura. [l] Itaque si multæ eiusdem rei definitiones erunt, vis & natura rei eius quę definitur, erit eadem, quæ vtraque definitione declaratur. Atqui & naturę non sunt eædem, quandoquidem aliæ & diuersæ sunt definitiones. Perspicuum est igitur eum non definiuisse rem, qui non magis perspicuis neque prioribus rebus definierit. [m] Atque ad probandum quidem non esse explicatam definitionem magis perspicuis rebus, duplex locus suppetet. Nam aut videbimus, [n] an ex magis dubijs omnino & ignotis, aut an nobis magis ignotis & dubijs exposita sit res definiendo. quoniam vtroque modo id fieri potest. [o] Quod enim prius est, id eo quod posterius est, notius est omnino. vt punctum linea, & linea plano, & planum solido: quemadmodum vnio numero notior est, [p] quoniam prior initiũq; est omnis numeri. [q] Itemque elementum syllaba. [r] At verò in nostra cognitione contrà interdum contingit. Nam & quod solidum est magis sub sensum cadit, quàm quod planum est: & quod planum est magis quàm linea: & linea quàm punctum, quippe cùm hæc pleriſque nota sint omnia. [s] Hæc enim cuiusuis, illa subtilis & ocioſi ingenij est discere. [t] Et quanquam præstat omnino eniti, vt posteriores res ex prioribus intelligamus & cognoscamus: ([u] habet enim id maiorem vim ad scientiam) [x] tamen apud eos qui rem ex talibus nõ possunt cognoscere, necesse est profectò rem definiendo aperire [y] ijs rebus, quæ illis notæ sunt et perspicuæ: Cuius generis sunt & puncti, & lineę, & plani definitiones. [z] omnes enim res antiquiores, posterioribus explicant. [a] vt lineæ punctum, plani

Res ex prioribus & notioribus definienda.

Bipartitò quæpiam notiora.

ἁπλῶσ. 1.

ἡμῖν. 2.

Ex nobis notioribus quandoq; definienda.

Etsi ita rei natura non verè explicet.

plani lineam, solidi planum extremum esse definiunt. [b] Sed tamen illud intelligendum est, eos qui ita definiunt, vim & naturam rei quæ definitur, explicare non posse: [c] Nisi fortè idem sit & nobis notius & omnino, [d] si quidem omnes qui rectè rem definiunt, genere differentiisque definire debent, quæ in ijs sunt rebus quæ omnino, & per se notiores sunt, & magis perspicuæ, quàm forma. [e] quippe cùm sublato genere, sublata differentia, forma tollatur. Ex quo fit, vt specie priora sint, & antiquiora.

Genus & differ ētia specie notiora.

[f] Atq; etiam notiora esse ex hoc intelligi potest, quòd cognita specie genus & differentiam cognosci necesse est. qui enim hominem nouit, [g] etiam animal & bipes nouit. at cognito genere, aut cognita differentia, nō necesse est speciem esse cognitam: ita species minus nota et perspicua est. [h] Iam verò ita fiet, vt ij qui definitiones eiusmodi veras esse confirmant, quæ ex ijs constant quæ cuique perspicua sunt & nota, multas eiusdem rei definitiones esse fateantur. Nam quoniam alia alijs, nec eadem omnibus notiora sunt, [i] vna cuique & alia assignanda erit definitio: [k] si quidem definitio ex ijs quæ cuiq; planiora sunt, & notiora constitui debet. [l] Præterea eidem alia aliàs magis aperta videntur. Nam à primo ortu, ea quæ sub sensum cadunt, vbi autem acriori sunt iudicio, contrà. [m] Itaque eidem quidem semper eandem definitionem dare debent ij, qui definitionem rebus, quæ cuiq; magis perspicuæ sint, tractari volunt. [n] Ex quo perspicuum est non ijs talibus, sed ijs quę omnino clariora sunt, rem esse definiendam, quippe cùm ita demum vna & eadem semper sit futura definitio.

Quale ἐξ ἁπλῶν γνώριμον.

[o] Ac fortasse quod omnino & vi sua notum est, non omnibus perspicuum est, sed ijs demum qui bene animo constituti sunt. [p] quemadmodum id etiam quod omnino salubre est, ijs salubre est quorum bene affectum est corpus. [q] Tractari ergo hæc debent omnia accuratè & subtiliter: adhiberi autem in disputationibus pro rerum vsu. [r] Sed consensu omnium euerti definitio tū potest facilimè, cùm nec omnino perspicuis & notis, nec ijs quæ nobis nota sunt explicabitur. [s] Ac vna quidē

Ratio euertendæ hîc finitionis.

ratione ita intelligetur non esse perspicuis traditam & apertam definitionem, si posterioribus (quemadmodum suprà dixi) priora declarabuntur. [t] Alia autem ratione, [u] si eius rei quæ stabilis, & certa est, incertis & mutabilibus nobis statuetur definitio. [x] quippe cùm prius sit & clarius, quod stabile & certum est, quàm quod incertum & mutabile. [y] Ad probandum autem non constare ex prioribus definitionem, tribus ex locis

Trifariā docetur non cōstare

argumenta sumentur. Primus erit, [z] si contrarijs contrariū definiendo

aperietur,

aperietur, vt si bonum malo definiatur: [a] simul enim naturę ordine sunt re ex prio
contraria, [b] & quibusdam eadem ars in vtroque versari videtur. Ex quo ribus
fit, vt alterum altero non sit notius. [c] Sed tamen illud ignorare non debe 1.
mus, quædam esse quæ aliter definiri non possint. cuius generis est duplum, quod sine simplo definiri non potest: iteḿque omnia quæ per se cum aliquo conferuntur. [d] Nam cùm eorum omnium vis & natura idē valeat, quod ad aliquid quodammodo affectum esse, profectò vtrumq; sine altero cognosci non potest, vt necesse sit alterum in alterius definitione contineri. Ac sunt cognoscenda illa quidem eius generis omnia, eisque in his (vt res feret) ita vtendum est. Alter locus nobis argumenta 2.
suppeditabit, [e] quando in definitione aliquid adhibetur, quod idem valet, quod res quæ definitur: id quod obscurum est, tum cùm non eodem verbo vtuntur, quod est rei quæ definitur: vt si solem astrum die perspicuum definiant. qui enim diei vocabulo vtitur, etiam solis vtitur. [f] Vt autem hæc manifestò deprehendantur, [g] pro nomine, definitio sumenda est hoc modo: [h] Dies est solis motus super terram. sic enim perspicuum erit, eum qui motum solis super terram dixerit, etiam solem nominasse, vt solis nomine vsus sit, qui diei vsus fuerit. Alter locus est, [i] quando eo
quod in eadem diuisione numeratur, alterū eiusdem generis definitur, 3.
vt si quis imparem numerum definiat, qui parem vno vincit. [k] Sunt enim simul ordine naturę ea, quæ ex eodem genere distribuuntur in partes, cuiusmodi sunt impar & par, quæ numeri sunt differentiæ. [l] Quod item fiet, si superiora inferioribus definiendo aperiantur, vt si par numerus definiatur esse qui bifariam diuiditur, aut bonum habitus virtutis. Nam & bifariam à duobus quæ sunt paria ductum est, & virtus quædā est pars bonorum: ita hæc illis subiecta sunt. Necesse est etiam eum qui eo quod infra est vtatur, etiam superiore vti, cùm præsertim qui virtutis nomen vsurpat, [m] boni etiam nomen vsurpet. quandoquidem virtus in numero bonorum habetur. Iteḿq; is qui bifariam dicat, pari vtitur: [n] quoniam illud bifariam, aliquid in duas partes distributum declarat, et duo paria sunt. [o] Atque hic quidem locus vnus est, vt generatim dicam, Tranſit ad
ex quo ad docendum definitionē non prioribus & magis perspicuis esse generis ex
illustratam, argumenta ducentur. Cuius partes erunt superiores. [p] Secū plicationē
dus locus erit, quando res quæ definitur ex aliquo est genere, neq; in genere ponitur, qui error in ijs omnibus versatur, [q] in quibus non ponitur genus definitionis. vt si quis corpus definiat, [r] id quod habet tres dimen Genus in

cC siones:

definitio ne exprimendum, & quidē primo loco.

siones: aut hominem [t] id quod rationem numerorum tenet, is non dicit quid est, quod habet tres dimensiones, quæ est magnitudo, & quid est, quod scit numerare, quod est animal. [u] Genus autem quid res sit declarat, & primum eorum quæ in definitione dicuntur, collocatur. Idem fiet, si res quæ definitur [x] in multis dicatur, neque ad omnia pertineat definitio. [y] vt si quis grammaticam definiat, artem esse scribendi id quod dictatur & profertur. Deest enim & legendi, quandoquidem non potiùs scribendi, quàm legendi eam artem tradidit is, qui eam definiuit. [z] non qui alterum, sed qui vtrumq; dixerit, definisse videatur: [a] siquidem eiusdem rei multæ definitiones esse non possunt. [b] Ac in nonnullis quidem hoc verè dicitur quod expositum est: in quibusdam verò non item, cuius generis ea sunt omnia, in quorum vtroque non per se res quæ definitur cernitur, quemadmodum medicina in morbo, & in valetudine versatur, quorum in valetudine vi sua, & per se, in morbo temerè & casu cernitur: [c] præsertim cùm omnino alienum sit à medicina, morbum efficere atque generare. Ita non veriùs medicinam definiendo aperit is qui vtrumq; complexus est, quàm is qui alterum, imò verò deteriùs: quā doquidem quiuis alius morbum efficere potest. [d] Proximus locus erit, quando non ad id quod præstantius est, sed ad id quod deterius, res quæ definitur, accommodatur, cùm plura sint, in quibus vis eius intelligatur. Omnis enim ars visque omnis, ad id quod continet præstantissimū omnium, referri videtur. Rursus si res quæ definitur [e] in proprio, & accommodato genere nō collocetur, argumenta ex his locis generis quos suprà exposuimus, ducentur. [f] Iam si quis superiora genera definiendo dicat, non rectè definiet: vt si quis iustitiam definiat esse [g] habitū efficiētem æquabilitatis, aut habitum qui suum cuiq; tribuit: is enim ita definiendo virtutem transilit. Quoniam igitur iustitiæ [h] genus prætermittit, vim eius & naturam non explicat: [i] quippe cùm cuiusque rei vis sit cum genere coniuncta. [k] Hic autem locus idem valet quod ille: Non in proximo genere aliquid collocare. [l] Qui enim in proximo genere numerarit aliquid, is superiora dixit omnia: quandoquidem in inferioribus ea quæ suprà sunt, intelliguntur. [m] Quocirca aut proximum genus in definitione vsurpandum est, aut generi quod suprà est, adiungendæ sunt differentiæ omnes, quibus vicinum genus definiatur. Sic enim nihil prætermittetur, exprimeturque oratione inferius genus pro nomine. [n] At qui superius genus solum dixerit, non etiam inferius explicat. veluti qui

Vnūquicque ad id quod optimum, referendum.

Proximū genus collocandum

plantam

plantam dicit, non etiam arborem declarat. [n] Rursum in differentijs eodem modo videndum est, an generis differentias definiendo explicarit. Nam si rem aliquam non suis proprijs differentijs definierit, aut etiam aliquid dixerit eiusmodi, quod nullius rei differētia esse possit, vt animal, vt substantiam, is rem non definiuerit. [o] Atq; etiam illud videndum est, sitne aliquid quod diuisum quasi ex altera parte differentiæ quæ proposita sit, respōdeat. Si enim non sit, profectò quæ data est, non erit generis differentia: quandoquidem in differentias, [p] quæ diuiduntur ex contrariis partibus, genera omnia tribuuntur: vt animal in terrenum & pennigerum, in aquatile, & bipes. Aut si est differentia qua ex altera parte genus diuidatur, nec de genere verè dicatur, perspicuum est neutram generis esse differentiam, præsertim cùm omnes differentiæ in quas genus tribuitur, [q] de proprio, & suo genere verè dicātur. Itemq; si verè illa quidem dicatur, neque adiecta generi speciem efficiat, profectò non erit generis hæc talis, [r] speciei procreatrix differentia: quippe cùm speciei effectrix differentia speciem procreet, si cum genere iungatur. Quòd si hęc in differentijs non numeretur, nec ea quidem quæ prolata est: [s] quandoquidem in hanc etiam genus diuisum est. Illud etiam considerandū est, [t] an in negationem genus sit distributum. [u] Quod ij faciunt, qui lineam definiunt, longitudinem esse latitudine carentem. [x] Nam cùm nihil aliud indicet, nisi quod non habet latitudinem, [y] ita fiet, vt genus definitionis formæ sit particeps. [z] quandoquidem longitudo omnis aut caret latitudine, aut habet latitudinem, & de rebus omnibus, aut aientia, aut negantia verè dicuntur. Ita longitudo cùm lineæ genus sit, aut non habebit, aut habebit latitudinem. Atqui longitudo non habens latitudinē, [a] speciei ratio est. [b] Itemq; habens latitudinem, præsertim cùm quod latitudinis expers est, & particeps, sint differentiæ: [c] ex differentia autem ac genere speciei constat ratio & definitio: ita genus sibi formæ definitionem vendicabit. [d] Itemq; differentiæ, quandoquidem altera differentiarum quas exposuimus, de genere dicitur necessariò. [e] Hic autem locus valet contra eos, qui ponunt ideas esse. Si enim non est ipsa longitudo, quónam tandem pacto de genere dicatur, quod aut latitudine caret, aut latitudinis est particeps? Debet enim alterum modò eorum de omni longitudine dici, si quidem futurum est, vt verè de genere dicatur. Quod ita tamen non fit, [f] cùm sint longitudines quæ latitudine careant, & quæ habeant latitudinem. Ergo hic locus contra eos solos valebit, qui genus

Quales differētiæ adhibēdæ.

Ex genere & differentia cōstat species.

vnum numero esse contendunt, quod ij faciunt, [z] qui ideas ponunt. [h] Nã & ipsam longitudinem, & ipsum animal volunt genus esse. [i] Quanquã in quibusdam definiendis negatio adhibenda est necessariò, cuius generis sunt priuationes. Cæcum enim est id quod aspectum non habet, tum cùm ei est aptus natura. Nihil autem interest, negatione res definiatur, an affirmatione eiusmodi, [k] cui necesse sit negationem ex altera parte in diuidendo respondere. vt si quis longitudinem quæ latitudinem habeat, definiendo dixerit. Quod enim habet latitudinem, ei quod ea careat, cùm in eas quid diuiditur, respondet, præterea nihil. [l] Itarursus in negationem genus tribuetur. [m] Illud etiam videndum est, speciémne definiendo pro differentia dixerit, quod faciunt ij, [n] qui conuitium contumeliam cum irrisione definiunt. Nam cùm irrisio quædam sit contumelia, fit vt non differentia, sed species sit irrisio. Iam illud etiam, an genus pro differentia definiendo posuerit. vt si quis virtutem [o] habitum bonũ definiat. Est enim bonum virtutis genus. [p] Nisi fortè nõ genus bonum est, sed differentia: [q] siquidem verum est illud, non posse idem in duobus generibus numerari, quin vnum altero contineatur. Neque enim bono habitus, neque habitu bonum cõtinetur. quandoquidem non omnis habitus bonus est, neque omne bonum habitus. Ita vtrumque esse genus nullo modo potest. Quòd si habitus virtutis genus est, profectò bonum non virtutis genus, sed differentia est. [r] Præterea habitus quid sit virtus declarat: bonum autem non quid sit, sed qualis, indicat. Atqui quale quid significat differentia. Videndum etiam est, [s] an quid, non quale quid, quæ data est differentia, declaret: quoniam qualitatem omnis differentia declarat. Atque etiam, [t] forténe ac temerè rei quę definiatur, differentia conueniat. [u] Vt enim nullum genus, sic differentia nulla in ijs numeratur, quæ temerè & casu rei conueniunt, præsertim cùm alicui conuenire, & non conuenire non possit differentia. [x] Iam si de genere dicatur differentia, aut species, aut aliquid eorum quæ speciei subiecta sunt, nulla definitio est. Nihil enim eorum quæ enumerata sunt, de genere dici potest, quãdoquidẽ in pluribus genus quàm omnia reperiatur. Quod idem fiet, [y] si de differentia genus dicatur: [z] cùm præsertim non de differentia genus, sed de ijs de quibus differentia, dicatur. Veluti animal in homine, boue, cæterisque terrenis animalibus dicitur, non in ea differentia quæ de specie dicitur. [a] Si enim de singulis differentijs animal dicetur, certè multa animalia de specie dici poterunt, cùm præsertim de specie diffe-

Quæ per negationẽ definiẽda.

An bonũ, virtutis differẽtia.

cie differentia dicatur. Præterea isto pacto aut in formis, aut in indiuiduis, omnes differentiæ numerabuntur, si quidem animalia esse ponantur. [b] quandoquidem omne animal vel speciei vel indiuiduorum nomẽ obtinet. [c] Similiterq; considerandum est, an species, vel aliquid eorum quæ subiecta sunt sub speciem, de differentia dicatur. quod fieri non potest, quandoquidem ad plura differentia quàm forma transfertur. [d] Isto etiam pacto fiet, vt inter species differentia numeretur, si quæ species de ea dicatur. Si enim de ea homo dicatur, certè homo est illa differentia. Illud etiam videndum est, [e] an specie nõ sit prior differentia. debet enim vt genus sequi, sic speciem antecedere differentia. [f] Illud etiam, an alterius generis sit differentia ea quæ producta est, quod quidem nec contineatur nec contineat. Neque enim videtur duobus generibus data eadẽ differentia, quorum alterum ab altero minimè contineatur. [g] Sin secus, profectò illud etiam fiet, vt eadem species in duobus generibus sit, quorum vnum non contineatur ab altero. [h] Ex differentia enim vnaquaq; suum genus cõcluditur, vt ex terreno & bipede, animal. Ita fit, vt in quo sit differentia, etiam genus vtrumque dicatur. Ex quo perspicuum est, formam in duobus generibus esse, quorum vnum altero non comprehendatur. [i] Nisi fortè non omnino fieri non potest, vt eadem differẽtia duorum sit generum, quorum neutrum alterum contineat, sed adiungendum est, quorum vtrumque eidem minimè subijcitur. Nam terrenum animal & pennigerum animal, genera sunt, quorum neutrum alterum complectitur, quorum vtriusque bipes differentia est: ita addendum illud est, quorum vtrumque sub idem genus non subijcitur. hæc enim duo animali subiecta sunt. [k] Illud etiam perspicuum est, non necessariò ex omni differentia suum concludi genus: quandoquidem esse duorum generum, quorum vnum altero non continetur, eadem potest: sed solùm alterum necesse est ex ea concludi & probari, eaque quæ suprà sunt omnia. quemadmodum animal pennigerum vel terrenum ex bipede concluditur. [l] Videndum etiam, an id quod alicubi quid esse significat, pro differentia substantiæ posuerit. Neque enim inter substantiam & substantiam [m] hoc interest, quòd alicubi sit. [n] Itaque eos qui animal in terrenum & aquatile partiuntur, reprehendunt: propterea quòd terrenum & aquatile in aliquo esse declarant. Nisi fortè in his non iure reprehẽdunt. Neque enim in aliquo esse aut alicubi, aquatile & terrenum, sed quale quid indicat; præsertim cùm si sit [o] in loco sicco, tamen eque aqua

An eadem differẽtia diuersorũ sit generum.

tile: & si in humido loco, terrenum, non aquatile sit futurum. Sed tamen hoc perspicuum est, [p] si quid esse in aliquo significet differentia, in ea exponenda & explicanda peccari. Præterea à videndum est, [q] an perturbationem in differentia numerarit. Omnis enim perturbatio amplificata, ex statu suo naturam dimouet, ex quo genere non est differentia. Magis enim statum eius cuius est differentia, differentia cõseruat, [r] neq; fieri potest omnino, vt sine sua quicq; differentia permaneat: sublata enim terreni differentia, esse homo nullo modo potest. [s] Quibus autem (vt omnia semel complectar) commutatur id in quo ea sunt, eorum nihil illius differentia est: quandoquidem omnino eiusmodi amplificata, naturam è statu suo dimouent. Quapropter qui talem aliquam differentiam dederit, in eo peccauit, [t] quoniam in differentijs non cernitur commutatio, quæ alteratio solet appellari. [u] Iam si quis definiendo aliquid eorum quę cum aliquo cõferuntur, non constituerit differentiam quæ ad aliud aliquid referatur, errabit. Eorum enim quæ cum aliquo conferuntur, tales etiam debent esse differentiæ. Quod in arte perspici potest, [x] cuius differentiæ sunt, vt vna sit cognitionis, altera actionis, tertia effectionis, quæ ad aliud referuntur omnia. Nam cognitio, & actio, & effectio intelligi non possunt, quin alicuius rei esse dicantur. Illud etiam considerandum est, [y] an ad id definitionem accommodarit is qui rem definit, ad quod natura apta sunt omnia, quę cum aliquo cõferuntur. [z] Sunt enim quędam, quibus ad id solùm vti licet, ad quod natura aptum est vnumquodq; eorum quæ cum aliquo conferuntur. sunt quibus etiam ad aliud licet. veluti aspectu ad cernẽdum tantum modò vti licet: [a] at labro etiam quis hauriat, tamen si quis definiat, labrum instrumentum esse ad hauriendum, peccabit, quoniam ad id non est natum & comparatum. [b] Definitio autem illius, ad quod natum & institutum est vnumquodq;, hæc est, id ad quod prudens quia prudens sit, vtitur, & propria cuiusq; rei ars & scientia. [c] Peccabit etiam definiendo, qui rei cui primùm conuenit, non accõmodat definitionem, quoties in pluribus intelligatur. vt si quis (exempli causa) prudentiam definiat, hominis aut animi virtutem, [d] non eius partis animi quæ rationis est particeps. Est enim prima sedes prudentiæ in parte animi quæ ratione vtitur: quãdoquidẽ ex ea & animus & homo prudẽs esse dicitur. [e] Præterea si nõ est hoc rei quę definitur subiectum, cuius vel habitus vel dispositio in definitione esse dicitur, vitiose definiuit: [f] Omnis enim affectio, omnisq; perturbatio in eo sita esse solet, cuius est affe-

κ πάθος cur differẽtia esse nequeat.

Artis differẽtię tres.

κ πρὸς τί φύσις.

Per ppriã subiectũ affectio.

est affectio & perturbatio, quemadmodum ars in animo, cuius est affectio, sita est. Interdum autē in his ipsis peccatur, velut ab ijs [g] qui aiūt somnum esse sensus imbecillitatem: [h] & dubitationem, æqualitatem rationum contrariarum: [i] & dolorem, discordiam partium coniunctarū natura, vehemētiore motu excitatam. [k] Neq; enim somnus inest in sensu. quod necesse esset, si esset sensus imbecillitas. Itemque ne dubitatio quidem in contrarijs rationibus inest, nec dolor in coniunctis natura partibus. [l] dolebunt enim res inanimæ, siquidem dolor eis aderit. [m] Atq; etiā illa ex eo genere valetudinis definitio est, apta compositio caloris & frigoris. Sic enim necesse erit valere res calentes & frigidas. Nam cùm cuiusq; rei apta compositio in illis sit, quorum est apta compositio, certè in eis etiam valetudo insit necesse est. [n] Prætereà ita fiet, vt ij qui sic definiunt, quod effectus est, efficiens esse dicant, aut cōtrà. [o] Neq; enim dolor dissensio partium natura coniunctarum, sed hoc est quod ad eam efficiendam vim habet: nec imbecillitas sensus, somnus, sed alterum alterius efficiens est. quippe cùm aut propter imbecillitatē sensus somno opprimamur, aut propter somnum, sensuum munere non fungamur. [p] Itēq; dubitationem afferre solet contrariarum rationum æqualitas. Cùm enim in vtramq; partem de aliqua re cogitamus, & paria sunt momenta rationum, tum denique quid nobis agendum sit, dubitamus. [q] Iam omnium temporum habenda ratio est, sicubi discrepent: vt si quis immortale animal quod nunc nō interit, definiat. Sic enim fiet, vt animal quod nunc interitus expers est, hoc tempore sit immortale. Nisi fortè in hoc id non est verum. [r] est enim ambiguum, nunc interitus esse expers aliquid. Aut enim non interisse nunc significat: aut non posse interire hoc tempore: aut esse hoc tempore eiusmodi, vt nunquā intereat. [s] Cùm igitur dicimus, hoc tēpore interitus expers esse animal, non hoc dicimus, tale esse nunc animal: sed, quod nunquā occidere possit: hoc enim idem est, quod immortale. Ita minimè efficitur, vt nunc tantùm sit immortale. Attamen sicubi id accidat, vt quod oratione explicetur, hoc tempore insit, aut superiore, id autem quod nomine declaratur non insit, nunquam idem erit. Vsus ergo huius loci talis est. [t] Atq; etiam illud videndū est, idne quod definitum sit, alia oratione, ac ea quæ allata est, aptiùs explicetur: vt si iustitia definitur, [u] potestas suum cuiq; tribuēs: [x] iustus est enim potiùs, qui suū cuiq; vult tribuere, quàm qui id potest. Ex quo fit, vt nō sit iustitia, potestas suum cuiq; tribuens. alioqui iustus etiam esset,

nes quos definiēdę.

δ' νῦν ἄφθαρτον, ambiguum.

qui

qui suum cuique tribuere posset. [y] Illud etiam vitiosum est definiendi genus, cùm res accessionem recipit: id autem quod oratione explicatur non recipit: aut contrà cùm id quod oratione explicatur recipit, res autē non recipit accessionem. Aut enim vtrumque, aut neutrum capere debet, siquidem idem est quod oratione explicatur, & res ipsa. [z] Vitiosum etiam illud genus est, cùm vtrumque accessionem illud quidem recipit, sed non simul, [a] vt si amor cupiditas concumbendi definiatur. Cùm enim is qui vehementiùs amat, non magis concubitum appetat, fit, vt nō recipiat simul vtrumque accessionem. quod quidem deberent, si quidē idem valerent. [b] Quod idem fiet, si propositis duobus, de quo magis res dicetur, de eo minus dicetur oratio. Vt si ignis definitur corpus tenuissimum. [c] Nā & flamma magis ignis est, quàm lux, & corpus tenuissimū flamma est minus luce. Atqui vtrunque eidem magis conuenire deberet, si quidem idem valerent. Vitiosum etiam est definiendi genus, si duobus propositis [d] vnum vtrique æquè conuenit, alterum non æquè, sed alteri magis. [e] Item cùm duo sunt ad quæ res quæ definitur pertinet, si vtrumq; ad definiendum acceperit, [f] quasi ponens duas definitiones. [g] vt τὸ καλὸν pulchrum definiatur id esse, quod vel oculos, vel aures demulceat: [h] & id quod est, quod pati, vel facere quid potest. [i] Sic enim simul idem, & pulchrum erit & non pulchrum, itemq; idem erit, & non erit: quandoquidem quod aures mouet ac demulcet, idem erit quod pulchrum. Ita quod non demulcet aures, idem valet quod id, quod minimè pulchrum est. [k] Rebus enim eisdem, eadem data sunt contraria. Contrarium autē est pulchro id quod pulchrum non est, eique quod sensum aurium suauitate quadam mouet, id quod non mouet sensum aurium. perspicuum est igitur, idem valere id quod non mouet aures suauitate quadam, & id quod est non pulchrum. Si quid igitur est quod sensum oculorum moueat, non aures, [l] id & pulchrum, & non pulchrum futurum est. Eodemque modo idem esse, & non esse doceremus. Iam verò si orationes pro nominibus sumamus, & generum, & differentiarum, & eorum omnium quæ definitio complectatur, [m] an aliquid eorum discrepet, videndum est.

IN CAPVT SECVNDVM, ANNOTATIONES.

[a] Ad probandum autem.) *Sequitur de altero genere, an omnino res definiendo sit explicata. In hoc tractando ita uersatur, ut primùm de tota definitione agat, deinde de consi-*

consideratione partium, quæ sunt genus & differentia, ut deinceps patebit.

b Primum videbimus.) Quod ad totius finitionis considerationem spectat, uult διὰ προτέρων τῶν γνωριμωτέρων, (hoc est, ex prioribus notioribusq; rebus) eam omnem confici. Id quod duabus ferè subiectis hic rationibus necessarium esse probat.

c Definitio enim rei.) Prior ratio à fine sumpta. Quia rei explicandæ causa assumitur definitio: res uerò nisi ex prioribus notioribusq; perspici & intelligi non potest, sequitur nõ nisi per priora notioraq; rem quamq; definiendo explicari debere. Argumentatio omnibus suis partibus constat, nisi quòd inuerso partium ordine, orditur à sumptione. Græcè est, ἐπεὶ γὰρ ὁ ὅρος ἀποδίδοτο τοῦ γνωρίσαι χάριν ἐλεχθέν. Quam sententiam simili modo & antegresso capite de definitione, & lib. antecedenti de Proprio extulit. Finitio rei explicãdæ causa adhibetur.

d Et rem cognoscimus.) Hæc propositio est, nisi fortè propositionis rationem dici malis, ut propositio sit, Quicquid alterius explicandi causa adhibetur, id & priorib. & notioribus necessariò constare, quia aliter res cognosci non possit. γνωρίζομεν δὲ, inquit, οὐκ ἐκ τῶν τυχόντων, ἀλλ' ἐκ τῶν προτέρων τῶν γνωριμωτέρων. Ex prioribus & notiorib. res cognoscit

e Quemadmodum in demonst.) A simili probat. Vt demonstratio ex notioribus & prioribus necessariò conficitur, sic & definitio, cùm utriusque ratio, quod ad rem explicandam pertinet, sit eadem. οὕτω γὰρ πᾶσα, inquit, διδασκαλία καὶ μάθησις ἔχει. In hunc locum uide lib. 2. de Ratiocinat. cap. 7. & lib. 1. de Demonstratione, cap. 1. & 2. & alibi. Simile.

f Ex quo perspicuum est.) Conclusio ratiocinationis est, cui alteram rationem subnectit.

g Si enim rem defi.) Altera ratio ἢ δι' ἀδυνάτου. Si & ex alijs, quàm ex priorib. & notioribus solis res definiretur, plures eiusdem rei definitiones existerent. At una rei cuiusq; tantum est definitio, quẽadmodum & una simplexq; natura, quæ definiendo explicatur. Ergo. Huc pertinet, quod sub finem huius libri dicitur, ἐπειδὴ οὐκ εἰσὶ πλείους τοῦ αὐτοῦ ὁρισμοί. Ratio ex absurdo.

h Quippe cùm per.) Probatio propositionis.

i Quod non ita est.) Assumptio ratiocinationis cum subiecta probatione.

k Sua enim cuiusq; rei.) Græcè est, ἕκαστον γὰρ τῶν ὄντων ἓν ἐστι τὸ εἶναι ὅπερ ἐστὶν, cum quo conuenit illud Porphyrianum in Isagoge cap. 6. sub finem, τὸ τὸ ἑκάστην οὐσίαν ἑνὸς μὲν εἴδους μετέχειν. Cuiusq; rei vna natura.

l Itaque si multæ.) Hæc noua argumentatio uidetur, qua propositionem superioris syllogismi labefactat. Si plures eiusdem finitiones sint, eadem omnibus subiecta erit natura, quam explicent. At cùm definitiones diuersæ sint, (quarum quæq; suam quandam rem subiectam habet) quo modo omnibus una esse proposita natura intelligatur? Syllogismus Vna natura diuersis finitionibus non subest.

gismus connexus est in secundo conclusionis genere.

m Atq; ad probandum.) Cùm ex prioribus notioribusq; rebus omnem uelit definitionem conflari, nunc porrò quænam res tum priores, tum notiores sint, & quomodo ex ijs demum quæq; definitiones constent, separatim ostendit. Est autem utrumq; genus tum notiorum, tum priorum, bipartitum, propterea quòd alia ἡμῖν, nobis: alia ἁπλῶς, omnino, & priora & notiora sunt, ut & imitio lib. 1. de Demonstrat. docuit, cap. 2.

Priora & notiora duplicia.

n An ex magis dub.) Nota eandem contrariorum rationem esse. Magis dubia, hic τὰ ἀγνωστότερα dicuntur, ut magis perspicua, τὰ γνωριμώτερα.

o Quod enim prius est.) Ordine naturæ scilicet, cuiusmodi sunt rerũ principia, partes, causæ, & consimilia, de quibus uide lib. Categoria. cap. 8. Græcè, ἁπλῶς μὲν γὰρ γνωριμώτερον, inquit, δ' πρότερον τοῦ ὑστέρου.

Priora, notiora.

p Quoniam prior initium q;.) πρότερον γὰρ καὶ ἀρχὴ πᾶντος ἀριθμός. Loquitur de monade, hoc est, unitate.

q Itemque elementum.) Elementum græcè στοιχεῖόν est, ponitur q; hic pro litera, quarum comprehensiones sunt syllabæ.

Elementũ.

r At verò in nostra.) Alter modus τῶν πρὸς ἡμᾶς γνωριμωτέρων. Eiusmodi sunt magis composita & confusa, de quo & uide lib. 1. de Natura, cap. 1. De puncto, linea, plano, & solido, uide Euclidem lib. 1. & 11. Cadere sub sensum, hic Græcè ὑπὸ τὴν αἴσθησιν πίπτειν uerbotenus Aristoteles dicit.

Τὸ ὑπὸ τὴν αἴσθησιν πίπτειν.

s Hæc enim cuiusuis.) Græcè est, τὰ μὲν γὰρ φύσει τυχόντος, τὰ δ' ἀκριβοῦς καὶ περιττῆς διανοίας καταμαθεῖν ἐστίν.

s Et quanquàm præstat.) Ostendit ex utro τῶν γνωριμωτέρων genere, simpliciter res quæq; definiatur. Ac tametsi per ea quæ omnino magis perspicua sunt, uere definiri paulò pòst declaret, concedit tamen & altero genere τῶν ἡμῖν γνωριμωτέρων necessariò quandoq; utendum: Maximè si id tarditas eorum cum quibus agimus, postulet. Verùm id tale finitionis genus, propriè uim naturamq; rei desiniendæ non explicat. Quare & impropriè καὶ καταχρηστικῶς nomen definitionis ei accommodabimus. Quod præstare ait, ut posteriora ex prioribus cognoscere enitamur, Græcè est, ἁπλῶς μὲν οὖν βέλτιον, δ' διὰ προτέρων τὰ ὕστερα πειρᾶσθαι γνωρίζειν.

Et è nobis notioribus. Vt definiendum.

u Habet enim id maiorem vim.) Græcè ἐπισκοπικώτερον δ' τοιοῦτον appellat.

x Apud eos qui rem.) τοὺς ἀδυνατοῦντας γνωρίζειν διὰ τῶν πρότερον, simpliciores & tardiores intelligit, ad quorum captum interim demittenda est oratio, iuxta id quod & in Metaphysicis Aristoteles docet: ἢ μάθησις οὕτω γίνεται πᾶσι διὰ τῶν γνωρίμων φύσει εἰς τὰ γνώριμα μᾶλλον. Et: ἀλλ' ὅμως ἐκ τῶν φαύλως μὲν γνωρισῶν, ἀυτῷ δὲ γνωσῶν, τὰ ὅλως γνωσὰ γνῶναι πειρατέον.

Imperitiorũ captui cõsulendũ

y Ijs rebus quæ illis notæ sunt.) διὰ τῶν ἐκείνοις γνωρίμων, inquit, ποιεῖσθαι τὸν λόγον.

y Omnes enim res ant.) πάντες γὰρ διὰ τῶν ὑστέρων τὰ πρότερα δηλοῦσι.

a Vt lineæ punctum.) Ad hunc modum Euclides lib. 1. Elementorum Geometricorum.

b Sed tamen illud.) Nunc deinde ostendit prædictum illud finitionis genus, impropriè sic dici, propterea quòd τὸ τί ἦν εἶναι τῷ ὁριζομένῳ non uerè declaret, ut ipse ait.

c Nisi fortè idem sit.) Id quod nemo facilè dederit, nisi longè diuersa ratione.

d Siquidem omnes qui rectè.) Propriæ germanæq; rerum definitiones, genere & differentijs solùm explicātur: Quæ cùm natura & omnino clariora sint, sequitur per hæc, non alio rerum genere, propriè demum rem quamq; definiendo explicari. Atq; hæc antè positæ sententiæ, Sed tamen illud intell. ratio est. Propriæ finitiones.

e Quippe cùm sublato.) Bipartitò probat & genus & differentiam specie notiora esse, tum quia ordine naturæ illa priora sint, tum quia specie cognita, illa cognoscātur, & non contrà. Vide in hunc locum Porphyrium cap. 6.

f Atq; etiam notiora esse.) Hæc altera ratio est.

g Etiam animal, & bipes.) Quippe cùm per hæc homo definiatur.

h Iam verò ita fiet.) Ex absurdo superiorem sententiam confirmat: Si ex ijs quæ nobis notiora sunt, res planè definiretur, unius eiusdemq; rei multæ essent definitiones, non solùm, quòd non omnibus eædem res æquè claræ sunt, sed quòd neq; nobis ipsis eadē semper æquè sunt illustria, ut deinceps declarat. Ratio ex absurdo.

i Vna cuiq; & alia.) πρὸς ἕκαστον ἕτερος ἂν εἴη ὁρισμὸς ἀποδοτέος.

k Si quidem definitio.) Iuxta hypothesin datam.

l Præterea eidem alia.) Græcè est, ἔτι τοῖς αὐτοῖς ἄλλοτ' ἄλλα μᾶλλον γνώριμα, ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ αἰσθητά, ἀκριβεστέροις δὲ γινομένοις, ἀνάπαλιν. Vide in hunc locum lib. 1. de Demonstrat. cap. 2.

m Ita ne eidem quidem.) Absurditatem amplificat, ὥστ' οὐδὲ πρὸς ἂν αὐτὸν ἀεὶ ὁ αὐτὸς ὁρισμὸς ἀποδοτέος.

n Ex quo perspicuum.) Concludit institutum, nempe διὰ τῶν ἁπλῶς γνωριμωτέρων, per ea quæ natura euidentiora sunt, rem quamq; definiendam esse, quòd sic constans semper, uniusq; modi futura sit definitio, ut his uerbis Aristoteles astruit: μόνως γὰρ ἂν οὕτως εἷς καὶ ὁ αὐτὸς ὁρισμὸς ἀεὶ γίνοιτο.

o Ac fortasse quod.) Vult δ' ἁπλῶς γνώριμον, si non omnibus, saltem eruditis, καὶ τοῖς εὖ διακειμένοις τὴν διάνοιαν perspicuum esse, quòd horum proprium sit, δ' δύνασθαι κρίνειν εὐστόχως τὶ καλῶς ἢ μὴ καλῶς ἀποδίδωσιν ὁ λέγων, ut Aristoteles Eruditorū & bene affectorū iudicium.

lib. 1. de partibus Animalium affirmat.

τὸ ὑγιεινόν. p Quemadmodum etiam.) *A simili confirmat.* τὸ ἁπλῶς ὑγιεινὸν, τὸ τοῖς εὖ ἔχουσι τὸ σῶμα.

q Tractari ergo hæc.) *Etsi pro re nata superioribus in disserendo utēdum est, uult tamen nihilo secius accuratè ea addiscenda esse, ut si uspiam res exigat, non incommodè tum adhibeantur.* δεῖ μὲν οὖν, *inquit,* ἕκαστα τῶν τοιούτων ἐξακριβοῦν, χρῆσθαι δὲ διαλεγομένους πρὸς τὸ συμφέρον.

Definitio vt refellatur. r Sed consensu omni.) *Nunc deinde quo modo ex superioribus locis argumenta ad refellendam definitionem suppetant, ostendit. Ac primùm si ex minus notis definitio conficiatur, eam loco moueri ait: deinde si ex ijs, quæ ordine naturæ alijs sunt posteriora. Primum genus bipartitum esse docet, secundum tres in formas diductum est.*

s Ac vna quidem ratio.) *Prior modus* τοῦ μὴ διὰ γνωριμωτέρων, τὸ διὰ τῶν ὑστέρων τὰ πρότερα δηλοῦν.

t Alia autem ratione.) *Alter modus,* τὸ διὰ τοῦ ἀορίστου καὶ τοῦ ἐν κινήσει, τὸ ἐν ἠρεμίᾳ καὶ τὸ ὡρισμένον δηλοῦν.

Definitio ex materia & motu. u Si eius rei quæ stabilis.) *Græcè est,* τοῦ ἐν ἠρεμίᾳ καὶ τοῦ ὡρισμένου. τῷ ἐν ἠρεμίᾳ *opponitur* τὸ ἐν κινήσει: τῷ ὡρισμένῳ τὸ ἀόριστον. *Huius generis definitiones esse nonnulli uolunt, si et per materiam forma, et per motum habitus rei naturalis definiatur. Cuiusmodi tamen definitiones apud rerum Physicarum scriptores quandoq; incidunt.*

x Quippe cùm prius.) *Græcè est,* πρότερον γὰρ καὶ γνωριμώτερον τὸ μένον καὶ τὸ ὡρισμένον τοῦ ἀορίστου καὶ τοῦ ἐν κινήσει ὄντος.

y Ad probandum autem.) *Ostendit, quo modo ex prioribus res non definiatur, uultq; eam definiendi rationem esse tripartitam, pro earum rerum quæ in hac consideratione spectantur, distinctione.*

Virtus vitiorum fuga. z Si contrarijs contrarium.) *Sic Horatius 1. Epistolarum lib. ad Mecœnatem:*

Virtus est uitium fugere, & sapientia prima,
Stultitia caruisse. Boëtius ex Victorino per priuationem contrarij, hoc definiendi genus in Ciceronis Topica uocat.

a Simul enim naturæ.) *Græcè est,* ἅμα γὰρ τῇ φύσει τὰ ἀντικείμενα.

b Et quibusdam eadem.) *De hoc uide lib. 8. Metaphysicorum cap. 2.*

Relatorū duplex genus. c Sed tamen illud.) *Excipit relata, quæ hoc modo alia per alia necessariò definiuntur, de quo in Porphyrio diximus, cap. 2. Hoc loco duplex genus relatorum obserua. Alia per se, alia per accidens, cum alio conferuntur. Quæ per se conferuntur,* τὰ καθ' αὑτὰ πρός τι λεγόμενα *dicuntur, quorum in præsens mentio est.*

d Nam cùm eorum om.) *Græcè est,* πᾶσι γὰρ τοῖς τοιούτοις, ταυτὸν δ' εἶναι τῷ πρός τι πῶς ἔχειν. ὥστ' ἀδύνατον ἄνευ θατέρου θάτερον γνωρίζειν, *&c. quæ in 2.*

caput

caput Porphyrij recitauimus. Vide in hunc locum cap. sequēti, & lib. Categor. cap. 4.

e Quando in definitio.) Hoc modo idem per se ipsum quodam modo definitur, etsi alio atq; alio nomine, ut de Sole ostendit, quem definit ἄστρον ἡμεροφαὲς, hoc est, astrum quod die lucet. Nam cùm dies ad definiendum Solem adhibeatur, idemq; nisi per solem (ut in sequentibus Aristoteles docet) ipse definiatur, uidetur quidem certè, licet prima fronte id minus appareat, ipse per se definiendo Sol explicari. Græcè est, εἰ αὐτῷ κέχρητε τῷ ὁριζομένῳ. λανθάνει δ' ὅταν μὴ αὐτῷ τῷ τοῦ ὁριζομένου ὀνόματι χρήσαται. Sol an ἄστρον ἡμεροφαὲς.

f Vt autem hæc manifestò.) Græcè est, δεῖ δὲ πρὸς τὸ φωραθῆναι τὰ τοιαῦτα μεταλαμβάνειν ἀντὶ τοῦ ὀνόματος τὸν λόγον.

g Pro nomine, defi.) Quod nomen inuoluit obscuriùs, definitio clariùs explicat, & aperit.

h Dies est solis motus.) αἰτιώδης hæc finitio est, ἡ ἡμέρα, ἡλίου φορὰ ὑπὲρ γῆς ἐστί. Neq; enim tam motus solis est dies, quàm quiddam solis motum consequens. Dies.

i Quando eo quod in eadem.) Græcè est, εἰ τῷ ἀντιδιῃρημένῳ δ' ἀντιδιῃρημένον ὥρισται.

k Sunt enim simul or.) Vide in hunc locum cap. 9. lib. Categoriarum. Græcè est, ἅμα γὰρ τῇ φύσει, τὰ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀντιδιῃρημένα.

l Quod item fiet.) Hic quartus locus est, secundo generi aßimilis, cùm διὰ τῶν ὑποκάτω τὸ ἐπάνω definitur, ut cùm bonum esse habitum uirtutis: numerum parem, δὴ δίχα διαιρούμενον esse dicimus.

m Necesse est etiam.) Ostēdit superiora in inferioribus inesse, ideoq; cùm per hæc ista definiuntur, ea quodammodo per se ipsa explanari, quemadmodum in secundo genere dictum est. Græcè est, ἔστι δ' ἀνάγκη δὴ τῷ ὑποκάτω χρώμενον, καὶ αὐτῷ χρῆσθαι. Superiora inferioribus insūt.

n Boni etiam nomen vsurpet.) Si non reuera & actu, saltem potestate καὶ δυνάμει. Quanquàm græcè, nomen, non additur. Dicitur enim, χρῆτε τῷ ἀγαθῷ.

o Quoniam illud bifariam.) τὸ δίχα. ἐπειδὴ, inquit, εἰς δύο διῃρῆσθαι σημαίνει δὲ δίχα. δὲ δίχα.

p Atq; hic quidem locus.) Hactenus de uniuersæ finitionis consideratione egit, sequitur nunc consideratio partium, ex qua sit ne res definita, nec ne, planum fiet. Estq; hæc transitio quædam. Quod Interpres, ut generatim dicam, ait, græcè est, καθόλου μὲν οὖν εἰπεῖν. Transit ad partes.

q Secundus locus erit.) In consideratione partium, primùm de genere agit, quod docet non solum necessariò in definitione addendum, sed & rectè explicandum, & suo collocandum loco. Si enim neq; addatur, neq; suo loco collocetur, nec uerè etiam explicetur, reprehensionem definitio incurrit, quemadmodum deinceps docetur. Genus in finitione vt apponendum.

r In quibus non ponitur genus.) ἐν οἷς οὐ προκειται τὸ λόγῳ τί.

s Id quod habet.) ὃ ἔχομεν πρὸς διαστάσεις. Hic genus intelligitur ὃ μέγεθος, de quo uide Aristotelem initio lib. 1. de Cœlo.

t Id quod rationem habet.) τὸ ἐπιστάμενον ἀριθμεῖν, in quo ζῷον, hoc est, animal, intelligitur. Sunt, qui numerādi scientiam homini imprimis conuenire existimāt, ut propterea non inconuenienter per hanc is definiri posse uideatur, si genus adiunctum foret. Numerādi scientia.

u Genus autem quid res.) τὸ δὲ γένος βάλεται, inquit, τί ὄθι σημαίναν, καὶ πρῶτον ὑποτίθεται πᾶσιν τοῖς ὁρισμῷ λεγομένοις. In hunc locum uide lib. 2. de Demonstrat. cap. 7. γένος.

x In multis dicatur.) Id est, pluribus constet, seu speciebus, seu partibus. Neque enim πρὸς πλείω λεγόμενον τὸ ὁριζόμενον, (quod hic dicitur) ambiguum aut multiplex intelligendum est.

y Vt si quis Grammaticam.) Grammaticen definit esse artem scribendi & legendi id quod dicitur & profertur. τῶν ἐπιστήμην, inquit, τοῦ γράφαι τὸ ὑπαγορευθὲν καὶ τοῦ ἀναγνῶναι. Etsi uerò hîc Grammaticam artem definit, minimè tamen in artis formam iam tum ea redacta fuit, quemadmodum in lib. Categoriarum, simul & de Interpretatione docuimus. Capite sequenti eam definit esse γραμμάτων ἐπιστήμην. Grāma tica quid.

z Siquidem eiusdem rei.) ἐπειδὴ πλείους οὐκ εἰσὶ ἔχει τοῦ αὐτοῦ ὁρισμοὺς εἶναι. Sic & infrà libro extremo, de quo superiùs meminimus.

a Ac in nonnullis.) Superiorem locum astringit, docens non in omnibus ualere, nisi eodem modo id quod definitur, in multis intelligatur. Ita Medicina cùm non eodem modo de morbo simul ac ualetudine dicatur, (huius enim per se, καθ' αὑτὸ, illius per accidens, κατὰ συμβεβηκός, efficiens esse dicitur) non necesse est per utrumq; eam simul definiri. Imo per alterum solum quod per se illi conuenit, rectiùs definietur, uelut ipse admonet. Medicina ut definiēda.

b Præsertim cùm omnino alie.) Græcè est, ἁπλῶς γὰρ ἀλλότριον ἡ ἰατρικῆς, τὸ νόσον ποιεῖν. Superiore lib. cap. 4. medici proprium esse dixit, τὸ ποιητικὸν ἡ ὑγείας εἶναι. Quod cùm sit, quo modo morbum inducere, ad eum pertinebit? Medicus efficiens sanitatis

c Proximus locus erit.) Cùm res definienda in multis dicitur, quorum alia alijs meliora sint, uult meliorum, τῶν βελτιόνων, ratione, definitionem explicari. πᾶσα γὰρ ἐπιστήμη (inquit) καὶ δύναμις τοῦ βελτίστου δοκεῖ εἶναι. Sic & lib. 4. de Generis explicatione docuit, cap. 6. Scientia ad optimū referēda.

d In proprio & accom.) Non satis est genus in definitione exprimi, nisi & proprium, τὸ οἰκεῖον, id sit, & (quemadmodum deinceps monet) τὸ ἐγγυτάτω, hoc est, rei definiendæ propinquum. Ita & aliena & remota genera à definitionibus arcenda esse memineris. Aliena & remota ge

memineris. Quod uerò ad proprij generis cognitionem attinet, de eo locos τοὺς περὶ τὰ γένη lib. 4. explicatos consulendos hic monet. nera.

c Iam si quis superio.) *Græcè est,* ἔτι εἰ ὑπερβαίνων λέγει τὰ γένη. *i. Iam si quis transgrediens dicat genera. Hoc est, si communiora & superiora genera ponat. Id enim transgredi,* τὸ ὑπερβαίνειν, *in præsens significat, quemadmodum & rectè Interpres conuertit, & apertè Alexander post Aristotelem exponit, his uerbis:* τὸ γὰρ ὑπερβαίνειν αὐτὸς εἶπεν εἶναι, τὸ μὴ ἐν τῷ ἐγγυτάτῳ γένει θεῖναι. τὸ ὑπερβαίνειν.

f Habitum efficientem.) *Græcè est,* ἕξιν ἰσότητος ποιητικὴν, ἢ διανεμητικὴν τοῦ ἴσου. *De quo uide lib. 5. Ethicor. Aristotelis.*

g Genus prætermittit.) *Proximum nimirum,* ἐν τῷ προσεχὲς, *seu* τὸ ἐγγυτάτω, *ut Aristoteles uocat. Neq; enim omnino prætermittitur, superiore genere assignato.*

h Quippe cùm cuiusq;.) *Græcè est,* ἡ γὰρ οὐσία ἑκάστῳ μετὰ τοῦ γένους.

i Hic autem locus idem.) *Hic uerbum* τοῦ ὑπερβαίνειν *interpretatur, ut suprà Alexander. Græcè est,* ἔστι δὲ τοῦτο ταὐτὸν τῷ μὴ εἰς τὸ ἐγγυτάτω γένος θεῖναι. τὸ ὑπερβαίνειν.

k Qui enim in proxi.) *De hoc uide Porphyrium cap. 2. sub finem. Græcè est,* ὁ δὲ εἰς τὸ ἐγγυτάτω θεὶς πάντα τὰ ἐπάνω εἴρηκεν, ἐπεὶ δὴ πάντα τὰ ἐπάνω γένη τῶν ὑποκάτω κατηγορεῖται.

l Quocirca aut prox.) *Pulchra hæc admonitio, at quam nõ adeò semper ab Authoribus obseruari memineris. In hunc locum uide nonnulla libello Categoriar. cap. 2.* ὥστε ἢ εἰς τὸ ἐγγυτάτω, *inquit Aristoteles,* γένος θετέον, ἢ πάσας τὰς διαφορὰς τῷ ἐπάνω γένει προσαπτέον, δι' ὧν ὁρίζεται τὸ ἐγγυτάτω γένος. Genus vicinum ponendum.

m At qui superius ge.) ὁ δ' αὐτὸ μόνον τὸ ἐπάνω γένος εἴπας, οὐ λέγει καὶ τὸ ὑποκάτω γένος.

n Rursum in differentijs.) *Hactenus de generis obseruatione: subijcit nunc quam cautionem in asciscendis differentijs adhibere oporteat, ut ne quid peccemus. Vult autem generis differentias diuidentes esse, quæ propriæ rei definiendæ, si cum genere iungantur, uerè* καὶ κατ' ἀλήθειαν *rem præsentem definiendo explicent. Vocat autem has differentias,* τὰς τοῦ γένους, καὶ τὰς τοῦ πράγματος ἰδίας *eodem sensu.* Trãsit ad differẽtias

o Atq; etiam illud videnda.) *Docet quæ non sint generis differentiæ, quibus utiliter definitio explicetur.*

p Quæ diuidantur ex.) *Contrarias & repugnantes intelligit, quas græcè* τὰς ἀντιδιῃρημένας *uocat, cùm ait:* πᾶν γὰρ γένος ταῖς ἀντιδιῃρημέναις διαφοραῖς διαιρεῖται. *Vide in hunc locum Rodolphum Agricolam lib. 1. cap. 7.* διαφοραὶ ἀντιδιῃρημέναι.

q De proprio & suo genere.) *Sic dicis, Animal est mortale, aut immortale: Rationis particeps, aut rationis expers. Proprium & suum genus,* τὸ οἰκεῖον *græcè appellat.* πᾶσαι δὲ αἱ ἀντιδιῃρημέναι, *inquit,* διαφοραὶ ἀληθεύοντες κατὰ τοῦ οἰκείου γένους. οἰκεῖον γένος.

r Speciei

Differētia εἰδοποιὸς.

r Speciei procreatrix.) Græcè εἰδοποιὸς nominatur, de quo uide Porphyriũ, cap. 3. πᾶσα γὰρ εἰδοποιὸς διαφορὰ, inquit Aristoteles, μετὰ τοῦ γένους εἶδος ποιεῖ.

s Quandoquidem in hanc etiam.) Græcè est, ἐπεὶ ταύτην ἀντιδιήρηται.

t An in negationem.) Vult differentias in definitione affirmantes esse, propterea quòd aliter quid res definita sit, intelligi non possit. Ita si negationem in definiendo assumas, tanquam generis propositi differentiam, nõ uerè definieris, etsi istius generis definitiones quãdoq; etiã incidunt, ut sequenti Aristotelis exemplo docetur. Quod Interpres genus in negationem distribui ait, græcè est, τὸ ἀποφάσει διαιρεῖν τὸ γένος, hoc est, negationem ut differentiam generis assumere, quemadmodum Alexander, τοὺς ἀποφάσει διαιροῦντας τὸ γένος, τοιτέστιν, inquit, τοὺς ἐν τῷ ὁρισμῷ ἀποφάσιν ὡς διαφορὰν τοῦ προκειμένου γένους λαμβάνοντας.

Differētię affirmatione explicandæ.

ἀποφάσει γένος διαιρεῖν.

u Quod ij faciunt.) Euclidem notat, qui lib. 1. Elementorum, lineam, τὸ μῆκος ἀπλατὲς definiuit, hoc est, longitudinem sine latitudine, seu illatabilem, ut A. Gellius inquit lib. 1. cap. 20. M. Varro eodem Gellio authore, lineã definit, ut sit longitudo quædam sine latitudine & altitudine. Quæ definitio eodem loco haberi debet.

Linea vt definiatur

x Nam cùm nihil aliud.) Ostendit uerbum ἀπλατὲς, si non reipsa, at certè potestate negationem in se continere. Valet enim idem, quod ἀνὰ οὐκ ἔχον πλάτος. Sic Rodolphus lib. 1. cap. 7. ἄλογον, hoc est, irrationale, nil præter negationem rationalis significare ait, ideoq; nec ipsum ueram animalis differentiam esse.

ἀπλατὲς

y Ita fiet, vt genus.) Demonstratione absurdi docet, non posse pro differentia in definitione negationem assumi. Quia si id foret, sequeretur & speciei, & differentiæ genus particeps futurum, ita ut de genere & specie & differentia enunciari possent. Quod minimè accidit, quemadmodum tum ex lib. 4. huius commentationis, cap. 1. tum ex lib. 6. Metaphysicorum, cap. 12. perspici potest. Quid sit particeps esse alicuius, suprà cap. 1. lib. 4. Aristoteles declarauit, his uerbis: ὃς δὲ τοῦ μετέχειν, ἐπιδέχεσθαι τὸν τοῦ μετέχοντος λόγον. Atq; ita cùm hoc loco, συμβήσεται οὖν τὸ γένος μετέχειν τοῦ εἴδους, dicat, paulò pòst, ὥστε τὸ γένος ἐπιδέχοιτ' ἂν τὸν τοῦ εἴδους λόγον, eodem sensu dicit.

Genus nec formę nec differētiæ particeps.

μετέχειν quid.

z Quandoquidem longi.) Probatio propositionis est, ex axiomate τῶν ἀντιφάσεως, hoc est, contradictionis. Quæ longitudo latitudinem habet, extremitas, ἡ ἐπιφάνεια est: quæ non habet, ἡ γραμμὴ, hoc est, linea.

Longitudo duplex

a Speciei ratio est.) Nempe τῆς γραμμῆς, hoc est, lineæ. Græcè est, εἶδος ὅρου λόγος.

b Itemq; habens longitu.) Ratio est alterius scilicet speciei, nempe τῆς ἐπιφανείας, hoc est, extremitatis.

c Ex differentia aũt &.) ἐκ δὲ τῆς διαφορᾶς ἡ τοῦ γένους ὁ τοῦ εἴδους ὅρου λόγος.

d Itemq;

d Item ἁ; differentiæ.) Scilicet definitionem sibi uendicabit. Sic enim Græcè est, ὁμοίως δὲ καὶ τὸν τῆς διαφορᾶς.

e Hic locus valet.) Ostendit prædictum locum tantum aduersus idearum assertores ualere, quòd ij τὸ γένος ἓν ἀριθμῷ, hoc est, unum numero esse profiteantur, ut deinceps sequitur.

f Cùm sint longitud.) Nempe lineæ & extremitates, ut prædictum est.

g Qui ideas ponunt.) Siquidem ideam unum quoddam numero esse aiunt, ἓν γάρ τι καθ' ἀριθμὸν ἡ ἰδέα, inquit Alexander. Idea Vnũ numero.

h Nam & ipsam long.) αὐτομῆκος καὶ αὐτοζῶον Græcè ait.

i Quanquam in quibusdam.) Hactenus alienam esse ab omni definitione negationem docuit: nunc per eã necessariò τὰς στερήσεις, hoc est, priuationes definiri ostẽdit, cùm inquit: ἴσως δ' ἐπ' οἰκίων ἀναγκαῖον καὶ ἀποφάσει χρῆσθαι τὸν ὁριζόμενον, δῖον ἐπὶ τῶν στερήσεων. Ita superiorem exceptione contrahit. Priuationes negationes continentur.

k Cui necesse sit negat.) ἢ ἀπόφασιν ἀναγκαῖον ἀντιδιαιρεῖσθαι. De uerbo τὸ ἀντιδιαιρεῖσθαι, uide lib. Categor. cap. 9.

l Ita rursus in negat.) ὥστε ἀποφάσει πάλιν διαιρεῖται τὸ γένος.

m Illud etiã videnda.) Vult nec species, nec genera, pro differentijs collocanda esse.

n Qui conuitium.) Definit τὸν προπηλακισμὸν, ὕβριν μετὰ χλευασίας.

o Habitum bonum.) ἕξιν ἀγαθὴν ἢ σπουδαίαν, græcè ait.

p Nisi fortè non ge.) Castigat, docens τὸ ἀγαθὸν potiùs differẽtiam, quàm genus esse, tum quòd idem diuersorum generum nõ sit particeps, tum quòd idipsum οὐ τί ἐστιν, ἀλλὰ ποιόν τι declaret, id quod differentiæ proprium est, de quo præter Porphyrium in Institutionib. uide suprà lib. 4. cap. 2. τὸ ἀγαθὸν, differẽtia, nõ genus.

q Siquidem verum est illud, non.) De hoc uide suprà lib. 4. cap. 2.

r Prætereà habitus.) Hæc altera ratio est, à diuersa significandi ratione sumpta.

s An quid, non quale quid.) εἰ μὴ ποιόντι, ἀλλὰ τόδε σημαίνει ἡ ἀποδοθεῖσα διαφορά.

t Forténe ac temerè.) Vult per se, non fortè, nec temerè speciei finiẽdæ differentiã conuenire. Si qua ergo κατὰ συμβεβηκὸς conueniat, inepta illa est, quæ ad rerũ explicãdas definitiones adhibeatur. Loquitur de illo differentiæ genere, quod Porphyrius τῶν ἰδιαίτατα appellat. Quæ & propriæ & communes differentiæ dicuntur, illæ sine dubitatione κατὰ συμβεβηκὸς rei conueniunt, de quo uide Porphyrium cap. 3. Isagoges. Differẽtiæ per se rei cõueniunt

u Vt enim nullum genus, sic.) Græcè est, οὐδὲ μία γὰρ διαφορὰ τῶν κατὰ συμβεβηκὸς ὑπαρχόντων ἐστὶν, καθάπερ οὐδὲ τὸ γένος.

x Iam si de genere.) Vide an huic loco satis congruant, ea quæ de differentia paulo suprà asseruit: Præsertim cùm omnes differentiæ, &c. Verùm istic uel per disiunctionẽ

De genere vt differẽtia dicat.

de genere omnino differentiam dici, uel de genere saltem contracto & limitato dici simpliciter intelligendum est: Hîc de uniuerso et toto genere simpliciter dici differentiam negat. In hunc locum uide Porphyrium cap. 2. Superiora de inferioribus dicuntur, non contrà de superioribus inferiora.

Generis natiua κατηγορία.

y Si de differentia genus dicatur.) Hîc de propria & naturali generis dicendi ratione, & κατηγορίᾳ loquitur, qua genus tantùm τῷ τοῦ τί ἐστι de ijs quæ ipsi subiecta sunt, dicitur. De hoc uide B. Thomam libello de Natura & essentia rerum, cap. 4.

z Cùm præsertim non de differ.) Græcè est, οὐ γὰρ κατὰ πᾶσι διαφορᾶς, ἀλλὰ καθ' ὧν ἡ διαφορά, τὸ γένος δοκεῖ κατηγορεῖσθαι.

a Quandoquidem omne animal.) ἕκαστον γὰρ τῶν ζώων ἢ εἴδους ἐστὶν ἢ ἄτομον.

b Si enim de singulis.) Duplici ratione τὸ προκείμενον docet, & id quidem διὰ τοῦ ἀδυνάτου.

Differẽtia specie latior.

c Similiterq; cõsiderand.) Vult nec speciem de differentia dici, nec aliquid specie inferius, eo quòd differentia latiùs specie pateat, ἐπεὶ καὶ ἐπὶ πλέον ἡ διαφορὰ τῶν εἰδῶν λέγεται.

d Isto etiam pacto.) Altera ratio ex incommodo ducta. Isto posito, sequeretur & differentiam speciem existere, quod dici non potest.

Et naturâ prior.

e An specie non sit prior.) Differentia specie prior est naturæ ordine, de quo uide Porphyrium cap. 6. τὸ μὲν γὰρ γένος ὕστερον, τὸ δὲ εἶδος πρότερον τῷ διαφορὰν δέχεσθαι εἶναι.

Differẽtiæ τῶν ἑτερογενῶν diuersæ.

f Illud etiam videndum.) Quòd si diuersorum generum μὴ περιεχόντων ἄλλα, eadem sit differentia, falsa est, quia ad eum modum & species diuersis generibus, quorum unum sub altero minimè continetur, subesse posset. Huc pertinet Canon ille ex libro Categoriarum, τῶν ἑτερογενῶν καὶ μὴ ὑπαλλήλων τεταγμένων, ἕτεραι τοῦ εἴδους εἰσὶ διαφοραί.

g Sin secus, profectò,) Incommodum allegat de specie, quæ ad eum modum diuersis generibus subijceretur.

h Ex differentia enim.) Græcè est, ἐπιφέρει γὰρ ἑκάστη τῶν διαφορῶν δ' ὅλον γένος.

Castigatio superioris loci.

i Nisi fortè non omnino.) Superiorem locum castigat, docens cum in omnibus tum demum uerum esse, si diuersa illa genera nulli eidem subiecta sint. Ita apponit, ὅτι μὴ δ' ὑπὸ τὸ αὐτὸ ὄντων ἄμφω. Consimili modo & suprà lib. 4. cap. 2. de specie diuersis generibus suppositâ disserit, ut ibidem uideri potest.

k Illud etiam perspic.) Hoc ad illud pertinet, quod antè dixit, ex unaquaq; differentia suum genus concludi. Id quod hîc corrigit, non omnino id necessarium esse demon-

strans

strans propter ea quæ iam dicta sunt.

l Videndum etiam, an.) Negat δ' ἔστιν ἡ καὶ ἀπὸ ueras differentias esse, propterea quòd per ista propriè substantiæ inter se non distinguantur. Ita neq; τὸ πεζὸν, neque τὸ ἔνυδρον ueræ animalis differentiæ uidentur. Quanquàm illa non tam à loco sumũtur, neq; tam ipsum τὸ ἔντινι, seu τὸ πόθεν significant, quàm natiuam quandam qualitatem, ἢ ποιόντι, ut ipse deinceps declarat. Rodolphus tamen lib. 1. cap. 7. sumptis à loco differentijs, animal diuidit, ut aliud terra, aliud mari degere affirmet. Verùm ut hoc genus differentiarum quoddam esse concedamus, non tamen substantiales & propriæ differentiæ sunt, de quibus hîc loqui Aristotelem obseruabimus, cùm inquiat: ὅσα δὲ ἢ ἐν ἔντινι διαφορὰν ἀπέδωκεν οὐσίας. ἔντινι καὶ πόθεν an ueræ rei differẽtiæ.

m Hoc interest, quòd alicubi sit.) Nisi fortè casu ac temerè, id quod κατὰ συμβεβηκὸς suprà dixit.

n Itaq; eos qui animal.) Subijcit de terreno & aquatili, quorum hoc τὸ ἔνυδρον, illud τὸ χερσαῖον Græcè appellat, negans propriè ea à loco dici, ut paulo antè significauimus.

o In loco sicco.) Vt pisces in terra, aut contrà in mari aut profluente, bos, aper, homo, & cæt. id genus terrena.

p Si quid esse in aliquo significet.) Propriè & reuera, ut esse in foro, concione, gymnasio, campo, & cæt.

q An perturbation.) Negat τὸ πάθος differentiæ locum supplere, propterea quòd illud incremento sumpto, naturam de suo statu dimouet. Id quod in differentiã non conuenit. πᾶν γὰρ πάθος, inquit, μᾶλλον γινόμενον ἐξίστησι τὴν οὐσίας, ἡ δὲ διαφορὰ, οὐ τοιοῦτον. μᾶλλον γὰρ σώζειν δοκεῖ ἡ διαφορὰ, οὗ ὄντι διαφορά. τὸ πάθος cur differẽtia esse ne queat.

r Neq; fieri potest.) ἢ οὐ ἁπλῶς ἀδύνατον εἶναι, inquit, ἄνευ τῆς οἰκείας διαφορᾶς ἕκαστον.

s Quibus autem (vt omnia.) ἁπλῶς δ' εἰπεῖν, inquit, καθ' ὅσα ἀλλοιοῦται δ' ἔχον, οὐδὲν τούτων διαφορὰ ἐκείνου. Nota hoc loco, quo modo διαφορὰν à commutatione secernat, quam τῷ ἑτερότητα in Isagoge cap. 3. Porphyrius uocat. Differẽtia à cõmutatione distat.

t Quoniam in differentijs.) Græcè est, ἁπλῶς γὰρ οὐκ ἀλλοιόμεθα κατὰ τὰς διαφοράς.

u Iam si quis defi.) Quod ad differentiarum notionem attinet, pluribus nunc deinceps eam exponit. Et quod ad Relata spectat, etiam eorum differentias πρός ἄλλο referendas esse admonet. τῶν γὰρ πρός τι, inquit, ἢ αἱ διαφοραὶ πρός τι. Relatorũ differẽtiæ quales.

x Cuius differentiæ sunt.) Hîc tres artis, seu scientiæ, τῆς ἐπιστήμης, differentias ponit, θεωρητικὴν, πρακτικὴν, ἢ ποιητικὴν, quarum unaquæque relationem ad aliud quiddam significat. Vide in hunc locum Fabium lib. 2. cap. 14. ubi inquit: Cùm sint Artiũ differentiæ tues.

autem artium aliæ positæ in inspectione, id est, cognitione & æstimatione rerum, qualis est astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei cuius studium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ uocatur: Aliæ in agendo, quarum in hoc finis est, & ipso actu perficiuntur, nihilq; post actum operis relinquit, quæ πρακτικὴ dicitur, qualis est saltatio: Aliæ in effectu, quæ operis quod oculis subijcitur, consummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴν appellamus, qualis est pictura, & cæt.

θεωρητικὴ. πρακτικὴ. ποιητικὴ.

y An ad id definitio.) Vult definitionem relatorum accommodari in quoq; genere ad id, ad quod ea natura quàm maximè apta sunt. Neq; enim pari modo ea apta sunt ad omnia, ut deinceps ostendit. Ad quod unumquodq; aptum natura aptum sit, ὃ πρός ὅ πέφυκεν græcè uocat, quod quale sit, et quo pacto dijudicandum, ipse paulo pòst describit. Monet Alexander, si id quod definitur, ad plura æqualiter affectum sit, ea omnia in definitione necessariò exprimenda esse. Sic Grammatica cùm ad bene tum scribendum, tum legendum æqualiter affecta sit, utraq; illa in Grammaticæ definitione exprimenda sunt, ut dicas Grammaticen artem esse rectè tum scribendi, tum legendi, quod Alexander ait: γραμματικὴ ὅτι, τέχνη τοῦ εὖ γράφειν καὶ τοῦ εὖ ἀναγινώσκειν.

πρός τι. γραμματικὴ quid.

z Sunt enim quædam.) Hìc dissimilitudinem relatorum, τῶν πρός τι nota: alia ad unum quid, alia ad plura, etsi non eodem modo, accommodata sunt. Prioris exemplum aspectus est, quem natura ad uidendum comparauit: posterioris ἡ σελεγγὶς, cuius usus cùm in hauriendo sit, tum ad abluendum corpus maximè institutus uidetur.

a At labro etiam quis.) Quod labrum Interpres uertit, Græcè ἡ σελεγγὶς dicitur, quod nomen cùm strigilem & pectinem uulgò significet, hìc pro uase accipiendum est, cuius usus est, partim ad hauriendam aquam, partim (& id quidem magis) ad lauandum corpus, abstergendosq; sudores. Sic enim Alexander: ὄργανόν τι, inquit, κοῖλον, ἀφ' οὗ τοὺς ἱδρῶτας ἀπέξεον. Quod cùm sit, si uas ad aquam hauriendam comparatum id quis definiat, minùs accommodatè feciſſe iudicabitur. Interpres rectè labrum conuertit. Est enim id uas, cuius in balneo usus est ad lauandum, ut ex illo Ciceronis intelligi potest in epistolis: Labrum si in balneo non est, fac ut sit.

σελεγγὶς quid. Labrũ uas in balneo.

b Definitio autem illius.) Vult δ' πρὸς ὅ πέφυκεν, non quorumuis iudicio, sed doctorum tantùm & prudentium iudicio æstimandum esse, quòd hi rectiùs qui rerum finem sint, & qui præcipui usus, per se cognoscant. Vulgus enim plurimùm hac in re decipi solet. Græcè est, ὅρος δὲ τοῦ πρὸς ὅ πέφυκεν, ἐφ' ᾧ ἂν χρήσαιτο ὁ φρόνιμος, καὶ ἡ πρὸς ἕκαστον οἰκεία ἐπιστήμη.

Doctorũ iudicium Vulgi anteponẽdũ.

c Peccabit etiam definiendo.) Loquitur de finitionibus habituum & affectionum, quæ cùm ἐκ προσθέσεως per subiectum explicentur, (ut in lib. 6. Metaphysicorum Aristoteles docet) uult & proprium subiectum, & si in pluribus fortè reperiantur, id primum, in definiendo adhiberi. Græcè est, ἔτι εἰ μὴ τοῦ πρώτου ἀπέλιπεν, ὅταν τυγ-

Habituũ & affectionum finitiones.

χάνῃ

χάνῃ πρὸς πλείω λεγόμενον.

d Non eius partis animi.) καὶ μὴ τῶν λογιστικοῦ, in quo nimirum primùm ἡ φρόνησις inest, & cuius respectu tum animus, tum homo prudens iudicatur: κατὰ τὸ τοῦτο ἐν ἡ ψυχὴ καὶ ὁ ἄνθρωπος φρονεῖν λέγεται. Prudentia cui insit.

e Præterea si non est.) Vult per proprium subiectum, quamq; affectionem, habitum, & perturbationem definiri. Quod si secus fiat, in eo grauiter peccari. ἔτι εἰ μὴ δεκτικόν ἐστιν, ait, οὗ εἴρηται δὲ ὁριζόμενον πάθος, ἢ ἡ διάθεσις, ἢ ὁτιοῦν ἄλλο, ἡμάρτηκε.

f Omnis enim affectio.) πᾶσα γὰρ διάθεσις καὶ πᾶν πάθος ἐν ἐκείνῳ πέφυκε γίνεσθαι, οὗ ἐστὶ διάθεσις ἢ πάθος. Hîc τὴν διαθέσεως καὶ τῶν πάθους nomina tam latè sumit, ut omnes tum primi, tum tertij generis qualitates sub ijs comprehendat. Ita & ἡ διάθεσις τὴν ἕξιν, & τὸ πάθος τὴν παθητικὴν qualitatem suo ambitu continet. Cuius probatio uel ex eo facilis est, quòd τὴν ἐπιστήμην, διάθεσιν οὖσαν τῆς ψυχῆς ait. Sed quid, cæterorúmne qualitatis generum hîc item consideratio est? Nõ dubium quidem, quin ad omnem qualitatem hæc præceptio pertineat, etsi de cæteris generibus nihil ex professo hîc attigisse uideatur. Affectio & pturbatio omnẽ qualitatẽ hîc notant.

g Qui somnum esse aiunt.) Aristoteles libello de Somno & Vigilia, somnum sensus imbecillitatem esse dicit, at nec omnis sensus, nec quamuis imbecillitatẽ, sed sensus primi & præcipui, quem communem Physici uocãt, et eam imbecillitatem, quæ cùm ex alijs causis nonnullis, tum maximè ex alimenti diuaporatione existit. Verba eius cap. 3. istius libelli sic habent: οὐ γὰρ ἐστιν ὁ ὕπνος ὁτισοῦν ἀδυναμία τῶν αἰσθητικοῦ, καθάπερ εἴρηται. καὶ γὰρ ἔκνοια καὶ πνιγμὸς καὶ λειποψυχία ποιεῖ τὴν τοιαύτην ἀδυναμίαν, ἀλλ' ἐκ τῆς τροφὴν ἀναθυμιώσεως γίνεται τὸ πάθος τοῦτο, & cæ. Verũ eam definitionem etsi in Physicis probatã, hoc loco tanquam minus rectè explicatam redarguit, propterea quòd somnus non tam sentiendi facultatis quæd... ipsi imbecillitas, quàm animalis sensus imbecillitate ob suprà dictas causas laborantis affectio definienda esse uideatur. In quo tu nota longè diuersam definiendi legem à Physico, Dialecticum sequi. Cùm enim cæteras causas in definiendo Physicus ferè persequitur, Dialecticus cæteris causis prætermißis, uel de una forma sollicitus est, teste Aristot. lib. 1. de Animo, cap. 1. Somnus Physico quid. Physicã definitionẽ hîc Aristoteles reprehendit.

h Et dubitationem.) Dubitatio græcè ἡ ἀπορία dicitur, quam τὴν ἰσότητα ἐναντίων λογισμῶν in præsens definit, cùm non tam ἰσότης ipsa sit rationum contrariarum, quàm animi quædam perplexitas, quam ista contrariarum rationum ἰσότης, hoc est, æquabilitas parit, ut posteà dicetur. Dubitatio quid.

i Et dolorem.) Dolorem, τὴν ἀλγηδόνα definit, ut sit διάστασις τῶν συμφυτῶν μερῶν μετὰ βίας, hoc est, diuulsio partium natura cohærentium cum ui, cùm non tam ipsa diuulsio sit, quàm molestia ex ista partium diuulsione nata, sicut ipse posteà indicat. Dolor qd.

Cicero quidem in Tusculanis bipartitò dolorem definit, lib. 2. Dolor autem, inquit, metus asper in corpore à sensibus alienus. lib. 4. Dolor, ægritudo crucians.

k Neq; enim somnus.) Nunc porrò quid in superioribus finitionibus desideret, exponit. Non uult somnum, sensus esse imbecillitatem, quia in sensu non insit. Inest autē in animali, cui sensus attribuitur. Ita Alexander: καὶ γὰρ ὁ ὕπνος πάθος μέν ἐστιν, ἀλλὰ τοῦ ζώου, ᾧ ἡ αἴσθησις, οὐ μέντοι γε αἰσθήσεως, οὗ δ' ἐστὶν ἀδυναμία, ἐκείνου καὶ πάθος ἂν εἴη ὁ ὕπνος. Si in sensu somnus inesset, sequeretur sensum somno sopiri, quemadmodum si in contrarijs rationibus uersaretur dubitatio, & contrariæ rationes dubitarent, & si in cohærentibus natura partibus hæreret dolor, etiam istæ partes ubiuis gentium indolerent: Nimirum cùm subiecta ab inhærentibus qualitatibus, & affectionibus denominationem certam capiant. At cùm ista non sine absurditate dicantur, qui fieri potest, ut in suprà dictis subiectis illæ affectiones locum habeant? Alexander quemadmodum somnum animalis affectionem dicit, sic & dubitationem, & dolorem pari modo: Καὶ γὰρ ἡ ἀπορία, inquit, πάθος ἐστὶν ἀνθρώπου δι' ἰσότητα φαντίων λογισμῶν. Et de dolore: ἡ γὰρ ἀλγηδὼν πάθος ἐστὶ ζώου διὰ τὴν μετὰ βίας τῶν συμφύτων μερῶν διάσασιν.

Somnus animalis affectio, nō sensus.

Sic & ἀπορία, & dolor.

l Dolebunt enim res ina.) Vbi harum uidelicet partes natura coniunctas distrahi contigerit. At quis id credat, in res inanimas & sensu destitutas dolorem cadere? Ostendit latiùs definitionem manare, quàm rei propositæ natura patiatur.

m Atq; etiam illa.) Quartum exemplum superioribus adiungit, quod pari absurditate redundat. Id est definitio τῆς ὑγιείας, συμμετρία θερμῶν καὶ ψυχρῶν, quæ itidem in res inanimatas transferri poterit, si in calidis et frigidis, et nō potiùs in animāte caloris & frigoris participe, ut subiecto, ὑγίειαν uersari uelis.

ὑγίεια qd.

n Prætereà ita fiet.) Clariùs rem exponit, quid uitij in superioribus definitionibus committatur, certè demonstrans. Id est, quòd τὰ ποιούμενα εἰς τὰ ποιητικὰ conuertuntur, & contrà. Quod tamen genus definitionum, apud naturalium præsertim rerum descriptores non rarò incidit.

Priorum finitionū vitium.

o Neq; enim dolor.) Dissensio, inquit, partium, non est dolor, sed doloris in animante efficiens. Ita sensus imbecillitas non est somnus, sed uel causa, uel effectum somni. Nam in contrarias partes ueriſimiliter explicat. Pari modo neq; contrariarum sententiarum æqualitas, dubitatio est, sed dubitationis efficiens, & frigoris caloriſq; temperatio, non tam sanitas est, quàm sanitatis in corpore animantis effectio. Et sic de cæteris.

p Itemq; dubitationem.) Græcè est, ὁμοίως δὲ καὶ τῆς ἀπορίας δόξειεν ἂν ποιητικόν εἶναι ἢ τῶν φαντίων ἰσότης λογισμῶν. ὅταν γὰρ ἐπ' ἀμφότερα λογιζομένοις ἡμῖν ὁμοίως ἅπαντα φαίνεται καθ' ἕτερον γίνεσθαι, ἀποροῦμεν ὁπότερον ἂν πράξωμεν. Locus pulcher est, cui & finitima quædam traduntur lib. 2. Ϛ μετὰ τὰ φυσικά,

Dubitationis efficiēs quid.

τὰ φυσικὰ, cap. 1. Alexander τὴν ἀπορίαν definit, ut sit πάθος τῆς διανοίας δι' ἐναντιότητα λογισμῶν ἐπιγινόμενον.

q Iam omnium tempor.) Vult definitiones simpliciter ita institui, ut κατὰ πάντας τοὺς χρόνους rei subiectæ cõueniant. Ita si immortale quis dixerit τὸ νῦν ἄφθαρτον, hoc est, quod in præsens ab interitu liberum est, non probè definierit, nisi id quod in præsens interitu uacat, ambiguè fortè intelligas, pro eo, quod uel etiamnum incolume persistit, uel quod & nunc et in posterum intereundi facultate est destitutum, ut ipse deinceps exponit. In hunc locum uide lib. 1. de Demonstrat. cap. 4. quo loco asseritur, rerum æternarum & immutabilium esse definitiones. Finitiões in omne tempus cõueniunt.

t Est enim ambiguum.) Ostendit τὸ νῦν ἄφθαρτον trifariam intelligi posse, ut paulo antè significauimus.

s Cùm igitur dici.) Quo sensu τὸ νῦν ἄφθαρτον, idem cũ immortali, τῷ ἀθανάτῳ, ualeat, ostendit.

t Atq; etiam illud.) Vult si alia quapiam ratione meliùs propositum explicetur, quàm illa quæ allata est, superiorem præferendam esse. Ita cùm meliùs iustitiæ uis ac natura exprimatur, si illam uoluntatem cuiq; quod suum est reddendi asseras, quàm si dicas eiusmodi rei præstandæ esse facultatem, non dubium, quin prior definitio posteriori sit anteponenda. Quod alia oratione quàm ea quæ allata est, id quod definitum sit, aptiùs explicari Interpres ait, Græcè est, καθ' ἕτερόν τι μᾶλλον λέγεσθαι τὸ ὁρισθὲν, ἢ κατὰ τὸν ἀποδοθέντα λόγον. Iustitia Voluntas potiùs, q̃ vis suum cuique tribuendi

u Potestas suum cuiq;.) δύναμις τοῦ ἴσου ἀπονεμητική.

x Iustus est enim potiùs.) Quia iustus potiùs est, qui uult suũ cuiq; tribuere, quàm is qui potest, etiam iustitia uoluntas potiùs dicenda est tribuẽdi unicuiq; quod suum est, (quomodo Iustinianus initio Institutionum, tit. 1. Iustitiam definit) quàm eiusdem istius rei potestas, argumento à coniugatis deducto. Græcè is locus effertur: δίκαιος γὰρ μᾶλλον ὁ προαιρούμενος τὸ ἴσον διανεῖμαι τοῦ δυναμένου. Argumentum à coniugatis.

y Illud etiam vitios.) Vult parem definiendæ rei & definitionis rationem haberi, siue simpliciter utrumq;, siue cum adiectione τοῦ μᾶλλον proferatur. δεῖ γὰρ ἀμφότερα δέχεσθαι, inquit, ἢ μηδέτερον, εἴπερ δὴ ταυτόν ἐστι τὸ κατὰ τὸν λόγον ἀποδοθὲν τῷ πράγματι. Hic τὸ πρᾶγμα, rem quæ definitur, τὸ κατὰ τὸν λόγον ἀποδοθὲν, ipsam definitionem intelligere uidetur. τὸ πρᾶγμα

z Vitiosum etiam illud.) Quòd si utrumq; cum acceßione uerbi magis, τοῦ μᾶλλον, dicatur, non id satis est, ut bene rem definias, nisi & simul & eodem tempore ita intelligantur. Debent ergo ἅμα τὸ μᾶλλον, ἢ τὴν ἐπίδοσιν ἀμφότερα λαμβάνειν, ut idem ualeant.

a Vt si amor.) οἷον εἰ ὁ ἔρως ἐπιθυμία συνουσίας ἐστίν, ὁ γὰρ μᾶλλον ἐρῶν, οὐ ἔρως

μᾶλλον

μᾶλλον ἐπιθυμεῖ φιλοσωφίας.

Loci ex cõparatione.

b Quod idem fiet.) Sequentes loci in rerum comparatione uersantur. Si duobus propositis, alteri magis definitio, alteri definitum conueniat: uel si utriq; alterum æquè conueniat, alterum aut magis aut minus, definitio ut uitiosa reijcienda est.

c Magis ignis est.) Nempe quòd magis urat, quæ naturalis est ignis actio. Est enim ignis corpus natura τὸ καυσικόν.

Homonyma.

d Vnum utriq;.) Vel definitum, uel definitio. Id in homonymis locum habere uidetur, in quibus etsi nomen ambiguum his illisq; rebus æquè conueniat, nominis tamen definitio non pari modo conuenit.

e Iam cùm duo sunt.) In posterioribus Analyticis genera per speciem rationes definiri & explicari Aristoteles docet. In quo definiendi genere, ne quis error contingat, etiam atq; etiam animaduertenda sunt, ea quæ in præsens admonet.

f Quasi ponens duas.) Per disiunctionem scilicet. Græcè καθ' ἑκάτερον dicitur. Quòd si una per disiunctionem finitio detur, nihil illa uitij, quam ob rem ex hoc loco reprehendatur, obtinet.

τὸ καλὸν Platoni.

g Vt si pulchrum defi.) Exemplum affert ex Hippia maiore Platonis, in quo dialogo pulchrum, τὸ καλόν, Sophista definit, τὸ δι' ὄψεως ἢ τὸ δι' ἀκοῆς ἡδύ. Id est, quod uel auditum, uel aspectum uoluptate demulcet. Quam definitionem ut in præsens Aristoteles, sic & multis eo in loco Socrates coarguit & refellit.

τὸ ὄν.

h Et id quod est, quod.) Græcè est, καὶ τὸ ὄν, τὸ δυνατὸν πάθειν ἢ ποιῆσαι. Cuius definitionis & suprà alibi meminit.

i Sic enim simul.) Ex absurdo hoc finitionum genus Aristoteles refellit, quia sic contradictoria in eandem rem conuenient.

k Rebus enim eisdem.) τοῖς γὰρ αὐτοῖς εἶναι τὰ ἀντικείμενα ταυτά.

l Id & pulchrum.) Pulchrum, quia oculorum sensum uoluptate mouet: non pulchrum, quia aures similiter non moueat.

Planta an animal terra defixũ.

m An aliquid eorum dil.) Cum eo scilicet quod definitur. Ita si planta definiatur animal ἐρριζωμένον ἐν τῇ γῇ, hoc est, radicibus in terra defixum: utrum rei definitæ cõueniat, nec ne definitio, tum demiq; optimè cognoris, si pro animali (quod genus in definitione adhibetur) definitionem eius substituas, quæ est, natura animata, sensus compos. Quia enim non sentit planta, perspicuum est, animal dici non posse.

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Cap. 3.

QVòd a si res quæ definitur in ijs sit, quæ cum aliquo conferuntur, vel per se, vel ratione generis, considerandum erit, an in definitione expressum non sit id cum quo vel ipsa per se, vel generis cõmunione conferatur

conferatur. [b] vt si quis scientiam opinionem immutabilem definiat, vel voluntatem, cupiditatem ab ægritudine vacuam. [c] Eorum enim omniũ quæ cum aliquo conferuntur, natura ad alterum refertur, quandoquidem vniuscuiuslq; eorũ quæ ex illo sunt genere natura illa sit, ad aliquid quodam modo affectum esse. [d] Debuit ergo scientia definiri, opinio de eo quod scientia continetur, [e] & voluntas, boni cupiditas. [f] Quod item fiet, si grammatica literarum scientia definiatur. Exprimendum enim fuit definitione cum quo ipsa, genúsue conferatur. Illud etiam videndum est, an alicuius eorum quæ cum aliquo conferuntur, [g] non ad finẽ directa sit definitio: [h] finis autem vnicuique est quod optimum est, aut quò cætera omnia referuntur. Ita aut quod optimum est, aut finis, & extremum exprimi debet. Vt cupiditatem non rei quæ voluptatem affert, sed ipsius voluptatis. quippe cùm eius gratia, etiam id quod eam efficit, expetamus. Videndum etiam est, [i] idne ad quod retulerit, in ortu vel actione consistat. Nihil enim eorum finis est. [k] Egisse enim, & ortum esse, finis potiùs nomen, quàm vel oriri, vel agere obtinet. [l] Quanquã non in omnibus rebus ita est. [m] ferè enim omnes voluptatem capere ex quaque re malunt, quàm desijsse capere. ita agere potiùs finem constituunt, quàm egisse. [n] Iam in quibusdam si quanta qualiaque sint, & vbi fiant, itemque cæteræ dissimilitudines minimè explicentur, vitiosa erit definitio. Vt si non aperiatur, qualis & quantæ gloriæ cupidus sit ambitiosus. Nam quoniam omnes gloria ducuntur, [o] non satis est ambitiosum dicere eum qui gloriæ sit appetens: addendæque sunt differentiæ, quas enumerauimus. Itemque si auarus definiatur, [p] quanto studio pecuniæ teneatur exponendum est: aut si impotens, quarum voluptatum sit, in quibusque versetur. [q] Neque enim si quis qualicunq;, & quauis voluptate vincatur, is continuò impotens habendus est: sed is demum qui certa quadam superetur. [r] Eiusdem generis sunt definitiones, & qua noctem definiunt vmbram terræ, & qua terræmotum, motionem terræ, & qua nubem aëris crassitudinem, & qua ventum aëris motionem. Addendũ enim quantum, & quale id sit, & vbi fiat, & vnde. Quod eodem modo de alijs eiusdem generis iudicandum est. [s] Qui enim quamuis differentiam prætermittit, is naturam rei non explicat. [t] In id autem quod prætermissum est, omnis semper dirigi debet argumentatio. Non enim si quomodocunque, aut quantumlibet terra mota sit, continuò terræmotus est: nec si aer quoquo modo, aut quiuis pellatur, ventus est. [u] Eodem

In relatis ad finẽ dirigenda finitio.

Quandoq; ex circumstantijs rei natura pẽdet, & finitio.

modo peccatur in appetitionibus definiendis, cùm quod videtur, non adijcitur, in cæterisque omnibus, in quibus illud adijciendum est. vt si voluntas definiatur appetitio boni: & cupiditas, appetitio rei quæ voluptatem efficit, nec addatur, eius quod bonum videatur, aut eius rei quæ voluptatem efficere videatur. Sæpe enim ignorant ij qui cupiditate tenêtur, bonum esse, aut iucundum esse id quod cupiunt. Ita non est necesse id esse bonum aut iucundum, sed modò videri. debuit ergo eo pacto explicatio fieri. [x] Quòd si ita, vt dixi, rem tradat & aperiat, ad species impellendus erit is qui ponit ideas esse. Neque enim idea est [y] in vlla re quæ esse videatur & appareat, & species ad speciem referri videtur. vt [z] ipsa cupiditas ipsius iucundi est, & ipsa voluntas ipsius boni. Non igitur eius quod bonum esse videatur, ipsa voluntas erit: neque rei quæ voluptatem afferre videtur, ipsa cupiditas. Absurdum est enim esse aliquid [a] ipsum bonum apparens, aut iucundum. [b] Iam si habitus definitio explicetur, ex eo in quo est habitus, ducetur argumentum: & si eius in quo est habitus, ex habitu. Itemque in cæteris talibus, [c] vt si id iucundum dicatur quod prodest, etiam qui voluptate afficitur, adiuuatur. [d] In definitionibus autem eius generis fit, nescio quo modo, vt is qui rem definiendo aperit, plura vno definiat. Qui enim scientiam definit, [e] quodammodo etiam definit ignorationem, itemq; [f] quod doctum & indoctum est, scire & ignorare. [g] Si enim primum planum fiat, quodammodo etiam cætera perspicua fient omnia. Quapropter in his talibus, si quid discrepet, ex his locis quos in contrarijs, & coniugatis exposuimus, argumenta ducemus. [h] Atq; in ijs etiam quæ cum aliquo conferuntur, videndum est, an ad quod genus accommodatum est, etiam ad illud aliquid relata sit forma. Vt si opinio cum eo quod opinabile est confertur, etiam opinio quædam cum quodam opinabili conferetur. Et si res multiplex ad submultiplicem refertur, etiam quædam multiplex ad quandam & certam submultiplicem referetur: Si enim non ita explicata res est, profectò vitiosa erit definitio. Et illud videndum, [i] an contrarij explicata expositaque sit definitio contraria, vt sitne simpli definitio contraria dupli definitioni. [k] Si enim duplum est quod pari vincit, etiã simplum erit quod pari revincitur. [l] Eadem est ratio eorum contrariorum, quæ aduersa dicuntur. Contrarij enim contraria erit definitio, [m] vna quadam contrariorum inter se cõnexione, hoc modo: [n] Si id prodest quod bono afficit, etiam id obest, quod malis afficit, aut quod bonis priuat. Alterũ enim

eorum

Appetitiones p se bonum opinatũ definiendæ.

Apparens in Ideas non conuenit.

eorum contrarium sit [p] eius, quod prius dictum est, necesse est: quòd si neutrum contrarium sit eius, quod initio expositum est, certè neutra eorum quæ posteriùs exposita sunt, esse contrarij definitio vllo modo potest ita ne ea quidē quæ initio data est, verè & rectè fuit explicata, & constituta. [q] Quoniamq; contraria sunt quædam, quæ alterius priuatione dicuntur, vt inæqualitas æqualitatis priuatio videtur esse, inæqualia enim sunt quæ non sunt æqua & paria: [r] profectò id semper quod priuatione dicitur, altero contrario definitur necessariò, [s] alterum non etiam necesse est illo quod ex priuatione nominatur, definiri. [t] Sic enim fieret, [u] vt vtrumq; ex altero cognosceretur. Quare hoc vitium in cōtrarijs animaduertere debemus. vt si quis æqualitatem definiat id, quod inæqualitati contrarium est: definiendo enim aperit rem, eo quod ex priuatione appellatur. [x] Iam verò necesse est eum qui ita definiat, ea re vti quæ definiatur. Quod ita intelligetur, si cum nomine commutetur oratio. [y] Quando enim nihil interest, inæqualitatem dicamus, an æqualitatis priuationem, [z] certè erit æqualitas contrarium æqualitatis priuationi. ita eadem re vsus est. [a] Quòd si neutrum contrariorum priuatione dicatur, eodēq; modo explicetur definitio, vt bonum est, quod malo est contrariū: certè malum erit quod est bono contrarium. Eorum enim quæ ita contraria sunt, similiter explicanda definitio est. Sic rursus fiet, vt eam ipsam rem quæ definiatur, adhibeat in definitione, præsertim cùm insit bonum in mali definitione. ita si bonum malo contrarium est, malum autem nihil refert dicas, an quod bono est contrarium, efficietur, vt bonum contrarium sit eius quod bono contrarium est. Ex quo perspicuum est, eodem vsum esse eum qui ita definiat. [b] Vitiosa etiam definitio est, cùm ita aliquid eorum quæ priuantia sunt, aperitur, vt cuius sit priuatio, veluti habitúsne, an contrarij, aut cuiusuis, minimè explicetur. Quod idem fiet, si cuius aut in quo solet esse priuatio, non addatur omnino, an in quo primo soleat habitare, vt si quis ignorationē priuationem esse dicat, nec addat priuationem esse scientiæ. aut non adiungat in quo versari soleat, aut si adiungat, non dicat in quo primo id habitare soleat: vt si quis non in ea parte animi quæ rationis est particeps, sed in homine, vel in animo aliquid situm esse definiendo explicet. Si enim quiduis horum prætermiserit, aberrabit. Eodemq; modo, si quis cęcitatem non aspectus priuationem in oculis dixerit. [c] Qui enim vim & naturam priuationis accōmodatè apteq; explicare vult definiēdo, is debet, & cuius rei sit priuatio,

& quæ res priuetur, exponere. [c] Illud etiam considerandum est, an priuatione explicetur quod non numeratur in priuantibus. Qui quidem error in ignoratione versari videtur [d] ijs, qui nullam ponunt ignorationē, cuius natura ex negatione intelligatur. Quod enim artis & scientiæ expers est, id ignorare minimè videtur: sed id demum, quod errat & fallitur. Itaque nec res inanimas, [f] nec pueros ignorare dicimus. Ita non priuatione scientiæ ignorantia dicitur. [g] Iam illud videndum est, an similibus nominis casibus similes definitionis casus respondeant. vt si id prodest, quod efficiens est valetudinis, vtiliter, accommodatè ad valetudinem efficiendam, etiam quod profuit, id valetudinem effecit. [h] Spectandum est etiam ex idea, sitne vera, & propria quæ data est definitio. quandoquidem in quibusdam id non reperiri cernitur. Quemadmodum Plato definit, [i] adiungens animātium definitionibus mortale. Si enim idea est, certè non est mortalis, [k] veluti ipse homo. ita ideæ minimè cōueniet definitio. Omnino necesse est, si addatur id quod efficiens est, aut patibile in idea, discrepare definitionem. [l] Impatibiles enim & immutabiles videntur ideæ ijs, qui ideas defendunt. Quales definitiones contra eos valent.

IN CAPVT TERTIVM,

ANNOTATIONES.

[a] Quòd si res quæ.) *Hoc capite de Relatorum & contrariorum definitionibus magna ex parte agit. Porrò cùm Relata, alia propria sint, alia impropria, (ut in Categorijs docuimus) hîc de improprioru̇̄ definitionibus disserit, quæ in duo genera distributa sunt. Nam alia καθ' ἄυτὸ, per se: alia κατὰ δ γένος, ratione generis, Relationem præferūt. In his uerò utrisque (perinde ut de proprijs capite antegresso monuit) ita explicanda est definitio, ut cum quibus alia comparantur, ea in aliorum descriptione adhibeas, quemadmodum deinceps exemplis declaratur. Græcè hic locus effertur,* ἐὰν δ' ἢ πρός τι ὁριζόμενον ἢ καθ' ἄυτὸ, ἢ κατὰ δ γένος, σκοπεῖν εἰ μὴ ἐίρηται ἐν τοῖς ὁρισμοῖς, πρὸς ὅλλο γεται, ἢ ἄυτὸ, ἢ κατὰ δ γένος.

Relata duplicia.

[b] Vt si quis scientiam.) *Scientia & uoluntas absoluta qualitatis nomina sunt. At hîc quatenus relationem præferunt, ea considerat. Si absolutè scientiam definias, habitus est demonstratione comparatus, quem fortè non malè* ὑπόληψιν ἀμετάπτωτον *appelleris. At si qua ex parte cum alio confertur, non* ἀμετάπτως *opinio, sed* τοῦ ἐπιστητοῦ, *hoc est, rei quæ scientia comprehenditur, opinio dicetur. Sic & uoluntas si absolutè spectetur, fortè appetitio & cupiditas est ægritudinis expers, quam* τὸν ὄρεξιν ἄλυπον *Aristoteles uocat: at si comparatè spectetur, non omnino perturbatione uacans appetitio*

Scientia.

Voluntas.

crit,

erit, sed τοῦ ὀρεκτοῦ, hoc est, rei desiderabilis & expetendæ, seu, quod eodem recidit, τοῦ ἀγαθοῦ, hoc est, boni, talis appetitio erit, ut deinceps Aristoteles declarat.

c Eorum enim omnium.) Pulchrè hoc loco τῶν πρόστι, hoc est, relatorum, naturam explanat, de quo in Categorijs cap. 4. meminimus. παντὸς γὰρ τοῦ πρόστι, inquit, οὐσία πρὸς ἕτερον, ἐπειδὴ ταυτὸν ἦν ἑκάστῳ τῶν πρόστι δ' εἶναι, ὅπερ τὸ πρόστι πῶς ἔχειν. Sic ferè et capite antecedente, πᾶσι γὰρ τοῖς τοιούτοις, ταυτὸν τὸ εἶναι τῷ πρόστι πῶς ἔχειν. Relatorũ natura.

d Debuit ergo scientia.) Hoc est, quod antè de relatorum explicatione diximus. Ita scientia, ὑπόληψις ἐπιστητοῦ, & uoluntas, ὄρεξις ἀγαθοῦ dicitur.

e Et voluntas boni cupiditas.) In hunc locum Cicero 4. Tusculana. Quamobrẽ simul ac obiecta est species cuiuspiam, quod bonum uideatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. Id cùm constanter prudenterq; fit, eiusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant. nos appellamus uoluntatem. Eam illi putant in solo esse sapiente, quam sic definiunt. Voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat. Voluntas, βούλησις Stoicis quid.

f Quod item fiet.) Tertium exemplum subijcit, id quod de genere relatorum est τῶν κατὰ γένος, cùm duo priora ad relata τὰ καθ' αὑτὰ pertineant. Grammatica enim cùm per se omnino simpliciter & absolutè dicatur, relationem non suscipit, nisi comparatione generis, sub quo subest, nempe scientiæ. Vide in hunc locum lib. Categoria. cap. 5. de Qualitate. Aristoteles lib. 4. Metaphy. simili modo & de Medicina loquitur, quam ratione generis, (cùm ipsa per se omnis comparationis sit expers) ad relata transfert, sic inquiens, ὅτι δ' γένος αὐτῆς ἡ ἐπιστήμη δοκεῖ εἶναι τῶν πρόστι. Quod ad Grammaticen attinet, illa simpliciter ἐπιστήμη τῶν γραμμάτων hic dicitur. Quæ finitio, si modò hoc nomine digna iudicabitur, uerbi notatione constat. Dicitur enim γραμματικὴ παρὰ τὰ γράμματα, hoc est, à literis. Vnde & literaturam eam nominare nonnullis uisum est. Grammatica. Medicina. Grammatica vnde dicatur.

g Non ad finem.) Ad quem tamen referatur. Vult per extremum & optimum finem in ijs quæ ad plura referuntur, quorum unum alterius causa sit, unumquicq; definiri. Sic enim locus intelligendus est, teste Alexandro, qui ad hunc modum eum exponit: οὐδὲ τούτους φησὶν ὁρίζεσθαι, ὅσοι τοῦ ὁρισθοῦ πρόστι ὄντος, καὶ λεγομένου πρὸς δύο, ὧν δ' ἕτερον ἐπὶ τὸ ἕτερον τὴν ἀναφορὰν ἔχει, καὶ ἐστι δ' μὲν τέλος, δ' δὲ ὡς πρὸς τὸ τέλος, μὴ πρὸς τὸ τέλος, ἀλλὰ πρόστι τῶν πρὸς τὸ τέλος ἀποδιδόασι. Per optimũ finem quicque finiendũ.

h Finis autem vnicuiq;.) Hoc loco finis definitionem nota. τέλος δ' ἐν ἑκάστῳ, inquit, τὸ βέλτιστον, ἢ οὗ χάριν τἄλλα. Sic & lib. 2. ferè de Natura, cap. 3. τὰ δὲ ὡς τὸ τέλος καὶ τἀγαθὸν τῶν ἄλλων. τὸ γὰρ οὗ ἕνεκα, βέλτιστον καὶ τέλος τῶν ἄλλων ἐθέλει εἶναι. Conuenit cum hoc Aristotelis loco, illa Ciceronis, τοῦ τέλους, hoc est, finis, descriptio, quæ est lib. 1. de Finibus in hæc uerba: Quoniam autem id est, uel summum Finis, τὸ τέλος.

Vt Cicero ni dicat.

bonorum, uel ultimum & extremum, quod Græci τέλος nominant, quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes. Nam quod Cicero uel summum bonorum, uel q̃ ultimum & extremum uocat, id sequentibus uerbis τὸ βέλτιστον ἢ τὸ ἔσχατον continenter Aristoteles dicit, ἔστι δὲ τὸ βέλτιστον ἢ τὸ ἔσχατον.

i Idem ad quod retulerit.) Clariùs superiorem locum explicat, quid inter finem et destinata intersit, ob oculos proponens. Finis est, quo res absolutur, destinata in motu et agitatione posita sunt, quibus ad finẽ contenditur. Ita & ortus et actio, seu γένεσις καὶ ἐνέργεια fines non sunt, sed quæ ad finem referuntur destinata. Ortum uerò esse, et actionem complesse, non destinata, sed ipsi fines sunt. Iam cùm hæc ita habeant, cauendum monet, ne in relatis definiendis, alterum pro altero, hoc est destinata pro fine, temerè collocemus. Id enim esse uitiosum, & antegressæ præceptioni contrarium.

Finis à destinatis qd differt.

k Egisse enim & ortum.) Græcè est, μᾶλλον γὰρ τὸ ἐνεργηκέναι καὶ γεγενῆσθαι, τέλος, ἢ τὸ γίνεσθαι καὶ ἐνεργεῖν. Congruit huic loco, id quod in eandem sententiam lib. 2. de Natura, cap. 2. Aristoteles ait his uerbis: ὧν γὰρ συνεχὴς ἡ κίνησις οὐσίας ὄσῃ τὶ τέλος ἡ κινήσεως, τοῦτο ἔσχατον καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, διὸ καὶ ὁ πεικτὸς γελοίως προσήχθη εἰπεῖν, ἔχειν τελευτὴν ἥσπερ οὕνεκ' ἐγένετο.

Finis actionum extremum.

l Quanquã non in omnib.) Superiori loco resistit, contrario exemplo de perfruenda uoluptate in medium allato. Id tale est: Homines in perfruenda uoluptate præsentẽ usum et actionem tanquam finem sibi proponunt. Ergo non omnis finis quiete spectatur, uti dictum est.

m Ferè enim omnes.) Græcè est, σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι ἥδεσθαι μᾶλλον βούλονται, ἢ πεπαῦσθαι ἡδόμενοι. Huc pertinet id, quod Aristoteles lib. 3. Ethicorum, ca. 10. de Philoxeno Erixio guloso & uoluptario homine refert, precatum cum esse à dijs immortalibus guttur sibi quàm gruis longius, ut eo diutiùs ciborum potionisq; uoluptate perfrueretur. διὸ καὶ ἤυξατό τις Φιλόξενος ἐρίξι (inquit Aristoteles) ὀφθῆναι ὧν ἂν φάγωμαι αὐτῷ μακρότερον γεράνου γενέσθαι, ὡς ἡδόμενος τῇ ἀφῇ.

Philoxenus gutt ur, q̃ grus is longius sibi optat.

n Iam in quibus.) Cùm quædam res adiunctione circumstantiarum, temporis, loci, qualitatis, & similium spectentur & dijudicentur: uult quoties de eorum finitionibus agitur, istas διαιρέσεις, tanquàm proprias & germanas differentias, in definitionibus apponi; ut sine quibus commodè res non intelligantur, quemadmodum exemplis τοῦ φιλοτίμου, τοῦ φιλοχρήματος, καὶ τοῦ ἀκρατοῦς demonstrat.

Et circumstantiæ in definitionibus addendæ.

o Non satis est.) Vt à cæteris distinguatur. Modus ergo adiungẽdus, quo honorem immoderatum nimis anxiè & cupidè appetit. πάντες γὰρ ὀρέγονται, inquit, τιμῆς.

p Quanto studio.) Nempe immoderato & nimio. ὁπόσων ὀρεγόμενος χρημάτων. Nam nullo pecuniæ studio teneri, non tam ab auaritia liberi & abhorrentis, quàm omninò fortè dissoluti, & uitæ honestè peragendæ negligentis hominis fuerit.

Nullo pecuniæ studio teneri quale.

q Neque

q Neq; enim si quis.) *In hunc locum uide lib. 7. Ethicorum, quo loco copiosè de impotentis, seu incontinentis, (græcè ὁ ἀκρατὴς dicitur) ui ac ratione Aristoteles disputat. Vult in superlatione & exuperantia concessarum & naturalium uoluptatum, ἀκράτειαν perinde ut cætera id genus uitia cohærere.* ἀκράτεια in quo versetur.

r Eiusdem generis sunt defi.) *Alia eiusdem loci Physica exempla addit, de quibus uide Aristotel. in Meteoris. De nube, lib. 1. cap. 9. de uẽto, lib. 2. cap. 4. de terræ motu, eodem libro, cap. 7. In istis omnibus finitionibus causatur, legitimas debitasq; differentias ac circumstantias minus esse explicatas.* Exempla physica.

s Qui enim quamuis differentiam.) *Maximè ad rei substantiam pertinentem, quales sunt prædictæ περιστάσεις in superiorum exemplorum commemoratione. Græcè est, ἀπολείπων γὰρ διαφορὰν ἡντινοῦν, οὐ λέγει δὲ τὶ ἦν εἶναι.*

t In id autem quod.) *Ostendit, quo modo antegreßis definitionibus occurrendum sit, δεῖ δ' ἀεὶ, inquit, πρὸς δ' ἐνδεὲς ἐπιχειρεῖν.*

u Eodem modo peccatur.) *Subijcit de finitionibus τῶν ὀρέξεων, hoc est, appetitionum, quæ omnes cùm boni cuiusdam sint, non simpliciter per bonum definiri debent, sed per bonum opinatum, & quod tale uidetur. Hoc in loco nota, bonorum alia τἀληθῆ, hoc est, uera: alia τὰ φαινόμενα, hoc est, apparentia esse: Cuius distinctionis perfrequẽter Aristoteles cum Rhetoribus meminit. Ita lib. 1. de Natura, cap. 3. διαφερέτω δὲ μηδὲν, inquit, ἂν δ' εἰπεῖν ἀγαθὸν, ἢ φαινόμενον ἀγαθὸν. Item lib. 3. Ethicorum, cap. 4. ἄρα φατέον ἁπλῶς μὲν καὶ κατ' ἀλήθειαν βουλητὸν εἶναι τἀγαθὸν, ἑκάστῳ δὲ τὸ φαινόμενον. Et cæt.* ὀρέξεις per bonum opinatum finiendæ. Bona alia vera, alia apparẽtia

x Quòd si ita, vt dixi.) *Præcedentis loci occasione, in Platonicas Ideas inuehitur, idq; κατὰ πρόληψιν. Si enim uera Platonis est sententia, solas Ideas definiendo explicari, minimè τῶν φαινομένων (quod præcedente loco dictum est) finitiones constabunt. Præsertim cùm τὰ φαινόμενα, omnia cum materia coniuncta sint, à qua idipsum, quod talia sunt, (hoc est, quòd apparent & uidentur longè quandoq; alia, quàm reuera sunt) obtinent. Quod quidem Ideis nequaquàm conuenit, ut quas Plato Socratis instituto, à materia planè auulsas ipsas per se cohærere ait, de quo uide, quæ in lib. pri. de Demonstrat. diximus, cap. 10.* Ideæ an p φαινόμενα definiant.

y In vlla re quæ esse videatur.) *Rem cum materia concretam, sensuiq; & mutationi subiectam dicit, cui τὸ φαίνεσθαι propriè cõuenit. Græcè est, οὐ γὰρ ἔστιν ἰδέα φαινομένου οὐδενός.* τὸ φαίνεσθαι cui conueniat.

z Ipsa cupiditas.) *Græcè est, αὐτοεπιθυμία αὐτοηδέος, quæ nomina quasi Idearum sunt, Platonica fictione. Sic & αὐτοβούλησις αὐτοαγαθοῦ paulo infrà dicitur.*

a Ipsum bonum apparens.) *Quia sic & cum materia cohæreret, quatenus appareat, & à materia, quatenus Idea, secerneretur. Græcè est, ἄτοπον γὰρ τὸ εἶναι αὐτοφαινόμενον*

φαινόμενον ἀγαθὸν, ἢ ἡδύ.

b Iam si habitus.) *Loquitur de coniugatis, quæ mutuò se definiendo quodammodo explicare asserit.* ἔτι ἐὰν μὲν ᾖ, *inquit,* τοῦ ἕξεως ὁρισμὸς, σκοπεῖν ἐπὶ τοῦ ἔχοντος, ἐὰν δὲ τοῦ ἔχοντος, ἐπὶ τοῦ ἕξεως. *Sunt enim* τὸ ἔχον καὶ ἡ ἕξις *coniugata.*

τὸ ἔχον καὶ ἕξις coniugata.

c Vt si id iucund.) *Græcè est,* εἰ τὸ ἡδὺ ὅπερ ὠφέλιμον, τὸ ὁ ἡδόμενος ὠφελούμενος.

d In definitionibus autem eius ge.) *Vult in prædicto finitionum genere, quodammodo plura uno simul definiri. Id quod fit propter cognationem & affinitatem rerum earum quæ definiuntur. Arctißimè enim inter se iunguntur coniugata, non modò re, sed & nomine, quemadmodum lib. 2. ex Rodolpho diximus. Quanquàm hìc non de coniugatis solùm, sed & de contrarijs, (quorum eadem penè cum coniugatis ratio est) loquitur, ut sequentia exempla indicant. Græcè est,* καθόλου δὲ εἰπεῖν ἐν τοῖς τοιούτοις ὁρισμοῖς τρόπον τινὰ πλείω ἑνὸς συμβαίνει τὸν ὁριζόμενον ὁρίζεσθαι.

Vno plura simul definiti.

e Quodammodo etiam defi.) *Eo quòd contrariorum eadem sit ratio. De quo infrà.*

f Quod doctum & indoctum.) τὸ ἐπιστῆμον καὶ τὸ ἀνεπιστῆμον.

g Si enim primum planum fiat.) *Græcè est,* τοῦ γὰρ πρώτου δήλου γενομένου, τρόπον τινὰ καὶ τὰ λοιπὰ δῆλα γίνονται. *Huius rei quæ causa sit, non inelegan ter id his uerbis lib. de Animo, cap. ultimo Aristoteles docet.* ἱκανὸν γὰρ θάτερον, *inquit,* μέρος τοῦ ἐναντιώσεως ἑαυτότε κρίνειν καὶ τὸ ἀντικείμενον. καὶ γὰρ τῷ ἐνθεῖ τὰ αὐτὸ τὸ καμπύλον γινώσκομεν, κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανών. *In hunc locũ uide & lib. sequentem, cap. 2.*

Rectum & sui & obliqui canõ.

h Atq; in ijs etiam.) *Redit ad comparata,* τὰ πρόστι, *in quibus & generum & formarum parem in definiendo rationem esse ostendit.*

i An contrarij explicata.) εἰ τοῦ ἀντικειμένου ὁ ἀντικείμενος λόγος. *Et si enim modò una finitione utrumq; contrariorum quodammodo explicari diximus, id tamẽ non propriè fit, quasi eadem utrisq; definitio accommodetur & respondeat. Nam quodq; sua definitione propriè explicandum est.*

Cõtrarij contraria finitio.

k Si enim duplum est.) *Duplum,* τὸ ἐν ἴσῳ ὑπερέχον: *simplum,* τὸ ἐν ἴσῳ ὑπερεχόμενον, *Græcè finitur.*

l Eadem est ratio.) *Transit à relatis ad propriè contraria, & priuantia, quæ permixtim explicat.*

m Vna quadam contrarior.) *Vide in hunc locum de contrariorum connexionibus & coniunctionibus,* ταῖς συμπλοκαῖς, *cap. 4. lib. 2.*

n Si id quod prodest.) *Græcè est,* εἰ ὠφέλιμον τὸ ποιητικὸν ἀγαθοῦ, βλαβερὸν τὸ ποιητικὸν κακοῦ, ἢ τὸ φθαρτικὸν ἀγαθοῦ.

ὠφέλιμον. βλαβερόν.

o Eius

o Eius quod prius.) τῷ δὲ ἀρχῆς ῥηθέντι. Quæ posteriùs exposita uertit, græcè τὰ ὕστερον ἀποδοθέντα dicuntur.

p Quoniamq; contrar.) Hæc priuantia sunt, quorum alterum habitu, alterum priuatione effertur. In his etsi alterum per alterum definitur necessariò, non tamen habitus per priuationem, sed priuatio contrà per habitum definiri debet. Sic inæqualitas, ἡ ἀνισότης, æqualitatis, τῆς ἰσότητος priuatio dicitur: non uerò æqualitas, τὸ ἐναντίον ἀνισότητι. Nam id absurdum fore deinceps declarat. Priuatio p habitū definitur, nō contrà

q Profectò id semper quod pri.) Priuationem dicit, Græcè τὸ κατὰ στέρησιν λεγόμενον uocat.

r Alterum non etiam necesse est.) Vicissim definiri, hoc est habitum per priuationem. Sic lib. 1. de Animo, tametsi recto obliquum cognosci Aristoteles author est, nequaquam tamen contrà per obliquum, rectum cognosci posse ait, his uerbis: καὶ γὰρ τῷ εὐθεῖ καὶ αὐτὸ καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν, κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανὼν, τὸ δὲ καμπύλον οὔθ' ἑαυτοῦ, οὔτε τοῦ εὐθέος. Rectum obliqui canon.

s Sic enim fieret.) Ex absurdo probat, quia sic & alterum per alterum, & idem per se ipsum quodammodo definiretur. Nam si dicas, Aequalitas est inæqualitatis contrarium: inæqualitas autem æqualitatis est priuatio: quid consequens est, nisi æqualitatem æqualitatis priuationi esse cōtrarium? In quo idem per se ipsum quodammodo definitur. Ratio ex absurdo.

t Vt vtrumq; ex altero.) Græcè est, ἑκάτερον δι' ἑκατέρου γνωρίζεσθαι.

u Iam verò necesse.) Clariùs rem deducit, ut idem per se quasi definiri uideatur.

x Quando enim nihil interest.) Quippe cùm idem ualeat res ipsa cum sua definitione.

y Certè erit æqualitas.) Græcè est, ἔσται ἡ ἰσότης τὸ ἐναντίον στερήσει ἰσότητος.

z Quòd si neutrum.) Docet idem uitium & incommodum in contrarijs quoq; locum habiturum, si pari modo contrariorum definitiones explicentur. Ita si & bonum, malo contrarium, & malum, bono contrarium definiendo dicas, sequetur, ut & bonum, id quod boni contrario (uidelicet malo) aduersum est, dicendum uideatur. Id quod græcè exprimit ad hunc modum: ἔσται ἀγαθὸν τὸ ἐναντίον τῷ τοῦ ἀγαθοῦ ἐναντίῳ. Idem & in cōtrarijs euenit.

a Vitiosa etiam defi.) Sequitur accuratior priuantium, τῶν κατὰ στέρησιν λεγομένων, explicatio, in qua dum per habitus negationem ea definientur, ita tractari orationem uult, ut & subiectum in quo primùm insint, nobis ob oculos proponatur. δεῖ γὰρ τὸν καλῶς ἀποδιδόντα τὸ τί ἐστι, τὸ τίνος ἐστὶν ἡ στέρησις ἀποδοῦναι τὸ τί ἐστι τὸ ἐστερημένον. Et subiectū primū explicandum.

b Qui enim vim.) Nota, quo pacto rectè demum priuantia definienda sint.

c Illud etiam consider.) Quandoquidem sola priuantia negatione definiuntur, uult si quid in priuantibus non sit, id tali modo nō rectè explicari. Ita ignoratio, si prauæ

affectionis sola dicatur, non etiam negationis, quia ad eum modum in priuantibus locum non habet, (est enim habitus scientiæ contrarius) non potest per scientiæ negationem rectè definiri.

d Ijs quī nullam ponunt igno.) Aristoteles lib. 1. de Demonstrat. cap. 8. duplicem ignorantiæ, φλ ἀγνοίας, speciem constituit, hanc depravatæ affectionis, quam τὴν κατὰ διάθεσιν uocat, illam puræ negationis, quam uocat τὴν κατ' ἀπόφασιν. Quorum prior illa quia habitus mentis est, scientiæ contrario nomine oppositus, non potest κατὰ στέρησιν, ut antè diximus, finiendo explicari. Atq; de illa specie in præsens tantum Aristoteles loquitur.

Ignoratio duplex.

e Sed id demum, quod errat.) Aliqua quidem, sed illa falsa & depravata scientiæ opinione imbutum & præditum. Ita Alexander, ἀγνοοῦν δὲ τοὺς διάθεσιν ἀπατημένην καὶ μοχθηρὰν ἔχοντας, τούτους φησὶ τὴν ἄγνοιαν ἕξιν τινὰ μοχθηρὰν καὶ ἀπατημένην ἔχειν. Græcè δὲ διαπατημένον hoc loco est. De illo autem ignorationis genere uide Aristotelem cap. 8. lib. 1. de Demonstratione.

διάθεσις μοχθηρά.

f Nec pueros igno.) Cùm tamen omnino rerum ignari & imperiti sint, qui alioquin φλ ἀγνοίας genere hic ignorantiæ insimulari poterant.

g Iam illud videndum.) Redit ad definitiones τῶν συσοίχων, quas paribus casibus uult explicari. ἔτι δέ, inquit, τῶν ὁμοίων τοῖς ὀνόματος τὰς τώσεως ὁμοίως τοῖς λόγοις τὰς τώσεις ἐφαρμόττειν.

h Spectandum est etiam.) Rursum Idearum assertoribus insultat, docens eos posse aquam ἀπαθῆ καὶ ἀκίνητα ideas astruant, nō rectè hoc genus differentiarū in rerū definitionibus adiungere, Quales sunt, δ' θνητὸν, δ' ποικτικὸν ἢ παθητικὸν, & cætera. Quia cùm ideæ, res ipsæ definiendæ sint, hoc modo repugnantia secum loqui & dicere uideantur.

Idearum assertores

i Adiungens animantium def.) Ita Cicero ex Platonis sententia 4. Academi. Si homo est, inquit, animal est mortale, rationis particeps.

k Veluti ipse homo.) αὐτοάνθρωπος, de quo suprà.

l Impatibiles enim.) ἀπαθῆς γὰρ καὶ ἀκίνητοι δοκοῦσιν αἱ ἰδέαι τοῖς λέγουσιν ἰδέας εἶναι. De hoc & superiore libro meminit, cap. 4.

Ideæ ἀπαθεῖς.

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Cap. 4.

VItiosum a etiam genus definiendi est, si omnium eorum quæ ambiguè dicantur, cōmunis vna definitio statuatur. b Cùm enim synonyma sint ea, quorum vna est nomini congruens definitio, nullius certè eorum quæ nomen complectitur, propria definitio est, c quandoquidem æquè omnibus homonymum conuenit. d Quod vitium in vitæ defini-

Vita, ζωή

definitione reperitur, quam Dionysius tradidit, Motus vniuerso eorũ quæ nutriuntur generi natura insitus. Nec enim hæc oratio animantibus magis ineſt, [e] quàm ijs quæ è terra gignuntur: cùm interim vitæ [f] nõ vnum genus sit, aliudque vitæ genus animantibus, aliud ijs quæ è terra gignuntur, tributum esse videatur. [g] atque fieri potest, vt quasi de industria, sic definitionem vitæ explicemus, quasi sit synonymum verbum, vnumque sit genus vitæ: [h] sed etiam nihil prohibet eum qui homonymiam & ambiguum perspiciat, velitque alterius definitionem tradere, ita tamen facere, vt non propriam, sed communem vtrique statuat definitionem. Sed tamen vtrouis modo id fecerit, certè aberrabit. [i] Quoniam autem quædam homonyma obscura sunt, is quidem qui interrogat eis pro synonymis vti debebit: nõ enim alteri, vnius significati conueniet definitio. Ita alter quodam modo definisse non videbitur, [k] quoniam in omnia conuenire debet synonymum. is autem qui respondet, ambiguum debet distinguere. [l] Quoniamque nonnulli eorum qui rem aliquam defendunt in disputationibus, synonymum ambiguum esse dicunt, quoties non conuenit in omnia quæ statuta est definitio: & ambiguum in synonymis ducunt, si vtrisque conueniat: [m] antè quàm aggrediaris ad disputationem, conuenire debet, qualia velit ea esse, qui respõdet: aut antè ratiocinandum est, & concludendum ambiguum esse, aut synonymum, aut vtrum liber. [n] Facilius enim concedunt ij qui quid sequatur, non prouident. [o] Quòd si non conuenerit inter eos qui differũt, & aliquis synonymum ambiguum esse dicat, propterea quòd ea definitio, quæ data est, in hoc sicut in illo minimè intelligatur: tum videndum est, an huius in cætera conueniat definitio. Perspicuum est enim id synonymum cum reliquis futurum: aut certè si illud sit, nec tamen hoc cum alijs synonymum sit, plures erunt reliquorum definitiones. duæ enim nominis definitiones ad ea accommodabuntur, & prior quæ data est, & posterior. [p] Rursus si quis quid eorum quæ multis modis dicuntur definiat, neque in ea omnia quæ verbum ambiguum complectitur, definitio conueniat, nec ambiguum tamen dicat, sed nomen non omnibus cõuenire, quoniam ne definitio quidem in omnibus reperiatur: contra eũ afferre debemus, [q] appellatione vtendum esse ea, quæ & tradita sit, & ab omnibus recepta: nec illam æquum esse infirmare: [r] tametsi quædam sint, in quibus à vulgi consuetudine discedendum esse videatur. [s] Sin autem alicuius eorum verborum quæ coniuncta sunt, definitio statuatur,

[e] modo definita.

Homonymum ante disputationẽ explicandũ.

Appellationib. tritis vtendum.

detracta [t] alterius eorum quę copulata sunt, oratione, an reliqua ei quod reliquum est conueniat, videdum est. Si enim secus, profectò ne tota quidem toti conueniet. [u] vt si quis hoc totum, lineam finitam rectam definiat, extremitatem plani habentis extremitates, cuius medium extremitatibus adiungitur: si [x] finitæ lineæ hæc definitio est, extremitas plani habet extremitates, [y] hæc reliqua debet esse recti definitio: Cuius medium extremitatibus addatur. Atqui linea infinita, nec mediũ habet, nec extremitates, cùm interim recta sit: Ita nõ est eius quod reliquum est, reliqua definitio. [z] Vitiosum etiam definiendi genus est, cùm id quod definitur copulatum est, eique attribuitur definitio eiusmodi, quæ æqualibus & paribus quasi membris respõdeat. [a] Definitio autem paribus mẽbris refertur, cùm quot sunt coniuncta, totidem etiam sunt & nomina & verba in definitione. In his enim talibus ipsorum nominum, aut omnium, aut aliquorum mutatio facienda est necessariò: quandoquidem non plura sunt hîc, quàm priùs nomina. [b] debetque is qui definit, pro nominibus omnibus maximè, sin minus, pluribus, explicare definitionem. [c] Sic enim simplicia verba nunquam definiat is, qui verbum tantùm pro verbo reddit. vt si pro veste tunicam. [d] Vehementiùs etiam in definiendo errabit, si verba magis dubia assumat. vt si pro homine albo, terrigenam & mortalem candidum. Neque enim definiuit, cùm minus apertum & perspicuum sit, quod ita dictum est. [e] Atq; etiam in commutandis verbis illud videndũ est, an idem significet vna atq; altera oratio. Vt si quis [f] artem quæ rem animo cernit, definiat opinionem, quæ rem animo cernit, & contemplatur. Opinio enim non est idem quod ars & scientia: quod quidem deberet, si modò totum idem sit futurum. Nam quod animo rem cernit & contemplatur, in vtraq; oratione est: quod reliquum est, diuersum est. [g] Iam si quis alterum verbum commuter, neq; differentiam, sed genus commutet, vitiosa erit definitio. Quod in exemplo quod modò protuli cernere licet: [h] hoc enim totum, quod rem animo cernit, & contemplatur, verbo artis obscurius est, quoniam hoc genus est, illud differentia: & genus, [i] quo niam latissimè patet, omniũ est clarissimum & planissimum. Ergo non genus mutandum fuit, sed differentia, quandoquidem obscurior est. [k] nisi fortè ridicula hæc reprehensio est, præsertim cùm nihil prohibeat differentiam notissimo verbo significari, genus non item. Quæ cùm ita erunt, certè generis, non differentiæ nomen mutandum erit. Quòd si quis non nomen pro nomine,

Definitio nõ potest esse rei ἰσόκωλος.

In nominũ μεταλλαγῇ quid præstandum.

Generis, an differẽtiæ μεταλλαγὴ adhibenda.

sed

sed orationem pro nomine mutet, profectò magis differentiæ, quàm generis explicanda definitio est: [m] quandoquidem rei illustrandæ & cognoscendæ gratia definitio traditur: & minus nota differentia, quàm genus est. Si verò differentiæ definitionem explanarit, an ad aliquid aliud definitio transferatur, videndum est. Vt si numerum imparẽ dicat, [n] numerum qui medium aliquid habet, exponendum est, quemadmodum medium habeat. Nam & numerus in vtraq; oratione est, & imparis verbum in definitione mutatum. Atqui medium aliquid & linea & corpus habent, cùm non sint imparia. Non igitur propria est illa imparis definitio. [o] Quòd si multis modis dicatur id quod medium aliquid habet, distinguẽdum est, quemadmodum medium complectatur. ita aut refelletur, reprehẽdeturq; definitio, aut vitiosa esse concludetur. [p] Præterea vitiosa etiam erit, si id cuius definitio statuitur, in ijs quæ sunt numeretur, quod autem definitioni subijcitur, non numeretur, vt si quis exẽpli gratia, rem albam esse dicat, colorem cum igne permixtum. [q] Neq; enim q̃ expers est corporis, permisceri potest cũ corpore. Ita color permixtus & confusus cũ corpore nullus est: & aliquod album est. [r] Iam ij omnes qui non distinguunt in ijs quæ cum aliquo conferuntur, id cum quo conferuntur, pluraq; complectuntur dicẽdo, aut omnino, aut quadam ex parte, vitiosè definiunt. vt si quis exempli causa, medicinam dicat [s] artem esse eius quod est. Nam si nullius eorum quæ sunt medicina ars est, certè vitiosa falsaq; est omnino definitio. Sin alicuius est, alicuius non est ars, quadam ex parte falsa est. [t] debet enim esse omnium, siquidem per se, nõ temerè, & casu eorum quæ sunt, esse dicitur: id quod in cæteris quæ cum aliquo conferuntur, perspici licet. [u] Quicquid enim scientia & arte continetur, cum scientia & arte confertur. Eadem est cæterorum ratio: quãdoquidem quæ cũ aliquo conferuntur, reciprocantur omnia. Omne enim quod arte continetur, in ijs est quæ cum aliquo conferuntur. [x] Præterea si is qui non per se, verùm fortuitò & casu rem explicat, rectè explicet & aperiat definiendo: non cum vno, sed cum pluribus vnumquodq; eorum quæ cum aliquo conferuntur, comparabit. Nihil enim prohibet eandem rem, & esse, & album, & bonam esse. Itaque vt cum quouis eorum collatum quid definiat, rectè definierit, si modò is qui re aduentitia temerè rem aliquam explanat, rectè explanat. [y] Postremò hæc talis definitio propria [z] rei quæ explicata est & data, esse nõ potest. Neq; enim medicina sola, sed pleræq; etiam aliæ artes in rebus quæ sunt, versantur. ita

In relatis cum quo alterũ cõferatur, ac curatè exprimendũ

vnaquæque ars in eo quod est, versabitur: ex quo perspicuum est, hanc ipsam nullius artis esse definitionem: præsertim cùm propria, non communis definitio esse debeat. [a] Sed interdum nō rem nudam, [b] verùm rē quæ in eo genere perfecta est definiunt. quo ex genere oratoris & furis definitio est: [c] si orator is est, qui quod in quaque re ad faciendam fidem valet, perspicere potest, neque quicquam eorum prætermittit: & furis qui clàm accipit. Perspicuum enim est, eum qui talis est, qualem hæ definitiones describunt, [d] perfectum & oratorem & furem esse. Neque enim fur est, qui clàm sumit, [e] sed qui vult clàm sumere. [f] Rursus vitiosa erit definitio, si id ꝙ per se expetendum est, vt ad agendum faciendúmue impellens, aut quiduis propter aliud expetendum, explicetur. Vt si [g] iustitia, legum custos, vel sapientia [h] beatæ vitæ effectrix, definiantur. [i] Efficiētia enim & conseruantia in rebus sunt, quæ propter aliud expetuntur. [k] Et quanquam nihil prohibet, id quod propter se expetitur, etiā propter aliud esse expetendum: tamen in eo peccatur, si quis ita id quod propter se expetendum est, definiat. [l] Nam cùm in cuiusque rei vi & natura explicanda optimum quicque adhibendum sit, id autem quod propter se expetitur, ei quod propter aliud, anteponatur, fit, vt illud ipsum potiùs significare debeat definitio.

Definitio simpliciter rei essentiā explicat.

IN CAPVT QVARTVM,

ANNOTATIONES.

[a] Vitiosum etiam genus.) *Hactenus simplicium rerum uocumq; definitiones excussit: sequitur nunc, ut de homonymorum & copulatorum finitionibus quid sentiendum sit, declaret. Etsi uerò nec homonyma, nec copulata propriè finiri possunt, aliquo tamen modo & illorum descriptionibus definitionis uerbum accommodari uideas, quod quo loco habendum sit, in præsens indicat, dum peccari ab illis astruit, qui τὰ κατ' ὁμωνυμίαν λεγόμενα, una generali oratione complecti & describere nitantur. Quod faciunt, ij qui & simile id definiunt, quod eiusdem speciei qualitate participet, & acutum id, quod celerius acriusq; sensum permoueat. Nam cùm & similitudo in coloribus, figuris, & cæteris id genus reperiatur, & acumen uoci, sapori, & mucroni accidat: nemo est, qui nesciat, & κατ' ὁμωνυμίαν hæc ipsa dici, & non pari modo tributam ipsis definitionem posse intelligi.*

Homonyma & copulata an definiant.

Simile, & acutū, homonyma.

[b] Cùm enim syno.) *A' disparatis argumentum est. Quòd si una communi finitione homonyma explicarentur, nihil à synonymis ea differrent, cùm præter finitionis societatem, & nominis communione inter se, more Synonymorum, conuenirēt. Hoc loco notā τῶν συνωνύμων finitionem, de qua simili ferè modo & lib. Categor. egit: συνώνυμα*

Homonyma à synonymis distant.

γαρ,

γαρ, inquit, ὧν εἷς ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος.

c Quandoquidē æquè.) ἐπειδὴ ὁμοίως ἐπὶ πάντ' ὁμώνυμον ἔφασμόσθη.

d Quod vitium in vitæ.) Exemplo uitæ, φησὶ ζωῆς, declarat. Hanc Dionysius quidam, ex Academicorum (ut nonnullis placet) familia & schola, generatim definiuit, κίνησιν γένους θρεπτοῦ σύμφυτον παρακολουθοῦσαν, ita ut non minus in plantas & stirpes, quàm in animalia conuenire definitio uideretur. Sed quid, plantæne & animalia, quod ad uitæ participationem & societatem attinet, homonymorum numero continentur? Perinde ut colores & figuræ, quod ad similitudinem, & uox, sapor, mucro seu stilus, quod ad acumen attinet, homonyma dicuntur: ita quidem profectò, & plantæ & animantes, quod ad uitam spectat, homonyma censeri possunt. Si non tam exactè iudicio Logicorum, quòd non omnino ratione dissentiant, certè quod ad Physicos spectat, qui rerum subiectarum disparitati ac dissimilitudini suo quodam modo & homonymiam attribuunt, de quo uide Aristotelem lib. 7. de Motu, cap. 4.

Dionysius quidam.

Plantæ & animantes, homonyma.

e Quàm ijs quæ è terra.) Stirpes & plantas dicit, quæ uno nomine τὰ φυτὰ græcè appellantur. Cicero πεφυσιγνωμένα è terra genita & nata dicere solet.

τὰ φυτά.

f Non vnum genus sit.) Ob rerum earum quæ uita præditæ sunt, multiplicem diuersitatem. Vide ut Physicum hìc genus intelligatur, de quo nonnulla uide lib. 7 de Motu, cap. 4. Græcè tamen nõ genus, sed species hìc intelligitur, quippe cùm sit· ἡ δὲ ζωὴ οὐ καθ' ἓν εἶδός ἐστιν ἓν λεγομένη, ἀλλ' ἑτέρα μὲν τοῖς ζώοις, ἑτέρα δὲ τοῖς φυτοῖς ὑπάρχει.

Genus Physicum

g Atque fieri potest.) In duos modos hoc genus partitur, prout uel data opera sic definimus, uel aliud agentibus, præter propositum id nobis accidit: Quorum utrumq; tamen æquè uitiosum esse confirmat. Quod data opera diximus, Græcè κατὰ προαίρεσιν habetur. De προαιρέσει uerò multa Aristoteles lib. 3. Ethicor. cap. 2.

Modus duplex.

h Sed etiam nihil prohib.) Hic alter modus est, qui nobis imprudentibus, παρὰ τὴν προαίρεσιν incidit.

i Quoniam autem quædam.) Quod ad homonymorum rationem attinet, non iniucundas quasdam monitiones subijcit, quæ etsi πρὸς τοὺς ἐριστικωτέρους, ut Alexãdro uidetur, maximè pertinent, tamen ut ab eorum strophis in disserendo meliùs nobis cauea mus, non abre in præsens explicantur. Cùm uerbi homonymia obscura est, uult illud tanquam synonymum ab opponente, qui alterum circumuenire disserendo conatur, in disputatione proponi, ut instituto aduersus illud argumento, eo faciliùs definitionem labefactet. Si uerò id is qui contrà disputat, (ἀποκρινόμενον, hoc est, respondentem dico) consideret, uult eum multiplicis uerbi distinctionem adhibere, ut ne fraudi locus aliquis detur. Ita in contrarias partes utrumq; differentium instruit. Alexander locum Sophisticum uocat πρὸς τοὔνομα, ἢ τὸν διαλεκτικόν.

Locus Sophisticus πρὸς ἐριστικωτέρους.

k Quoniam in omnia deb.) δεῖ γὰρ ἐπὶ παντὸς, inquit, συνώνυμον ἔφασμόσθαι.

μόττειν. Alexander, δ' γὰρ συνωνύμως λεγόμενον, ait, δεῖ ἐπὶ πάντων καθ' ὧν λέγεται ἐφαρμόττειν κατὰ δὲν λόγον.

Antè de verbi notione constituēdū.

l Quoniamq; nonnulli.) Quò rectiùs disputatio non interrupta procedat, monet initio ei qui oppugnare quæstionē uelit, id curādum, ut de uerbi notione inter ipsum & aduersarium conueniat. Nam eo constituto, posse faciliùs propositum obtineri, & si ita res ferat, aduersarium refelli. Ita Cicero 1. Tusculana, Hoc igitur probè stabilito & fixo, inquit, illud excutiendum est, ut sciatur quid sit carere, ne relinquatur aliquid erroris in uerbo. Eos qui rem in disputatione defendunt, respondentes dicit, Græcè enim est, ἐπεὶ δ' ἔνιοι τῶν ἀποκρινομένων. Loquitur autem de respondentibus imperitis, quibus uerborum potestas non satis constat, ut propterea inter homonyma synonymaq; non uerè possint distinguere. Ita Alexander, ἐπεὶ δὲ φησίτινες, inquit, τῶν ἀποκρινομένων δι' ἀνεπιστημοσύνην πολλάκις τὸ συνώνυμον ὁμώνυμον λέγουσιν.

Respondētes imperiti.

m Antequàm aggrediaris ad disp.) Græcè est, προδιομολογητέον ἡπερ τῶν τοιούτων. Ita Cicero in Oratore: Et quoniam in omnibus quæ ratione docentur & uia, primum constituendum est, quid quicq; sit: nisi enim eos qui disceptant, cōuenit, quid sit illud de quo ambigitur, nec rectè disseri, nec unquam ad exitum perueniri potest: explicanda est sæpe uerbis mens nostra de quaq; re, atq; rei notitia definiendo aperienda est.

In methodicis verbi notio primùm cōstituit.

n Faciliùs enim.) Ratio, cur ante disceptationem de uerbi notione inquirere Sophista debeat. In hunc locum uide Rodolphum Agricolam, lib. 3. cap. 13. Græcè dicitur: μᾶλλον γὰρ συγχωροῦσιν οὐ προορῶντες τὸ συμβησόμενον. Alexander, μᾶλλον γὰρ φησι, inquit, συγχωροῦσι τοῖς ἀληθέσι μὴ προορῶντες δὲν ἐσόμενον ἐκ τῆς ὁμολογίας ἔλεγχον.

Non prouisa faciliùs dātur.

o Quòd si non conue.) Monet quid faciendum, si μὴ γενομένης ὁμολογίας, posteà de uocabulo sit ne synonymum an homonymum, controuersia orietur. Exploranda est eius, inquit, definitio, quæ si in cætera eiusdem generis conueniat, uerbum synonymum est: si non conueniat, homonymum, quod tamen aduersarius synonymum esse opinatus, pari modo utrobiq; refelletur.

Verbi vis vt explicanda.

p Rursus si quis.) Docet, quo modo aduersario sit occurrendum, ubi uerbi ambiguitate non deprehensa, nomen quod finitum est, non omnibus ex æquo conuenire causatur, ut definitionem labefaciat. ῥητέον πρὸς δὲν τοιοῦτον, inquit, ὅτι τῇ μὲν ὀνομασίᾳ δεῖ χρῆσθαι τῇ παραδεδομένῃ, καὶ τὸ μὴ κινεῖν τὰ τοιαῦτα. ἔνια δ' οὐ λεκτέον ὁμοίως τοῖς πολλοῖς.

Verbis ritis vtendum.

q Appellatione vtendum ea.) In hunc locum suprà uide lib 2. cap. 1. & 2.

r Tametsi quædam sint.) Nempe artium singularum propria & usitata uocabula, quæ à uulgi consuetudine & usu longiùs sunt remota, de quo uide Ciceronem cùm aliis locis plerisq;, tum lib. 3. de finibus Bonorum & malorum, quem locum in caput 4.

Artiū singularū ꝓpria verba

libr

libri Categoriarum annotauimus.

s Si autem alicuius.) Hactenus de homonymis, sequitur nunc τῶν συμπεπλεγμένων, hoc est, cõiunctorum, tractatio, quæ tum demum in hoc doctrinæ genere incidit, cùm id quod definiendum est, ob proprij et simplicis uerbi defectionem, pluribus uocibus effertur. Cuius generis sunt, exempli causa, si quid sit iustitiæ uiuere, peccato mori, personam in iudicio accipere, Theologus definiendo explanet. Verùm cùm hoc modo in præsenti τὰ συμπεπλεγμένα interpretamur, non tam rerum compositione multarum, quàm uocum saltem eandem nobis rem exhibentiũ connexione ea metimur. Atq; cùm sic nihil obstet uerè cõnexa & copulata definiendo explicari, hoc loco quemadmodum ipsorum definitiones explorandæ sint, declarat. Trãsit ad connexa. Connexa quatenus definiant.

t Alterius eorum quæ copulata.) Nempe uel definiti nominis, uel quæ eius naturam explicat, definitionis. Vult enim utrinq; & definitionis, & definiti partes inter se congruere, ut illa quæ toti rei complexæ & copulatæ adaptatur, finitio planè conueniat.

u Vt si quis hoc totum.) Mathematicum exemplum affert, in quo non omnino finitionis partes, cum rei definitæ partibus congruere ostendit. Id est, γραμμὴν πεπερασμένην εὐθεῖαν, εἶναι πέρας ἐπιπέδου ἔχοντος πέρατα, οὗ δὲ μέσον ἐπιπροσθεῖ τοῖς πέρασιν. Linea finita recta.

x Finitę lineę hęc.) Quod coniunctim Aristoteles finitæ lineæ ait, Alexander separatim, Primùm si lineæ, inquit, finitio est, δὲ πέρας ἐπιπέδου, deinde si definitæ, δὲ ἔχοντος πέρατα, & cæt.

y Hæc reliqua.) Oratio, nempe τὸ οὗ τὸ μέσον ἐπιπροσθεῖ τοῖς πέρασιν. Quam non esse recti propriam, infinitæ lineæ rectæ exemplo κατ' ἔνστασιν docet.

z Vitiosum etiam.) Vult pluribus uerbis in hoc genere definitionẽ exponi, ut ne definito nomini quod copulatũ est, paribus quasi membris definitio respondeat, Id quod uitiosum sit. Græcè ait, εἰ συνθέτου ὄντος τοῦ ὁριζομένου, ἰσόκωλος ὁ λόγος ἀπεδόθη τῷ ὁριζομένῳ.

a Definitio autem par.) Definitio τοῦ ἰσοκώλου λογου. ἰσόκωλος δὲ λέγετε, inquit, ὁ λόγος εἶναι, ὅτε ὅσαπερ ἂν ᾖ τὰ συγκείμενα, τοσαῦτα καὶ τὰ ἐν τῷ λόγῳ ὀνόματα καὶ τὰ ῥήματα ᾖ. ἰσόκωλος λόγος.

b Debetq; is qui definit.) Græcè est, δεῖ δὲ τὸν ὁριζόμενον, λόγον ἀντὶ τῶν ὀνομάτων ἀποδοῦναι, quippe cùm definitio sit oratio rei naturam explanans.

c Sic enim simplicia.) Quemadmodum in coniunctis res habet, sic & in simplicibus, quæ propterea uno ac singulari uerbo nequaquàm definiri possunt, ut exemplo τοῦ λωπίου, hoc est, uestis, docet. De hoc uide & lib. 1. cap. 3. Finitio verbo exprimi nequit.

d Vehementiùs etiam.) Antegressum uitium & nominum τῇ ἀσαφείᾳ, hoc est, obscuritate, augeri ait. Terrigena seu mortalis candidus, græcè βροτὸς ἀργὸς nominatur. βροτὸς ἀργός.

e Atq; etiam in commut.) *Vult in prædicta nominum commutatione, eandem significationem retineri. Ita quia scientia & opinio non idem ualent, si quis ista definiendo, alterum pro altero temerè collocet, peccabitur. Nominum commutatio, græcè ἡ μεταλλαγὴ καὶ μετάληψις τῶν ὀνομάτων dicitur.*

Eadem significatio in μεταλλαγῇ retinēda.

f Artem quæ animo.) *Græcè ἐπιστήμη θεωρητικὴ dicitur, hoc est, scientia, quæ in contemplatione uersatur. Fabius positam in inspectione, id est, cognitione & æstimatione rerum, interpretatur lib. 2. cap. 19.*

ἐπιστήμη θεωρητικὴ.

g Iam si quis alte.) *Vult nominum μεταλλαγὴν, si in altero uerbo fiat, in differētijs fieri debere, non genere, eo quòd cùm perspicuitatis gratia adhibeatur, magis ea differentiæ indigeant, ut quæ genere plurimùm sint obscuriores.* ἕτερον γὰρ ἡ διαφορὰ, *inquit paulo infrà,* τοῦ γένους γνώριμον.

μεταλλαγὴ differētiæ adhibēda.

h Hoc enim totum.) *Græcè est,* ἀγνωσότερον γὰρ ἡ θεωρητικὴ τῆς ἐπιστήμης.

i Quoniam latissimè.) *Hæc ratio, cur genus clarius, quia communius est.* πάντων δὲ γνωριμώτερον τὸ γένος, *inquit,* κοινότερον γάρ.

Genus notius differentia.

k Nisi fortè ridicula.) *Castigationem dicti adhibet, docens si res ita ferat, ut differentia genere sit euidentior, tum genus commutandum esse, non contrà.* οὐδὲν γὰρ κωλύει, *inquit,* τὸ μὴ διαφορὰν τῷ γνωριμωτάτῳ ὀνόματι εἰρῆσθαι, τὸ δὲ γένος, μὴ. οὕτως δὲ ἐχόντων δηλονότι τὸ γένος τῷ οὐ τῇ διαφορᾷ κατὰ τοῦνομα τὴν μετάληψιν ποιητέον.

Castigatio loci.

l Quòd si quis non.) *Si differētia genere obscurior in definitione adhibeatur, uult eam pluribus uerbis explicari, at non ita, ut ea oratio & in alias res conueniat: tum enim propositæ rei definitionem in totum reijci.*

Differētia plurib. explicanda.

m Quandoquidem rei illustran.) ἐπειδὴ τῶν γνωρίσαι χάριν ὁ ὁρισμὸς ἀποδίδοται. *Sic & sæpe antè.*

n Numerum qui med.) ἀριθμὸν μέσον ἔχοντα. *Hic* τὸ μέσον ἔχειν, *et in alias res præter imparem numerū transferri docet, quia & lineæ, & corpori idipsum cōuenit.*

o Quòd si multis modis.) εἰ δὲ πολλαχῶς λέγεται τὸ μέσον ἔχον, διορισέον τὸ πῶς μέσον ἔχον.

p Præterea à vitiosa.) *Negat id quod est, per ea quæ non sunt, definiri posse. Ita candor per colorem igni permistum, (quia nullus color cum igne permisceatur) definiri non potest, etsi ita in Timæo Plato definiuisse uideatur.*

Color an igne permistus.

q Neq; enim expers est corp.) *Vti color, qui etsi in corpore cernitur, ipse tamen corporis expers quædam est qualitas. In hunc locum de natura permistionis uide Aristotelem lib. 1. de Generatione cap. 10.* ἀδύνατον γὰρ τὸ ἀσώματον, *ait hoc loco,* μεχθῆναι σώματι.

Quæ res nō misceā tur.

r Iam ij omnes qui.) *Vult quoties relatorum aliquod definiendum est, accuratè tū*

ad quod

ad quod referatur, (πρὸς ὃ λέγεται, id dicitur) oratione exprimi. Quia si secus fiat, aut plura, aut pauciora, quàm opus sit, definitio complecti poßit. Id quod nemo uitiosum esse ignorat.

s Artem esse eius quod est.) τοῦ ὄντος ἐπιστήμην dicit, quæ definitio primi Philosophi propria est, ut lib. 10. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ cap. 3. Aristoteles docet.

t Debet enim esse omnium.) Græcè est, δεῖ γὰρ παντός, εἴπερ καθ' ἁυτὸ καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς ὄντος εἶναι λέγεται.

u Quicquid enim scientia.) πᾶν γὰρ ἐπιστηθὲν πρὸς ἐπιστήμην λέγετε. Respicit ad naturam τῶν ἀντιστροφῆς τῶν πρόστι, de qua in Categorijs patuit, cap. 4.

x Prætereà si is qui.) Negat in hoc genere κατὰ συμβεβηκὸς quippiam rectè definiri, propterea quòd sint incerta, atq; adeò infinita (ut in physicis lib. 2. de Natura affirmat) ea, quæ uni cuipiam poßint accidere. ἔτι εἴπερ ὁ μὴ καθ' ἁυτὸ, inquit, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς τὴν ἀπόδοσιν ποιούμενος ὀρθῶς ἀποδίδωσιν, οὐ πρὸς ἕν, ἀλλὰ πρὸς πλείω ἕκαστον ἂν αὐτῶν πρόστι λέγοιτο. Infinita vni accidere.

y Postremò hæc talis.) Redit ad suprà dictam Medicinæ finitionem, quam & in alias quaslibet artes pari modo conuenire ostendit, ut propterea neq; medicinæ, neq; ulli alteri disciplinæ rectè accõmodari posse uideatur. Debet enim esse singulorum propria, non communis, ipsa definitio, ut in antegreßis doctum est. Atque ita & hîc Aristoteles, ἴδιον εἰ, inquit, καὶ οὐ κοινὸν, δεῖ τὸν ὁρισμὸν εἶναι. Singulorũ ꝓpria definitio.

z Rei quæ explicata est.) τοῦ ἀποδοθέντος græcè est, Intelligit autem τὴν ἰατρικὴν, hoc est, medicinam, de qua antè dictum est.

a Sed interdum non rem.) Cùm non idem ualeat, & omnino rem esse, & alterius cuiuspiam acceßione bene & commodè esse, monet in definiendo sæpenumero à nobis peccari, quoties relicta & dißimulata rei natura, ad id quod aliunde tum bonitatis, tum commoditatis accedit, definitionem accommodamus: quemadmodum tum Oratoris, tum furis exemplo declarat & docet. Vult omnino & furem, & Oratorem, qui sint, definitione explicari, non attenta & spectata qualitate, utrum perfecti ij sint, & in suo munere exequẽdo undiquaq; instructi. Nam id aduentitium esse, quod ad earum rerum, quæ definiendæ erant, uim ac naturam explicandam nequaquàm pertineat. Caue, quod hîc de præstantia rei definiendæ prætermittenda præcipitur, id ad natiuam & insitam rerum definiendarum præstantiam & absolutionem referendum existimes. Nam cùm citra talem absolutè rei natura cognosci & intelligi non poßit, tũ et in antegreßis ad idipsum, quod in re finienda & potius & admirabilius est, accommodandam esse definitionẽ Aristoteles docuit. Quod rem nudam Interpres transtulit, græcè τὸ πρᾶγμα Aristoteli dicitur, Alexander καθ' ἁυτὸ τὸ πρᾶγμα eodem sensu uocat. Esse rem, & bene esse non idẽ. Præstãtia rerum duplex. τὸ πρᾶγμα

h Verùm rem quæ in suo.) Græcè est, τὸ πρᾶγμα ἐν ἔχον τὸ τετελεσμένον.

Τὸ ἐῦ ἔξωθεν παραγίνεται.

Quod de aduentitia & accessoria, ut iam diximus, præstantia & absolutione intelligendum est. Ita Alexander, ἐφ' ὧν οὖν μὴ σύμφυτον τὸ ἐῦ, ἀλλ' ἔξωθεν προσγίνεται, ὡς καὶ πρὸς τὸ ἐῦ δύνασθαι τὸ πρᾶγμα εἶναι, ἐπὶ τούτων οὐκ ὀρθῶς τὸ ἐῦ ἐν τοῖς ἀφορισμοῖς παραλαμβάνεται. Non generalis ergo hæc præceptio est, sed specialis, id quod & ipse Aristote. tacitè indicat, cùm non omnino, sed interdum, ἐνίοτε, sic rem definiat.

c Si orator is est.) Græcè est, εἴπερ ἔστι ῥήτωρ ὁ δυνάμενος τὸ ἐν ἑκάστῳ πιθανὸν θεωρῆσαι, καὶ μηδὲν παραλιπεῖν. In qua definitione particula τὸ μηδὲν παραλιπεῖν, si Alexandro credimus, propterea redundat, quòd nõ infrequẽter accidat, ut nõ malitiâ Oratores in dicendo aliquid prætermittant & peccent. M. Cato, teste Fabio, lib. 12. cap. 1. Oratorem Latinè definit, ut sit uir bonus dicendi peritus. Hoc loco notãdum est, quod Galenus ait, nunquam labi & peccare, homine maius esse: minimum uerò labi, solius artificis esse proprium. τὸ μηδέποτε ἁμαρτάνειν, inquit, μεῖζον ἢ κατ' ἄνθρωπον· τὸ δ' ὡς ἥκιστα, τεχνίτου μόνου.

Ῥήτωρ.

Orator Catoni quis.

d Perfectum & oratorem.) Græcè ὁ μὲν ἀγαθὸς ῥήτωρ, ὁ δὲ ἀγαθὸς κλέπτης dicitur.

e Sed qui vult clàm sumere.) Etsi quandoq; re ita ferente non posit, neq; furripiat. In hunc locum uide suprà lib. 4. cap. 5.

f Rursus vitiosa.) Non uult rem per se expetẽdam, tanquàm alterius cuiusdam gratia expetatur, definiendo explicari. Alterius gratia expetuntur, quæ destinata in locis Rodolphus appellat. Hæc Aristoteles τὰ δι' ἄλλο αἱρετὰ, illud, τὸ δι' αὐτὸ αἱρετόν uocat. Græcè est, πάλιν εἰ τὸ δι' ἄνω αἱρετὸν ὡς πρακτικὸν ἢ ποιητικὸν ἢ ὁπωσοῦν δι' ἄλλο αἱρετὸν ἀποδέδωκεν.

Res expetendæ duplices.

Leges iustitiæ causa, non cõtrà.

g Iustitia legum custos.) σωσικὴ τῶν νόμων dicitur. Sic iustitiæ finis, esset legũ conseruatio, cùm potiùs è conuerso leges conseruandæ Iusticiæ causa inuentæ sint & promulgatæ.

h Vitæ beatæ effectrix.) ποιητικὴ εὐδαιμονίας.

i Efficientia enim &.) τὸ γὰρ ποιητικὸν ἢ σωσικὸν, τῶν δι' ἄλλο αἱρετῶν.

Per se expetendæ res vt destiendæ.

k Et quanquam nihil.) πρόληψις obiectionis. Etsi quæ propter se expetuntur, etiam aliorum caussa in rebus expetendis sint, tamen cùm ipsorum afferenda est finitio, non quòd propter aliud expetantur, sed quòd propter se, exprimẽdum est, eò quòd istud præstet, per cuius generis res, hoc est, per ea quæ præstabiliora sunt, (ut suprà cap. 2. traditum est) unamquamq; rem definire oportet.

z Nam cùm in cuiusq;.) ἑκάστου γὰρ τὸ βέλτιστον, οὗ τῆς οὐσίας μάλιστα.

ALII LOCI EIVSDEM GENERIS.

Cap. 5.

ATq; etiam illud considerandum est, ísne qui aliquid definit, hoc & illud

& illud esse, an ex hoc & illo esse, an hoc cum illo esse definiat. [b] Nam si hoc & illud esse definiat, [c] fiet, vt & vtriq; conueniat & neutri. vt si quis exempli gratia, iustitiam definiat temperantiam esse & fortitudinẽ. [d] Nã si duo sint, quorum vterque altero sit præditus, vterque & neuter iustus erit: quandoquidẽ ambo iustitiam habent, & vterq; non habet. [e] Quòd si hoc non videtur admodum absurdum esse, propterea quòd in alijs quibusdam hoc contingit, (nihil enim prohibet [f] duos habere minam, & neutrum habere) at illud certè perabsurdum videbitur, eisdem contraria conuenire. [g] Quod fiet, si eorum vnus temperantia & ignauia sit præditus, in altero fortitudo & intemperantia insit. Vterque enim iustitiam & iniustitiam habebit. Si enim iustitia est fortitudo & temperantia, iniustitia etiam ignauia erit & intemperantia. [h] Omninoq; omnia argumenta quæ sumi possunt ad demonstrandum, [i] totum non esse idem quod partes, ad efficiendum id quod dictum est, valebunt. quippe cùm is qui eiusmodi definitionem statuit & inducit, idem esse partes & totum confirmare videatur. Aptissima autem omnium in hoc genere argumenta ducentur, [k] ab ijs, in quibus aperta & perspicua partium compositio est, cuius generis est domus, & si qua sunt similia. Perspicuũ est enim, si partes sint, [l] nihil prohibere non esse totum. Ita non sunt idem totum & partes. [m] Si verò res quæ definiatur non esse hoc & illud, sed ex hoc & illo constare dicatur, primùm videndum erit, [n] an vnum aliquid ex ijs ipsis minimè natura constare queat. Quædam enim veluti linea & numerus, ita affecta sunt inter sese, vt nihil ex eis effici possit. Deinde [o] id ne quod definitione apertum est, in vna re aliqua prima situm esse soleat: ea autẽ ex quibus ipsum constare ille dixerit, non in vna re prima inesse soleat, verùm vtrumque in altero. Perspicuum est enim ex ijs, nunquam illud ex ijs constare posse, [p] præsertim cùm in quo partes, etiam totum necesse sit existere. ita nõ in vna re prima totum, sed in pluribus inerit. Quòd si & partes & totum [q] in vna re prima insint, illud considerãdum est, an non in eadem re, sed in alia partes, in alia totum. Tum sublato toto, [r] an vnà etiam partes tollantur & intereant, videndum est. [s] Contrà enim effici debet, vt interemptis partibus, totum intereat: interempto verò toto, non necesse est partes interire. Aut illud, [t] an totum bonum vel malum est, & partes neutrum, vel contrà, partes in bonis aut in malis sint, & totum in neutro. Neq; enim ex re vlla quæ nec bona nec mala est, aliquid quod bonũ sit aut malũ effici potest: neq; ex ijs quæ ipsa mala sunt,

Si hoc & illud esse dicatur.

Iisdẽ contraria non uenire absurdum.

Si ex hoc & illo cõstare dicatur.

Partibus sublatis totum perit, non contrà.

vel bona, fieri aliquid potest, quod neque sit in malis, neq; in bonis. Aut, maiúsne altera pars bonum sit, quàm altera malum, quod autem ex ijs constare dixerit, non sit maius bonum, quàm malum. [a] Vt si exẽpli gratia, impudentia ex fortitudine & falsa opinione constare dicatur, quorũ fortitudo maius bonum est, quàm malum falsa opinio. [x] Debuit igitur etiam id quod ex illis est, ex maiore esse consequens, & esse aut bonum omnino, aut maius bonum quàm malum. [y] Quod tamen nõ necesse est, nisi vtrumq; per se in bonis malísue ducatur, quippe cùm multa efficientia, per se non sint illa quidem bona, coniuncta autem & commixta cum quibusdam, in bonis numerentur. Alia sunt contrà, quorum vtrumque bonum est, quæ si coniungantur, vel mala erunt vel indifferentia. Quod autem posteriùs dictum est, facillimè in rebus salubribus vel pestilentibus perspici potest. Quædam enim medicinæ eam vim habent, vt vtraq; separatim prosit, & si coniunctæ mixtæq; adhibeantur, sint obfuturæ. Iã illud quoq; videndum est, [z] an ex meliore & deteriore aliquid constare dicatur, quorum meliore totum non sit deterius, & deteriore præstantius. [a] An ne hoc quidem necessarium est, nisi per se sint ea ex quibus illud concretum est, in bonis: nihil enim prohibet, totum in bonis non numerari: quod in ijs quæ modò cõmemoraui, perspici licet. [b] Illud etiam, eodémne nomine totũ & pars altera appellentur. non enim debent, [c] sicuti nec syllabæ quidem: nam syllaba nunquam eodem nomine appellari solet, quo elementa ex quibus constat. [d] Vitiosum etiam est, ratione concretionis non exponere. Non enim satis est ad aperiendum declarandumq; aliquid, id ex his vel illis constare dicere, præsertim cùm eorum omniũ quę concreta sunt, vis & natura nõ sit ex his vel illis constare, sed hoc vel illo modo ex his vel illis effici. Id quod animaduerti licet in domo. Neq; enim [e] si quæ res quouis modo disponãtur, cõtinuò domus erit. [f] Quòd si quid esse hoc cum illo definiat, primùm dicendum est, hoc cũ illo aliquid esse, idẽ quod hoc & illud, aut quod esse ex hoc & illo, valere. [g] Qui enim dicit aliquid, mel cũ aqua esse, is vel mel & aquã dicit esse, vel ex melle & aqua constare. [h] Ita si vtrumuis horũ idem esse concedat, quod esse hoc cũ illo aliquid, [i] eadem omnino sumenda erunt argumenta, quę ad vtrumq; refellendũ suprà exposuimus. [k] Deinde diuisione adhibita, quot modis aliquid cũ alio dicatur esse, nullóne modo hoc cũ illo sit, videndum erit. vt si dicatur aliquid esse cum alio, vel vt in aliquo eodem subiecto: veluti iustitia & fortitudo in animo insunt. vel in

An totum partium naturam semp imitetur.

Ratio concretionis exponenda.

Si hoc cũ illo esse dicatur.

Ἐμπρὰ

eodem

eodem loco, vel in eodem tempore, & nullo modo id quod quæritur de his verè dicatur, profectò nullius erit propria, & vera ea quæ statuta est definitio: quãdoquidem nullo modo hoc cum illo est. [l] Sin diuisione adhibita, quot modis aliquid cum altero esse dicatur, verè sit in eodem tempore vtrumq;, videndum est, an vtrumq; minus ad eundem finem pertinere possit. [m] vt si quis fortitudinem definiat audaciam cum recta ratione: fieri enim potest, vt audacia prouectus sit aliquid spoliãdi, cùm recta ratione ac intelligentia de rebus salubribus sit præditus. Atqui non habebitur fortis is, qui eodem tempore hac re cum illa valebit. [n] Iam verò illud etiam, an ad idem vtrumque referatur, vt ad res medicas, nihil enim prohibet aliquam audaciam & rectam intelligentiam ad medicinã afferre: cùm interim fortis non erit is, qui hoc cum illo coniunxerit. Neque enim ad diuersa vtrumq; eorum referri debet, neq; ad quamuis eandem rem, sed [o] ad finẽ fortitudinis, qualia sunt belli pericula, aut si quis alius magis ei propositus est finis. [p] Sunt autem quædam quæ non in eã quam exposui cadant diuisionem, vt si ira, ęgritudo est cum contemptus opinione. hoc enim declarat, ex opinione eiusmodi nasci ægritudinem. [q] hoc autem ex illo nasci, non idem est, quod hoc cum illo esse, vllo genere eorum quæ exposita sunt à nobis. [r] Rursus si quis definiendo, aliquarum rerum concretionem, totum esse dixerit, vt corporis & animi concretionem esse animal, illud videndum est, an qualis sit concretio explicarit, vt si quis definiendo carnem vel os dixerit esse, ignis, terræ, aërisq; concretionem. Neque enim satis est concretionem dicere, sed qualis ea sit exponendum est: quandoquidem non si quouis modo hæc ipsa coalescant, continuò caro nascitur: [s] sed si hoc modo coalescant, caro: sin illo modo, os gignitur. [t] Quanquam neutrum eorũ idem videtur esse quod concretio, [u] præsertim cùm omni concretioni diremptio & dissolutio contraria sit, neque sit vlli eorum quę exposuimus. [x] Iam si æquè probabile est, esse omne quod concretum est concretionem, aut nullum: [u] nullum autem animal, quorum vnumquodque concretum est, concretio est, ne vllum quidem eorum quæ concreta sunt, concretio erit. [a] Præterea si pari ratione alicui conuenire natura sua solent contraria, & altero rem definiendo aperuerit aliquis: certè nõ vera erit definitio: [b] sin secus, profectò plures eiusdem rei definitiones erunt. [c] Quî enim hoc potiùs, quàm altero rem definierit, quandoquidem æquè in eodem vtrumq; reperiri solet? [d] Ex quo genere est illa animi definitio, natura capax sciẽtię.

τῶδε trifariam dicit

Quartum modũ adiungit.

tum reuera σύνθεσιν dici nequit.

Pari

Parte finitionis euersa, tota corruit.

Pari enim ratione ignorationis est capax. [e] Quòd si cui ad totam definitionem euertendam nullum suppetat argumentum, [f] propterea quòd totum obscurum est, & abstrusum, is ad partem aliquam, quæ nota erit, & non rectè explicata videatur, omnem argumentationem dirigere debebit. [g] Euersa enim parte, tota etiam euertetur definitio. [h] Quæque obscuræ sunt definitiones, eas ita omnes exquirere ac cõsiderare debemus, corrigendo & restituendo, vt & aliquid lucis, & argumentorum copiam afferamus. necesse est enim eum qui respondet, aut quod ab eo qui interrogat assumitur, approbare, aut certè ipsum quod tandem definitione aperiatur, exponere. [i] Iam verò quemadmodum in concionibus legem soluti sunt ferre, quæ si melior sit, superiorem abrogant: sic in definitionibus faciendum est, aliaque inducenda est definitio. Si enim verior videatur, magisque id quod definitur declarare, certè euersa erit prior: [k] quandoquidem non sunt eiusdem rei plures definitiones. [l] Ad omnes autem definitiones non minima in eo vis est, si id de quo agitur, ipse tecum consideratè definias, aut definitionem quæ rectè tradita & explicata sit, assumas. Nam vt maior quædam nobis argumentorum copia suppetat, necesse est, quasi exemplar, & quid in definitionibus prætermissum sit, & quid redundet, intueri. [m] Ac de definitionum quidem locis hactenus.

Posterior definitio priorem abolet.

IN CAPVT QVINTVM,

ANNOTATIONES.

Totum duplex.

[a] Atq; etiam illud.) *Hoc capite, ne quid imtactum & indiscussum in hac tractatione relinquat, quem ad modum totum per partes suas definiatur, ostendit. Cùm verò totũ non unius generis ac formæ sit, (est enim aliud* ὃ καθόλου, *quod uniuersale: aliud* ὃ σύνολον καὶ συνεχές, *id quod integrale uocant) de utroq; coniunctim ita agit, ut tria in genera, prout illud diuerse seu constituitur, seu dicẽdo exprimitur, primùm diuidat. Aut enim ita habet, ut partes recto casu de eo enuncientur, aut ut casu enuncientur obliquo,*

Partes de toto vt dicantur.

aut ut partim recto, partim obliquo: id quod ipse ad totius definiti explorandam rationem transferens, his uerbis græcè ait: σκοπῶμεν δὲ εἴτινος ὁρισμοῦ ἀποδιδοὺς τάδε, ἢ τὸ δὲ ἐκ τούτων, ἢ τόδε μετὰ τοῦδε ὡρίσατο. *Pertinent ad hunc locum ea, quæ Cicero in Topicis de diuisionum simul ac partitionum definitionibus scribit in hæc uerba: Atq;*

Partitionũ & diuisionũ definitiones Ciceroni.

etiam definitiones aliæ sunt partitionum, aliæ diuisionum. Partitionum, cùm res ea quæ proposita est, quasi in membra discerpitur, ut si quis ius ciuile dicat id esse, quod in Legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum authoritate, edictis magistratuum, more, æquitate, consistat. Diuisionum autem definitio formas omnes complectitur, quæ

sub eo

sub eo genere sunt, quod definitur hoc modo. Alienatio est eius rei quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure ciuili fieri possunt. Hæc ille.

b Nam si hoc & illud esse.) *Primum genus est, ἐὰν μὴν τὰ δ' ἕκαστα, quod fit, cùm totũ, seu diuisione, seu partitione explicatur per rectum casum. Id quod Aristoteles reprehendit. Sic uirtus apud Platonem in Protagora definitur, quòd sit temperantia & sanctitas, quam finitionem ibidem Socrates reiicit. Sic domus 1. de Animo, cap. 1. definitur, quòd sit lapides, lateres, & ligna. Ad hunc modum & iustitiam in præsens Aristoteles definit esse temperantiam & fortitudinem. Quam definitionem duabus rationibus minus conuenientem esse, hoc ipso loco deinceps declaratur.* Totum & partes recto casu vt definiat.

c Fiet vt & virique) *Hæc prior ratio est ex incommodo, ut uidetur, ducta. Si hoc modo seu totum, inquit, seu genus, aut partium, aut specierum enumeratione, finiri potest, eueniet, ut cum pluribus eadem definitio simul applicetur, etiam nullis ijsdem reuera respondeat. Id quod argumento à coniugatis per fictionem deinde confirmatur.* Ratio ex absurdo.

d Nam si duo sint.) *Fictione utitur, Sint duo, quorum alter temperantia, alter fortitudine sit præditus, hi duo cùm partes absoluendæ iustitiæ obtineant, iustitiam simul in tegram possidebunt: at cùm neuter utramq; partem simul habeat, uterq; iustitia carebit. Sic fiet, ut & utriq; simul, & neutri separatim eadem uirtus conueniat.* Fictionis exemplũ.

e Quòd si hoc non.) *Quia prægrediens ratio minus firmitatis obtinet, ad alteram transit, quæ est, superiore definiendi ratione concessa, duo contraria in eandem rem subiectam simul esse casura. ἐὶ δὲ μήπω τὸ ἐιρημένον, inquit, σφόδρα ἄτοπον, ἀλλ' ὅμως τόγε ταὐτὰ ἔσεσθαι τοῖς αὐτοῖς παντελῶς ἄτοπον δ' ὄξαιεν ἂν εἶναι. Transitio est κατὰ πρόληψιν.* Altera ratio.

f Duos habere minam.) *Scilicet coniunctè, quomodo & duo coniunctim unam domum, agrum, prædium, & similia possident, quarum rerum possessio neutri tamen separatim attribui poterit. Et sic de alijs.*

g Quod fiet si eorum.) *Hæc ratio similiter καθ' ὑπόθεσιν explicatur. Mireris uerò, cùm stoici (quam sententiam non uno loco & Cicero sequitur) hoc disputent, omnes uirtutes simul coniunctas et quasi iugatas esse, ut qui unam ex istis habeat, is omnes simul habeat: quo pacto & temperantem cum ignauia, & fortem cum intemperantia commercium habere posse, Aristoteles hîc dicat. Verùm quis nescit istam Stoicorum sententiam, ut alias permultas, in genere Paradoxorum esse? Atq; ut probabilis quoq; ac uera eadem sit, hîc ex uulgi opinione & sententia loqui Aristotelem existimabimus.* An qui vnam virtutem habet, oẽs habeat iuxta Stoicos.

h Omninoq; omnia arg.) *Ostendit, unde ad superioris definitionis generis labefactationem argumenta assumi possint, ut in præsens breuitati consulat. Nempe ex eo loco, τὰ μέρη τε μὴ ὅλον οὐ ταὐτὸν εἶναι.*

i Totum non esse idem quod partes.) *Verum id quidem est, si rationem & totius,*

Totũ subiecto cũ partib. idẽ

totius, & partium separatim consideres. Nam si materia subiectumq; utrobiq; inspiciatur, nihil inter partes totumq; interesse uidebitur. Nimirum cùm totũ non aliud sit, quã partes suæ simul coactæ & aggregatæ, de quo uide lib. 1. de Natura, cap. 2.

Totũ integrale ex partibus dissimilibus

k Ab ijs, in quibus.) Cùm hactenus de genere, seu toto uniuersali, loquutus esse uideatur: monet apertiorem antè positæ definiendi legis confutandæ rationem in toto integrali suppetere, maximeq; eo, quod dissimilibus partibus constat, teste Alexandro, cuius quidem exemplum domus est, de qua ex 1. de Animo, iam antè meminimus. μάλιστα δ' οἰκεῖοι γίνονται οἱ λόγοι ἐφ' ὅσων κατάδηλος ἡ τῶν μερῶν ἐστὶ σύνθεσις, καθάπερ ἐστὶν οἰκίας καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων.

l Nihil prohibere.) Maximè si non in unum redigantur & componantur. Requiritur enim ad totius constitutionem partium aggregatio.

Totum δ' ἐκ τούτων.

m Si verò res quæ def.) Loquitur de altero genere τῶν ἐκ τούτων, id quod integralis præcipuè totius proprium, partium enumerationẽ obliquo casu exprimit. Ad hũc modum domum definimus, id quod ex lapidibus, lignis, et ferramentis, uel potiùs quod ex tecto, fundamento & parietibus, constat. Quod uerò ad hunc ipsum definiendi modum attinet, diuersis rationibus eum oppugnari & subuerti posse Aristoteles demonstrat. Nã si neq; unum ex illis partibus quæ assumuntur, natura coalescere doceatur, & si totum in una quidem re prima constare, partes uerò uel aliæ in alijs niti, uel non in eadem re prima cum toto cohærere uideantur, labefactatur & euertitur definitio. Suntq; plures hi modi alij, de quibus ex ordine nunc subijcitur.

Quibus modis impugnetur

n An vnum aliquod ex ijs.) εἰ μὴ πέφυκεν ἕντι γίνεσθαι ἐκ τῶν εἰρημένων.

o Id ne quod definitione.) εἰ τὸ μὲν ὡρισμένον ἐν ἑνίτινι τῶν πρώτῳ πέφυκε γίνεσθαι. Ἧς τὸ ὡρισμένον, δ' ὁριστόν, καὶ τὸ ἐκ τούτων συγκείμενον uocat. Hoc est, ipsum totum, quod explicare definiendo quis nititur. Id in prima re aliqua naturà inest, quemadmodum prudentia ἐν τῷ λογιστικῷ, temperantia ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ, fortitudo ἐν τῷ θυμοειδεῖ primùm inest, de quo superioribus libris prædictum est.

δ' ὡρισμένον.

p Præsertim cùm in quo partes.) ἐν οἷς καὶ τὰ μέρη καὶ δ' ὅλον ἀνάγκη ὑπάρχειν. Quod & retro uicissim conuertit Alexander, his uerbis: ἐν ᾧ γὰρ τὸ ὅλον, ἐν ἐκείνῳ δεῖ καὶ τὰ μέρη εἶναι.

q In vna re prima insint.) Quemadmodum & uirtus, et uirtuti subiectæ species, fortitudo, temperantia, & prudentia, in animo, licet in diuersis animi partibus species cohæreant, ut paulò antè dictum est.

r An vnà etiam partes.) Quo modo & genere sublato, tolluntur species, & sublato corpore tollitur extremitas, & extremitate sublata tolluntur lineæ, et his ablatis sustolluntur puncta, teste Alexandro.

s Contrà enim effici debet.) ἀνάπαλιν γὰρ δεῖ συμβαίνειν τῶν μερῶν φθαρέντων

ξένων φθειρεσθαι τὸ ὅλον, τῶν δὲ ὅλων φθαρέντος, οὐκ ἀνάγκη καὶ τὰ μέρη ἐφθάρθαι.

In hunc locum uide Porphyrium, cap. 6. in collatione generis & differentiæ. Quod partibus interemptis totum interiturum ait, id uel de omnibus partibus simul iunctis, uel certè de primarijs & constituendæ rei partibus intellige. His enim talibus de medio sublatis & interemptis, totum simul interit. Si uerò aut constitutæ rei partes, aut minus principales eas intellexeris, nõ necesse est cum illis simul totũ interire & perimi. Neq; enim ut capite, & uitalibus corporis membris & partibus sublatis interit homo: ita si aut manus, aut pes, aut brachium, amputetur, necesse est eundem extingui. At quomodo toto peremptо, non necesse est & unà partes è conuerso perire? Num tota domo funditus euersa, aliqua partium remanere & superesse poterit? Quòd si uniuersim totum aboleatur, omnes profectò partes simul interire necesse est. At si quædam ex parte intereat, uti tecto & parietibus in domo dirutis, fundamentum sanè reliquum esse nihil prohibet.

Partib. interemptis vt totum intereat.

Et contrà

t An totum bonum, vel mal.) *Quia totum & partes eiusdem sunt naturæ, iuxta id quod 1. de Cœlo, cap. 3. Aristoteles ait:* ὁ γὰρ αὐτὸς λόγος καὶ περὶ τοῦ ὅλου καὶ μέρους: *uult si alterum uel in bonis, uel in malis fuerit, & alterum necessariò tale esse futurum: Propter eaq; si hîc aliqua dissimilitudo & discrepantia interueniat, minus rectè explicatas esse finitiones iudicari debere. Quò fit, ut illa humani boni finitio apud Platonẽ in Euthydemo minus probanda uideatur, qua Sophista humanum bonum definit id, quo homo sanus, formosus, opulentus, & potens est. Quanquam aduersus hunc locum paulo infrà exceptionem quandam Aristoteles adducit.*

Totũ & partes eiusdem rationis.

Humanũ bonum quod.

x Vt si exẽpli gratia, impu.) ὅτι ἐν ἀναίδεια ἢ ἀνδρείας καὶ ψευδοῦς δόξης.

x Debuit igitur etiam id.) εἰκὸς οὖν καὶ τὸ ἐκ τούτων ἀκολουθεῖν ὡς μᾶλλον.

Quippe cùm à potiore & eminentiore parte denominatio ducatur, iuxta illa, quæ 5. Tusculanarum in eandem sententiam Cicero ait: Nam ut quæstuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur, non si altera semper omni damno, altera omnis tempestatis calamitate semper uacat, sed si multo maiore ex parte extat in utraq; felicitas: sic uita non solùm si undiq; referta bonis est, sed si multo maiore & grauiore ex parte bona propendent, beata rectè dici potest.

A maiore & grauiore parte totũ denominat.

y Quod tamen non necesse.) *Superiori loco* κατ' ἔνστασιν *resistit, docens non omnino eum uerum esse, nisi utrinq; & totũ & partes, in ijs quæ per se bona maláue sint, spectentur. Nam si cæterorum ratio ineatur, quæ per se nec bona, nec mala sint, sed horũ utrorumq; efficientia, in ijs fieri posse, ut et ex non bonis bona: & ex non malis, seu mala, seu* οὐδέτερα, *hoc est, indifferẽtia oriantur, quemadmodum id exemplo pharmacorum,* ἐπὶ τῶν ὑγιεινῶν καὶ τῶν νοσωδῶν καταφανὲς, *hoc est, perspicuũ esse testatur. Quædam enim separatim illa quidem conferunt, at permixta obsunt: quædam contrà obsunt quidem separatim, at permista & confusa prosunt. Quanquã priorum tantummodò hîc*

Ex nõ bonis bona vt fiant, & contrà.

Aristoteles meminit, at de posterioribus meminit & Alexander.

1 An ex meliore & deterio.) Perinde ut ex recta ratione simul ac praua cupiditate constat ἡ ἐγκράτεια, hoc est, continentia, quæ tamen ut praua cupiditate melior est, sic recta ratione est deterior, quemadmodum his uerbis Alexander docet, διὸ ἡ ἐγκράτεια συγκειμένη ἕκτε ὀρθῷ λογισμῷ καὶ φαύλης ἐπιθυμίας, φησὶ μὴ φαύλης ἐπιθυμίας ὅτι βελτίων, χείρων δὲ τῷ ὀρθῷ λογισμῷ.

Continentia quib. constet.

a An ne hoc quidem.) ἔνσασιν affert, uolens iam dicta de partibus per se bona intelligenda esse, propterea quòd aliter secus accidere posit, ut suprà de medicinis quibusdam modo docuit.

b Illud etiam, eodémne no.) Non uult totum partibus σύνωνυμον esse, in hoc genere compositionis. ἔτι εἰ συνώνυμον δ' ὅλον, inquit, θατέρῳ. Loquitur ergo hic de toto & partibus, quæ diuersi sunt generis.

Totũ an partib. synonymũ.

c Sicuti nec syllabæ.) Literis sunt cognomines καὶ συνώνυμοι. A simili docet.

d Vitiosum est etiam.) Vult in hoc genere definitionis & ἀρτρόπον φησὶ συνθέσεως quodammodò exponi, ut clariùs res intelligatur. οὐ γὰρ ἄνταρκες, inquit, πρὸς ἀγνωρίσαι, δεῖσθαι ἐκ τότων. οὐδὲ γὰρ δ' ἐκ τότων, ἀλλὰ καὶ ὅντως ἐκ τότων ἑκάστῳ τῶν συνθέτων ἡ οὐσία, quemadmodum domus exemplo confirmat.

Cõcretionis modo hic explicandus.

e Si quæ res quouis modo.) Certo enim ordine quæq; disponenda & collocanda sunt, ut primum sit fundamẽtum, inde parietes erigantur, tum deniq; imponatur tectum.

f Quòd si quid esse.) Transit ad tertiũ genus τόδε μετὰ τόδε, id quod cum superioribus duobus, si rem spectes, quodammodò conuenire ostendit. Hoc genere partim recto casu, partim obliquo, ut antè diximus, partes in describendo toto enunciantur.

τόδε μετὰ τόδε.

g Qui enim dicit aliquid.) Verbi causa, mulsum, hydromel, & cæt.

h Ita si vtrumuis horum.) Separatim scilicet cum toto conuenire dicat.

i Eadem omninò sumenda sunt.) Eadem, ex ijsdem locis dicit, quos hactenus exposuit. ταῦτα ἁρμόσει, inquit, λέγειν, ἅπτες πρὸς ἑκάτερον τότων ἐμπροσθεν εἴρηται.

k Deinde diuisione adhib.) Gratia clarioris doctrinæ, distinguit τόδε μετὰ τόδε in tria genera. Vel enim de eodem subiecto intelligi potest, uel de eodem loco, uel de eodem tempore: quorum omnium si nulla ratio in describendo toto obseruata sit, uult ineptam prorsus uitiosamq; totius descriptionem esse. μηδαμῶς δ' ἁληθὲς ἦ, ait, δ' εἰρημένον ὑπὸ τότων, δῆλον ὅτι οὐδενὸς ἂν εἴη ὁ ἀποδοθεὶς ὁρισμός.

τόδε μετὰ τόδε tripartitum.

l Sin diuisione adhibita.) Hîc tertij generis de eodem tempore declarationẽ subijcit, in qua uult ad eundem finem utrasq; partes, per quas totum explicabitur, eodem tempore item referri. Neq; enim si audacia spoliandi quis præditus sit, & si mul salubria & insalubria cognoscendi rationem habeat, is fortis continuò habendus est, tametsi fortè per audaciam

Toties ptes simul ad eundẽ finem referentur.

audaciam cum recta ratione & intelligentia fortitudo finiatur: Quid ita? quia partes, ut audacia & sanam intelligentiã, οὐκ ἔχει πρὸς ταὐτὸν λέγεσθαι τέλος, ut ipse ait.

m Vt si quis fortitud.) Fortitudinẽ, τὴν τόλμαν μετὰ διανοίας ὀρθῆς definit.

n Iam verò illud etiam.) Clariùs superiorem locum exponit. Neq; enim satis est ad eundem finem utrimq; partes referri, nisi & finis ad quem referuntur, cum toto conueniat. Ita audacia in administrandis pharmacis, & recta intelligentia in ijsdem conficiendis, tametsi utrimq; πρὸς τὰ ἰατρικὰ referantur, quia tamen hæc ad fortitudinem nihil pertinent, non possunt ad eandem definiendum antegressæ res conuenienter adhiberi. Et partiũ & totius, finis idem

o Ad finẽ fortitudinis, qualia sunt.) Quod belli pericula, τοὺς πολεμικοὺς κινδύνους, fortitudinis hîc finem uocat, in eo paulo inconsideratiùs loquitur. Neq; enim bellica pericula, tam fortitudinis finis sunt, quàm illius quasi materia, & subiectum, in quo uersatur, de quo uide, quæ lib. 3. Nicomachio. Ethicor. Aristoteles disputat, capite 6. Id autẽ significare uolens, deinceps subijcit, aut si quis alius, et cæt. Fortitudinis finis, Græcè φησὶ ἀνδρείας τέλος hîc dicitur. Fortitudinis finis an belli pericula.

p Sunt autem quædam.) Prædictis modis τοῦδε μετὰ τοῦδε, quartum genus hîc adijcit, id quod propriè causæ efficientis designationem præfert. Quale est, quum iram definimus λύπην μεθ' ὑπολήψεως τοῦ ὀλιγωρεῖσθαι, hoc est, dolorem seu tristitiam cum cõtemptus suspicione, hoc est, quæ ex contemptus suspicione oritur, uti causa. Ira quid.

q Hoc autem ex illo nasci.) τόδε διὰ τοῦτο γίνεσθαί τι, οὐκ ἔστι ταὐτὸν τῷ μετὰ τοῦτο τόδε εἶναι.

q Rursus si quis.) Quod paulo suprà modum & formam compositionis in toto finiendo accuratè explicandam esse monuit, id hoc loco subiectis alijs exemplis, & carnis, & ossis, de integro repetit & inculcat. πάλιν ἐπὶ τῶν τοιούτων, inquit, σύνθεσιν εἴρηκε τὸ ὅλον, πρῶτον μὲν σκοπῶμεν, εἰ μὴ εἴρηκε ποία σύνθεσις, & cæt.

s Sed si hoc modo.) Qui iste modus sit, de eo Physicorum, aut si mauis, Medicorũ proprium est disserere.

t Quanquam neutrum.) Superiorem locum castigat, docens impropriè seu compositionis, seu concretionis nomine se totum paulo antè appellasse. Neq; enim totum cũ concretione omnino idem ualet, id quod duobus argumentis deinde declarat. ἔοικε δ' εἶναι, inquit, τὸ πάσαν συνθέσει ταὐτὸν, οὐδ' ἕτερον τῷ εἰρημένῳ. Castigatio prioris loci.

u Præsertim cùm omni.) Prius argumentum, Toti nihil contrarium est: omni autem concretioni contraria est dissolutio. Ergo. συνθέσει μὲν γάρ, ait, πάσῃ διάλυσις ἐναντίον, τῷ δ' εἰρημένῳ οὐδ' ἕτερον οὐδ' ἐν. Syllogismus in secundo dispositionis genere tractatur. Totum & cõcretioẽ diuersum

x Iam si æquè probab.) Alterum argumentum diuisione explicatum, in quinto modo connexarum conclusionum: Aut omne concretum compositio est, aut nullum. At

Omne non est, id quod animalium exemplo in medium adducto cõfirmatur, Ergo nullum est. Propositio à pari uim habet, græccq; effertur ad hunc modum, ἐπὶ ὁμοίως πᾶν τὸ σύνθετον σύνθετον εἶναι, ἢ μὴ ἔν. Hoc loco nota τὸ σύνθετον hoc est, concretum seu compositum, idem quod τὸ ὅλον, hoc est, totum designare. Ita τὸ ὅλον, τὸ σύνθετον, τὸ ἐκ τούτων, καὶ τὸ ἐκ τούτων συγκείμενον, synonyma in hac tractatione sunt.

σύνθετον.

z Nullum autem animal.) Τὸ δὲ ζώων ἕκαστον σύνθετον ὄν, μὴ ἔστι σύνθετον.

a Præterea si pari.) Quòd si eidem pariter contraria conueniant, per quæ idipsum explicandum sit, uult utroq; simul, non altero solum idipsum definiendo explicari. Si enim alterum solum ad istud definiendum adhiberetur, cùm æquè positum sit utrumq; rei natura conuenire, sequeretur non unam, sed plures eiusdem rei definitiones extare. Cur enim ex hoc potiùs, quàm ex illo res proposita definiretur?

Pervtrũq; contrariorũ æquè res finienda.

a Sin secus, profectò.) Ex absurdo ratiocinatur. Absurdum est uniius rei plures, essentiales saltem, definitiones constare, quippe quum una tantum simplexq; cuiusq; rei natura sit, ut suprà diximus.

c Quî enim hoc potiùs.) Argumentum est à pari, seu simili, de quibus idem est iudicium. τί γὰρ μᾶλλον, inquit, ὁ διὰ τούτου ἢ ὁ διὰ τοῦ ἑτέρου ὁριζόμενος εἴρηκεν, ἐπεὶ ὁμοίως ἀμφότερα τοιαῦτα γίνεσθαι ἂν αὐτῷ.

d Ex quo genere.) Declarat exemplo τὸ ψυχῆς, quæ ut scientiæ, sic & ignorationis æquè est particeps.

e Quòd si cui ad to.) Meminimus initio huius libri, duplicis generis hæc præcepta de infirmanda & labefactanda definitione ab Aristotele tradi, propterea quòd alia ad totam finitionẽ, alia ad partes eius singulas pertineant. Iam utrauis uia ad eneruandã definitionem quis accedat, nihil interest, quippe cùm non minus parte aliqua confutata & reprehensa, quàm si totam quispiam oppugnet & infirmet, definitio euertatur. Ita hìc sic̃ tra totã finitionẽ argumenta nulla suppetant, ut ad partium euersionem incumbas præcipit, idq; his uerbis: δεῖ δὲ καὶ ἐὰν μὴ πρὸς ὅλον ἔχῃ τις ἐπιχειρεῖν τὸν ὁρισμόν, διὰ τὸ μὴ γνώριμον εἶναι τὸ ὅλον, πρὸς τὸν μεροῦν τι ἐπιχειρεῖν, ἐὰν ᾖ γνώριμον καὶ μὴ καλῶς ἀποδεδομένον φαίνηται. Vide in hunc locum & lib. 1. de Ratiocinatio. cap. 21. & lib. sequentem, cap. 2.

Bifariã definitio oppugnatur

Oppugnatio ex parte.

f Propterea quòd totum.) Quæ uniuersæ definitionis uitia sint, propter quæ illa reprehendatur, de eo uide suprà cap. 1. & 2. Non postremum inter ea locum obtinet ἀσάφεια τῆς ἑρμηνείας κεχρῆσθαι, hoc est, quòd obscuriore sermonis genere & interpretatione effertur, de quo cap. 1. dictum est.

ἀσάφεια τῆς ἑρμηνείας.

g Euersa enim parte.) τῶν γὰρ μέρους ἀναιρεθέντων καὶ ὁ πᾶς ὁρισμὸς ἀναιρεῖται.

h Quæq; obscuræ sunt.) Si obscuritas definitionis offendat, uult clariùs eam exprimi, ut

primi, ut eo faciliùs, quid aduersus eam proferri poßit, intelligatur. Id si facere is qui contrà disputat, fortè tergiuersetur, à te ipso faciendum erit. Cogetur enim respondens, aut ea quæ tu dicis assumere, aut ipse clariùs id quod definitũ est, explanare, sicut his uerbis Aristoteles testatur: ἀναγκαῖον γὰρ τοῦ ἀποκρινομένου ἢ δέχεσθαι δ' ἐκλαμβανόμενον ὑπὸ τοῦ ἐρωτοῦντος, ἢ αὐτὸν διασαφῆσαι τίποτε τυγχάνει τὸ δηλούμενον ὑπὸ τοῦ λόγου.

Clariùs efferenda finitio.

i Iam verò quemad.) Quod paulo antè de obscuriorum rudiorumq; definitionum explanatione & perfectione monuit, idipsum hoc loco simili à ciuilibus ducto legibus confirmat. Quemadmodum posteriores leges sapientiùs constitutæ & introductæ, priores inconsideratiùs latas abrogare & inducere solitæ sint, de eo Iureconsultorum, & historicorum libri legantur. Sic Draconis Atheniensium legumlatoris nimium seueras acerbasq; leges, cùm alias, tum quæ de furibus puniendis lata erat, insequentibus Solonis legibus non paulo mitioribus inductas, & obliteratas esse testatur A. Gellius lib. II. cap. 18. ἔτι καθάπερ ἐν ταῖς ἐκλησίαις, inquit Aristoteles, νόμον εἰώθασιν ἐπεισφέρειν, κἂν ᾖ βελτίων ὁ εἰσφερόμενος, ἀναιροῦσι δὲ ἔμπροσθεν, οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν ὁρισμῶν ποιητέον, καὶ αὐδὲν ὁρισμὸν ἕτερον οἰστέον. ἐὰν γὰρ φαίνηται βελτίων καὶ μᾶλλον δηλῶν τὸ ὁριζόμενον, δῆλον ὅτι ἀνῃρημένος ἔσται ὁ κείμενος.

Posterior. legib. priores abolent.

Simile à foro ductum.

k Quandoquidem non sunt.) Hæc ratio, cur posterior finitio priorem aboleat: nempe quia una tantum cuiusq; rei uera definitio est. ἐπειδὴ οὐκ εἰσὶ πλείους, inquit, τοῦ αὐτοῦ ὁρισμοί. Huius sententiæ & in superioribus ijsdem uerbis meminit.

Vnius vna sola finitio.

l Ad omnes autem defi.) Generalis admonitio, ut cuiusq; rei definitionem accuratè apud te constituas, qua tanquam exemplari & norma bene definiendi tibi oboculos proposita, quid in cæteris omnibus desideretur, quàm facillimè perspicies, et enotabis. Ad hanc uerò rem consequendam, superiorum locorum præceptio et disciplina dictu mirum, quantoperè conduxerit. Quare in ea etiam atq; etiam diligenter Studiosi omnes sese exercebunt. Græca Aristotelis uerba hoc loco sic habent, πρὸς ἅπαντας δὲ τοὺς ὁρισμοὺς οὐκ ἐλάχιστον στοιχεῖον, δ' πρὸς ἑαυδὲν εὐστόχως ὁρίσασθαι τὸ προκείμενον, ἢ καλῶς εἰρημένον ὅλον ἀναλαβεῖν. ἀνάγκη γὰρ ὥσπερ πρὸς πρᾴδειγμα θεώμενον, τότε ἐλλεῖπον ὧν προσῆκεν ἔχειν δὲν ὁρισμὸν, καὶ δ' προκείμενον πριέργως καθορᾶν, ὥστε μᾶλλον ἐπιχειρημάτων εὐπορεῖν.

Bene finiendi ratio tanquã exemplar animo proponenda semper.

m Ac de defini.) Transitio est ad insequentem περὶ τοῦ ταυτοῦ καὶ ἑτέρου explanationem.

ARIS-

ARISTOTELIS STAGIRITÆ TOPICORVM LIBER VII. IOACHIMO PERIONIO BENEDICTINO CORMOERIACENO INTERprete, ad Græci exemplaris fidem diligenter recognitus, vnà cum Annotationibus Gerardi Matthisij Geldriensis, nunc denuò recognitis & locupletatis.

DE EODEM ET ALTERO LOCI QVI, Cap. I.

Idem δ' κυριώτατα.

NVNC [a] vtrum id de quo agitur idem sit, an alterum, [b] eo genere quod de eodem maximè proprium exposui, dicendum est. [c] Idem autem maximè propriè dixi, quod vnum est numero. [d] Ac primus locus sumitur ex casibus, coniugatis, & contrarijs. Si enim iustitia & fortitudo [e] idem sunt, iustus & fortis idem erunt, & iustè idem quod fortiter. Eadem est contrariorum ratio. Nam si qua eadem sunt, eorum etiam contraria eadem erunt, [f] in quauis repugnantia earũ quas exposui. Nihil enim interest, huic an illi contrarium sumatur, quãdoquidem eadem sunt. [g] Alter locus ex ijs ducitur, quæ vim habent efficiendi quid, vel interimendi: itemque ex ortu & interitu, & vno nomine ex ijs, in quibus est aliqua vnius ad alterum affectio. [h] Quæ enim omnino eadem sunt, eorum etiam origines, & interitus ijdem sunt: & ea quæ vim habent efficiendi, & ea quæ interimendi. [i] Atque etiam illud videndum est, an quorum alterum maximè quiduis dicitur, eorum etiam alterum eodem modo dicatur maximè. [k] Quemadmodum Xenocrates beatam vitam & rectam eandem esse docet: quandoquidem recta & integra vita, & beata maximè vna ex omnibus expetenda est: [l] vnum enim esse quod maximè expetatur, & quod maximum sit. Quod idem in cæteris eiusdem generis contingit. [m] Sed illud intelligendum est, vtrumque eorum quæ maximè expetenda esse, aut etiam maxima dicentur, vnum numero esse oportere. Sin secus, esse idem nõ docebimus. Non enim si Græcorum fortissimi sint [n] Peloponesij & Lacedæmonij, continuò Peloponesios & Lacedæmonios eosdem esse necesse est: quandoquidem non vnus numero est populus Peloponesius & Lacedæmonius. Sed vnum alterum complectatur necesse est, quemadmodum Lacedæmonios Peloponesij.

Sit ne vita beata & honesta eadem.

poneſij.[o] Aliter enim fiet, vt ſi alteri alteros non complectantur, ipſi inter ſe meliores ſint. Nam neceſſe eſt Lacedæmonijs meliores eſſe Peloponeſios, ſi alteri alteros non complectantur. ſunt enim cæteris omnibus præſtantiores. Itemque Peloponeſijs anteponuntur Lacedæmonij, quoniam ipſi cæteros vincunt. Ita fiet vt alteri alteris præſtantiores ſint. [p] Perſpicuum eſt igitur, vnum numero eſſe oportere id quod optimum & maximum dicitur, ſi futurum eſt, vt idem eſſe doceatur. Itaque Xenocrates non demonſtrauit, quandoquidem non eadem numero eſt beata & recta vita. Non igitur neceſſe eſt eandem eſſe vitam, quòd vtraque expetenda ſit maximè, [q] ſed alteram ab altera contineri. [r] Rurſus videndũ eſt, duobus propoſitis, [s] ſi quid & vnum eorum idem ſunt, an etiam id et alterum idem ſunt. [t] Si enim ambo non idem valent quod aliquid, quod idem eſt, profectò eadem ipſa non erunt. [u] Iam ex attributis rerum, & ijs rebus quibus hæc ipſa attributa ſunt, ducenda ſunt argumenta, hoc modo: [x] Duobus propoſitis quæ vni attributa ſunt, eadem omnia alteri etiã attribui debent. [y] Et quibus vnum eorum attributum eſt, etiam alterum attribui debet. [z] Et ſi quid horum abſit, profectò ea quæ propoſita ſunt, non ſunt eadem. [a] Videndum eſt etiam, an in vno genere categoriæ minus vtrumque numeretur, vnumque qualitatem, alterum quantitatem, aliud relationem indicet. Illud etiam, an vtriuſque minimè ſit idem genus, ſed vnum bonum, alterum malum: aut hoc virtus, illud ſcientia. Aut ſi genus idem, eædémne minus ſint differentiæ, quæ de vtroque dicantur: [b] ſed de hoc, quæ rem animo cernit ſcientia, de illo ea cuius opus eſt in agendo. Quod idem in cæteris omnibus videndum eſt diligenter. [c] Ex maiore hoc modo ducentur: Si vnum elationem habet, alterum non habet, aut ſi vtrumque habet, ſed non ſimul. [d] Quemadmodum qui vehementiùs amat, non magis concubitum appetit. Ita non idem eſt amor, quod concubitus appetitio. [e] Ex adiunctione hoc modo: Si vtrumq; ad idem additum, idem totum non faciat & reddat. Aut ſi eadem re ab vtroque detracta, quod reliquum eſt, aliud manet. vt ſi quis duplum ſimpli, & multiplum ſimpli idem eſſe dicat. Deiuncto enim ab vtroq; ſimplo, quæ reliqua ſunt idem declarare debent, neque declarant: cùm præſertim duplum & multiplum non idem efficiant. [f] Neque verò id modò videndum eſt, an ex propoſito iam aliquod incommodum efficiatur: ſed illud etiam, [g] an ex fictione poſsit aliquid tale effici. Quod ij ſuſcipere coguntur, [h] qui inane aliquid & plenum aëris idem eſſe dicunt. Perſpicuũ

Categorijs diſtincta.

est enim, [i] si aer euadat & abeat, non minus inane, quin etiam magis futurum esse: quo tamẽ tempore [k] nil est aere plenum. Ergo posito aliquo, siue quod falsum, siue quod verum sit, nihil enim refert, [l] si alterum tollatur eorum, alterum non item, eadem illa non eruut. [m] Atque vt summatim complectar, in ijs quæ de vtroque quouis modo dicuntur, & in quibus hæc ipsa dicuntur, illud considerandum est, aliquóne loco hæc discrepent. Quæ enim de vno eorum quæ eadem sunt dicuntur, ea de altero etiam dici debent omnia, & in quibus vnum dicitur, alterum etiam dici debet. [n] Et quoniam multis modis idem dicitur, an alia genere, aliaque ratione eadem sint, vidẽdum est. Quæ enim eiusdem generis vel speciei sunt, [o] ea non eadem numero sunt necessariò. In eo genere nécne eadem aliqua sint, considerabimus. Postremò si vnum sine altero cohærere potest, [p] certè non idem valebunt. [q] Ac loci qui ex eodem ducuntur, expositi sunt.

IN CAPVT PRIMVM,

ANNOTATIONES.

a Nunc vtrum id de quo.) *Post definiendi rationem & legem superiore libro explicatam, sequitur nunc, ut de eodem et altero tractationem subijciat. Nam quemadmodũ suprà lib. 1. cap. 3. Aristoteles asseruit, hoc genus definiendi rationi ac præceptioni perq̃ finitimum et cognatũ est. Quam ob causam et δ ὁρικὸν idipsum ibi appellat, cùm inquit:* ὁρικὸν μέντοι καὶ δ τοιοῦτον θετέον, οἷον ὅτι καλόν ἐστι δ πρέπον, ὁμοίως δὲ τὸ, πότερον ταυδὴ ἄισθησις καὶ ἐπιστήμη, ἢ ἕτερον, καὶ γὰρ περὶ τοὺς ὁρισμοὺς πότερον ταυδὴ ἢ ἕτερον ἡ πλείστη γίνεται διατριβή. *& cæt. Meminit huius & simili modo Cicero in Topicis lib. ferè extremo in hæc uerba: Ad definitionem autem pertinet ratio et scientia definiendi. Atq; huic generi finitimum est, quod appellari de eodem & altero diximus, quod genus forma quædam definitionis est. Si enim quæratur, idémne sit pertinacia & perseuerantia, definitionibus iudicandum est, & cæt.*

Tractatio de eodem & altero definitiõi cognata.

b Eo genere, quod de eodem.) *Cùm suprà lib. 1. cap. 4. tribus modis τὸ ταυδὴ, hoc est, idem, dici docuerit, nempe, genere, specie, & numero: hîc non uniuersim de eo uerbo se disputaturum admonet, sed secundum præcipuum tantum modum. Nam κατὰ τὸν κυριώτατον τῶν ῥηθέντων περὶ ταυτοῦ τρόπων ῥητέον, inquit. Est autem iste modus tertius, quo τὸ ἀριθμῷ, hoc est numero, idẽ quippiã esse dicitur, quod fit, quoties plura eidem rei nomina attribuuntur. Nam ita τὸ ταυτὸν ἀριθμῷ, lib. 1. Aristoteles describit ὧν ὀνόματα πλείω, τὸ δὲ πρᾶγμα ἕν. Quanquam cùm & hic ipse modus (ut 1. Topicorum Aristoteles significat) uariè dicatur, non omnino hîc intelligendus est, sed tum deniq;, quum idem nomine aut definitione quippiam statuitur, qui & primus & præci-*

Idem trifariam dicitur.

Numero idem & ipsum multiplex.

puus tertij huius generis modus est, ut lib. 1. his uerbis significatur: εἰωθε δὲ τοῦτο ἀποδίδοσθαι πλεοναχῶς, καὶ κυριώτατα μὲν καὶ πρώτως, ὅταν ὀνόματι ἢ ὅρῳ τὸ ταὐτὸν ἀποδοθῇ: καθάπερ ἱματίῳ λώπιον, καὶ ζῶον πεζὸν δίπουν ἀνθρώπῳ.

c Idem autem maximam.) ἐλέγετο δὲ κυριώτατα, inquit, ταυτὸν, τὸ τῷ ἀριθμῷ ἓν. Sic & lib. 1. μάλιστα δ' ὁμολογουμένως τὸ ἓν ἀριθμῷ, ταυτὸν πρὰ πᾶσι δοκεῖ λέγεσθαι. τὸ κυριώτατα ταυτόν.

d Ac primus locus su.) Nunc porro locos subiungit, ex quibus in hanc illámue partem, sit ne idem quippiam an diuersum, intelligi poßit. Hos locos ad quinque genera Cicero reuocat, in Topicis de hac ipsa re disserens ad hunc modum: Loci autem conuenient in eius generis quæstionem, consequentes, antecedentes, repugnãtes, adiunctis etiam duobus ijs, qui sumuntur ex causis & effectis. Nam si hanc rem illa sequitur, hanc autem non sequitur: aut si huic rei illa antecedit, huic non antecedit: aut si huic rei repugnat, illi non repugnat: aut si huic rei hæc, illius alia causa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est: ex quouis horum id de quo quæritur idémne an aliud sit, inueniri potest. Hæc ille. Verùm pluribus hosce locos in præsens Aristoteles exponit. Primus locus in præsens est τῶν συστοίχων καὶ τῶν ἀντικειμένων, hoc est, coniugatorum & contrariorum, qui tametsi in alteram solùm partem ab Aristotele hic exponuntur, tamen in contrarias partes æquè eos ualere sciendum est. Cicero hos loco ad quinq; genera reuocat.

e Idem sunt.) Quod de aiente parte hîc dicitur, idem de negante in suo genere, ut hîc, ita & in sequentibus sentiendum est. Ita si iustitia & fortitudo non sunt idem, etiam iustus & fortis non erunt idem, & cæt.

f In quauis repugnan.) Id est, in quoq; genere τῶν ἀντικειμένων, quæ genera superiùs enumerata sunt quatuor, perinde ut in Categorijs cap. 7. Græcè ait, εἰ γὰρ τάδε ταυτὰ, τὰ ἀντικείμενα τούτοις ταυτὰ, καθ' ὁποιανοῦν τῶν λεγομένων ἀντιθέσεων. Repugnãtia, ἀντίθεσις.

g Alter locus ex ijs.) Hic locus causarum & effectuum est, cui τὰ ὁμοίως ἔχοντα πρὸς ἑκάτερον ob cognationem adiungit. Hîc earundem rerum eædem causæ & ijdem effectus esse dicuntur. Quod caue inuertas, nisi fortè illo Conuersionis genere, quod σὺν ἀντιθέσει, seu κατ' ἀντίθεσιν in Scholis appellatur. Ita enim sequitur, Quorum nec eædem causæ, nec ijdem effectus sunt, ea neq; ἁπλῶς. i. simpliciter & omnino, eadem sunt. Cõuersio κατ' ἀντίθεσιν.

h Quæ enim omnino.) Græcè est, ὅσα γὰρ ἁπλῶς ταυτὰ, καὶ αἱ γενέσεις αὐτῶν καὶ αἱ φθοραὶ αἱ αὐταὶ, καὶ τὰ ποιητικὰ καὶ τὰ φθαρτικά.

i Atq; etiam illud.) Quum in quoq; genere quod maximè excellit & eminet, unũ esse uideatur, iuxta id quod lib. 5 cap. 3. dixit: τὸ γὰρ καθ' ὑπερβολὴν ἑνὶ μόνῳ ὑπάρχει: ostendit, si superlatiuo gradu quippiam aliquibus rebus attribuatur, eas res easdem fore. Quo modo summum bonum & beatitudo, quia maximè utrumq; expetitur, idem τὸ καθ' ὑπερβολὴν in quaque re vnum.

ualent: Simplicißimus motus, & primi mobilis, quia celerrimi sunt, ijdem sunt: Primus Philosophus et sapiens, quia uterq; summam de rebus scientiam obtinet, pro eodem habẽtur, & cæt. Quanquam non simpliciter in omnibus hunc locum ualere deinde ostendit, Xenocratis exemplo in medium proposito. Græcè locus effertur: σκοπεῖν δὲ τὸν ὧν θάτερον μάλιστα λέγεται ὁτιοῦν, εἰ τὸν θάτερον τῶν αὐτῶν τούτων κατὰ τὸ αὐτὸ μάλιστα λέγεται.

k Quemadmodum Xenocrates.) *De Xenocrate uide Diogenem Laertium lib. 4. Meminit huius Aristoteles & suprà lib. 2. cap. 3. Is dixit* δὲν εὐδαίμονα βίον καὶ δὲν σπουδαῖον εἶναι δὲν αὐτὸν, *propterea quòd talis uita* πάντων τῶν βίων αἱρετωτάτη *esse uideretur.*

Xenocrates.

l Vnum enim esse.) ἓν γὰρ τὸ αἱρετώτατον τὸν μέγιστον. *Alludit ad id quod lib. 5. dixit:* τὸ γὰρ καθ' ὑπερβολὴν, *& cæt.*

m Sed illud intelligend.) *Vult ut superior locus rectè tractetur, prædictas res & numero easdem esse, & alteras ab alteris nequaquam contineri. Id enim si fiat, non omnino tales easdem esse futuras, quemadmodum exemplo Lacedæmoniorum & Peloponesiorum demonstrat, quorum utrique etsi Græcorum omnium fortißimi existant, quia tamẽ nec idem numero uterq; populus sit, & alter alterum quodammodo sub sese continet, (sub sunt enim Lacedæmonij Peloponesijs, cùm Lacedæmon Laconicæ urbs sit in Peloponeso) non statim ijdem inter se isti futuri sunt.*

Lacedęmonij & Peloponesij Græcorũ fortissimi

n Peloponesij & Lacedæ.) *De Peloponeso & Lacedæmone, item de harum incolis Peloponesijs & Lacedæmonijs, deq; eorundem uirtute et præstantia, uide Strabonem lib. 8. Geographicῶν.*

o Aliter enim fiet.) *Docet alteros alteris subesse, argumento ex incõmodo ducto. Quia nisi id sit, alteri alteris præstantiores & fortiores essent, quod dici non potest.*

p Perspicuum est igitur.) *Conclusio superioris animaduersionis, qua deinde ad Xenocratici exempli refutationem accedit. Græcè est,* δῆλον οὖν ὅτι ἓν ἀριθμῷ εἶναι τὸ βέλτιστον καὶ μέγιστον λεγόμενον, εἰ μέλλοι ὅ,τι ταὐδὲν ἀποδείκνυσθαι.

q Sed alteram ab altera.) *Sic honesta & recta uita (quia natura sua latiùs patet) beatam & felicem uitam continet.*

t Rursus videndum.) *Hic locus Græcè concisiùs effertur,* πάλιν σκοπεῖν εἰ τῶν θάτερον ταὐδὲν, καὶ θάτερον. *Vult autem si in tertio quopiam duo extrema, quorum mutua affectio inquiratur, aut conueniant, aut non conueniant, & illa pari modo inter se seu conuẽtura, seu non conuentura esse. Quanquam cùm conuentura sunt inter se, non satis est, quomodocunq; in tertio illo conuenire, nisi & tertium illud utriq; sit essentiale. Alexander huius loci exemplum affert, Si hæc duo,* τὸ μέρος καὶ τὸ βροτὸς, *cum homine eadem sint, prorsusq; conueniant, & ipsa inter se numero, hoc est, omnino planeq; conuenient.*

Quæ in tertio cõgruũt, inter se eadẽ quo modo.

nient. εἰ γὰρ ἀνὰ μέρος, inquit, ἑκάτερος ταυτὸν ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου, φανερὸν ὅτι ἄλλος ταυτά ἐστι τοῦ ἀριθμῷ.

s Si quid, & vnum eorum.) Vt homo uerbi gratia, & alterum prædictorum, seu θνητὸν, seu ἔξοτόν, quorum affectio inter se quænam sit, inuestigatur. Sunt autem utraq; κοινὰ θνητὸν, κοινὰ ἔξοτόν, κοινὰ μέροψ, hominis epitheta apud Poëtas, ualēiq; idem ferè quod ἀθνητός, hoc est, mortalis. Quanquam ἄνθρωπος μέροψ, proprie non tam mortalitatem, quàm diuersitatem distinctionemq; seu uocis, seu uultus in hominibus declarat. Dicitur enim παρὰ τὸ μερίζειν, quod est partiri, καὶ τὸ ὄψ, quod & uultum, & uocem pariter significat. De hac uoce uide apud Cælium Rhodoginum lib. 2. cap. 32. Homero perfamiliare ἐπίθετον est, ut homines μέροπας ἀνθρώπους uocet. ἔξοτόν μέροψ hominis epitheta.

t Si enim ambo non idē.) Si in eodem tertio nō simul utraq; conueniant. In negātem partem locum explicat, tu similiter in aientem explicaris, eo modo quo suprà dictum est. Rodolphus Agricola lib. 1. cap. 2. utrumq; canonem effert ad hunc modum, ut dicat quæcunq; duo cuiquam tertio consentanea sint, inter se quoq; esse consentanea, & contrà quorumcunq; duorum alterum consentaneum est alicui tertio, alterum dißidens, ea quoq; inter se dißidere. Duo canones apud Rodolphum.

u Iam ex attributis.) Hic locus superiori cognatus est, quo & attributa ex rebus subiectis, et res subiectas ex attributis, sintne eadem inter se, nec ne, inuestigat. Attributa, τὰ τοῖς συμβεβηκότα Græcè uocat: subiecta, τὰ οἷς ταῦτα συμβέβηκεν. Cùm res subiectæ conueniunt, quæcunq; uni ex illis attribuuntur, illa & cæteris conueniunt. Et cū attributa, quibus unum illorum tribuitur, illis & reliqua possunt. Et contrà. Quanquam quod ad conuenientiam rerum subiectarum attinet, non satis est illas quomodolibet inter se conuenire, ut eorundem attributorum capaces fiant. Necesse est enim & in substantia conuenire, quemadmodum ex illo Aristotelis patet lib. 3. de Natura, cap. 3. οὐ γὰρ τὰ αὐτὰ πάντα ὑπάρχει τοῖς ὁπωσοῦν ταυτοῖς, ἀλλὰ μόνον οἷς δ' εἶναι τὸ αὐτό. Conuenientiū subiectorū & attributorum ratio

x Duobus propositis.) Subiectis inter se planè congruentibus, ut dictum est, quæcunq; alteri istorum attribuuntur, & alteri possunt.

y Et quibus vnum.) Intelligendum est, si attributa inter se conueniant, tum quibus unum eorum conuenit, conuenturum esse & alterum.

z Et si quid horum absit.) Siue ex parte rerum subiectarum, siue ex parte attributorum, quòd uel hæc, uel illa inter se nimirum discrepent.

a Videndum est etiam.) Quæcunq; aut genere, aut differentijs, aut categorijs dißident, ea inter se planè diuersa sunt. Hoc loco nota, quo modo superiorum diuersitas, inferiorum disparitatem & diuersitatem in se includat. Differentiæ, genera, Categoriæ, omnia speciebus superiora sunt, & species rebus singulis. Quocirca ut species differentijs, generibus, & categorijs diuersis inter se separantur, ita & indiuidua seu res singulæ, speciebus. Specierū & indiuiduorū diuersitas vnde spectetur.

Ex superioribus inferiorum discrepantia colligitur.

bus. Quod tamen retrò uicißim conuerti non potest. Neq; enim ut ex superiorum diuersitate & discrepantia, inferiorum colligitur discrepantia & distinctio: ita è conuerso ex inferiorum distinctione & differentia, superiorum dißimilitudo notari & colligi potest. Imo uerò ut superiora ad subiectarum rerum differentiam & discrepantiam afferuntur, ita subiectarum rerum consensus, ad superiorum quasi consensum et conuenientiã docendum adhibetur, quemadmodum his uerbis de eare loquitur Rodolphus lib. 1. cap. 27. Quæcunq; ergo prædicamentis, inquit, differunt, genere differunt, & quæ genere, etiam specie, & quæ specie, singulatim differũt. Contrà quæcunq; singula sunt eadem, hoc est, quæ numero una dicuntur, etiam specie sunt eadem, & quæ specie, ea genere, & quæ genere, prædicamento quoq; sunt eadem. Quò fit, ut maxima differentia, & minima unitas sit in prædicamento: contrà minima differẽtia, maxima unitas sit in singularibus. Hactenus ille. Meminerisergo hos locos tantum esse ἀναστκευαστικούς, qui non ad confirmationẽ, sed refutationem eiusdem pertineant, quemadmodum & illi, qui deinc consequuntur.

Ex inferioribus superiorum vnitas cõtrà.

b Sed de hoc, quæ rem.) Eiusmodi sunt naturalis philosophia, & moralis, quarũ illi is θεωρητικόν, differentia est: huius, δ πρακτικόν.

c Ex maiore hoc modo.) Loquitur de incrementi ratione, quæ si in hoc illoq; uariat, rerum diuersitatem notat. Debent enim res eædem similiter omnino uel intendi, uel remitti. Græcè ἐκ τοῦ μᾶλλον locus uocatur.

Amor à cõgressus appetitione diuersus.

d Quemadmodum qui vehe.) Huius exempli superiore libro meminit, cap. 2. Vult δ ἔρωτα à congressus appetitione diuersum esse, quòd non similiter semper & amare, & concubitum appetere, intensionem recipiant. Fieri enim potest, ut qui maiore alterius amore flagret, minus appetitu τῆς συνουσίας afficiatur, sicut inquit, καθάπερ ὁ μᾶλλον ἐρῶν οὐ μᾶλλον ἐπιθυμεῖ τῆς συνουσίας. Quod ad hoc exemplũ attinet, quædam de eodem & 2. lib. de Ratiocinatione attigimus, cap. 10.

e Ex adiunctione.) Si qua eidem tertio uel adiuncta, uel detracta, idipsum nonidem quæq; in suo genere efficiant, ea diuersa sunt. Locus ἐκ τῆς προσθέσεως καὶ τῆς ἀφαιρέσεως nominatur.

Locus ex hypothesi & fictione

f Neq; verò id modò.) Hactenus de comparatione rerum egit, earum quæ uerè sunt: nunc si alterum modò sit, alterum uerò esse ponatur, ijsdemq; sic positis, aliquid consequatur incommodi, docet non eadem ista, sed diuersa necessariò esse. Locus ex hypothesi absurdum conficit, ex cuius demonstratione, ea quæ idem esse ponebantur, nõ idem, sed diuersa esse confirmat. Non dißimile est huic loco id quod Fabius lib. 5. cap. 10. de sumendis à fictione argumentis ait ad hunc modum: Illud adijciendum uidetur, duci argumenta non à confessis tantum, sed etiam à fictione, quam Græci καθ' ὑπόθεσιν uocant, & cet.

Thesis qd.

g An ex fictione.) Fictio, græcè ὑπόθεσις dicitur: Propositum, θέσις. Thesis uerò definitur lib. 1. cap. 7. quòd sit ὑπόληψις παραδόξου τῶν γνωρίμων τινὸς καὶ φιλοσοφίαν.

h Qui

h Qui inane aliquid.) Græcè τὸ κενὸν καὶ τὸ πλῆρες ἀέρ᾽ uocat, quorum ut hoc τὸ πλῆρες ἀέρ᾽, reuera in natura est, ita illud τὸ κενὸν, solum ponitur & fingitur esse, iáq; à Leucippo, Democrito, & cæt. quemadmodum permultis in locis Physicorum Aristoteles demonstrat, ut lib 1. de Natura, cap. 5. & alibi: Estq; hæc thesis, ex qua καθ᾽ ὑπόθεσιν absurdum consici deinceps ostendit. Vide de hac thesi Aristotelem lib. 4. de Natura, cap. 6. τὸ κενὸν à quibus ponatur.

i Si aer euadat & abeat.) Ex loco quopiam, in quo utraq; inesse ponebantur. Hæc pothesis est, qua falsum & absurdum colligitur.

k Nil est aere plenum.) Propterea quòd expirarit. Ita inane aliud esse, quàm τὸ πλῆρες ἀέρ᾽, comprobatur: aut certè quod plenum est aere, idipsum nõ plenum erit. Quo modo contradictio sequitur τὸ ἀδύνατον efficiens.

l Si alterum tollatur.) Vt iam de aere positum est, altero in natura permanente.

m Atq; vt summatim dicam.) Quæ omnino sunt eadem, ijsdem uerè & subijciuntur, & attribuuntur omnia. ὅσα γὰρ θατέρου, inquit, κατηγορεῖται, καὶ θατέρου κατηγορεῖται ὡς ἓν, καὶ ὧν θάτερον κατηγόρηται, καὶ θάτερον κατηγορεῖται ὡς ἓν. Quòd si uerò qua discrepantia incidat, non eodem modo tum fieri credendum est. Eorũdem eadem & subiecta & attributa

n Et quoniam multis modis.) ἔτι ἐπεὶ πολλαχῶς τὸ ταυτόν λέγεται. De hoc uide cap. 4. lib. 1. Topicõrũ.

o Ea non eadem num.) Sic & homo & asinus, quæ genere eadem sunt, & Callias & Sophroniscus, quæ specie conueniunt, inter sese numero discrepant. τὰ γὰρ εἴδει, ait, ἢ γένει ταυτὰ, οὐκ ἀνάγκη ἀριθμῷ ταυτὰ εἶναι. At de hoc suprà ex Rodolpho.

p Certè non idem valeb.) Quid ita? quia sic idem quippiam à se ipso distrahi & separari posset.

q Ac loci qui ex eodem.) Conclusio per transitionem. Quod de eodem, τῷ ταυτῷ, hactenus ex professo ait, id & de altero seu diuerso similiter intelligendum est. Sunt enim ea contraria, quorum ἡ αὐτὴ ἐπιστήμη est, ut sæpe in antegressis diximus. Idem & aliud contraria.

ALII LOCI DE FINITIONIS CONFIRmatione, Cap. 2.

EX a ijs autem quæ adhuc exposita sunt, intelligi potest, omnes locos b qui valent ad refutandam quęstionem de eodem, esse c accommodatos ad refutationem definitionis. Nam si nomen & definitio nõ idem declarent, certè non vera erit quæ constituta definitio est. d Eorum autẽ locorum qui ad confirmandum quid sumuntur, nullus ad definitionem probandam valet. Non enim satis est ad confirmandam definitionem idem esse id quod definitioni, nominiq; quod diffinitur subiectum est, docere, sed e cætera omnia quę proposuimus, complecti debet definitio. Qui ex 5. dictis locis ad definitionem accommodentur

Sic

Sic igitur definitionem, ex ijſque locis euertere debemus. [f] Quòd ſi probare eam & conſtituere velimus, primùm intelligendum eſt, neminem aut paucos certè eorum qui diſputant, [g] definitionem per ratiocinationẽ tractare & concludere ſolere, eamque omnes [h] principio initioq; ſumere. Cuiuſmodi ſunt geometræ, & ij qui in numerorum ratione verſantur, cæteriſque diſciplinis generis eiuſdem. [i] Deinde illud intelligendũ eſt, non eſſe huius diſputationis ſubtiliter explicare, quid ſit definitio, & quemadmodum ſit definiendum. Nunc quidem [k] quoad hic locus poſtulare videtur, eatenus hoc ſolùm dicendum eſt, [l] & definitionem, & vim naturamque rei per ratiocinationem poſſe concludi. [m] Nam cùm definitio oratio ſit, quæ quid ſit res explicat, [n] eaque ſola quæ in definitione dicuntur, in natura rei dici debeant: (dicuntur autem de natura rei [o] genera & differentiæ) profectò ſi quis ea ſolum ſumat quæ de natura rei dici debent, quæ hæc ipſa complectetur oratio, definitio ſit neceſſe eſt. Non enim aliud definitio eſſe poteſt: quandoquidem nihil aliud in rei natura dicitur. Ergo illud quidem perſpicuum eſt, definitionem per ratiocinationem poſſe concludi. [p] Quibus autem ex locis ſumenda ſint argumenta ad conſtruendam definitionem, alijs libris accuratiùs expoſuimus, ad hunc autem locum pertinẽt qui ſequuntur. [q] Ex ijs enim contrarijs quæ aduerſa dicimus, & cæteris contrarijs eliciẽda ſunt argumenta, ſiue totam definitionem, ſiue ſingulas partes ſpectemus. [r] Nam ſi oppoſita & contraria, oppoſiti definitio eſt, ea etiam quæ ſtatuta, & poſita eſt, [s] eius ſit de quo agitur neceſſe eſt. [t] Quoniam autẽ aduerſorum plures ſunt coniunctiones, ſumenda eſt ex aduerſis quæ contraria definitio videatur maximè. [u] Ac ex tota quidem definitione argumenta, quemadmodum expoſui, trahenda ſunt. Ex partibus autem hoc modo, [x] & primùm ex genere: Si contrarium in contrario eſt, id autem de quo agitur, non eſt in eodem, certè in contrario genere erit: [y] quandoquidẽ neceſſe eſt contraria, aut in eodem genere eſſe, aut in contrarijs. Atq; etiam contrarias differentias [z] de contrarijs dici æquum putamus. vt exempli cauſa, de albis & nigris, quorum de his quod vim habet comparandi, de illis quod vim habet diſſipandi aſpectus, dicitur. Ita ſi de contrario contrariæ dicuntur, profectò de eo quod propoſitum eſt, [a] eæ etiam differentiæ quæ ſtatutæ ſunt, dicentur. [b] Ex quo fit, vt quoniam & genus, & differentiæ rectè explicatæ ſunt, definitio vera ſit quæ data eſt. [c] Aut nõ neceſſe eſt, in contrarijs contrarias dici differentias, niſi in genere eodem contra-

Definitio quo pacto ſyllogiſmo confirmetur.

Loci conſtruendæ definitionis

Cõtrario-rũ partium

contraria reperiantur. Quorum autem contraria sunt genera, nihil prohibet eandem differẽtiam de vtrisque dici, vt de iustitia & iniustitia: quorum illa virtus, hæc vitium animi dicitur. Ita animi differentia in vtroque dicitur, [d] quoniam corporis etiam sua virtus est, & vitium. [e] Hoc igitur verum est quidem certè, contrariorum aut contrarias, aut easdem esse differentias. Si ergo de contrario contraria dicitur, de hoc autem nõ item: profectò in hoc ipso ea quæ statuta est, intelligetur. Cùm autem ex genere & differentijs definitio sit, [f] si contrarij perspicua & clara sit definitio, eius etiam de quo agitur, perspicua claraq; erit definitio. Quoniã enim contrarium in eodem genere est in quo alterum contrarium, aut in contrario, [g] eodemq; modo differentiæ aut contrariæ de contrarijs, aut eædem dicuntur: certè de eo quod in cõtrouersiam incidit, aut idem genus quod etiam de contrario dicetur, & differentiæ contrariæ vel omnes, [h] vel nonnullæ, & cæteræ eædem, vel contrà differentiæ eædem, & genera contraria, [i] vel vtraq; contraria & genera & differentiæ, quoniã eadem esse vtraq; non possunt. [k] alioqui contrariorum eadem erit definitio. [l] Ex casibus etiam & coniugatis ducuntur argumenta. [m] Genera enim alia alia sequuntur, & definitiones aliæ alias, hoc modo: [n] Si obliuio est depulsio scientiæ, etiam obliuisci depellere sciẽtiam erit: & oblitum esse idem quod depulisse sciẽtiam. Si igitur vnum eorum quæ dixi, concessum sit, cętera etiam concedantur necesse est. [o] Itemq; si interitus dissolutio est naturæ, interimere etiam erit dissoluere naturam, & accõmodatè ad interimendum, idem quod accommodatè ad dissoluendum. Et si id quod vim habet ad interimẽdum idem est, quod id quod vim habet ad dirimendam naturam, interitus etiam diremptio erit naturæ. Eadem est cæterorum ratio. Ita fit, vt si vnum quodlibet sumptum sit, [p] etiam reliqua omnia concedantur. [q] Ex ijs quæ eodem modo inter se affecta sunt hoc modo: Si id quod salubre est, efficiens est valetudinis, id etiam quod valet ad firmam constitutionem corporis, efficiens erit firmæ corporis constitutionis: & quod prodest, ad bonum efficiendum pertinebit. Eodem enim modo ad suum quicque eorum finem affectum est. Ita si vnius eorum definitio est, vim habere ad efficiendum finem, vniuscuiusque etiam cæterorum hæc propria erit definitio. [r] Ex maiore etiam, & ex paribus quot modis licet confirmare, duo cum duobus comparantur, hoc modo: Si hæc magis huius rei, quàm illius rei definitio est: quæ autem minus videtur, definitio est, etiam quæ magis videtur, defi-

eædẽ, partim contrariæ differentiæ.

nitio erit. Et si pari ratione hæc huius rei, & illa illius rei definitio est, & vna alterius rei est, reliqua etiam reliquę rei erit. [f] Quòd si vna definitio cum duabus rebus, aut res vna cum duabus definitionibus conferatur, nullus huius loci vsus erit. [g] Neq; enim duarum rerum vna definitio, neque duæ vnius rei definitiones esse possunt. [h] Maximè autem apti & accommodati sunt ex omnibus loci, ij qui modò expositi sunt, & qui ex casibus coniugatisque sumuntur. Itaq; ij maximè in mente & cogitatione defixi atque parati esse debent. (maximè enim apti sunt ad multas quæstiones) atq; etiam ex cæteris omnibus ij qui latissimè patent, quoniam ex cæteris omnibus valent plurimùm. [k] vt si propositis rebus singulis & formis, videas, an in ea omnia conueniat definitio, [l] quandoquidem synonyma est species. Qui quidem locus contra eos etiam valet, vt suprà dixi, qui ideas esse ponunt. [m] Iam si per translationem nomen quod definitur dixit, aut idem de se dixit vt alterum, & si quis alius locus [n] latè pateat, firmusque sit, is adhibendus est.

Qui loci ad hanc rē aptissimi.

IN CAPVT SECVNDVM,

ANNOTATIONES.

[a] Ex ijs autem quæ adhuc.) *Post explicatos locos τοὺς πρὸς Θ ταυτὸμ, relabitur nunc ad quæstionem περὶ τοῦ ὅτι, docens quando demum & quo modo ea, de cuius refutatione superiore libro dissertū est, in disputando asseri & confirmari definitio queat. Quanquam antequam de hoc ipso agat, quis antegressæ tractationis locorum τῶν πρὸς Θ ταυτὸμ usus sit, quod ad insequentem disputationem attinet, initiò demonstrat. Cùm itaq; locorum πρὸς Θ ταυτὸμ, alij ἀναστευαστικοὶ sint, qui ad refutandam quæstionem valent, alij qui ad eandem confirmandam, κατασκευαστικοὶ: superiores illos ad definitionum labefactationem in primis valere asserit: posteriores uerò ad confirmationem definitionum non item.*

Redit ad locos definitionis.

Loci duplices.

[b] Qui valent ad refutandam.) *Græcè ὅσοι πρὸς Θ ταυτὸμ ἀναστευαστικοὶ τοῦτοι dicuntur.*

[c] Accommodatos ad refutatio.) *Græcè πρὸς ὅρου χρησίμους tantum ait. Verùm clariùs hîc interpres.*

[d] Eorum autem locor.) *τῶν δὲ κατασκευαστικῶμ τούτωμ.*

[e] Cætera omnia quæ proposui.) *Nempe libro superiore de uia ac ratione definiendi. Illa sunt, ut & rei naturam definitio explicet, & ex prioribus notioribusq; progrediatur, & sic deinceps.*

[f] Quòd si probare eam.) *Priusquàm ad confirmandæ definitionis locos aggrediatur, hoc loco ostendit quodam modo & ratiocinatione eam defendi & comprobari posse.*

Quanq̃

Quanquam id non tam necessaria, quàm uerisimili tantũ ratione fieri Alexander admonet, ne ea quæ lib. 2. de Demonstratione, nonnullis capitibus in diuersam sententiam disseruntur, cùm hoc loco pugnare existimes. Est ergo infirma & Dialecticorũ tantum propria, ea quæ per syllogismum fit, asserendæ definitionis ratio. Id quod in præsens quoque Aristoteles declarat, cùm aut nullos, aut paucos τῶν διαλεγομένων ἂν ὅρον συλλογίζεσθαι ait.

Definitio vt syllogismo cõprobetur.

g Definitionem per ratiocinat.) Id quẽadmodum fiat, uide lib. 2. de Demõstrat. cap. 2. & deinceps. Græcè uno uerbo τὸ ὅρον συλλογίζεσθαι ait, definitionem per ratiocinationem tractare & concludere.

h Principio initioq; sumere.) Tanquàm per se confessam & euidẽtem, id quod sequentibus Mathematicorum τῶν περὶ γεωμετρίαν καὶ ἀριθμοὺς, & cæt. exemplis docet. Græcè ἀρχὴν τὸ τοιοῦτον λαμβάνειν inquit.

i Deinde illud intel.) Ostensurus, quo pacto definitio per ratiocinationem cõcludatur, excusat se, quòd minus accuratè quid definitio sit, quæq; ars bene definiendi, hîc aperiat. Excusatio reiectione constat, quòd istarum rerum explicatio non sit præsentis instituti propria, cùm magis ad Analyticen, & Metaphysicen pertineat, unde & lib. 2. de Demonstratione, & lib. 6. primæ philosophiæ accuratiùs καὶ δι' ἀκριβείας eadem ab Aristotele explicantur. In hunc locum uide Rodolphum Agricolam lib. 2. cap. 7.

Definitionis tractatio quorũ propria.

k Quoad hic locus postul.) Græcè est, ὅσον ἱκανὸν πρὸς τὴν παροῦσαν χρείαν. Significat autem Topicæ tractationis minus exactum & accuratum institutum, de quo & lib. 1. cap. 1. similiter meminit his uerbis: διότι περὶ οὐδενὸς αὐτῶν ἂν ἀκριβῆ λόγον ἀποδοῦναι προαιρούμεθα, ἀλλὰ ὅσον τύπῳ περὶ αὐτῶν βουλόμεθα διελεῖν, παντελῶς ἡγούμενοι ἱκανὸν κατὰ τὴν προκειμένην μέθοδον τὸ δύνασθαι γνωρίζειν ὁπωσοῦν ἕκαστον αὐτῶν.

Tractatio Topica minus accurata.

l Et definitionem, & vim.) ὅτι δυνατὸν γενέσθαι καὶ τοῦ τί ἦν εἶναι συλλογισμόν.

m Nam cùm definitio.) Ostendit, quo pacto syllogismo definitio concludatur, seu, ut ipse ait, quo modo ἐγχωρεῖ συλλογισμὸν ὅρου γενέσθαι. Alludit uerò ad definitionem τοῦ ὅρου, quam suprà lib. 1. cap. 3. adduxit. Vtrobiq; ferè uerba cõueniũt, nisi quòd hîc paulo explicatiùs λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ πράγματι δηλῶν ait, id quod suprà ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων modò dicebatur.

Denifitio bifariã explicatur.

n Eaq; sola quæ in definit.) Græcè est, τὰ δεῖ τὰ ἐν τῷ ὅρῳ κατηγορούμενα, ἐν τῷ τί ἐστι τοῦ πράγματος μόνα κατηγορεῖσθαι. In quo nota uerbum τοῦ κατηγορεῖσθαι cum gignendi casu τοῦ πράγματος simpliciter hîc construi, cùm alibi, ut suprà lib. 1. cap. 3. & Isagoge Porphyriana non infrequenter, addita præpositione κατὰ cũ eodem casu coniungatur. Loquitur autem hîc de uera propriaq; rei cuiusq; definitione,

Verbũ τοῦ κατηγορεῖσθαι bifariã construit.

non de ea quæ κατὰ τὰ συμβεβηκότα conficitur. Nam in ea quæ enunciantur, non omnia in rei natura dici possunt, quemadmodum res ipsa loquitur. Vide in hunc locum nonnulla lib. 1. de Demonstratione, cap. 10.

o Genera & differentiæ.) Quod ad differentias attinet, loquitur ex aliorum sententia, qui differentias τῷ τί ἐστι naturæ generum prædicari crediderunt, de quo meminit suprà lib. 4. cap. 6. ἐπεὶ δ' οὐκ ἔστιν ἡ διαφορὰ τῷ τί ἐστι τῶν εἰδῶν κατηγορεῖσθαι, χωριστέον δ' γένος ἀπὸ τῆς διαφορᾶς, & cæt. Vult autem etsi cum genere simul τῷ τί ἐστι de proposita specie differētia dicatur, eam tamen quatenus ipsa per se sola dicitur, non tam τῷ τί ἐστι, quàm τῷ ποιόν τι ἐστι reuera dici. Sic loco paulo antè citato, ἔνθ' inquit, ὅτι κατὰ τοῦτο τὸ τί ἐστιν ἀποδόσιμον μᾶλλον ἀφωρίσθη τὸ γένος ἢ τοῦτο διαφορὰν εἰπεῖν, & cæt. Locus huic finitimus est, & cap. 3. ubi eodē modo de genere simul & differentia loquitur, ἢ ὅτι τῷ τί ἐστι τὸ γένος ἢ αἱ διαφοραὶ κατηγορεῖνται.

Differētiæ an τῷ τί ἐστι dicant.

p Quibus autem ex locis.) Ad locorum explicationem nunc porrò accedit, rursum huius methodi seu tractationis ἀκρίβειαν ut suprà, deprecans, ut quam alijs in libris diligentiùs sit persequutus.

q Ex contrarijs enim.) Primus locus τῶν ἀντικειμένων est, ex quo argumenta sumuntur, cùm ad totas definitiones comprobandas, tum ad partes singulas, ut deinceps patebit.

r Nam si oppositæ.) De hoc antegresso libro dictum est, ὁ ἀντικείμενος τοῦ ἀντικειμένου ὅρισμός. εἰ γὰρ ὁ ἀντικείμενος τοῦ ἀντικειμένου, inquit hoc loco, καὶ ὁ εἰρημένος τοῦ προκειμένου ἀνάγκη εἶναι.

Oppositorum finitiones.

s Eius sit de quo agitur.) Vtpote alterius oppositi & contrarij.

t Quoniam autem aduersorum.) De hoc uide suprà lib. 2. cap. 3.

u Ac ex tota quidem.) Transit ad alteram partem, quo modo κατὰ μέρος definitio confirmetur. ὅλους μὲν οὖν, inquit, τοὺς λόγους καθάπερ εἴρηται σκεπτέον, καὶ τὰ μέρος δὲ ὧδέ.

Tranſit ad partes.

x Et primùm ex genere.) Definitionis partes duæ sunt, genus & differentia, de quibus utrisq; cùm seperatim agat, primùm quidem de genere attingit.

y Quandoquidem necesse est.) De hoc uide lib. Categoria. cap. 7. In eodem genere, contraria esse dicuntur naturalia: in contrarijs, moralia, quæ sunt bonum & malum.

z De contrarijs dici.) Videlicet formis & speciebus. Quomodo δ' ὄψεως διαφορὰν τικὸν de candore, δ' συγκριτικὸν uerò de atrore dici affirmat. Atq; hæc de differentijs annotat.

a Eæ etiam differentiæ.) Vtpote alteris contrariæ & repugnantes.

b Ex quo fit, vt.) Concludit de partibus ad totum illa ipsa accommodans.

c Aut

c Aut non necesse est.) *Correctio, qua id quod de differentijs asseruit, clarius explicat. Si contrarijs formæ in eodem genere reperiantur, sententia uera est: Sin in diuersis & repugnantibus generibus, nihil impedit eandem contrarijs formis differentiam accommodari. Quo modo iustitiæ & iniustitiæ, differentia tribuitur,* δ' ψυχῆς, *hoc est, quòd ambæ in animo hæreant, ad corporearum scilicet uirtutum ac uitiorum distinctionem, ut ipse indicat,* ὥσε δ' ψυχῆς, *inquit,* διαφορᾶ ἐπ' ἀμφοῖν λέγεται, ἐπεὶ καὶ σώματος ἔσιν ἀρετὴ καὶ κακία. An cõtrariarũ formarum eadem differentia.

d Quoniam corporis etiam sua virt.) *Vti forma, robur, celeritas, & cæt. quibus oppositæ uitia sunt, deformitas, imbecillitas, tarditas, de quibus nonnihil lib. 7. de Motu Aristoteles attingit, cap. 3.* Corporis virtutes & vitia.

e Hoc igitur verum.) *Conclusio* ἡ ἐπανορθώσεως, *qua demùm de proposito repetit, & confirmat.*

f Si contrarij perspicua.) ἂν ᾖ τῶν ἐναντίων, *inquit,* ὁ ὁρισμὸς φανερὸς, καὶ ὁ τοῦ προκειμένου ὁρισμὸς φανερὸς ἔσαι. Cõtrariorum finitiones.

g Eodemq; modo diffe.) *Vt paulo suprà ostensum est.*

h Vel nonnullæ.) *Saltem posteriores,* οἱ συμπληρωτικαί. *Nam generaliores ferè eædem sunt.*

i Vel vtraq; contraria.) *Quod fieri potest, cùm contrarijs generibus eædem tum demum differentiæ maximè tribuantur, cùm subiectum differentiæ locum occupat, quemadmodum paulo suprà* δ' ψυχῆς, *de iustitia simul & iniustitia dicebatur.*

k Alioqui contrariorum.) *Ex absurdo probat.* εἰ δὲ μή, *inquit,* ὁ αὐτὸς ὁρισμὸς τῶν ἐναντίων ἔσαι.

l Ex casibus etiam.) *Alter locus* τῶν συζυγῶν, *qui perinde ut superior, ad definitionum* τῶν κατασκευὴν *accommodatus est.*

m Genera enim alia alia.) *Sic & differentiæ aliæ aliæ, quæ duo cùm partes constituendarum sint finitionum, etiam de his simili modo sentiendum est.*

n Si obliuio est depulsio.) εἰ ἡ λήθη, *inquit,* ἕξις ἀποβολὴ ἐπισήμης.

o Itemq; si interitus.) *Alterum exemplum.* εἰ ἡ φθορὰ διάλυσις οὐσίας. *Quod naturæ dissolutionem, interitum ait, partium natura cohærentium intelligit: nimirũ quo modo pri. Tusculana. Cicero interitum definit, sic inquiens: Est etiam interitus quasi discessus & secretio, ac diremptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur.* Interitus Ciceroni quid.

p Etiam reliqua omnia concedantur.) *Idq; propter cognationem & similitudinem, quæ inter ista intercedit.*

q Ex ijs quæ eodem modo.) *Tertius locus* τῶν ὁμοίως ἐχόντων, *quem à proportione nominari in superioribus diximus. Hûc tria inter se comparantur, ratione finis similiter*

liter affecta, ut δὲ ὑγιεινὸν, δὲ ἐυεκτικὸν, καὶ δὲ ὠφέλιμον. Quæ ob eam rem simili modo etiam definiuntur, quatenus uim habent ad efficiendum finem. Id quod δὲ ποιητικὸν ἐῖναι τοῦ τέλους Aristoteles uocat. Ita δὲ ὑγιεινὸν, ποιητικὸν ὑγιείας, δὲ ἐυεκτικὸν ἐυεξίας, τὸ ὠφέλιμον ἀγαθοῦ ποιητικὸν definitur.

δὲ τοῦ τέλους ποιητικόν.

r Ex maiore etiam.) Sequitur locus comparatorum, quem ἐκ τοῦ μᾶλλον, ἐκ τοῦ ὁμοίως græcè appellat. Videtur autē uis argumenti non tam ex maiore duci, q̃ ex minore. Sic enim ratiocinatur: Si quæ minus uidetur, definitio est, etiam ea quæ magis, erit.

s Quòd si vna definitio.) Cùm diuersi comparationis loci sint, quos extremo libro quinto ordine persecutus est: hîc eum tantum locum ualere ait, quo duo cum duobus conferuntur. Nam & unum duobus, & duo uni, & unum uni, hoc comparationis genere, conferri poterant, de quo & suprà lib. 5. dictum est, & præterea Fabius Quintilianus de eodem meminit lib. 5. cap. 10. cùm inquit: Nam ex pluribus ad unum, et ex uno ad plura, (unde est, quod semel & sæpius) et ex parte ad totum, & cæt. quæ sequuntur.

Comparationis loci multiplices.

t Neq; enim duorum.) Græcè est, οὔτε γὰρ ἕνα δυοῖν, οὔτε δύο τοῦ αὐτοῦ ὅρους δυναδὴν εἶναι.

u Maximè autem apti.) Commendat superiores locos tanquam ad hoc institutum præ cæteris maximè accommodos, quos idcirco et bene meditatos & perspectos habere præcipit, sic inquiens: εἰσὶ δὲ ἐπικαιρότατοι τῶν τόπων, οἵτε νῦν εἰρημένοι, καὶ οἱ ἐκ τῶν πτώσεων καὶ τῶν συστοίχων, διὸ καὶ δεῖ μάλιστα κατέχειν, καὶ προχείρους ἔχειν τούτους, χρησιμώτατοι γὰρ πρὸς πλεῖστα. Verùm non hos modò locos cum primis nobis perspectos & commendatos esse uult, sed & eos qui inter cæteros quàm maximè patent, propterea quod & illi præcipuam ad multa disceptanda uim habeant, cùm sic inq̃t: καὶ τῶν ἄλλων δὲ τοὺς μάλιστα κοινοὺς, οὗτοι γὰρ ἐνεργότατοι τῶν λοιπῶν.

Loci qui ad hanc rem maximè apti.

x Vt si propositis.) Exemplis nonnullis declarat, quos cæteros locos intelligat. Græcè est, οἷον τότ' ἐπιβλέπειν ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα, καὶ ἐπὶ τῶν εἰδῶν σκοπεῖν, εἰ ἐφαρμόττει ὁ λόγος. Vult autem hos non solùm ad asserendam definitionem ualere, sed etiam ad refellendam, ut ex sequentibus intelligi licet.

y Quandoquidem syno.) ἐπειδὴ συνώνυμον δὲ εἶδός ἐστιν, ita uidelicet, ut eius uis ac ratio propterea singulis indiuiduis rectè conueniat.

Species synonyma.

z Iam si per translationem.) ἔτι εἰ μεταφέρων εἴρηκε τοὔνομα, ἢ αὐδὰ ἄντα κατηγόρησεν ὡς ἕτερον. De translatione uide suprà lib. 6. cap. 1.

a Latè pateat, firmusq; sit.) κοινὸς καὶ ἐνεργὸς ἐστι, græcè est.

QVAE EX SVPRA' DICTIS QVAESTIONIBVS FACILIVS DIFFICILIVSQVE TVM CONSTRVantur, tum euertantur, Cap. 3.

Diffi-

DIfficilius [a] autem esse confirmare & probare, quàm refellere definitionem, ex ijs quæ deinceps dicemus perspici poterit. [b] Neq; enim facilis est cognitu definitio, neq; ij quos interrogamus, libēter dant [c] propositiones eiusmodi: Eorum quæ data definitio complectitur, vnum genus esse, alterum differentiam, &: In natura rei genus differentiasq; dici: sine quibus ratiocinatione concludi non potest definitio. Nam si quædā etiam alia in rei natura dicantur, certè dubium est, eáne quæ statuta est, an alia eius definitio sit, [d] quandoquidem definitio oratio est, quæ quid res sit explicat. [e] Quod etiam ex his intelligi potest, quia facilius est vnū quàm plura concludere. [f] Ac ei quidem qui euertit, satis est in vnum dirigere argumentationem: quippe cùm si vnum qualecunq; refellamus, euertimus definitionem. At verò ei qui confirmat, omnium eorum quæ definitio complectitur, necessaria concursio est. [g] Præterea ei qui probat definitionem, de toto genere tractanda est ratiocinatio. [h] Debet enim de omnibus definitio dici quæ nomen complectitur, & præterea vicissim de quibus definitio, nomen etiam dici debet, si futura sit propria, quę est statuta definitio. At ei qui refellit, [i] non est necesse de toto genere monstrare. Satis est enim docere, non verè dici de aliquo eorum quæ nomini subiecta sunt, definitionem. [k] Quòd si totum & omnino refellēdum sit, certè non necesse est reprehendendo reciprocari argumentationem. Satis enim est eum qui refellit omnino, ostendere in aliquo eorum quæ nomen complectitur, definitionem non intelligi: contraq; non necesse est docere, de quibus oratio dicatur, nomen non dici quod definiatur. [l] Iam si omnibus etiam quæ nomen complectitur, conueniat, non solis autem ijs, definitio euersa erit. [m] Similis est ratio proprij & generis. Vtrumque enim eorum faciliùs refellitur, quàm probatur. Atque id quidem de proprio, ex ijs quæ dicta sunt perspici potest. [n] ferè enim in coniunctione explicatur proprium. Ita vno verbo reprehenso licet refellere: at ei qui probat proprium, omnia concludenda sunt necessariò. Cætera autem omnia ferè quæ ad definitionem, ad proprium etiam conuenient assumere. Eum enim oportet qui probat, omnibus ijs quæ subiecta sunt nomini, docere conuenire. At eum qui refellit, satis est vni docere non conuenire: & si conueniat omnibus, at non solis, hoc etiam pacto reprehensum erit, quemadmodum in definitione diximus. [o] Genus autem vno modo licet probari, si omnibus conuenire doceamus, refelli autem duobus. [p] Nam & si nulli, & si cui doceatur non conuenire, euersum erit. [q] Iam

Definitio difficilius confirmatur.

Sic & Proprium.

Item & genus.

cum

eum qui probat, non satis est ipsum inesse monstrare, sed eum etiam oportet quare vt genus insit, ostendere. At eum qui refellit, satis est non inesse docere in aliquo, vel in nullo. [f] Videtur autem, vt in cæteris rebus facilius est dissipare, quàm dissipata & dispersa connectere, sic in his refellere quàm probare. [g] Accidentis porrò vniuersa quæstio facilius refutatur, quàm confirmatur. Confirmando enim docendum est conuenire omnibus: in refutatione satis est vni ostendere non conuenire. Contrà quæstio quæ in parte proponitur, facilius confirmatur quàm reprehenditur. Ad probandum enim satis est alicui docere conuenire, refutando autem nulli conuenire docendum est. [h] Atque etiam illud perspicuum est, quid ita facillima sit vna ex omnibus refutatio definitionis. [i] pluraé nim quàm pleraq; eorum quæ exposuimus, complectitur. [k] atq; ex pluribus facilius efficitur conclusio, [l] quoniam in multis sæpius quàm in paucis rebus error versari solet. [m] Præterea ad definitionem euertendam ex alijs argumenta sumi possunt. Siue enim oratio [n] non est propria, [o] siue non est genus quod datum est, siue aliquid eorum quæ complectitur, [p] non conueniat, [q] euersa erit definitio. [r] At verò ad cætera refutanda, neque ea quæ ex definitionibus existunt, neque alia sumi possunt omnia. Sola enim ea quæ ad accidens sumuntur, ei sunt cum cæteris omnibus communia, quippe cùm inesse & conuenire omnia debeant. Si verò genus [s] non vt proprium conueniat, non idcirco genus euersum erit. Itemq; non necesse est proprium, vt genus, neq; accidens vt genus, [t] vel proprium conuenire, sed solum conuenire. Ita fieri non potest, vt ex cæteris ad alia nisi ad definitiones argumenta ducantur. [u] Perspicuum est igitur definitionis vnius ex omnibus & refutationem facillimam esse, et difficillimam probationem. [x] Nam effici & illa concludi debẽt omnia. Siquidem conuenire illa ipsa ex quibus constat, docendum est, & genus esse id quod affertur, & propriam esse orationem, & præterea rei naturam declarari oratione, atque id præclarè factum esse. [y] Ad definitionis hanc naturam proximè ex reliquis accedit proprium. Nam & facillimũ est ad refutandum, quòd ferè constet ex multis verbis, & ad probandum difficillimum, quòd multa concurrere & quasi cõuenire debeant, quodque soli rei insit, & cum ea reciprocetur. [z] Omnium autem accidens facillimum est ad probandum. Cùm enim cætera non solùm conuenire docendum sit, satis est ostendere conuenire & inesse accidens: difficillimeque accidens refellitur, propterea quòd perpauca complectitur. neq; enim

Accidẽtis quæstio bipartita.

Definitio ex omnibus facilimè euertitur.

Deinde Propriũ.

Accidens probatu facilimũ.

enim declaratur in accidente quomodo conueniat. Itaq; cætera omnia duobus modis refelli possunt, & docendo non conuenire ea, & non hoc vel illo modo conuenire. Accidens autem refutari non potest,[m] nisi ostẽdatur non conuenire.[n] Ac loci quidem ferè expositi sunt, ex quibus nobis ad quanq; quæstionem magna argumentorum suppetet copia.

IN CAPVT TERTIVM,

ANNOTATIONES.

a Difficiliùs autem.) *Explicata omni ratione ac uia tum construendæ, tum euertendæ finitionis, nunc demum utra istarum rationum facilior, difficiliorq; sit, instituta hîc comparatione ostendit. Quanquam non solùm de tractandæ finitionis ratione agit, sed & de omnium antedictorum* τῶν προβλημάτων, *quæ sunt, generis, proprij, & accidentis. Atq; ita hac facilitatis & difficultatis comparatione in singulis generibus explicata, omni superiori tractationi finem imponit, sequenti libro de alia deinde materia, ut tum uidebitur, sermonem habiturus. Ratio autem confutationis, ut in definitione, sic in omnibus alijs* τῶν κατηγορουμένων *generibus longè facilior est, & promptior, præterquam cùm de accidente disputatur, quæstione ad uniuersum genus minimè accommodata, ut deinceps patebit.*

Euersio quàm constructio in prædictis quæstionibus facilior.

b Neque enim facilis est.) *Certis rationibus probat, faciliorem euersu, quàm confirmatu esse definitionem. Prima ratio est, complura ad astructionem definitionis requiri, quæ non facilè largiatur aduersarius, quæ cuiusmodi sint, ipse subiectis exemplis docet. Græcè est,* καὶ γὰρ ἰδεῖν ἀυτὸν καὶ λαβεῖν πρὰ τῶν ἐρωτωμένων τὰς τοιαύτας προτάσεις οὐκ εὐπετές.

Plura finitiõis astructio poscit

c Propositiones eiusmodi.) *Nempe quæ sequuntur, de quibus dictum est initio capitis antegredientis, quo ratiocinatione concludi* τὸν ὁρισμὸν *ostendebatur.*

d Quandoquidem definitio.) ἐπειδὴ ὁρισμός ἐστι, λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. *His uerbis lib. 1. cap. 3.* τὸν ὅρον, *hoc est, definitionem finiendo declarauit.*

e Quod etiam ex his.) *Vide an hæc eadem ratio sit cum ea quæ præcessit.* ῥᾷον γὰρ ἓν συμπεραίνεσθαι ἢ πολλά. *Euersio definitionis uel ex una re sola pendet: constructio ex omnibus simul constat. Ergo. Perfecta argumentatione utitur.*

Euersio vel vno solo contenta.

f Ac ei quidem qui.) *Græcè hæc ad eum modum efferuntur,* ἀναιροῦντι μὲν οὖν ἀπόχρη πρὸς ἕνα διαλεγῆναι, ἓν γὰρ ὁποιονοῦν ἀνασκευάσαντες ἀνῃρηκότες ἐσόμεθα τὸν ὅρον: κατασκευάζοντι δὲ πάντα ἀνάγκη συμβιβάζειν ὅτι ὑπάρχει τὰ ἐν τῷ ὅρῳ. *Vide in hunc locum suprà lib. 6. cap. 5.*

g Præterea ei quæ probat.) *Alia ratio. Ad comprobandam definitionem, necesse est ostendere, q; et omnibus sub definito cõprehensis definitio cõueniat, et cũ ijsdem retrò*

conuertatur: quorum alterum deesse, satis est reprehensori demõstrare. Quod ait de toto genere tractandam esse ratiocinationem, græcè est, καθόλου δισσὸν συλλογισμόν.

h Debet enim de omnibus.) Græcè est, δεῖ γὰρ κατὰ παντὸς οὗ τὸ ὄνομα, κατηγορεῖσθαι δεῖ μὲν ὅλον, καὶ ἔτι πρὸς τοῦτον ἀντιστρέφειν καθ' οὗ δὲ λόγον τὸ ὄνομα, εἰ μέλλει ἴσον καὶ εἶναι ὁ ἀποδοθεὶς ὅρος. De hoc uide lib. superiore, cap. 1.

De omnibus finitio dicit.

i Non est necesse de toto.) οὐκ ἀνάγκη δεῖξαι τὸ καθόλου, ἀπόχρη γὰρ δεῖξαι ὅτι οὐκ ἀληθεύεται πρότιν' οὗ τὸ ὄνομα ὁ λόγος.

k Quòd si totum & omnino.) Hoc propter reciprocationem ait, quæ in confutatione nequaquam necessaria est, οὐδ' ὡς τὸ ἀντιστρέφειν, inquit, ἀναγκαῖον ἐπὶ τοῦ κατασκευάζειν.

l Iam si omnibus etiam.) Hæc ratio cum superiore quodammodo conuenit. Si enim reciprocari cum nomine definitio debebit, etiam solis ijs quæ nomine definito continentur, eam accommodari necesse est. Græcè est, ἔτι εἰ καὶ παντὶ ὑπάρχει ᾧ ὑπὸ τὸ ὄνομα, μὴ μόνῳ δὲ, ἀνηρημένου ὑπάρχει ὁ ὁρισμός.

Et solis & omnibus conuenit.

m Similis est ratio.) Hactenus de definitione, sequitur nunc tractatio cæterarum quæstionũ, et primùm quidem Proprij, cuius ratio cum definitionis præceptione omnino congruit, quod ad probationem improbationemq; attinet. Nam quemadmodum in definitione, sic & hîc refellere, quàm confirmare facilius est, idq; propter easdem causas, quæ modò in definitione patuerunt.

Proprium definitiõi affine.

n Ferè enim in coniunctio.) Vult Proprium plurimùm circuitione efferri, id quod fit propter simplicium propriorumq; uerborum penuriam. Græcè est, ὡς γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον οὐ συμπλοκῇ τὸ ἴδιον ἀποδίδοται.

o Genus autem vno.) Quod ad generis rationem attinet, & hîc perinde ut in superioribus faciliorem esse refutationem docet. Nam cùm simplici tantum uia genus confirmetur, ut si omnibus inesse doceas: reprehendi potest, non modò si nulli, sed & si alicui non conuenire demonstres. Adde, quod ad confirmationis difficultatem accedit, non solũ inesse omnibus id demonstrari oportere, sed & inesse tanquam genus, hoc est, essentialiter et per se. Nam & cætera fortè temerè omnibus inesse queant, quæ genera non sunt.

Genus facilio refellitur, quã affituitur.

p Nam & si nulli.) Hoc loco nota de uniuersi generis reprehensione & confirmatione cum loqui. Quod ad bipartitam reprehensionis uiam attinet, de ea uide partim lib. 1. de Ratiocinatione, cap. 14. partim lib. 2. cap. 13. quo loco de ψεύσασθαι agit.

q Iam eum qui probat.) Hoc ad prædictam confirmandi generis difficultatem spectat, quo doceri uult καὶ διότι ὡς γένος ὑπάρχει. In quo illud ὡς γένος, Alexander sequentibus ἢ γοῦν οὐσιωδῶς, id est, quasi essentialiter, interpretatur.

ὡς γένος ὑπάρχει.

r Videtur autẽ, vt in.) Hæc ratio superioris assertionis est, omnium quidem antegressarum quæstionum communis. Græcè est, ἔοικε δὲ ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις δ' διαφθεῖραι

φθῆναι τὸ ποιῆσαι ἔχον, ὄντως καὶ ἐπὶ τούτων δ' ἀνασκευάσαι τὸ κατασκευάσαι. Consimilis huic sententiæ est & illa lib. 1. de Ratiocinat. cap. 14. ἅμα δὲ δῆλον, ὅτι καὶ δ' ἀνασκευάζειν ὅλως τὸ κατασκευάζειν ἔχον. Facilius destruere, quàm construere.

s Accidentis porrò vni.) Quod attinet ad Accidentis quæstionem disceptandam, distinctione utitur. Si generalis, inquit, quæstio est, par ratio illius est cum superioribus, quia facilius euerti, quàm construi poterit: Sin specialis, ratio diuersa est, propterea quòd facilius confirmari, quàm refutari sic accidens queat. ἐπὶ δὲ τοῦ συμβεβηκότος, inquit, δ' μὲν καθόλου ἔχον ἀνασκευάζειν ἢ κατασκευάζειν, δ' δὲ ἐπὶ μέρους ἀνάπαλιν, ἔχον γὰρ κατασκευάσαι ἢ ἀνασκευάσαι. Accidētis quæstio duplex.

t Atq; etiam illud pers.) Hactenus singula quæstionum genera separatim inter se contulit, nunc deinceps omnia promiscuè inter se confert, docens finitionis quæstionem inter alias omnes reprehensu longè esse facillimam, tum quòd plura in ea reprehensioni obnoxia contineantur, tum quòd ex aliarum item quæstionum locis ad eam refutandam argumenta depromantur, non contrà. Φανερὸν δὲ καὶ δ' ὅτι, inquit, πάντων ἔχει μᾶλλον, ὅρον ἀνασκευάσαι. Finitiōis cū cæteris collatio.

u Plura enim quàm pleraq;.) Hæc prior ratio est, Constitutio definitionis plura desiderat, quorum unumquodq; minùs explicatum, speciatim redargui potest. Quæ autē ita affecta sunt, ut ex pluribus rebus cōstent, quæ res minus explicatæ, singulæ refelli queant, in ijs facilior est refutatio. Ergo. Sunt autem illa, quæ diligentiùs explicata definitio requirit, hæc, ut cum re definita uicißim commeet, ut legitimis & ueris, hoc est, essentialibus differētijs explicetur, utq; nullas nec ambiguas, nec metaphoricas uoces recipiat, Et alia id genus, de quibus antegresso libro dictum est, ut ostendit Alexander. Cur facilius finitio redarguatur.

x Atq; ex pluribus faciliùs.) Hæc propositio est argumentationis, præcedit & conclusio, & assumptio. Quum ex pluribus faciliùs effici conclusionem ait, dum inquit, ἐκ δὲ τῶν πλεόνων θᾶττον γίνεται συλλογισμός, tu cōclusionem intellige, ad reprehendendam finitionem accommodatam. Alexander δ' ἀνασκευαστικὸν καὶ ἐν πρὸς ἀνασκευὴν συλλογισμὸν uocat. ἐκ γὰρ τῶν πλειόνων, inquit, πραγμάτων ἔχομεν γίνεται καὶ ὁ συλλογισμὸς ἀνασκευαστικός. Syllogismus ἀνασκευαστικός.

y Quoniam in multis.) Sententia est ad propositionis comprobationem adducta. εἰκὸς γὰρ ἐν τοῖς πολλοῖς μᾶλλον ἢ τοῖς ὀλίγοις ἁμάρτημα γίνεσθαι. Eam sententiam sic explicat Alexander, ut dicat, ἔνθα γὰρ πολλὰ πράγματα, πολλὰ συμβαίνει γίνεσθαι καὶ τὰ ἁμαρτήματα, ἔνθα δὲ ὀλίγα, φανερὸν ὅτι καὶ τὰ ἁμαρτήματα ὀλίγα. In multis labi proclivius.

z Præterea ad definitio.) Hæc altera ratio est, quæ definitionem labefactatu faciliorem esse demonstrat, quòd non modò ex ipsius generis locis, sed etiam è cæterorum τῶν κατηγορουμένων locis, argumenta ad eam refellendam depromi possunt. Id quod in

nullum cæterorum τῶν κατηγορουμένων genus similiter conuenit.

a Non est propria.) Rei illi, quæ definienda proponitur. Id quod ex locis τοῦ ἰδίου, seu τοῦ ἰδικοῦ προβλήματος cognosci potest.

b Siue non est genus.) Verum, proprium, & uicinum, sed alienum & remotum. Id quod ex locis τοῦ γένους, seu τοῦ γενικοῦ προβλήματος intelligi licet.

c Non conueniat.) Insit rei propositæ & definitæ. Id quod ex Accidentis, seu τοῦ κατὰ συμβεβηκὸς προβλήματος locis propriè cognoscendum est. Inesse enim & ὑπάρχειν propriè accidentibus conuenit.

d Euersa erit definitio.) Græcè est, ἀνῃρημένου γίνεται ὁ ὁρισμός. Suprà eodem modo, ἀνῃρημένος ὑπάρχει ὁ ὁρισμός, inquit.

e At verò ad cætera.) Docet non parem cæterarum quæstionum rationem esse, quòd neq; è definitionis locis uicißim illæ confutari, nec ex aliarum aliæ similiter queãt.

f Non vt proprium.) μὴ ὡς ἴδιον, hoc est, non uicißim, ἀντιστρόφως καὶ ἀντικατηγορούμενος. ἀντιστρέφει γὰρ καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος ἴδιον.

g Proprium vt genus.) Nec proprium, nec accidens, ut genus conuenit, hoc est, essentialiter, καθ' ὃ τί ἐστι. Hoc est enim ὑπάρχειν ὡς γένος, ut suprà diximus. Quòd si ut proprium, accidẽs quoq; conueniret, retro uicißim cum subiecto commearet. Id quod non fit. Ergo ὑπάρχειν μόνον, hoc est, inesse solum, & simpliciter conuenire, Accidentis proprium est.

ὡς γένος ὑπάρχειν. quid.

h Perspicuum est igitur.) Concludit locum de facilitate reprehendendæ finitionis, nunc breui eiusdem confirmandæ difficultatem proponens. ὅλον οὖν ὅτι, inquit, ῥᾴδιον πάντων ὅρων ἀναιρεῖν, κατασκευάζειν δὲ, χαλεπώτατον.

i Nam effici illa & con.) Græcè δ' συλλογίζεσθαι tantum est, quod uerbum hîc omnia simul comprehendi & conuenire declarans, paulo infrà δ' συμβιβάσαι dicitur.

Vide autem in hunc locum suprà lib. 6. de ui ac naturâ definitionis.

k Ad definitionis hanc.) Vult proprium definitioni quàm proximum esse, siue confutationis facilitatem, siue difficultatem confirmationis spectemus.

l Omnium autem facil.) Quod ad Accidens attinet, uult & eius refutationẽ omnium difficillimam esse, quia una solum uia confutetur, & eius approbationem facillimã, quia satis sit solum rei conuenire, non adiecto quo modo conueniat, demonstrare, οὐ γὰρ προσημαίνει, inquit, τῷ τῷ συμβεβηκότι πῶς ὑπάρχει.

m Nisi ostendatur non conue.) Id quod à facto omnium est difficillimum.

n Ac loci quidem ferè.) Conclusio uniuersæ præceptionis de locis, quos ad superiorum problematum explicationem, sub finem lib. 1. se traditurum profitebatur.

ARIS-

ARISTOTELIS STAGIRITÆ TOPICORVM LIBER VIII. IOACHIMO PERIONIO BENEDICTINO CORMOERIACENO INTERprete, ad Græci exemplaris fidem diligenter recognitus, vnà cum Annotationibus Gerardi Matthisij Geldriensis, nunc denuò recognitis & locupletatis.

DE ORDINE ARGVMENTORVM, ET QVOMODO κεφαλαῖα PROPOSITIONES IN DISSErendo sint collocandæ, Cap. I.

CAP. I.

SEQVITVR [a] vt de dispositione, & ordine argumẽtorum, interrogandique ratione dicendum esse videatur. [b] Primùm quidem locum ex quo argumẽtum sumat, inuenire debet is qui quæstionem positurus est: [c] deinde quærere ipse per se, & disponere omnia: [d] postremò hæc omnia apud alios tractare & eloqui. [e] Ac loci quidem philosopho cum dialectico communis inuentio est: argumentorum autem dispositio & interrogatio, [f] quoniam hoc totum, alterum qui contrà disputet, requirit, propria sunt Dialectici. [g] Philosophus enim, quique per se & solus exquirit omnia, modò vera sint & nota ea ex quibus efficitur conclusio, non laborat [h] an qui contrà disputat, non concedat, [i] eò quòd finitima sint & coniuncta ijs, quæ à principio proposita sunt, & quòd prouideat, quid effici concludique oporteat. Quin etiam dat operam, vt quàm clarissima sint, maximeque coniuncta cum re, pronunciata. [k] quippe cùm ex his talibus conficiantur quæ scientiam gignunt ratiocinationes. [l] Ac loci quidem ex quibus ducenda sunt argumenta, superioribus libris expositi sunt à nobis. Nunc de eorum dispositione quærendique ratione ita dicemus, si antè eas propositiones, quæ præter necessarias reliquæ sunt, partiamur. [m] Necessariæ autẽ dicuntur eæ ex quibus ratiocinatio constat. [n] Quatuor autem genera sunt earum quæ præter has assumuntur. [o] Aut enim inductionis gratia, vt quod vniuersum est detur: aut augendæ & amplificandę argumentationis: aut occulendæ celandæque conclusionis: aut illustrandæ aperiendæque orationis causa, omnis propositio sumitur, præterea nulla. [p] Sed eò omnis diligentia

Tria dissenti obseruanda.

Philosophus ab aduersarij assensione nõ pẽdet.

Propositionũ diuisio.

Nõ necessariarũ genera 4.

gentia conferenda est, vt his ipsis vel argumentationem amplificemus, vel in interrogando vtamur. [q] Quanquam autem eas quæ occultandæ conclusionis causa assumuntur, certandi studio adhibemus: eis tamen, [r] quoniam hoc totum huius artis munus cum altero transigendum est, vti necesse est. [s] Necessarias igitur ex quibus conficitur ratiocinatio, non statim proponere, [t] sed longè ad summas proficisci debemus. [u] Non enim debet aliquis, exempli causa, contrariorum quæ aduersa dicuntur, eandem artem esse sumere, etiam si id velit, sed omnino contrariorum. Hoc enim concesso & posito, etiam aduersorum eandem artem esse concludet: siquidem aduersa [x] subiecta sunt contrarijs. [y] Quod si non concedat, tum [z] per aduersorum singulorum inductionem tractanda erit argumentatio. [a] Nam aut ratiocinatione, aut inductione sumendæ sunt necessariæ propositiones, aut quædam ratiocinatione, quædam inductione. [b] Quæque valde perspicuæ & claræ sunt, eas præponere debemus, propterea quòd obscurior est semper magisq; dubia in recessu & in inductione conclusio. [c] Atque mox ipsas necessarias proponere, si quis sumere illo modo non possit, est maximè expeditum. [d] Quæ autem præter necessarias enumeratæ sunt, & illarum ipsarum causa sumi debent, & ita adhiberi, ad inducendum quidem, [e] vt à singulis ad vniuersas & generales, à non dubijs clarisque ad obscuras dubiasque perueniamus inducendo. Clariora autem sunt ea quæ sensui subiecta sunt, aut per se, [f] aut certè plerisq;. [g] Ad celandam autem conclusionē, [h] vt antè fiat de ijs ratiocinatio, ex quibus id quod initio propositum est, concludi efficiq; debet. Quod ita fiet, si quis [i] non solùm necessarias, sed aliquam etiam [k] earum quæ ad illas vtiles erunt, cōcludat. [l] Illud etiam proderit, conclusiones tacere, easque pòst, quasi per coaceruationem omnes colligere syllogismo. Sic enim à primo proposito aberrabit longissimè. [m] At vt in summa dicam, eum oportet qui obscurè vult interrogare, ita hoc præstare, vt interrogata iam tota oratione, effectaq; conclusione, [n] alter causa quæ sit, requirat. Idq; ex superiore loco efficietur facillimè. Si enim sola vltima conclusio pronuncietur, incertum erit, quemadmodum efficiatur, quòd is qui contrà disputat, vnde efficeretur non prouideret, cùm priores ratiocinationes [o] in membra digestæ non essent. Minimè aūt digerentur in membra ratiocinatio cōclusionis tum, [p] cùm eius sumptiones nō enumerantur, & disponuntur, [q] sed illa ex quibus probantur illius syllogismi sumptiones. [r] Vtile erit etiam, non continenter propositiones sumere,

Necessarię nō statim apponēdę.

Quib. modis propositum ratiocinando occultetur.

mere, ex quibus ratiocinationes cõstant, viciſsimq; aliam & aliã efficere concluſionẽ. [a] Collatis enim vnum in locum ijs omnibus quę apta ſunt ad aliquid concludendum, facilius quid ex ijs efficiatur, intelligi poteſt. [b] Atq; etiam generalis quædam, ex definitione non eorum de quibus agitur, [x] ſed coniugatorum, ſumenda propoſitio eſt. Falſa enim concluſione ſe ipſi capiunt ij qui reſpõdent, cũ coniugati ſumitur definitio, [x] quaſi vniuerſam generalemq; minimè concedant propoſitionem, vt ſi hoc ſumendum ſit, eum qui iraſcatur, appetentem eſſe vltionis, [y] ſumaturq; ira libido eſſe puniendi eum qui contẽpſiſſe videatur: certè ſumpto hoc, omnino quod volumus habebimus. [z] At ſi quis definitionem afferat eorum de quibus agitur, ferè fit, vt is qui reſpõdet ei reſiſtat, quòd facilior ſit in his occurrendi ratio. Cuius generis illud eſt: Non omnes qui iraſcũtur, *pœnam appetere*: nos enim parentibus iraſci, neq; eos ſupplicio affici optare. [a] Et quanquam non videtur verè hoc loco occurri, propterea quòd nonnullis ſatis grauis pœna eſt, aliorum moleſtia & pœnitentia, [b] habet tamen aliquid probabilitatis & authoritatis, vt non ſine cauſa propoſitum negatum eſſe videatur. Definitioni autem iræ tam facilè reſiſti non poteſt. [c] Prætereà is qui quæſtionem ponit ita proponere debet, vt non ad id de quo agitur, ſed aliò quod affert, pertinere videatur. Declinant enim omnes qui reſpondent, ea omnia quæ ad propoſitum pertinent. [d] Dare etiam operam debet, vt quàm maximè incertum ſit, vtrũ id de quo agitur, an eius contrarium velit ſumere. Cùm enim quid ad propoſitum pertineat obſcurum eſt, neq; apparet, tum facilius concedũt quod illis probatur. [e] Iam verò ex ſimilitudinis collatione interrogandi erunt, quoniam & veriſimile eſt, & vniuerſa res quam vult quiſpiam cõcludere, obſcurior & occultior redditur. velut quemadmodum ars, & inertia eadem eſt contrariorum, ſic ſenſum eundem verſari in cõtrarijs, aut contrà, quando ſenſus in contrarijs rebus cernitur, etiã artem. Quod quidem genus finitimum eſt inductioni, [f] non idem tamen valet. Illic enim ex rebus ſingulis ad vniuerſas peruenitur, in ſimilitudine autem non peruenitur ad vniuerſas, in quibus ſimilia omnia continentur. [g] Ipſe etiam ſibi interdum debet reſiſtere. ſuſpectos enim non habẽt eos, qui æqui in diſputando videntur. [h] Vtile eſt etiam ſi dicat ea ſe proponere quæ vſitata & trita ſunt, in omnium q; ore verſantur. Neque enim audent vſitata repudiare & tollere, quòd quid contrà obijciant, non habent, & quia hęc illis vſitata ſunt, haud periculum eſt, ne ea reprehẽdant.

Aliena facilius dari.

vſitatis nemo occurrit.

[i] Iam

[i] Iam & ſtudium noſtrum in aliqua re ſumenda diſsimulare, etiamſi vtile ſit, debemus. ijs enim qui magnum ſtudium in aliqua re ponunt, reſiſtunt libentiùs. [k] & ſimilitudinum collatione proponere. quia faciliùs cõcedunt rem in alio, quàm per ſe propoſitam. [l] Magna etiam vis in eo eſt ad probandum obſcurè quod volumus, ſi id non proponamus quod ſumendum eſt, ſed id quod illud cõſequitur neceſſariò. [m] Faciliùs enim dant, & concedunt illud ipſum, quod nõ æquè ex eo perſpici poteſt quid ſit efficiendum, quo tamen ſumpto, etiam illud ſumptum erit. [n] Illud etiam plurimùm valet, extremo loco id proponere, quod in primis efficere velimus. Solent enim omnes primæ diſputationi reſiſtere acriùs, & diligentiùs, [o] propterea quòd omnes qui diſputant, ea in primis proferre ſolent, in quibus maius ſtudium curamq; poſuerunt. [p] Quãquam apud nonnullos hæc quæ ad rem maximè faciunt, prima dici debent: [q] cuiuſmodi ſunt difficiles, [r] qui quidem ea concedunt faciliùs, quæ prima diſputatione afferuntur, ſi modò quid ſequatur non omnino appareat: ad extrema autem, difficiles ſe proteruoſque præbent. [s] Quod idem de ijs iudicandum eſt, qui acutos ſe putant in reſpondendo. poſitis enim conceſsiſque permultis, tumultuantur in concluſione, quaſi ex ijs quæ poſita ſunt, minimè ſequatur. [t] Illi autem facilè concedunt, & freti ingenio ſuo, & rati nullum ſe incommodum conſecuturum. [u] Poſtremò producenda erunt, & amplificanda, interijciendaq; in argumentatione ea omnia, quæ nihil ad rem pertinere videbuntur. [x] Id quod ij ſoliti ſunt facere, qui falſò aliquid deſcribunt & delineant. [y] Nam cùm multa ſunt, difficilis eſt falſi diiudicatio. Itaque celant & obſcurant rem interdum ij, [z] qui obſcurè vtuntur interrogationibus, ea quaſi in cumulo occulta proponentes, ſumenteſque quæ nunquam per ſe ac ſingula darentur. [a] Atq; ex his locis argumenta ducenda erunt, ad celandam diſsimulandamq; concluſionem.

IN CAPVT PRIMVM,

ANNOTATIONES.

[a] Sequitur vt de.) *Poſteaquam ſuperioribus libris deſcripta eſt, & pertractata omnis inueniendorum argumentorũ ratio, ſequitur nunc, ut quemadmodum quæ inuẽta ſunt argumenta, ad cuiuſq; problematis ſeu quæſtionis diſputationem, aptè cõuenientes, adhiberi poßint, demonſtret. Neq; enim ſatis eſt, quæ de re quiſque dicat reperiſſe, niſi & uia rationeq; eadem quæ reperta ſunt, tractentur, quemadmodum* 1. Rhetoricor. Ariſtoteles ait: οὐ γὰρ ἀπόχρη δ' ἔχειν ἃ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀνάγκη καὶ ταῦτα ὡς δεῖ εἰπεῖν.

Argumentorũ inuẽtioni tractatio adiungẽda.

Quam

Quam sententiam & his uerbis in præsens exprimit Alexander, οὐ γὰρ αὐτάρκης, inquit, ἡ τῶν τόπων εὕρεσις τῷ διαλεκτικῷ πρὸς τὸ συλλογίζεσθαι δι' αὐτῶν τὸ προκείμενον, ἀλλὰ δεῖ αὐτῷ καὶ ποιᾶς τάξεως αὐτῶν καὶ χρήσεως. Quòd si Diogenē Laertium audias, hoc libro, & subsequente, eo, qui de reprehensionibus Sophistarum inscribitur, Aristoteles ea, quæ ad usum facultatemq; disserendi rationis ac artis pertinent, generatim complectitur: eo nimirum modo, quo Rodolphus Agricola in libris Dialecticæ Inuētionis, post locorum descriptā traditamq; rationem, de usu locorum, hoc est, (quo modo id ipse interpretatur) de paranda disserendi facultate, commentationem suscipit. Scribit enim Diogenes in uita Aristotelis lib. 5. de hac re ad istum modum: πρὸς δὲ τὴν χρῆσιν, τάτε ἀγωνιστικὰ, καὶ τὰ περὶ ἐρωτήσεως, ἐριστικάτε καὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων τὲ καὶ συλλογισμῶν καὶ τῶν ὁμοίων τούτοις. Hoc est: Quod ad usum attinet, eū quidem in ijs, quæ tum de exercitatione, tum de interrogatione, tum de contentione, sophisticisq; reprehensionibus & ratiocinationibus, alijsq; id genus disserunt, complexus est. Atq; hoc eodem modo & Alexander de eo, quem in præsens explicamus, octauo Topicorum libro scribit in hæc uerba: ἐν τούτῳ ὄντι τελευταίῳ τῶν πραγματείας περὶ τῶν χρήσεως αὐτῶν ποιεῖται τὸν λόγον. Equidem cùm omnis disputandi ratio in eo posita sit, ut rectè tum interrogando, tum respondendo, ij qui inter se disceptant, propositæ quæstionis ueritatem inquirant: omnem hanc rationem, quod ad prudenter tum interrogandi, tum respondendi partes attinet, ita perfectè diligēterq; hoc libro tradidit Aristoteles, ut nihil sit, quod in hac re ampliùs quis meritò desideret: Maximè cùm & περὶ τῶν γυμνασίας καὶ μελέτης, hoc est, de exercitatione, pulcherrima sub finem addita sint præcepta & monita. Quibus omnibus si à nobis ut decet, pareatur, quid est, quæso, quo minus ipsi perfecti Dialectici officio perfungi queamus? Nempe, ut & de omni proposita quæstione uerisimiliter disseramus, & (id quod initio Topicorum huic Aristoteles adiecit) nihil, quoties in disputando quippiam defendendum erit, priori sententiæ repugnans asseramus. Quæ cùm ita sint, equidem non satis mirari possum, quidnam illis tandem in mentem uenerit, qui cùm de reliquo hoc Topico opere tam indignè, tum de hoc præsertim tam præclaro, utiliq; ad omnem disputationem bene instituendam libro, tam abiectè, ne dicam iniuriosè, & loquuntur & scribunt. Sed hisce omißis, ad ipsius nunc Philosophi interpretationem accedamus. Quod consequens esse, ut de ordine iam dispositioneq; argumentorum, deq; interrogandi ratione dicendum uideatur, Interpres ait, Græcè compendio dicitur, μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τάξεως, καὶ πῶς δεῖ ἐρωτᾶν λεκτέον. In quo nota paucis tibi proponi, de quibus rebus nunc deinceps dicendum sit, maximè in priore libri parte, hoc est, duobus primis capitibus. Nam in subsequentibus, cùm & de respondendi officio ac modo, tum et de exercendi, ut antè diximus, ratione præcepta traduntur. Alexander author est, hunc librū bipartitò à Græcis Interpretibus inscribi, dum alij περὶ

De vi ac vsu Dialecticę hoc lib. Aristoteles disserit

Sūma Aristotelicæ præceptionis.

Duplex huius libri inscriptio.

ἐρωτήσεως ἢ ἀποκρίσεως, hoc est, de interrogatione & responsione, alij περὶ τάξεως ἢ ἀποκρίσεως, hoc est, de ordine & responsione eum inscribunt. Quod ad nomen περὶ τάξεως attinet, id Cicero nunc ordinem & collocationem, ut lib. 2. de Oratore, nunc ordinem & dispositionem ibidem, nunc solam dispositionem, ut 1. Rhetor. ad Herennium, & 1. de Inuentione, nunc collocationem solam uocat, ut in Partitionib. Interpretationem cum ex 2. de Oratore hîc imitatur, quo loco Catulus, Qui ordo tibi placet, inquit, ut quæ dispositio argumentorum. Plato διάθεσιν illam, hoc est, dispositionem, in Phædro uocat, cùm Socrates Lysiæ orationem examinans, sic inquit: καὶ τὴν μὲν τοιάτων οὖν τὴν εὕρεσιν, ἀλλὰ τὴν διάθεσιν ἐπαινετέον. Alexander οἰκονομίαν dicere uidetur, sic posteriùs inquiens: ἀρίστη γὰρ οἰκονομία, δεῖ εἶναί τινα πρῶτον δὲ προφέρειν, τίνα δ' ὕστερον.

τάξεως nomen vt Cicerõi redditur.

Eadem διάθεσις & οἰκονομία dicitur.

b Primum quidem locum.) Hîc tria Dialectici officia præscribit, quorum primum quidem etsi Dialectico cũ Philosopho seu Demõstratore (Alexander ἀποδεικτικὸν uocat) commune est: duo tamen reliqua illi tanquam propria relinquuntur. Primum est, ut locos, ex quibus argumenta ad cuiusq; problematis disputationem eruantur, inueniat. Alterum, ut argumenta quæ inuenta sunt, aptè disponat & collocet. Tertium, ut eadem cum altero differens, idoneo sermone complectatur & efferat. Sunt, qui hoc loco Dialecticen ab Aristotele in tres partes, inuentionem, dispositionem, & elocutionem, dispertiri existimant, dispositionemq; eam hîc nominari, quæ uulgò iudicium, seu pars iudiciaria Dialecticæ nuncupatur. Verùm id nequaquam probabile esse, uel ex eo patet, tũ quòd hæc eadem partitio simili penè modo & Rhetoricæ, lib. 3. Rhetoricorum ab Aristotele accommodatur, in ipso adeò libri exordio, quo ait tria esse, quibus omnis dicendi institutio contineatur, primum comparationem argumentorum & probationum, alterum elocutionem, tertium dispositionem & collocationem partium orationis. Et quidem his uerbis: ἔπεσθαι δὲ τρία ὄντα, ἃ δεῖ πραγματεύθηναι πρὸ ἁπάντων λόγον, ἓν μὲν ἐκ τίνων ἁρμοττουσῶν ἔσονται πίστεις, δεύτερον δὲ περὶ τὴν λέξιν, τρίτον δὲ πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου, & cæt. Tum quòd & longè aliud nomine τάξεως, hoc est, dispositionis, in præsens Aristoteles intelligere uidetur, quàm id quod Iudicium, seu iudiciarium Dialecticæ partem uulgò nominamus. Nam cùm omne iudicium illud in argumenti dijudicatione & exploratione, utrum conueniat illud rei propositæ, nec ne, sine omni dubitatione positum sit: certum est non in ulla re alia, quàm in formulis modisq; colligendarum & efficiendarum conclusionum, (quas formas in Analyticis Aristoteles præscripsit) illud uersari. Ita Rodolphus Agricola initio libri secundi Dialecticæ inuentionis, cùm omne lumq; munus Dialecticæ esse profiteatur, posse de qualibet re probabiliter, quantùm ipsius natura patitur, argumentari: Quod totum duabus, inquit, comprehensum est partibus, quarum una excogitandi argumenti uiam docet, quam inueniendi uocant, cui parti om-

Tria Dialectica munera.

An hîc in tres partes Dialecticen Aristoteles partiatur

Iudicium altera Dialecticę pars in formis syllogismo rũ positũ.

nis de

nis de locis destinatur disputatio: altera cùm inuētum est argumentum, formam quandam argumentandi, hoc est, certam explorādi argumenti tradit regulam, qua ueluti numi moneta, probum ne sit, an nequam fallaxq; dignoscatur. Ea dicitur iudicandi pars. Hæc ille. Tales formæ hic nullæ explicantur

Iā an talis aliqua regula, talis argumenti explorandi, & quemadmodum in formulis Syllogismorum fit, tractandi, ulla in hac præceptione περὶ τάξεως ab Aristotele ratio habetur? Nunquid illam rationem potiùs in Analytico opere totam literis comprehendit et consignauit? πρὸς δὲ τοῦτο κείσεται, inquit Diogenes lib. 5. ἀναλυτικὰ πρότερα καὶ ὕστερα ἀπέδωκεν ὁ ἀριστοτέλης. Si itaq; hæc ita sunt, ut & iudicandi pars argumentationū formulis includatur, & tales nullas formulas hæc doctrina Aristotelicæ dispositionis præ se ferat: quis dubitare potest, quin hæc doctrina dispositionis, à superiore iudicandi parte Aristotelis sententia sit diuersa & aliena? Sed quorsum, inquias, si à iudicio tibi discrepare uidetur, illa tandem præceptio referenda est? Non uolo omnino iudicij expertē illā doctrinam esse. Imo quicquid habet, uel solius iudicij id proprium esse uidetur. At ne quid erres, latiùs Iudicij nomen hîc sumitur, quàm ut ad alteram dissērendi artis partem τοῦ κριτικοῦ referendum id esse uideatur. Naturalis quædam animi facultas, quares quasq; ponderamus & æstimamus, (siue sollertiam illam, siue prudentiam etiam appellare placet) hoc nomine censetur. De qua uerbi istius notione ita Fab. lib. 6. cap. 6. scribit: Qui mea quidē (inquit) opinione adeò partibus operis huius omnibus connexus ac mixtus est, ut ne à sententijs quidem, aut uerbis saltē singulis possit separari, nec magis arte traditur, quā gustus aut odor. Et paulò infrà: Referatur oportet ad sensus, qui non docētur. Nec multū à iudicio credo distare consilium, nisi quòd illud ostendentibus se rebus adhibetur, hoc latentibus, & aut omnino nondum repertis, aut dubijs. Item: Illud dicere satis habeo, nihil esse non modò in orando, sed in omni uita prius consilio, frustraq; sine eo tradi cæteras artes, plusq; uel sine doctrina prudentiam, quàm sine prudentia facere doctrinam. Hæc ille. Ex quib. sanè perspici datur, quàm latè uis huius uerbi pateat, si natiua et propria eius significatio inquiratur. Nunc cùm neq; consilio, neq; natiua, seu prudentia, seu sollertia, hæc insequentis dispositionis præcepta careant, sed uel illis omnibus præcipuè nitantur: (quid enim quoque loco pro ratione causarum, temporum, personarum, maximè incerta & dubia, præcipuè in differendo nos deceat, id non tam artis est, quàm ingenij bonitatis & perspicacitatis attendere) quis est, qui non per se ipse facilè intelligit, nequaquam à iudicio hanc disponendarum rerum præceptionem, de qua deinceps Aristoteles loquitur, planè remotam & deiunctam esse? Quanquam hic idem facilè deprehendit, id quod suprà asseruimus, eandem nullo modo cum Dialecticæ parte illa, quæ iudiciaria appellatur, temerè miscerī posse. Sed hæc de præsenti quæstione nimium multa. Quòd si exactiorem dispositionis rationem, quàm hîc ad disputandum accommodatè præceptis Aristoteles complectitur, aliquis desideret, de ea & Fabium Quintilianum lib. 7. & Ciceronem cùm alibi, tum 2. lib.

Iudicij nomen quā latè pateat.

Etiam τάξεως præcepta iudicio niti.

Exactior disponēdi ratio à q- bꝰ petēda

2. lib. de Oratore consulere potest. Quanquam nemo est seu ueterum, seu recentiorum, qui uno Rodolpho uel copiosiùs, uel accuratiùs, doctiusq; uniuersam hanc artem dispositionis informandæ præceptis comprehendit. Quippe cùm in omni oratione & sermone, non modò philosophorum, sed & poëtarum, & oratorum, & historicorum, qui ordo obseruandus sit, siue in expositione oratio uersetur, siue in argumentatione, ob oculos proponat. Et cùm de argumentatione agitur, hìc separatim tum de ordine partium orationis, tum de ordine quæstionum, argumentationum, partiumq; argumentationis ita cumulatè disertéq;, (ubiq; in consilium uocata & adhibita, temporum, locorum, rerum, personarũ, infinita uarietate & circũstantia) præcipit, ut nihil sit, quod ad eam rem facilè adijci posse uideatur. Vide super hoc Rodolphum, lib. 3. cap. 8. & alijs quæ deinceps sequuntur. Græcè hunc locũ Aristoteles sic effert: δεῖ δὲ πρῶτον μὲν ἐρωτᾶν μάλιστα τόπον ἐυρεῖν, ὅθεν ἐπιχειρητέον. δεύτερον δὲ ἐρωτηματίσαι τὴν τάξιν ἑκάστου πρὸς ἕκαστον. ἃ δὲ λοιπὸν καὶ τρίτον, ἐπεὶ μὴ ταῦτα πρὸς ἕτερον.

Rodolphus dispositiõis artẽ perfectissimè explicat.

c Deinde quærere ipse per se.) Nota separatim anteà quæq; æstimanda & dijudicanda esse, quæ locorum admonitu de re dicenda tibi comparasti, priusquàm ea cum alijs communices, ne si quid inconsultò & temerè efferatur, leuitatis reprehensionẽ inuras. Ita Cicero in Partitionib. rogante M. filio: Omnibúsne igitur ex his locis argumenta sumemus? Imo uerò scrutabimur, inquit, & quæremus ex omnibus, sed adhibebimus iudicium, ut leuia semper reijciamus, nonnunquam etiam communia prætermittamus, & nõ necessaria.

Inuẽta diiudicanda priusquã efferas.

d Postremò hæc omnia.) Hoc loco obserua, non in sola rationis meditatione & dijudicatione uniuersum Dialectici munus consumi, sed cum ratione simul & orationis curam eum necessariò assumere, posteaquàm cum altero illi res est, cui de proposita thesi fidem facere conetur. Id si hodie Aristotelomastiges diligentiùs obseruarent, minus inconsideratè multa in bene constitutam Peripateticorum disciplinam sanè effutirent. Sed de hoc in προλεγομένοις nostris copiosiùs disseruimus.

Non in sola ratiõis meditatione Dialecticũ versari.

e Ac loci quidem.) Ostendit locorum inuentionem Dialectico cum philosopho cõmunem esse, quòd perinde ut Dialecticus, ad sui propositi confirmationem argumentum ad Dialecticũ pertinere, eò quòd non ut Philosophus, sic & Dialecticus per se omnia disquirat: Siquidem illi cum altero ferè res est, cui in disceptando ex propria confessione dum fidem, ut dixi, facere conatur, illius de sumptis propositionibus iudicium interrogando exquirit. Græcè hæc Aristoteles dicit, μέχρι μὲν οὖν τοῦ ἐυρεῖν ἁπλῶς τόπον, ὁμοίως τοῦ φιλοσόφου καὶ τοῦ διαλεκτικοῦ ἡ σκέψις. ἃ δὲ ἴδιά ἐστι ταῦτα τέχνης καὶ ἐξ ὧν πλεῖστα

Argumentorum dispositio Dialectico propria.

f Quoniam hoc totum.) Quid audio? totúmne Dialectici studium in eo situm est, ut alteri

ut alteri id de quo agitur persuadeat? ut propterea alterum, quicum disceptet, necessariò requirat? nihil ipse tacitè secum meditando efficit? nihil concludit? nihil probat? Non dubium, quin & ipse secum aduersario amoto sæpe disputet, propositæ quæstionis ueritatē sæpe excutiat, utrinq; æstimatis rationibus, quid uerisimiliter de re statui poßit, solus indaget. Sic enim Aristoteles lib. de Reprehensionibus Sophistarum scribit, cap. 4. διὸ καὶ τῶν πρὰ τὴν λέξιν οὗτος ὁ τρόπος θετέος, πρῶτον μὲν ὅτι μᾶλλον ἡ ἀπάτη γίνεται μετ' ἄλλων σκοπουμένοις, ἢ καθ' ἑαυτούς. ἡ μὲν γὰρ μετ' ἄλλου σκέψις διὰ λόγου, ἡ δὲ καθ' αὑτοὺς οὐχ ἧττον δι' αὐτοῦ τοῦ πράγματος. Quod ergo in præsens dicitur, totum ad alterum, eum quicum disseritur, referri, id de potiore Dialectici officio intelligendum est, id quod haud dubiè in eo positum est, ut alijs sententiam suam de posita quæstione persuadeat. Græcè hîc dicitur, πρὸς ἕτερον ἢ πᾶν τὸ τοιοῦτον.

Bifariam Dialecticus disserit apud se & alios.

g Philosophus enim.) *Hæc ratio, quare interrogationem ad solum Dialecticum reijciat. Nempe quia illa nihil Philosophus indiget, ut qui suo iudicio super re in quæstione posita contentus, ipseq; solus per se omnia æstimans, minimè aliorū assensum, ad hoc ut rem conficiat, requirit, de quo uide lib. 1. de Demonstratione, cap. 2. & 6. Nota philosophum, καὶ δὲ ζητοῦντα καθ' ἑαυδὲν hîc ab Aristotele dici.*

Cur Philosophus nil quærat.

h An qui contrà disputat.) *ὁ ἀποκρινόμενος græcè dicitur. Qui contrà disputat, eum προσδιαλεγόμενον Alexander uocat, quo uocabulo & ipse Aristoteles interim utitur.*

i Eò quòd finitima.) *Illiusmodi sunt, & prima & immediata demonstrationum principia, quæ ex eodem rerum genere καὶ συστοιχίᾳ cum demonstranda quæstione depromuntur. Sunt, qui hæc ad repugnantem aduersarium referant. Verùm nobis potiùs ratio uidetur, quam ob rem eius qui contrà disputat ἀντιλογίαν Philosophus nihil curet. Atq; sic et Alexāder intelligere uidetur, dum sic scribit: ποιεῖ δὲ ταῦτα ὁ ἀποδεικτικὸς διὰ δὲ σύνεγγυς εἶναι τὰς ληφθείσας προτάσεις τῶν δὲ ἀρχῆς τεθέντι προβλήματι, καὶ ὅτι εὐθὺς ἐκ τῶν σύνεγγυς προτάσεων προορᾷ δὲ συμβησόμενον συμπέρασμα.*

Duplex loci interp̄tatio.

k Quippe cùm ex his talib.) *μάλιστα γνωρίμοις καὶ σύνεγγυς οὖσι τοῖς ἀξιώμασιν, de quo uide lib. 1. de Demonstratione. Quæ scientiam gignant ratiocinationes, ἐπιστημονικοὶ συλλογισμοὶ dicuntur. Eos in præsens τοὺς ἀποδεικτικοὺς Alexander uocat.*

ἐπιστημονικοὶ συλλογ.

l Ac loci quidem.) *Posteaquam locorum doctrina superiùs explicata est, ostendit περὶ τάξεως τοῦ ἐρωτηματίσαι nunc deinceps se præcepturum esse. Quæ tractatio quia omnis in proponendis explicandisq; propositionibus uersatur, priusquā de ea quicquam disserat, antè propositionum hîc distinctionem præmittit. Ea est, propositionum alias ad rē concludendā necessarias esse, quas τὰς ἀναγκαίας: alias non necessarias, quas*

τάξεως ratio in propositionibus sita.

τὰς πρὰ τὰς ἀναγκαίας uocat. Quæ necessariæ sunt, duæ numero sunt, ut propositio & assumptio, sine quibus concludi nequaq̃ ratiocinatio potest: quæ assumptæ, non necessariæ, ut certo illæ numero minimè continentur, ita ad efficiendam conclusionem nequicquã conferunt. Quas an προσυλλογιστικὰς rectè appelles, quemadmodum superiores illæ, κύριαι, hoc est, principales, lib. 1. de Ratiocinat. cap. 14. nuncupantur, tu uide.

m Necessariæ autem di.) Describit, quæ necessariæ, αἱ ἀναγκαῖαι sint, ne uerbi multiplici notione capiaris. In lib. περὶ ἑρμηνείας, necessariæ dicebantur, quæ uerbo necessarij constabant, aut certè quarum materia erat necessaria: hic nec materiæ, nec uerbi necessarij ratione ita dicuntur, sed quia ad inferendam conclusionem uim planè necessariam afferunt. Atq; ita in præsens Alexander, ἀναγκαίας δὲ λέγει, inquit, ταύτας, οὐκ ὅτι ἀναγκαίας ἐστὶν ὕλης, ἀλλ' ὅτι ἐκ τούτων δύο οὐσῶν δ' ἔλαττον ἀναγκαίως συνάγηται δ' συμπέρασμα. Græca Aristotelis definitio est, ἀναγκαῖαι δὲ λέγονται, δι' ὧν ὁ συλλογισμὸς γίνεται.

Necessariæ propositiones duplices.

n Quatuor autem.) Non necessarias in quatuor genera docẽdi causa dispertit, idq; à quadripartito fine, cuius gratia assumũtur. Aut enim Inductionis causa, aut augendæ orationis, aut celandæ complexionis, aut illustrandæ argumentationis gratia assumuntur, quemadmodum his uerbis deinceps Aristoteles significat, cùm inquit: ἢ γὰρ ἐπαγωγὴς χάριν τοῦ δοθῆναι δ' καθόλου, ἢ εἰς ὄγκον τοῦ λόγου, ἢ εἰς κρύψιν τοῦ συμπεράσματος, ἢ πρὸς δ' σαφέστερον εἶναι δὲν λόγον.

Nõ necessariæ sumptiones quadriptitæ.

o Aut enim inductionis.) Vide, an has & breuitatis, & euidentioris doctrinæ causa, τὰς ἐπαγωγικὰς, κρυπτικὰς, ὀγκώδεις, καὶ σαφινηζούσας προτάσεις rectè appellemus.

p Sed eò omnis diligent.) Prædicta genera breuiùs ad duo membra redigit. ἀλλ' ἢ διὰ τούτων, inquit, αὔξειν καὶ ἐρωτηματίζειν πειρατέον.

q Quanquam autem eas.) Ostendit τὰς κρυπτικὰς certandi studio, καὶ τοῦ ἀγῶνος χάριν adhiberi.

r Quoniam hoc totum.) Quod suprà, πρὸς ἕτερον πᾶν δ' τοιοῦτον ait, id hoc loco, πᾶσα ἡ τοιαύτη, inquit, πραγματεία πρὸς ἕτερόν ἐστιν, eodem sensu.

s Necessarias igitur.) Nunc porrò, quomodo quæq; sumptiones in disserendo, ut rei propositæ conueniant, sint adhibendæ, ostendit. Ac primum quod ad necessarias attinet, si tales illæ sint, quas non concessurus esse aduersarius uideatur, non uult eas simpliciter ac primùm proponi, sed aliquantisper sepositis & prætermissis ijs, alias, ex quibus illæ sequantur, seu sursum uersus, seu deorsum à proposito declinando, accersiri. Hoc enim cùm et occultiùs fiat, faciliùs ab aduersario obtentum iri confidit. Quod duplici uid à proposito deflecti, in remotiorum propositionum assumptione, posse iam dixi, id intelligendum est, quia aut superiora communioraq; re subiecta per ratiocinationẽ acciri possunt, aut

Necessariæ nõ statim proponẽdæ.

Duplex via τῆς ἀποστάσεως.

aut inferiora strictioraq; idq; per Inductionem, quemadmodum exemplo de aduersis prōposito, paulo infrà Aristoteles ostendit.

t Sed longè ad summas.) *Hæc prior digressionis uia est, quam τὴν ἀπόστασιν propriè Alexander uocat.* οὐκ εὐθὺς τὰς ἀναγκαίας προτακτέον, *inquit Aristoteles,* ἀλλ' ἀποστατέον ὅτι ἀνωτάτω. ὅτι ἀνωτάτω *Alexander exponit* ἐπὶ τὰ καθολικώτερα καὶ κοινότερα. *Id quod fit propriè per ratiocinationem.* ἀποστατέον ὅτι ἀνωτάτω.

u Non enim debet.) *Exemplo declarat. Si de specie quæstio incidat, hæc et ratiocinatione per superiora, (uti per suum genus) & Inductione per singularum subiectarumq; rerum subiectionem confirmari potest.*

x Subiecta sunt contrarijs.) *Tanquam species generi. Iam genere maximè uniuersim comprobato, in cōfesso est, & species quasq; separatim ostensas & comprobatas esse. In hunc locum de subiectione aduersorum sub contrarijs, uide & Ciceronem in Topicis, & Aristotelem in Categorijs cap. 7.* Genere probato probat & species.

y Quòd si non concedat.) *Subijcit alterā uiam de assumptione partium, hoc est, inferiorum rerum, quæ per Inductionem, ut antè diximus, tractatur. Huic tum demum locum esse uult, cùm ea quæ superiora & communiora necessaria propositione assumuntur, locum apud aduersarium non inueniunt. Sic enim Alexander,* ἐὰν τὸ καθόλου (*inquit*) καὶ τὸ ἀνωτέρω τῶν ἀναγκαίας προτάσεως βουλόμεθα λαβεῖν, μὴ συγχωρῇ δὲ ὁ ἀποκρινόμενος, πειρατέον δι' ἐπαγωγῆς λαβεῖν, *& cæt. quæ sequuntur.* ἀπόστασιν per Inductionē.

z Per aduersorum singulorum.) *Quo modo, uerbi causa, & par & impar ad Arithmeticen: & uirtus & uitium ad Ethicen, opulentia & paupertas ad* ποριστικὴν: εὐεξία καὶ καχεξία *ad* γυμναστικὴν, *teste Alexandro referuntur. Et sic de alijs.*

a Nam aut ratio.) *In hunc locum uide lib. 1. de Ratiocinatione, cap. 14. & lib. 2. cap. 11. Quas sumendas hoc loco propositiones ait, illæ per se minus perspicuæ & luculentæ sunt, quas Alexander* τὰς οὐκ αὐτόθι γνωρίμους *appellat. Nam cæteræ per se euidentes, sine approbatione, ut deinceps subiungit, adsumuntur.* Sumendæ propositiones.

b Quæq; valde per se.) *Hactenus de obscuriorum comprobatione disseruit. Nunc si per se ipsæ necessariæ propositiōes luculentiores sunt, (quas* τὰς λίαν προφανεῖς *ipse appellat) tales statim, & directa fronte quasi in aciem proferendas existimat, eo quòd nemo facilè istiusmodi occurrerit. Imo uerò & si tales comprobare quis niteretur, eum nō tam lucem rei allaturum, quàm quasi tenebras eidem affusurum esse arbitratur, sic scribēs,* ἀδηλότερον γὰρ ἀεὶ ἐν τῇ ἀποστάσει καὶ τῇ ἐπαγωγῇ τὸ συμβησόμενον. *&c.* Necessariæ αἱ λίαν προφανεῖς.

c Atq; mox ipsas necessar.) *Quas necessarias hic Interpres dicit, Aristoteles* τὰς χρησίμους, *hoc est, probandæ quæstioni accommodas, propositiones uocat. Eæ sunt* αἱ προσεχεῖς τῷ δεικνυμένῳ συμπεράσματι, *quemadmodum Alexander superiùs nominauit.* Necessariæ, αἱ χρήσιμοι.

d Quæ

d Quæ autem præter necess.) *Transit à necessarijs ad ea, quæ præter ista assumuntur, & primò quidem loco, quemadmodum in inductione adhibendæ sint, commonstrat, dum & à singulis ad uniuersa, & à notis ad ea quæ ignota sunt progrediendum ait,* idq; *his uerbis:* ἐπαγόντα μὴν ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου, περὶ τῶν γνωρίμων ἐπὶ τὰ ἄγνωστα.

Non necessarię in Inductione vt adhibẽdæ.

e Vt à singulis ad v.) *Sic suprà lib. 1. cap. 8. inductionem definit, quòd sit progressio à rebus singulis ad uniuersas,* ἐπαγωγὴ δέ, *inquit,* ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος. *Quod adijcit, à non dubijs & cæt. explicandæ rei causa dicere uidetur. Sint enim res non dubiæ, singulæ: dubiæ uerò & obscuræ, uniuersæ, quemadmodum commenter subiungit, dum inquit:* γνώριμα δὲ μᾶλλον τὰ κατὰ αἴσθησιν, ἢ ἁπλῶς, ἢ τοῖς πολλοῖς. *De quo uide lib. 1. de Demonstrat. cap. 2.*

Inductio quid.

f Aut certè plerisq;.) *Id propter sapientes & eruditiores dicit, quibus, etsi sensuũ iudicio item res singulæ uniuersis & generalibus notiores sunt, tamen rationis & demonstrationis adhibitæ beneficio, uniuersa singulorum notionem antecurrunt & superant,* de quo nonnihil *lib. 6. superiùs cap. 2. dictum est, in hæc uerba:* ἔτι τοῖς ἀντοῖς ἄλλοτ' ἄλλα μᾶλλον γνώριμα, ἧς ἀρχῆς μὴν τὰ αἰσθητὰ, ἀκριβεστέροις δὲ γινομένοις, τὰ νάπαλιν. *Et cæt.*

Eruditis & vniuersa singulis notiora.

g Ad celandam autem.) *Nunc ex professo de celatione & occultatione propositi, disserit, docens quibus modis non inconcinnè illa in disceptando adhibeatur. Quia uerò hæc doctrina à boni uiri officio paulò longiùs remota uidetur, quippe quæ non tam rei docendæ ergò, quàm eius qui contrà disputat, irretiendi capiendiq; gratia* σοφισμῶς *instituta uidetur: sciendum est, apud quos tandem, & quibus temporibus hac disciplina uti posimus. Vtemur ergo, quoties cum ijs agimus, qui uel uitæ professione, uel doctrinæ genere nobiscum discrepant, ut apud Platonem cum Protagora agit Socrates: Vel cùm amici ac familiares nobiscum disserunt, quos à nostro proposito abhorrentes, hoc modo uel inuitos in sententiam nostram adducere conamur. Vel etiam cùm exercitationis gratia, & in iocoso sermonis genere occultè & insidiosè disceptare constitutum est. Cuius quidem rei non infrequentia interim cùm apud Platonem, tum apud alios exempla reperire licet.*

Doctrina περὶ κρύψεως καὶ τοῦ σοφιστικωτέρα quatenus in differẽdo vti cõueniat.

h Vt antè fiat de ijs.) *Prima præceptio, ut tum principalis ratiocinationis, tũ eius quæ ad principalem asserendam adhibetur, uarijs modis ac rationibus propositiones confirmes. Sic enim futurum, in hac tanta sumptionum & probationum copia, ut id de quo agatur, minus perspici queat. Huius generis exemplum est illud Ciceronis Tusculan. 1. ex Platonis Phædro conuersum: Quod semper mouetur, id æternum est. Quod autem motum affert alicui, quodq; ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, uiuendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod seipsum mouet, quia nunquam deseritur à se, nunquam*

Propositiones uariè confirmandæ.

Ciceronis exemplũ è Platone cõuersum

nunquã ne moueri quidem desinit: Quin etiam cæteris quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. Principij autem nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia: & cætera, quæ sequuntur. Nam longiusculè orationem persequitur, de qua quidem quid ipsemet sentiat, insequentibus uerbis, ad huius præscriptum loci accommodatè, declarat: Licet concurrant plebei omnes philosophi (sic enim ij qui à Platone & Socrate, & ab ea familia dissident, appellandi uidentur) non modò nihil unquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum quàm subtiliter conclusum sit, intelligent. Plebei philosophi Ciceroni qui.

1 Non solùm necessar.) Hæ principales sunt, ex quibus ἐξ ὧν ἀρχῆς, id quod in disquisitionem uenit, proximè comprobatur.

k Earum quæ ad eas vtiles sunt.) τὰς προσυλλογιστικὰς intelligit, quæ sunt, quæ ad principalium confirmationem adiunguntur. De προσυλλογισμοῖς uerò uide lib. 1. de Ratiocinat. cap. 14.

l Illud etiam proderit.) Altera præceptio superiori affinis, nisi quòd illa rem concludendam initio non dissimulat & tegit, uti hæc faciendum monet. Videtur hunc locum imitatus Cicero lib. 1. de Inuentione, ubi de proposito Inductionum celando præcipit ad hunc modum: Deinde non intelligat, quò spectent illæ primæ inductiones, et ad quem sint exitum peruenturæ. Nam qui uidet si ei rei quæ primò rogetur rectè assenserit, illam quoque rem quæ sibi displiceat, esse necessariò concedendam, plerunq; aut non respondendo, aut malè respondendo longius procedere interrogationem non sinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo quod concesserit, ad id quod non uult concedere, deducendus est. Atque huc item pertinet, quod & 2. lib. de Oratore, sæpe non proponendum de quo agatur, Cicero præcipit, dum inquit: Sæpe nõ proponere, ac ratione ipsa afferenda quid proponẽdum fuerit, declarare. Græcè hic locus ab Aristotele affertur: ἔτι τὰ συμπεράσματα μὴ λέγειν, ἀλλ' ὕστερον συλλογίζεσθαι ἀθρόα. οὕτω γὰρ ἂν ποῤῥωτάτω ἀποσκοποῖ ἡ ἐξ ἀρχῆς θέσεως. Inductiones vt primùm celandæ. Cõclusio tegenda.

m At vt in summa dicam.) Hîc præcipit, ut in numerum confuse argumenta congeras, nullo certo ordine ac uia distinctis digestisq; propositionibus. Nam ita facilius aduersarium circumuẽtum iri, cùm propter interrogationum perplexitatem, quid tandem ex ijs quæ ponuntur consequens sit, minus perspiciat. Huc pertinet, quod 2. de Oratore Cicero præcipit: Puncta argumentorum plerunq; ut occulas, ne quis ea numerare possit, ut re distinguantur, uerbis confusa esse uideantur. Græcè est, καθόλου δὲ εἰπεῖν, οὕτω δεῖ ἐρωτᾶν ὡς κεκρυμμένως πυνθανόμενον, & cæt. Argumentorũ puncta occulenda.

n Alter causa quæ sit.) Illatæ nimirum conclusionis. De respondente loquitur, qui copia superioris orationis quasi obrutus, quia non partitè & distinctè propositæ argumẽtationis partes essent, quid cui cõsequens esset, minus perspicere potuit. Tanq; enim scopæ dissolutæ propositæ essẽt, ita quã ob rẽ ὁ συμπέρασμα aduersarius colligat, scisciatur. Respõdẽs de conclusionis vi dubitat.

o In membra digestæ non essent.) *Suo more legitimè, quemadmodum lib. 1. de Ratiocinatione, in formulis syllogismorum est præscriptum. Talem in membra ratiocinationum digestionem,* τὴν διάρθρωσιν *Aristoteles uocat, cùm inquit:* μὴ διαρθρωθέντων τῶν προτέρων συλλογισμῶν. *Et,* ἥκιστα δ' ἂν διαρθρωθείη ὁ συλλογισμὸς τοῦ συμπεράσματος μὴ τούτου λήμματα ἡμῶν τιθέντων, *& cæt.*

διάρθρωσις τῶν συλλογισμῶν.

p Cùm eius sumpt.) *Quas hîc sumptiones Interpres uertit, Græcè* τὰ λήμματα *Aristoteles uocat, quo uerbo idem & initio Topicorum usus est, cap. 1. quo loco inquit:* ἀλλ' ἐκ τῶν οἰκείων μὲν τῇ ἐπιστήμῃ λημμάτων, οὐκ ἀληθῶν δὲ ὧν συλλογισμὸν ποιεῖται. *Sunt autem* λήμματα *non aliud quàm propositiones. Ita Alexander in antè posita Aristotelis uerba:* ὅτι λήμματα, *inquit,* αἱ προτάσεις παρὰ ἀριστοτέλει σημειοτέον. *De hac uoce nonnihil annotauimus in caput 4. lib. 1. de Ratiocinat.*

λήμματα, sumptiones.

q Sed illa ex quibus.) *Prædictarum sumptionum approbationes intelligit, quas Cicero in Rhetoricis uocat. Græcè est,* ἀλλ' ἐκεῖνα ὑφ' ὧν συλλογισμὸς γίνεται.

r Vtile erit etiam.) *Videtur eadem cum superiore præceptio, ut distractæ argumentationum partes uicissim inter se permisceantur & confundantur. Græcè est,* χρήσιμον δὲ καὶ τὸ μὴ συνεχῆ τὰ ἀξιώματα λαμβάνειν ἐξ ὧν οἱ συλλογισμοί, ἀλλ' ἐναλλὰξ τὸ πρὸς ἕτερον καὶ ἕτερον συμπέρασμα. *In quo nota uerbum* τοῦ ἀξιώματος, *generaliùs hîc poni, quàm lib. 1. de Demonstratione descriptum est. Sumitur enim omnino hîc pro enunciatione & quasi effato, quemadmodum plerisq; locis id uerbi Cicero conuertit. Atq; sic & capite sequenti idipsum sumitur.*

ἀξίωμα, pro propositione ponitur.

i Collatis enim vnum in locum.) *Græcè est,* τιθεμένων γὰρ τῶν οἰκείων παράλληλα μᾶλλον τὸ συμβησόμενον ἐξ αὐτῶν προφανές. *In quo nota* τὸ συμβησόμενον *hoc libro sæpiùs dici, id quod propriè* τὸ συμπέρασμα *in superioribus fuit appellatum. Paulò pòst &* τὸ συμβαῖνον *dicitur eodem sensu.*

τὸ συμβησόμενον.

t Atque etiam generalis.) *Cùm antegressæ præceptiones ordinis sint, & collocationis partium ratiocinationis: hîc de uerborum delectu, & commutatione quæ in disserendo adhibenda est, admonet. Vultq; si ita res ferat, ut ad eius de quo agitur comprobationem, ex definitione ducendum sit argumentum, non eius quod in quæstione proponitur, sed coniugati, tanquàm latentioris, firmiorisq; ad probandum, afferendam esse definitionem. Ita si disputetur, an iratus uindictam expetat, non ex irati definitione, (quod in quæstionem uenit) sed ex eius coniugati, nempe Iræ, finitione argumentum ducendum erit, propterea quòd idipsum sit & tectius, & multò quàm alterum, ad confirmandum id quod propositum est, efficacius, ut deinceps patebit.*

Definitio coniugati ad concludendum aptior.

u Sed coniugatorum.) *Hæc abstracta in præsens sunt, quorum concreta in disputationem sunt producta. Quod falsa conclusione se ipsos capere, deinceps Interpres ait, id Græcè* τὸ παραλογίζεσθαι ἑαυτοὺς *Aristoteli dicitur.*

τὸ παραλογίζεσθαι ἑαυτοὺς.

x Quasi

x Quasi vniuersam generalemq; mi.) Idq; propter signum, & προσδιορισμῶ notam abiectam. Hoc loco nota regulas, definitiones, axiomataq; omnia, etsi indefinitè pronunciantur, uim tamen uniuersorum generaliumq; pronunciatorum obtinere. Id quod minus interim imperiti animaduertunt. Regulæ & finitiones vniuersæ.

y Sumaturq; ira libido.) Hæc abstracti, ἡ ὀργῆς, definitio est, quam simili prope modo, lib. 4. Tusculd. Cicero effert hisce uerbis: Eam sic definiunt, ut Ira sit libido puniendi eius, qui uideatur læsisse iniuria. Græcè hoc loco Aristoteles, ἡ ὀργὴ, inquit, ὄρεξίς ἐστι τιμωρίας διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν. Quæ definitio ἀιτιώδης est, constans partim formalis, partim efficientis causæ comprehensione. Paulò aliter imitio lib. 1. de Animo Aristoteles eam describit. Iræ αἰτιώδης finitio.

z At si quis definitio.) Ostendit dissimilem rationem esse, si abstracto, quod coniugatum erat, prætermisso, concreti definitionem adhibeas. Siquidem hîc minus firmum efficaxq; argumentum futurum est, propterea quòd cùm materia in concretis frè fortuita, in abstractis autem necessaria sit, si ad hunc modum definitionem usurpes, facilius aduersus propositionem eam, tanquam infinitam speciali æquiualentem, quid obijci, et occurri possit. Id enim est, quod ipse τὸ μᾶλλον ἔχειν ἐπ' αὐτῷ ἔνστασιν, Græcè ait. Abstracti, quã cõcreti ratio cõstantior.

a Et quanquam non videtur.) Quod de parentibus modò obiecit exemplum, nos ijs fine uindictæ appetitione quandoq; irasci, id nunc interpretatur, docẽs & ijs quã dam ex hoc pœnam accidere, quòd dum irascimur, aliqua ad eos per nos molestia, animiq; ægritudo perueniat. Atq; id est, quod in nonnullis ἱκανὴν τιμωρίαν δ' λπεῖσθαι μόνον, μὴ ποιῆσαι μεταμελεῖσθαι dicere uidetur.

b Habet tamen aliquid.) Græcè est, οὐ μὴν ἀλλ' ἔχει τι πιθανὸν πρὸς τὸ μὴ δοκεῖν ἀλόγως ἀρνεῖσθαι τὸ προτεινόμενον.

c Præterea is qui quæsti.) Hæc alia præceptio est, qua monet interrogata per dissimulationem ita proponi, tanquã ad propositum non faciant, sed alterius cuiusdam gratia rogentur: Quia sic facilius daturus sit aduersarius, cùm minus suspecta ea habeat, quæ aliorsum pertinere arbitratur. Minus enim suspectum erit, (inquit Rodolphus lib. 3. cap. 15.) cùm quare quid dicatur, non apparebit, credeturq; facilius, & securos animos blandius subibit, sicut minus timentur arma, quorum non intelligitur usus. ἔτι δὲ προτείνειν, inquit Aristoteles, ὡς οὐ διὰ ταῦτ', ἀλλ' ἄλλου χάριν προτείνουσα, εὐλαβοῦνται γὰρ τὰ πρὸς τοῦτο δέοντα χρήσιμα. Minus suspecta faciliùs recipi

d Dare etiam operam.) Græcè est, ἁπλῶς δὲ εἰπεῖν ὅτι μάλιστα ποιεῖ ἄδηλον πότερον δὲ προτεινόμενον ἢ δ' ἀντικείμενον βέλτιστα λαβεῖν. quod est, Vt simpliciter & generatim dicam, quam maximè dubium efficiet, utrum id quod proponitur, an eius contrarium uelit sumere. Quo modo superioris præcepti perfectio & amplitio quædam uidetur. At sic ὅτι μάλιστα ποιεῖν rectiùs fortè legendum est, quo modo et Boëtius, Alia lectio.

Ratio huius cũ superiore eadem.

quàm maximè facere dubium, istud conuertit. Ratio autem huiusce admonitionis cum antegrediente eadem est. nempe quòd talia quæ quorsum euadant obscurum est, faciliùs ab eo qui contrà disserit admitti soleant. ἀδήλου γὰρ ὄντος τοῦ πρὸς τὴν θέσιν χρησίμου, μᾶλλον δοκοῦν αὐτοῖς τιθέασιν.

e Iam verò ex similit.) Vult & tegendi propositi causa, per similitudines rem confici. ἔτι διὰ τῆς ὁμοιότητος πυνθάνεσθαι, inquit, καὶ γὰρ πιθανὸν καὶ λανθάνει μᾶλλον δὲ καθόλου. Alexander δὲ καθόλου, ipsum propositum hic intelligit, quod sic interpretatur, διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν τὸ καθόλου, δὲ προκείμενον ἐσήμανε. Spectat autẽ hic locus ad Socraticas, ut uidetur, Inductiones, de quibus lib. 1. de Inuentione paulo fusiùs Cicero præcipit. Est enim Inductio (ut ibidem à Cicerone definitur) oratio, quæ reb. non dubijs captat assensionem eius, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quædam res, propter similitudinem earum rerum quibus assensit, probetur, uelut apud Socraticum Aeschinem demonstrat Socrates cum Zenophontis uxore, & cæt. Neq; obstat, quòd paulo infrà hoc interrogandi genus ab Inductione distare Aristoteles asserit. Siquidem iste diuerso sensu inductionem, ut ex rebus singulis rem uniuersam, non ut ex singulis res singulas more Socratico colligit, ibidem sumit.

Τὸ καθόλου.

Inductio Ciceroni quid.

f Non tamen idem valet.) Maximè si propriè (ut suprà lib. 1. cap. 8. Inductio definita est, quòd ex rebus singulis res uniuersas conficiat) accipiatur. Sic enim hoc genus per similia rem comprobandi, ab illa interest. ἐκεῖ μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν καθέκαστον, ait Aristoteles, τὸ καθόλου λαμβάνεται, ἐπὶ δὲ τῶν ὁμοίων οὐκ ἔστι τὸ λαμβανόμενον τὸ καθόλου, ἐφ' ᾧ πάντα τὰ ὅμοιά ἐστι.

Quid Aristoteli.

g Ipse etiam sibi inter.) Quæ nunc deinceps sequuntur præcepta, & intellectu facilia sunt, & usus, præsertim apud Sophistas & captiosos homines, non infrequẽtis. Quò minus fraudium metuẽs, citiùs quæ uis, aduersarius tibi largiatur, uult ut prætextu æquitatis simulato, ipse tibi si res ita ferat, in disserendo interim occurras. Id quod per ἀνθυποφορὰς & προκαταλήψεις Rhetorum non incommodè uidelicet accidere solet. δεῖ δὲ, inquit, καὶ αὐτὸν ἑαυτῷ ποτε ἔνστασιν φέρειν, ἀνυπόπτως γὰρ ἔχουσιν οἱ ἀποκρινόμενοι πρὸς τοὺς δοκοῦντας δικαίως ἐπιχειρεῖν. Deinde quò minus idem tibi aduersarius resistat, uult ut & usitata te dicere, & quàm minimum in dicendo te studij & diligentiæ ponere præ te feras. Nam ut maior diligentia in dicendo ferè suspecta esse solet, ita quæ peruagata & communia sunt omnium, minus uulgò refutare audent & coarguere, quemadmodum disertis uerbis infrà profitebitur.

Aequitas præferenda.

Studium dissimulãdum.

h Vt dicest etiam.) Hoc est, quod de uulgarium & tritarum sententiarum professione iam diximus. χρήσιμον δὲ, inquit, καὶ τὸ ἐπιλέγειν, ὅτι σύνηθες καὶ λεγόμενον τὸ τοιοῦτον. ὀκνοῦσι γὰρ κινεῖν τὸ εἰωθὸς ἔνστασιν μὴ ἔχοντες. ἅμα δὲ καὶ διὰ τὸ χρῆσθαι καὶ αὐτοὶ τοῖς τοιούτοις φυλάττονται κινεῖν αὐτά.

Vulgares sententiæ afferendę.

i Iam

i Iam & studium.) Quod ad hunc locum de dissimulando studio & diligentia nostra attinet, eum & Rhetores in præceptis suis non dissimulanter ponere & inculcare solent, eo quòd Oratori omnem tum fidem, tum autheritatem in dicendo artificij & diligẽtiæ suspicio detrahere solet. Huc pertinet illud Ciceronis lib. 2. de Oratore: Tractatio autem uaria esse debet, ne aut cognoscat artem qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. Græcè Aristotelis uerba hoc loco sic habent: ἔτι ὁ μὴ σπουδάζων, κἂν ὅλως χρήσιμον ᾖ, πρὸς γὰρ τοὺς σπουδάζοντας μᾶλλον ἀντιτείνουσι. Suspicio artis fidẽ detrahit.

k Et similitudinum collat.) Huic finitimum est illud, quod suprà dixit, ἔτι δὲ διὰ φιλομοιότητα πυνθάνεσθαι. Quanquam hîc diuerso orationis genere inquit, ὁ δ' ὡς ἐν παραβολῇ πρότεινεν. δι' ἄλλο γὰρ δι' ἄλλο τι προτεινόμενον ὁ μὲν δι' ἀνάχρησιν μᾶλλον τιθέασι μᾶλλον. De parabola quid sit, cap. sequenti dicemus.

l Magna etiam vis.) Vult & antecedentia, & consequentia, eius quod ponendum est, loco non inutiliter interim collocari, maximè si necessariò cum isto hæc conueniant. ἔτι μὴ αὐτό, inquit, προτείνῃ ὃ δεῖ λαμβάνειν, ἀλλ' ᾧ τοῦτο ἕπεται ὃ δεῖ ἀνάγκης. Quanquam hîc de antecedentibus solum loquitur. Cicero 1. Rhetoricorum, de consequẽtibus scribit ad hunc modum: Etsi exitus rerum ita exponemus, ut antè quoq; quæ facta sint, sciri possint, tametsi nos reticuerimus. Antecedẽtia pro re ponenda.

m Facilius enim dant.) Græcè est, μᾶλλον γὰρ συγχωροῦσι δι' ἃ δὲ μὴ ὁμοίως ἐκ τούτων φανερὸν εἶναι δ' συμβησόμενον, λαμφθέντος τούτου εἴληπται καὶ κεῖνο.

n Illud etiam pluri.) Hoc loco duplicis argumentorum collocationis nos commonefacit, quam Rhetores in firmissimis argumentationibus disponendis nobis obseruãdam præcipiunt. Aut enim in primis ea quæ firmissima sunt collocari oportere, eo quòd re narrata, iam auditor cognoscere auet, qua ex re potissimùm caussa confirmetur: aut in postremis caussæ partibus, propterea quòd nuperrimè dicta tenaciùs memoriæ hæreant, collocanda esse docent, de quo ex professo lib. 3. Rhetoricorum Cicero attingit. Iam etsi utraq; ratio probabilis est, non pari tamen modo quod ad nostrum institutum attinet, indiscriminatim ea uti possumus. Quãdoq; enim primo loco q; maximè confectum cupiamus, ponendum erit: quãdoq; nõ primo, sed postremo collocari conueniet. Quod ipsum, locus & tempus, & eorum quibuscum disputatio suscipitur, ingenium moresq; quale sit, docebũt. Si enim & cum difficilibus & proteruis, ijsq; qui acuti & ingenioſi sibi in disserendo uidentur, res fuerit, primùm ea quæ ad rẽ maximè facient, in aciem produci debent, eo quòd tales quæ primum afferuntur, procliuiùs largiri solent: sin autem cum alijs disputatio suscipietur, nõ primùm, sed postremo loco quæ sententiæ nostræ firmamentum continẽat, afferri debebunt, propterea quòd tales initio ferè resistere et occurrere, ne quid ex illo consequatur pro more habent. Atq; hæc de firmiorum argumentorum bipartita collocatione. Rhetores de firmiorum argumentorũ collocatione quid sentiant.

Vbi & quo modo Dialectico ita ponenda.

Quod

Quod ad infirmiora attinet, ea medio loco interseri posteriùs præcipit. καὶ δὲ ἐπ' ἐσχάτῳ, inquit in præsens Aristoteles, ἐρωτᾶν, ὃ μάλιστα βούλεται λαβεῖν, μάλιστα γὰρ τὰ πρῶτα ἀνανεύουσι διὰ δὲ τοὺς πλείστους τῶν ἐρωτώντων πρῶτα λέγειν περὶ ἃ μάλιστα σπουδάζουσι.

o Propterea quòd omnis.) Hoc est, quod modò de Rhetorib. dixi, firmissimas argumentationes ijs primo loco collocandas esse uideri.

p Quanquam apud nonnullos.) Duo hominum genera excipit, apud quos progressam τῶν ἐπιχειρημάτων dispositionem commutandam docet. Alij difficiles & morosi sunt, alij qui ingenij bonitate sese uenditant, quorum illi οἱ δύσκολοι, hi οἱ ἐν τῷ ἀποκρίνεσθαι δριμεῖς, καὶ οἱ πιστεύοντες τῇ ἕξει Aristoteli dicuntur: quorum utrique principijs datis & concessis, cùm res ipsa colligenda & conficienda est, tum demum obnituntur, & quantum possunt, ne ea conficiatur, impediunt.

Duo hominum diuersa genera.

q Cuiusmodi sunt diffi.) Quid sit difficultas, & quid difficilem in disserendo se præbere, uide infrà cap. sequenti. Græcè hoc loco inquit, οἱ γὰρ δύσκολοι τὰ πρῶτα μάλιστα συγχωροῦσιν, ἐὰν μὴ παντελῶς φανερὸν ᾖ τὸ συμβησόμενον, ἐπὶ τέλους τοὺς δὲ δυσκολαίνουσιν.

Ingenium τῶν δυσκόλων.

r Qui quidem ea concedunt.) Vel ut ignorantiæ à se suspicionem depellant, uel ut in concedendo liberales, minimeq; timidi esse uideantur.

s Quod idem de ijs.) Loquitur de ingeniosis & sollertibus, καὶ ὅσοι οἴονται δριμεῖς εἶναι ἐν τῷ ἀποκρίνεσθαι, ut Græcè ait. Hi ob superiores causas itidem, et quòd ingenij bonitate facilè quæuis posteà se se depulsuros esse sperant, quæuis initio temerè admittunt, sed postmodum difficultate implicati, non rectè confectum, quod inducitur, priorũ instar contendunt. θέντες γὰρ τὰ πλεῖστα, inquit Aristoteles, ἐπὶ τέλους τερθρεύονται ὡς οὐ συμβαίνοντος ἐκ τῶν κειμένων.

οἱ ἐν τῷ ἀποκρίνεσθαι δριμεῖς quales.

t Illi autem facilè concedunt.) τιθέασι δὲ προχείρως, inquit, πιστεύοντες τῇ ἕξει. Vbi nota ἕξεως nomen aut pro animi sagacitate & prudentia, aut certè pro adepta literarum cognitione & scientia synecdochicῶs usurpari. Est enim ἕξις cognitionis & scientiæ genus, quemadmodum in Categorijs cap. 5. patet.

τῆς ἕξεως nomẽ dubium.

u Postremò producenda.) Loquitur de infirmioribus, & ijs quæ minus ad institutum pertinent argumentis, quæ in medio quasi conglobari & accumulari præcipit, eo modo, quo ferè & Rhetores. Sic enim 3. Rhetoricorum de illis Cicero: Mediocres & neq; inutiles ad dicendum, neq; necessarias ad probandum, quæ si separatim & singulæ dicantur, infirmæ sunt, cum cæteris coniunctæ, firmæ & probabiles fiunt, interponi, & in medio collocari oportet. Verba Aristotelis hoc loco sunt: ἔτι τὸ μηκύνειν καὶ παρεμβάλλειν τὰ μηδὲν χρήσιμα πρὸς δὲν λόγον.

Infirmiora argumẽta in medio locanda.

x Id quod ij soliti sunt.) Exemplo τῶν ψευδοραφούντων probat. Ii sunt, qui apud Mathema-

Mathematicos falsis linearum & figurarum descriptionibus utuntur, de quibus lib. 1. Topicorum, cap. 1. dictum est. Sed quemadmodum hi uanis & futilibus multis rationibus se impediunt, ita & in causis non bonis Oratores quoq; malos facere uideas. Nempe ut multarum ad causam non pertinentium rerum commemoratione Iudicem detineant & obruant, ut minus id quod in controuersia positum est, de quo sententia ferenda sit, perspicere possit. Hoc modo & à Thaide meretricula se delusum & circũuentum ille apud Comicum in Eunucho queritur, dum sic ait: Pessima nesciebam, quorsum euaderes, tandẽ huc res redit, ego excludor, ille recipitur.

οἱ φιλόσοφοι φῆντες. Thais Parmenonem decipit.

y Nam cùm multa.) Græcè est, πολλῶν γὰρ ὄντων, ἄδηλον ᾧ ὁποίῳ δ' ψεῦδος. Cũ quo conuenit id, quod Alexander his uerbis ait: ἀδηλότερον γὰρ ᾗ ἀφανέστερον δὲ ψεῦδος ᾧ πλείοσι ἢ ἐν παραβύστῳ τεθέν. Falsum turba obruitur.

z Qui obscurè utuntur.) οἱ ἐξωτῶντες ἐν παραβύστῳ, προστιθέντες ἃ καθ' ἑαυτὰ προτεινόμενα οὐκ ἂν τεθείη.

a Atq; ex his locis.) Concludit de κρύφα, nunc inde ad ornatum amplificationemque orationis transitionem faciens.

DE ORNATV ET PERSPICVITATE ORATIONIS, ET QVO MODO NECESSARIAE PROPOSITIONES collocandæ, quæque ex his faciliùs difficiliusq; probentur. Cap. 2.

IN[a] ornanda autem amplificandaque disputatione, rerum finitimarum, & coniunctarum adhibenda inductio, atque diuisio est. [b] Inductio quidem quid sit, facilè perspicitur. [c] Diuisio autem talis est: [d] vt artẽ arte præstantiorem esse, aut quia certior sit, aut quia in rebus melioribus versetur. [e] Et artium alias esse, quarum omne opus est in cognoscendo: alias quarum in agendo: alias quarum in faciendo. [f] Hæc enim & ornatum afferunt orationi, nec necessaria sunt ad efficiẽdam conclusionem. [g] Dilucidam autem & perspicuam argumentationem facient exemplũ, similitudinisque collatio. [h] Exempla autem propria, & ad rem apta esse debẽt, & eiusmodi, ex quibus res intelligatur. [i] Cuiusmodi illa sunt, quæ Homerus, non quæ Chœrilus commemorat. [k] Sic enim notius erit, & clarius id quod proponitur. [l] In differendo autem ratiocinatione vtẽdum erit apud Dialecticos potiùs, quàm apud multitudinem: inductio contrà magis multitudinem commouet. [m] Sed de his generibus iam dixi. [n] In quibusdam rebus facilè potest is qui inductione vtitur, inuenire id quod totum dicitur, in alijs non facilè potest, [o] quod omnibus similitudinibus non est commune nomen impositum. [p] Quin etiam cùm genus

Copia & ornatus disputationis vnde

Quæ res dilucidam argumentationem efficiant.

In quibus Inductio collectu difficilis.

vniuer-

vniuersum concludi debet, eandemq; cæterorum similium rationem æ iunt esse, tum id profectò difficillimum est, quænam eorum quæ commemorata sunt, eiusdem sint generis, quæ non sint, explicare dicendo. Ob eamq; causam [q] sæpe disputantes inter se dissident & hærent, dum alij similia esse confirmant, quæ non sunt similia, alij similia num similia sint, ambigunt. [r] Quocirca in his omnibus omni ratione efficiendum est, vt nomina fabricentur, vt nec ei qui ponit quæstionem, num eius quod affertur, non sit similis ratio, hærere liceat, nec ei qui rogat, calumniari, eandem esse rationem, quòd multa eorum quorum similis ratio non est, eodem modo dici videantur. [s] Cùm autem inductione multarum rerũ adhibita, non dat alter id de toto genere, [t] tum æquum est, vt aliquid cõtrà obijciat, postulare. Quòd si in aliquibus non doceas hoc modo contingere, non erit æquum rogare, quorum tandem non sit similis ratio.

Quo pacto ivsdem in Inductione postulandæ.

[u] Primùm enim argumentatio per inductionem tractanda est, tum postulandum, vt resistatur. [x] Sed postulandum est, vt occurratur nobis, nõ in eo ipso quod proponitur, nisi fortè vnum est solum eius generis. Vt duo, sunt tantummodò parium numerorum primus. Debet enim is qui resistit, in alio genere resistere: aut certè dicere, hoc vel illud solum esse ex eo genere. [y] Quod autem ad eos attinet, qui in toto genere occurrunt nobis: nec in eodem genere occurrunt, sed in eo quod eodem nomine, sed ambiguo continetur, (veluti habere aliquem non suum colorẽ, aut pedem, aut manum, [z] quoniam & pictor habeat non suum colorem, & cocus non suum pedem) in his omnibus, diuisione adhibita, interrogare debemus. [a] Nam si ambiguum lateat neque aperiatur, rectè in propositione nobis videbitur resistere. [b] Quòd si in simili genere, non in ambiguo resistẽs, nostrum labefactet rogatum, detracto eo, in quo resistet nobis, quod reliquum est in toto genere valere docebimus, dum quod cõmodum est, effecerimus. Quod in obliuionis verbo & oblitum esse, animaduerti potest. [c] Non enim concedunt eum oblitum esse, qui artem amiserit, eo quòd casu & interitu rei eam amisit, non oblitus est tamen. Quod ergo reliquum est, dempto eo in quo occursum est nobis, commemorari debet. vt si quis remanente re, artem amisit, eum oblitũ esse. [d] Eodemque modo de ijs iudicandum est, qui hoc loco nobis occurrunt: Maiori bono maius malum esse contrarium. Proferunt enim valetudinem, quę cùm minus sit bonum quàm firma corporis constitutio, tamen ei maius malum contrarium est. morbum enim maius malum esse infir-

In ambiguis distinctio adhibenda.

se infirma affectione corporis. Ex his etiam id detrahendum est in quo occurritur. eo enim sublato, faciliùs licebit proponere: vt maiori bono maius malum contrarium esse, nisi vnum alterum vnà secum inferat, vt firma corporis affectio, valetudinem. [f] Quod idem faciendum erit, non solùm si quis nobis occurret, sed etiam si non occurret, & tamen id negabit, & abnuet, quòd aliquid tale prouideat, quod iure contrà obijci possit. Sublato enim eo in quo nobis resistit, dare & concedere cogetur id quod reliquum est, quòd in eo quod reliquum est, aliquid contineri, q̃ non sit ita, minimè animaduertat. Quòd si dare nolit, etiam tum cùm petitum est, vt resisteret, certè quo resistat nobis, non habebit. [g] Sunt autem propositiones eiusmodi, quæ quadam ex parte falsæ sunt, quadam ex parte veræ: in quibus eo quod ex parte est, sublato, reliquũ licebit verum relinquere. [h] Si verò multa proponamus, in quibus nobis minimè resistat, tum vt concedat omnino, petere debemus. Propositio enim dialectica est, quæ magna ex parte rem ita habere declarat, neq; refellitur.

[i] Cùm autem eadem res, & sine incommodo, & cum incommodo per ratiocinationem concludi potest, hoc an illo modo efficiatur, [k] nihil ad eum qui necessaria ratione, non probabili concludit: is autem qui probabili ratione vtitur, non debet argumentationem tractare per ratiocinationem, per quam alter incommodo vrgeatur. [l] Nam & cùm nullo incommodo vrgent concludendo, nihil controuersiæ loci relinquunt: & cùm incommodo vrgent, tum nisi sit euidens & perspicuũ [m] id falsum esse, alij incommodum id negant esse. Ita non habent quod volunt ij qui quæstionem ponunt. [n] Proponenda autem sunt ea, quæ magna ex parte ita se habent, & refelli aut non possunt omnino, [o] aut certè id facilè qua si prima facie perspici non potest. [p] Cùm enim in rebus quibusdam nõ ita esse perspicere nequeunt, tum id quod propositum sumptum que est, quasi verum sit solent concedere. [q] Nunquam autem quæri debet conclusio: sin secus, cùm alter eam negabit, ratiocinatio nũquam ad exitum perduci poterit. [r] Sæpe enim etiam cùm nulla interrogatio & quæstio ponitur, sed vt consequens concluditur, id negatur effici. quod cùm faciũt illi, certè ab ijs qui non vident quid ex concessis sequatur, minimè reprehendi videntur. Cùm igitur vnus rogat, neque id ait ex antè positis effici, alter autem negat omnino, tum ratiocinationi nihil omnino loci relinqui videtur. [s] Neque verò quicquid de toto genere dicitur, dialecti-

Directa ratiocinatio, quam obliqua, dialectico cõmodior

Nunquam quærenda conclusio.

Dialectica propositio quæ.

ca propositio est, ex quo genere illud est: Quid est homo? aut hoc: Quot

modis bonum dicitur? [t] Propositio enim dialectica est, ad quam respondere licet, etiam, aut non: quod non licet ad superiores. [u] Ita non est dialectica propositio id genus interrogationis, nisi is qui proponit, facta antè definitione, aut diuisione hunc in modum roget: An bonũ hoc vel illo modo dicatur? Quam quidem quæstionem licet vel negare, vel cõcedere. Quocirca enitendum est, vt ita, vt dixi, omnes hę ponantur quęstiones. [x] Quin illud etiam par est ab illo requirere, quot sint bonorũ genera, quãdo explicatione & diuisione adhibita à nobis, ille nullo modo cõcedet. [y] Qui autem in vna ratione interroganda multum temporis immoratur, is inscienter quærit. Nam si is qui rogatur, ad rogatum respondeat, profectò ille aut plura quã necesse est, interroget, aut sæpe idẽ quærat necesse est. Ita aut nugatur, nihilq; agit: aut ratiocinationem per quã argumentationem tractet, non habet: quandoquidem ex paucis quibusdam omnis constat ratiocinatio. [z] Quòd si minus respondeat, cur eũ aut non increpat, aut relinquit? [a] Illud etiam intelligendum est, omnia proposita, quæ argumẽtis perdifficulter probantur, eadem facilia esse ad defendendum, [b] cuius generis ea sunt quæ & prima sunt, & vltima ordine naturæ. [c] Nam & prima definitionem requirunt, [d] & vltima multis concludantur necesse est ab eo, qui iam inde à perspicuis, & primis continuatam seriem argumentorũ persequi velit. [e] Aliter enim fallaces ac captiosæ argumentationes videbuntur: præsertim cùm aliquid doceri non possit nec demonstrari, [f] nisi à proprijs initijs & principijs capto exordio, vsque ad vltima perueniatur. [g] Ac illi quidem qui respondẽt, nec rem ipsi volunt definire, nec si qua proponatur ab interrogante definitio, facilè admittunt. [h] Sed profectò facilis non est disserendi ratio, nisi quid sit id de quo instituitur disputatio, intelligatur. quod in principijs contingit maximè, [i] quibus cætera probantur, ipsa alijs non possunt: definitioneq; aperienda sunt, & cognoscenda necessariò. [k] Difficilia enim probatu ea sunt omnia, quæ principiorum vicinitatem sequuntur. Neq; enim multa ad ea probanda, argumenta possunt suppetere, cùm pauca interiecta sint inter ipsa & initium, quibus necesse est consequentia omnia monstrari. [l] Definitiones autem eæ ex omnibus euerti possunt difficillimè, quæ verbis eiusmodi explicatæ sunt, vt primùm dubium sit, vno modo, an pluribus dicantur: deinde incertum, vtrùm propriè de re quæ definitur dicantur, an per translationem. [m] Nam quia dubium est illud, non perspicuum, inde fit vt nulla argumẽtorum copia suppetat: hoc autem,

Quæ propositiões difficiliùs comprobentur.

Initio disputationis qd sit res, cognoscendum.

Quæ definitiones δυσεπιχειρητότατοι.

quia

quia incertum est, an per translationem dicantur, non possunt refelli qui definitionem posuerũt. [a] Omnino quæstio omnis si difficilis est probatu, vel definitionem requirit, vel in ijs est quæ multis modis, aut quæ per translationem dicuntur, aut non longè abest à principijs: aut eò certè difficilis est, quia non est prima facie perspicuum, quo sit ex genere eorum quæ exposita sunt, id quod affert dubitationem. Nam si quo ex genere sit, intelligatur, illud etiam intelligetur, aut definitione explicandum id esse, aut diuisionem adhibendam, aut inueniendas esse medias propositiones, quibus vltimæ probentur. [b] Pleraque etiam proposita, nisi rectè tradita & explicata definitione, neque disputari facilè, neque probari argumentando possunt. quo ex genere illud est: Sitne vnũ vni contrarium, an multa? Quòd si contraria definiantur, certè illud facile erit explicare: Sint nécne sint plura eorundem contraria. Quod eodem modo iudicandum est de alijs quæ definitionem requirunt. [c] Atq; etiam in mathematicis videntur quædam non facilè describi posse prætermissione definitionis. quale est illud. [d] Eam lineam quæ ad latus planum secat, simili ratione & lineam secare, & locum: quod definitione adhibita facilè intelligetur. quoniam & loco, & lineæ eadem respondet, [e] quasi ex altera parte diuisio: quę quidem [f] illius de qua agitur, orationis definitio est. [g] Omnino autem prima elementa definitionibus expositis, vt quid sit linea, quid orbis, facilè probari demonstrariq́ue possunt: verùm ad singula eorum probanda non multis argumentis vti possumus, propterea quòd non multa sunt media quibus probentur. Definitionibus autem initiorum prætermissis, [h] vix aut ne vix quidem probari possunt. [i] Quod idem fit in ijs elementis quæ differendo adhibentur. [k] Hoc igitur intelligendum est, cùm propositum aliquod difficile est probatu, id aliqua de causa earum quas exposui, euenire. [l] Cùm autem propositio & enunciatio quæ adhibetur ad aliquid probandum, difficiliorem habebit probationem, quàm propositum, dubitare liceat, sit nécne sit admittenda. [m] Nam si eam non admittat, sed ei etiam probandæ adhiberi probationem velit, maius alteri onus imponet, quàm quod erat à principio propositum. Sin eam admittat, ijs certè quæ minus valent ad faciendam fidem, ipse adducetur vt credat. [n] Ac si quæstio difficilior nõ reddenda sit, ponenda est: si nõ dubijs & perspicuis dubia concludenda erunt, nõ est admittenda. [o] Aut ei qui se dat in disciplinam ponenda nõ est, nisi sit notior: ei autem qui exercitationis gratia disputat, ponenda,

Quæstio συστατικὴ sit.

Quædam nisi allata finitione disputari nequeunt

Propositio thesi obscurior an admittenda.

si modò vera esse videatur. [d] Ex quo perspicuum est, non esse æquum vt qui docet, eodem modo postulet sibi concedi quę sumit, quo is qui interrogando disputat. [e] Ac de ratione quidem interrogandi & collocandi satis ferè dictum est.

IN CAPVT SECVNDVM, ANNOTATIONES.

Transitad ornatum.

[a] In ornanda autem.) Hactenus de occultatione conclusionis, & quo modo ea comparandam disponendæ sint propositiones: Sequitur nunc, ut quemadmodum tum ad ornatum & copiam, tum ad perspicuitatem & euidentiam, (qui duo reliqui propositionum collocationis fines restant) eædem adhibendæ sint, deinceps declaret. Persequitur quidem hanc tractationem aliquanto breuiùs. Cuius ea uidetur ratio esse, quòd quæ huius propriè pertinent, ea Rhetorici cum primis instituti & artificij esse uideantur: Præsertim quatenus ex sermone dicendiq; genere superiora ista existunt. Quamobrẽ & in Rhetoricis, maximè uerò lib. 3. illa ipsa copiosiùs explicauit. Hîc de ornatu perspicuitatiq; non nisi quatenus ex rerum tractatione ducuntur, disputationem instituit. Ac quòd ornatum attinet, illum in duobus his, inductione scilicet et diuisione rerum cognatarum, uniuersum positum esse statuit. Quanquam his rebus duabus non tam ornatus primum quæri, quàm dilatatio quædam & amplitudo orationis uidetur. Verùm qui dilatationis consequens est ornatus, hîc pro ipsa dilatatione amplificationeq; ponitur. Vnde quod superiore capite εἰς ὄγκον τοῦ λόγου ualere, in præsens εἰς κόσμον eodem sensu ait.

Ornatus Rhetorũ proprius, vt hic tractetur.

Ornatus pro ipsa dilatatione ponit.

[b] Inductio quidem quid.) De Inductione tractationem reiecit, quòd illa quam uim habeat, ex superioribus, maximè autem lib. 1. cap. 8. perspicuum sit. ἡ μὲν οὖν ἐπαγωγὴ ὁποῖόν τί ὄστι, inquit, δῆλον.

[c] Diuisio autem talis est.) Diuisionem, paulo antè διαίρεσιν τὴν συγγενοῦς, hîc δὲ διαιρέσεως simpliciter appellat. Ea autem quæ sit, quamq; uim habeat, non definiendo, sed exemplorum subiectione, ὡς ἐν τύπῳ, demonstrat. Est uerò illa, si propriè uerbi notionem inquiras, non aliud, quàm generis siue in subiectas species, siue in differentias distributio. In speciebus quidem, hoc modo, ut si animalium aliud hominem esse, aliud bestiam: uirtutum, aliam iustitiam, aliam temperantiam, hanc fortitudinem, illam prudentiam esse dicamus. In differentiis uerò isto modo, ut si animalium aliud rationis particeps, aliud rationis expers esse dicamus: si artium hanc speculatricem, illam actricẽ, illam uerò effectricem pronunciemus. Quod exemplum alterum est, eorum, quæ hic Aristoteles adduxit. Verùm cùm ita propriè diuisionis uerbum apud Philosophos capiatur, in præsenti loco paulo latiùs, ad quamcunq; rerum partitionem & diductionem, ut uidetur, illud Aristoteles extendit. Neq; enim quod priore loco exemplum adduxit, id ad præcedentium modorum, quibus genus distribuitur, ullum pertinet. Potiùs ad accidentis in

Diuisio propriè quid.

Hîc latiùs nomen sumi videt.

accidens

accidentia, quam uocant, diuisionem illud retuleris, si meliorum & præstantiorum scientiarum, alias τοῦ ἀκριβεστέρας εἶναι, alias τοῦ εἶναι βελτίονων spectari asseras. Quod ad hunc locum attinet, quo modo copiæ suppeditatione oratio ornetur & augeatur, de eo uide Rodolphum Agricolam lib. 3. cap. 5. Idem et de Diuisionis natura & usu lib. 1. cap. 7. copiosè disserit, quem locum qui uolet, consultò hic adhibere poterit.

d Vt artem arte præstantiorem esse.) De hac artium collatione & diuisione, uide partim lib. 1. de Demonstrat. cap. 13. partim lib. 1. de Anima, cap. 1.

e Et artium alias esse.) Quod ad hanc diuisionem attinet, de ea superiùs dictũ est, lib. 6. cap. 2.

f Hæc enim & ornat.) Quod ornatum afferre ait, græcè est, Τὸ συνεπικοσμεῖν, in quo uerbo nota, quam ob rem hæc tractatio dilatandæ orationis, τοῦ κόσμου, hoc est, ornatus, nomine superiùs appelletur. Nempe quia ὁ κόσμος, hoc est, ornatum, conciliet afferatq; orationi. Græcè est, τῶν γὰρ τοιούτων ἕκαστον συνεπικοσμεῖ μὲν ὁ λόγον, οὐκ ἀναγκαῖον δὲ ἐκθύειν πρὸς τὸ συμπέρασμα. Συνεπικοσμεῖ μέν.

g Dilucidam autem.) Transit ab ornatu ad perspicuitatem, τὴν σαφήνειαν, quã pari breuitate absoluit, uolens eam totam in parabolarum & exemplorum usu consistere: Nimirum quòd illis duobus in primis rudiores capi & permoueri uideantur. Quid inter parabolas & exempla interſit, Alexander docet hoc ferè modo, ut exempla res gestas ad non gestarum & ignotarum demonstrationem conferre diat: parabolas uerò dicat imagines esse, quæ similitudinem ad ea quæ facta sunt adhibeant. Τὸ μὲν παράδειγμα, inquit, δοκεῖ γεγονός τι εἰς δεῖξιν τινὸς παρατίθεσθαι μηδέπω γεγονότος ἢ δι' αὐτὸ τοῦτο ἀδήλου. ἡ δὲ παραβολή, εἰκόν ὄξιν ὁμοιότητα πρός τι γεγονὸς σημαίνουσα. Cicero lib. 1. de Inuentione, parabolam, collationem Latinè uertens, hoc modo parabolam ab Exemplo distinguit, ut dicat: Collatio est oratio rem cum re ex similitudine conferens. Exemplum est, quod rem authoritate, aut casu alicuius hominis aut negotij aut cõfirmat aut infirmat. Ita parabolæ seu collationis exemplum est apud Poetam, cùm Turnum reb. omnibus fractis, non animo deiectum, sed magis incitatum scribit, simili à Icone adducto, idq; his uerbis: Pœnorum qualis in aruis Saucius ille graui uenantum uulnere pectus, Tũ demum mouet arma leo. Exemplum uerò est apud eundem, in Veneris oratione ad Iouẽ, cùm Antenoris exemplo allato, Iouem, ne tam miserè in ponto Aeneam iactari patiatur, inducere nititur, sic inquiens: Antenor potuit mediis elapsus Achiuis Illyricos penetrare sinus, &c. Fabius lib. 5. cap. 11. parabolam, non ut Cicero, collationem, sed similitudinem potiùs appellari scribit: Nostri uerò (inquit) similitudinem uocare maluerunt, quod ab illis παρεβολὴ dicitur: Vultq; hanc similitudinem & ad ornatum orationis interim assumi, & proximas Exemplo uires habere, maximè si ducitur citra ullam translationem, ut inquit, mixturam ex rebus penè paribus. Græcè est, εἰς δὲ σαφήνειαν παραλείγματα

Perspicuitas in quibus sita.

Exempli & parabolæ ut differant.

Parabola Ciceroni collatio dicitur.

Fabio similitudo.

ματα καὶ παραβολὰς οἰσέον.

Exemplũ & παραβολὰς continet.

h Exempla autem prop.) Alexander admonet Exempla hîc paulo latiùs dici, q̃ suprà, nempe ut & παραβολὰς sub sese ea complectantur. ἔοικε μέντοι, inquit, αὐτὸς νῦν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ κεχρῆσθαι τοῦ παραδείγματι καὶ τῇ παραβολῇ, δι' ὧν λέγει, παραδείγματα δὲ οἰκεῖα, ὃς ὧν ἴσμεν, & cæt. Atq; sic & Fabius loco antè notato, τὸ παράδειγμα generatim apud Græcos sumi author est, ipseq; Exemplum similiter accipit, cùm sic scribit: Tertium est genus ex his, quæ extrinsecus adducuntur in causam, Græci uocant παράδειγμα, quo nomine & generaliter usi sunt in omni similium appositione, & specialiter in his, quæ rerum gestarum authoritate nituntur. Nos quò facilius propositum explicemus, utrumq; παράδειγμα esse credamus, & ipsi appellemus exemplum. Hæc ille.

τὸ παραδείγματος nomen anceps.

Exẽpla ab optimis authorib. petenda.

i Cuiusmodi sunt illa.) Vult ex optimis quibusq; authoribus, quibus cum primis res proposita illustretur, exempla petẽda esse. Ita ab Homero illa desumi, non uerò Chœrilo Poëta malo depromi uult. Author est Suidas Chærilum, Samiũ, seu, ut alij Iasensem, alij Halicarnassensem, patria fuisse, eundemq; ab Herodoto Athenis eruditum, Atheniensium uictoriam contra Zerxem, carmine descripsisse, pro cuius poëmatis singulis uersibus aureum staterem acceperit. Plutarchus & Lysandri Lacedæmonij ducis res gestas eũ complexũ esse testis est. Sunt q et Alexãdri Magni res gestas ea lege describere aggressũ aiũt, ut & pro singulis quibusq; bonis uersibus, singulos Philippeos reciperet, & pro singulis malis, singulos colaphos. Vbi autem ad finem opus deductũ esset, non plures quàm septem remuneratione dignos, in eo uersus repertos esse. Ita uitiosus Poëta fuit, cuius & Horatius lib. 2. epistolarum, sequentibus uersibus meminit.

Chœrilus poeta qs.

Gratus Alexandro Magno quondam fuit ille
Chœrilus, incultis qui uersibus et male natis
Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos.

k Sic enim notius erit.) Si illustria nimirum & accommodata exempla adhibueris. Græcè est, οὕτω γὰρ ἂν σαφέστερον εἴη τὸ προτεινόμενον.

l In disserendo autem.) Cùm paulo antè de Inductionum usu præceperit, hîc paulo latiùs clariusq; eandem istam rem persequi conatur. Primùm apud quos nam potissimũ Inductio locum habeat, deinde quo pacto ea tractanda sit, si cum litigioso fortè aduersario nobis res sit, declarat. Ac uult quidem apud imperitam plebem præcipuè illam ualere, id quod cum syllogismo instituta comparatione in præsens docet. χρηστέον δὲ, inquit, οὐ τοῦ διαλέγεσθαι τοῦ μὲν συλλογισμῷ πρὸς τοὺς διαλεκτικοὺς μᾶλλον ἢ πρὸς τοὺς πολλοὺς, τῇ δὲ ἐπαγωγῇ τοὐναντίον πρὸς τοὺς πολλοὺς μᾶλλον.

Inductio apud quos adhibẽda.

m Sed de his generib.) Reiectio est. Vide in hunc locum suprà lib. 1. cap. 8. & lib. 2. de Ratiocinatione, cap. 11.

n In

n In quibusdam rebus.) Docturus, quem ad modum aduersus importunum aduersarium inductiones defendendæ sint, hîc nonnullas difficultates περὶ δυσχερείας, quæ eam rem impediant, ob oculos proponit. Prima est, si uniuerso generi, id quod Inductione colligendum est, nullum sit commune nomen impositum. Tum enim non facile est Inductionem concludere. Altera est, si nomen quidem commune uniuerso generi suppetat, uerùm an omnib. generis partibus eadem id ratione conueniat, addubitatur. Vniuersum genus id quod Inductione astruendum est, καθόλου appellat, quod siue genus reuera sit, siue totum ex partibus coagmentatum, nihil interest. Difficultates aduersum Inductiones quæ. καθόλου.

o Quod omnibus similitud.) διὰ δὲ μὴ κεῖσθαι, inquit, ταῖς ὁμοιότησιν ὄνομα πάσαις κοινόν. In quo nota τὰς ὁμοιότητας singularia dici, & illa, ex quibus seu genus, seu totum in Inductione conflatur. ὁμοιότητες.

p Quin etiam cum.) Hoc est, quod addubitari diximus, parine modo omnibus sub uniuerso genere comprehensis commune nomen conueniat. Id quod fit in ἀναλόγοις tãdem, & homonymis, cuius rei exempla nonnulla lib. 2. de Demonstratione cap. 7. uidere licet.

q Sæpe disputantes inter.) περὶ τοῦτο, inquit, πολλάκις ἀλλήλοις παρακέκονται κατὰ τοὺς λόγους.

r Quocirca in his.) Ostendit nominis fictione superiori difficultati occurri posse, si tale id reperiatur, quod utriq; disputãtium satisfaciat, nec ab altero calũnia impetatur. Nomina fingere, τὸ ὀνοματοποιεῖν ait. Quem poscere quæstionem dicit, græcè ἀποκρινόμενος dicitur, hoc est, respondens. τὸ ὀνοματοποιεῖν.

s Cùm autem induct.) Cum perdifficilis sit ad perficiendum Inductionem rerum singularum enumeratio, ostendit quo modo per ἔνστασεως postulationem, isti difficultati obuiari possit. Ne autem quid erres, non subitò cum tibi resistitur, ἔνστασις postulanda est, sed tum demiq;, cùm plerisq; seu partibus, seu formis enumeratis, uniuersi generis ἐπιφορὰν prohibere aduersarius nititur. Vt nonnullis quidem partibus inductis, ἔνστασις cũ ratione adhibetur, ita si nullas omnino induxeris, indecorum prorsus est, ut ἐνστατικῶς tibi aduersarius occurrat, postulare. ὅταν δὲ ἐπάγουτος ἐπὶ πολλῶν μὴ διὰ πάντων δὲ καθόλου, τότε δίκαιον ἀπαιτεῖν ἔνστασιν, μὴ ἐπόντα δ' ἄνδρα ἐπὶ τίνων ὄντως οὐ δίκαιον ἀπαιτεῖν ἐπὶ τίνων οὐκ ὄντως. In hunc locum uide et cap. sequenti, et ea quæ in lib. 2. de Ratiocinat. cap. 11. annotauimus. De ἐνστάσει quid sit, & quo modo aduersus alterum proponatur, uide cap. 13. lib. 2. de Ratiocinat. ἔνστασεως quãdo tãdem postulanda.

t Tum æquum est, vt.) Alexander hoc modo instituta ἔυλογον τὴν ἔνστασιν uocat. Alio modo, οὐκ ἔυλογον.

u Primum enim argu.) διὰ γὰρ ἐπάγοντα, inquit, πρότερον, οὕτω τὴν ἔνστασιν ἀπαιτεῖν. Hoc loco nota ἔνστασιν ἀπαιτεῖν Aristoteli dici, quod postulare ut resistatur, τὸ ἔνστασιν ἀπαιτεῖν.

ἔνστασις Latinè vt cõuertatur.

resistatur, Interpres ait. Nomen τῆς ἐνστάσεως, etsi instantia uulgò conuertatur, nõ posse tamen ulla præsertim Latina uoce idoneè exprimi, Interpres existimat. Quò fit, ut dicendi genere commutato, quod per nomen reddendum erat, ad uerbi significationem usumq; transferat. τὸ ἐνίστασθαι, unde ἡ ἔνστασις dicitur, Latinè resistere & occurrere Ciceroni dicitur, ut in Partitionibus, Sæpe etiam quæstionibus resistendum est. Et 4. Academicarum, Sin autem negabunt uera uisa à falsis posse distingui, qui poterunt longiùs progredi? occurretur enim, sicut occursum est. Quanquam hoc uerbum occurrendi, illi τὸ ἀπαντᾶν eiusdem significationis Græco propriè respondet. Eodem sensu καὶ τὸ ἀντιτείνειν capite præcedente Aristoteles dicit, & in sequentibus perfrequenter τὸ ἔνστασιν φέρειν. Item τὸ ἔνστασιν εἰπεῖν, ποιεῖσθαι, & cæt. Vide an & τὸ ἀντεπιχειρεῖν, hoc est, contrà argumentari, idem ualeat, quo uerbo aliquoties inferiùs Aristoteles utitur, cap. 3. Quanquam inter istud & superiora illa nonnihil interesse Alexander existimat. Cæterũ de his satis multa. Id breui hîc admonendum uidetur, interrogatoris seu opponentis esse, ἔνστασιν petere: ferre autẽ & in medium proponere, proprium esse respondentis. Id quod propter sequentia faciliùs intelligenda hoc loco obseruari conuenit.

τὸ ἐνίστασθαι quid.

τὸ ἀπαντᾶν. ἀντιτείνειν.

ἔνστασιν φέρειν. ἀντεπιχειρεῖν.

x **Sed postulandum.**) Docet, in quibúsnam tandem aduersarij ἔνστασις postulanda sit. Ac quod ad id pertinet, quod propositum est, non uult in eo istam ferri, sed in aliud potiùs dirigi. Id quod his uerbis refert, ἀξιωτέον τὲ τὰς ἐνστάσεις μὴ ἐπ' ἄντα τοῦ προτεινομένου φέρειν, δεῖ γὰρ τὸν ἐνιστάμενον ἐφ' ἕτερον τὴν ἔνστασιν φέρειν.

ἔνστασις in quod dirigenda.

y **Vt duo, sunt tantum.**) Græcè est, καθάπερ ἡ δυὰς τῶν ἀρτίων ἀριθμῶν μόνος πρῶτος. πρῶτον ἀριθμὸν Euclides definit lib. 7. ut sit ὁ μονάδι μόνῃ μετρούμενος, hoc est, quem sola unitas metitur, qualem quidem numerũ ex paribus solum primum esse binarium in confesso est.

πρῶτος ἀριθμός.

z **Quod autẽ ad eos.**) Quòd si in ambiguo nomine ἔνστασις fiat, uult ambigui uerbi distinctione illam explicandam esse. Ita cùm non uno modo intelligatur uerbum, Sui, τὸ ἑαυτοῦ, (dicitur enim & de possessione, & de habitu seu qualitate, & de membro, & ca. ut cùm dicimus suam domum, suam figuram, suum pedem, & similia) uult si in hac tã multiplicis uerbi notione ludens nobis aduersarius occurrat, tum multiplicis uerbi distinctione proposita illi obuiandum esse.

τὸ ἑαυτοῦ, Sui nomẽ ambiguũ.

a **Quoniam & pictor.**) Hæ ἐνστάσεις sunt, quæ ad superiorum refutationem adhibentur, à simili, ut uidetur, ductæ. Pictor & suum colorem habet, quo ipsemet tinctus est, & non suum, si ita placet, quo aliud quippiam depingit. Similiter & cocus suum pedem habet, quo ingreditur, nõ suum, quem coquit. Nam uel suillus uerbi gratia, uel aprugnus, aut alterius cuiuspiam id genus animantis esse potest. Atq; ad hunc modum dedit in uerbo Sui, Martialis lib. 2. Epigrammatum, quũ sic in Paulum scribit, uerbi obscuri ambiguitatem indicans:

Non suus color, pes, & cæt.

Carmina

Carmina Paulus emit, recitat sua carmina Paulus,
Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

Intelligi potuit Paulus sua carmina recitare, hoc est, à se confecta. Verùm istam intelligentiam Poëta remouet, cùm & aliena eum emere, & quæ quispiam emit, illa ipsius esse, subiecta distinctione indicat.

b Nam si ambiguum.) Vsus prædictæ distinctionis. Nam si illa non adhibeatur, uerè coargui ἔνστασις non poterit. λανθανούσης γὰρ τῆς ὁμωνυμίας εὖ δόξει ἐνστῆναι τῇ προτάσει.

c Quod si in simi.) Quo modo extra ambigui uerbi sumptionem, ἐν αὐτῷ ἐνισταμένῳ aduersario occurrẽdum sit, monet. Nempe detracto eo, quod aduersarius affert, reliquum nihilominus ita habere, ostendendum est. Ita rogatione facta, sit ne oblitum esse, rei sciẽtiam amisisse, si aduersarius hîc resistat, Solis, uerbi gratia, deliquio, aut terræ cõcussione iam facta, istarum quidem rerum scientiã euanuisse, attamẽ minimè earundẽ nos rerum oblitos esse: prætermittendum est id, quod rerum præteritarum dilabi cognitionẽ obijcit, & rebus permanentibus si quis scientiam amisit, eum obliuione captum uerè defendemus.

Extra ambiguũ vt aduersario occurratur.

d Non enim concedunt.) Simpliciter nobis rogantib. nẽpe ἂν ἀποβεβληκότα τὴν ἐπιστήμην ἐπιλελῆσθαι. Idq; propter obiectionẽ antè propositã, cuius obscuram insequentibus uerbis dat significationem. Quod uerò rei interitu, anteceptam eiusdem cognitionem & scientiam aboleri afferit, id falsum est. Siquidem & illarum rerum, quæ actu minimè supersunt in natura, etiamnum antè perceptæ & comprehensæ animo notiones inhærent, quemadmodum de pluuia, niue, eclipsi, & cæteris id genus naturalib. rebus perspicuum est. Aristoteles libello de breuitate & diuturnitate uitæ, duobus ferè modis scientiæ, ut cæterorum accidentium, corruptiones existere docet. Vel si contrario habitu & qualitate inducantur, ut scientia per ignorationem; uel ex consequentia etiam ad eorum quibus insunt, interitum & demolitionem, quo modo si homo, animusq; intereãt, & scientiæ, & cætera, quæ in illis subiectis insunt, unà certè corrumpuntur. De hoc nonnihil & lib. 1. de Demonstrat. cap. 4. dictum est.

An rei interitu scientia pereat.

Quib. modis intereant scientiæ.

e Eodemq; modo.) Alterum exemplum est, in quo isti propositioni, τῷ μείζονι ἀγαθῷ μεῖζον ἀντίκειται κακόν, hoc modo respondens occurrit, ut dicat minori bono maius malum opponi, quia ualetudini (qua excellentius bonum est ἡ ἐνεξία) non καχεξία, sed morbus (qui καχεξίᾳ malum est grauius) contrario nomine opponatur. Hîc parimodo cùm obuiandum occurrenti aduersario Aristoteles docet, propositionẽ sequẽti interpretatione ita moderatur, ut dicat maiori bono grãdius malum aduersari, ἐὰν μὴ συνεπιφέρῃ θάτερον θάτερον, hoc est, nisi inferius bonum alterius superioris quasi cõplexu teneatur, quemadmodum ualetudo complexu τῆς ἐνεξίας in prædicto exemplo

Maiori bono grauius malum vt opponatur.

tenetur. De hoc exemplo nonnihil uide suprà lib. 2. cap. 4.

f Quod idem faciend.) Ostendit antegressæ monitioni etiam locum esse, ubi nulla ἔνστασις adhibita sit, modò talis aliqua adhiberi posse uideatur. Ita tacitè inuolutioris rei explicatione illam quodammodo προληπτικῶς excludis.

g Sunt autem proposit.) Nunc tandem cuius generis propositiones sint, quæ superiore modo ἐνστατικῶς oppugnatæ explicari poßint, demonstrat. Illæ nimirum, quæ cũ ueri speciem obtendant, quadam ex parte falsæ comperiuntur. Cuius generis sunt maximè fortuitæ et contingentis materiæ, quæ si prorsus Dialecticæ non sunt, quàm proximè tamen ad illas ipsas accedunt. Græcè, εἰσὶ δὲ τοιαῦται, inquit, τῶν προτάσεων, αἱ ἐπίτι μὲν ψευδεῖς, ἐπίτι δὲ ἀληθεῖς. ἐπὶ τούτων γὰρ ἔστιν ἀφελόντα ὁλοιπὸν ἀληθὲς καταλιπεῖν. Quæ uerò ἐπίτι aut ueræ, aut falsæ sint propositiones, de eo uide lib. 2. de Ratiocinatione, cap. 2.

Superioris generis ꝓpositiões quę.

h Si verò multa propo.) Quòd si plerisq; sumptionibus datis, cùm nullam in aduersam partem ἔνστασιν habeat, nihilominus tamen complexioni ut falsæ resistat aduersarius, uult illam in hoc genere disputationis ut dialecticam & fidei consentaneam, omnino assumi. Est enim Dialectica, ut hoc loco definit, propositio, quæ cùm in pluribus ita habeat, nulla aduersus eam ἔνστασις affertur. διαλεκτικὴ δέ ἐστι, inquit, πρότασις, πρὸς ἣν οὕτως ἐπὶ πολλῶν ἔχουσαν μὴ ἔστιν ἔνστασις.

Dialectica propositio quæ.

i Cùm autem eadem.) Hactenus de Inductionum usu, & quem ad modum in illis tractandæ sint sumptiones. Redit nunc ad tractationem Ratiocinationum, docens cùm bipartitò ratiocinatio explicetur, hac recta, illa obliqua uia, tametsi utriusq; generis ratiocinationes æquè Demonstratori commodæ sint, altero tamen genere eo quod directò explicatur, in primis Dialectico uti conuenire. Idq; propterea, quòd cùm explicãdæ quæstionis ratio præcipuè Dialectico proposita sit, illam rationẽ assequi is directa argumentatione, non ea quæ obliquè tractatur, quam commodißimè posse uideatur. Verùm quod ad bipartitam illam tractandæ argumentationis formam attinet, quarum hæc recta et plana, illa obliqua & inflexa quasi uia constat, meminit eiusdem istius colligendi diuersitatis simili modo & alijs non paucis locis Aristoteles, ut lib. 1. de Ratiocinat. cap. 6. & 12. lib. 2. de Ratiocinat. cap. 5. lib. 1. de Demonstrat. cap. 12. & cæt. Verùm quod hic ἄνευ τοῦ ἀδυνάτου καὶ διὰ τοῦ ἀδυνάτου συλλογίζεσθαι ait, id alijs locis δεικτικῶς καὶ διὰ τοῦ ἀδυνάτου συλλογίζεσθαι, περαίνεσθαι, συμπεραίνεσθαι, καὶ δείκνυσθαι, ait. Ita ὁ δεικτικὸς συλλογισμός, (quem lib. 1. de Ratiocinat. cap. 6. & 12. nominat) idem est, qui ἄνευ τοῦ ἀδυνάτου, hoc est, sine incommodi et absurdi demonstratione rem conficit. Qui διὰ τοῦ ἀδυνάτου rem probat, is quàm uarijs nominibus appelletur, de eo uide lib. 2. de Ratiocinat. cap. 5.

Vtro argumentationis ductu præcipuè Dialecticus vtat.

Duplex ratiocinationis ductus.

k Nihil ad eum qui.) Demonstratorẽ, ἐν ἀποδεικτικὸν intelligit. Huius enim est ex

est ex necessarijs progredi, quemadmodum Dialectici ex uerisimilibus, de quo uide lib. 1. de Demonstrat. cap. 4. Ipse Demonstratorem, ἐν ἀποδεικνύντα: Dialecticum, ἐν διαλεγόμενον appellat, cùm ita inquit: ἀποδεικνύντι μὲν τοῦ διαλεγομένῳ οὐδὲν διαφέρει ἢ οὕτως, ἢ ἐκείνως συλλογίσασθαι. διαλεγομένῳ δὲ οὐ χρηστέον τῷ διὰ τῶν ἀδυνάτου συλλογισμῷ.

Demonstrator à Dialectico qd distet.

l Nam & cùm nullo.) Ratio à commoditate, hoc est, facilitate comprobandæ & explicandæ quæstionis ducta. Cùm directò argumentatio instituitur perfacilis est quæstionis expeditio, quia quid ueri falsiúe sub ea lateat, cuiuis promptum est uidere. At si obliquè tractetur, non æquè id paratum est, cùm nisi falsitas complexionis ipsa per se pateat, etiamnum in dubio res relinquatur.

Directa ratiocinatio ab obliqua vt distet.

m Id falsum esse.) Nempe conclusionem, ex cuius falsi reprehensione, regressio fit ad refellendam falsitatem aduersariæ ὑποθέσεως, ex quo demum in hoc ratiocinationis genere propositum conficitur, de quo uide Aristotelem locis suprà nominatis, & Rodolphum Agricolam lib. 2. cap. 20.

Obliquæ ratiocinatiõis progressio.

n Proponenda autem sunt.) Vult propositiones ad rem concludendam adhiberi, quæ specie uerisimilitudinis commendatæ, minore negotio ab aduersario admittantur. Eiusmodi sunt, quæ magna ex parte ita ut dicuntur sese habent.

o Aut certè id facilè.) Nimirum quo modo refellenda sint, aut quo pacto aduersum illa ἔνστασις quæpiam instruatur. Quod quasi prima fronte perspici non posse, Interpres ait, Græcè est, ἢ μὴ ἐπὶ πολῆς ἐστι δ' συνιδεῖν.

ἐπὶ πολῆς συνιδεῖν.

p Cùm enim in rebus.) Loquitur de minus intelligentibus & exercitatis, quibus fucus facilè imponit. μὴ δυνάμενοι γὰρ, inquit, συνορᾶν ἐφ' ὧν οὐχ οὕτως ὂν ἀληθὲς τιθέασιν.

q Nunquàm autem conclus.) Cùm uetere Dialecticorum instituto et more propositiones in disserendo rogentur, uult conclusionem semota omni interrogatione, simpliciter per se inferri. Idq; ne occasione negationis aduersario oblata, (id quod per se alioqui proteruiendo solet) temerè argumentationis cursum impediat. οὐ δεῖ δὲ τὸ συμπέρασμα, inquit Aristoteles, ἐρώτημα ποιεῖν, εἰ δὲ μὴ ἀνανεύσαντος οὐ δοκεῖ γεγονέναι συλλογισμός.

Propositiones, non conclusio interrogãda.

r Sæpe enim etiam.) A comparatione argumentum: Etiam per se ipse proteruiẽs aduersarius, cùm apud imperitiores agit, τοὺς μὴ συνορῶντας ὅτι συμβαίνει ἐκ τῶν τεθέντων, datis propositionibus interim conclusionem negat. Quanto iam procliuiùs id facturum probabile est, si huiusce rei per interrogationem ipsi occasio suppeditetur? Græcè est, πολλάκις γὰρ καὶ μὴ ἐρωτῶντος, ἀλλ' ὡς συμβαῖνον ἐπιφέροντος, ἀρνοῦνται. In quo nota uerbum ἐπιφέρειν eo modo Græcis dici, quo Latinè interim inferre & colligere Philosophi dicunt. Atq; inde ἡ ἐπιφορὰ etiam apud Græcos dicitur, δ' ἐπιφέρειν.

Proterui sæpe conclusionem negant.

id quod nos uerbum de uerbo exprimentes illationem in Scholis, hoc est, conclusionem dicere solemus.

s Neq; verò quicquid.) *Paulo clariùs & dilucidiùs Dialecticæ propositionis, de qua paulo suprà meminit in descriptione τῶν ἐπακτικῶν προτάσεων, hoc loco uim ac naturam nobis exhibet. Ac cùm interrogatione ista proferatur, quemadmodum lib. 1. dictum est, ostendit non quamuis interrogationem illam esse, sed illam demum, ad quam in utramque partem uel esse, uel non esse responderi potest, quemadmodum Rodolphus lib. 2. cap. 9. Quæstionem definiendo explicauit. Verùm ut hunc locum rectiùs quisq; intelligat, notandum est, duo ferè distincta, seu propositionis, seu interrogationis, apud Philosophos genera esse: quorũ alterum simplici responsione contẽtum est, ut uel esse, uel non esse, id ipsum quod rogatur, affirmare poßis: alterum uerò operosiorem quandam exquisitioremq;, priusquàm roganti satisfiat, responsionem requirit. Atq; ex his ipsis prius illud est, cuius in præsens ratio ad inuestigandum proposita est, quod δ' διαλεκτικὸν Aristoteles nominat. Alterum uerò nullo certo nomine appellatum est, nisi quod δ' πυσματικὸν (ut in lib. περὶ ἑρμηνείας Ammonius author est) Græcis appellare libuit. Atq; illud ipsum tale est, cuius duo ista exempla, Quid est homo? quot modis bonum dicitur? hîc subiecta uidemus. In hunc locum uide Aristotelem lib. περὶ ἑρμηνείας, cap. 6.*

Interrogatiõis duo genera.

διαλεκτικὸν

πυσματικὸν

t Propositio enim dialect.) *Græcè est, ἔστι γὰρ πρότασις διαλεκτικὴ πρὸς ἣν ἔστιν ἀποκρίνεσθαι ναὶ ἢ οὔ.*

Propositio Dialectica.

u Ita non est dialectica.) *Ex antè posita Dialecticæ propositionis descriptione, concludit, prædictas interrogationes non esse propositionem Dialecticam. Quanquã aliquo tamen modo, ut si datum ad illas aduersarij responsum quærendo proponas, eiusmodi fieri queant. Imitatus est hunc locum Rodolphus Agricola lib. 2. cap. 9. ita de quæstione scribens: Non igitur quæstiones sunt primæ interrogationes illæ, quando nequit de eis uel in hanc uel in aliam partem dici: sed responsum aduersarij interrogationi datum, cùm in dubium uocatur, fit quæstio. Græcè hoc loco uerba sic habent, διὸ οὐδὲ διαλεκτικὴ ἐστὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ἐρωτημάτων.*

Omnis interrogatio vt Dialectica fiat

x Qnin illud etiam.) *Quòd si nostræ distinctioni in suprà dicti generis quæstionibus explicandis, aduersarius non acquieuerit, æquum ait ab eo postulare, ut rectiùs ipse distinguat. ἅμα δὲ καὶ δίκαιον, inquit, ἴσως παρ' ἐκείνου ζητεῖν, ποσαχῶς λέγεται τἀγαθὸν, & cæt.*

y Qui autem in vna.) *Non uult prolixiùs quàm res postulat, eandem quæstionẽ à nobis tractari. Quia si plura nos rogauerimus, alterum istorum fiet, ut uel sæpiùs ad eãdem rem prolapsi, turpiter nugemur, aut si ad singula aduersarius respondeat, non satis aptè concludi à nobis res posse uideatur. Ex paucis enim, hoc est, duab. tantũ sumptionib. syllogismus omnis conficitur. ὅστις δ' ἕνα λόγον, inquit, πολὺν χρόνον ἐρωτᾷ, κακῶς ποι-*

Nõ plura temerè interroganda.

κῶς ποι

κῶς πυνθάνεται. Monet Alexander hunc locum superioribus præceptis de celanda & obruenda uarijs argumentis conclusione, minimè repugnare, eo quòd hìc eandem rẽ prohibeat, in illis autem diuersas pluribus tractari præcipiat. οὐ γὰρ ἓν τοῦτο, inquit, φησὶ, ἐπὶ ἑνός λεγόμενα λόγου, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ ὅλου πρόσυλλογισμῶν εἶδος. An hic locus superiori repugnet.

z Quòd si minus respondeat.) Ad ea quæ interrogantur, ne tum quidem pluribus eandem rem persequi uult, quiq omnino frustrà id ipsum futurum sit. Monet uerò hoc casu, aut omnino relinquendum aduersarium abrupta disputatione, aut certè, quòd tam inelegantem contra omnes bene disserendi leges sese præbeat, acriter eundem reprehendendum. Atq; huius quidem admonitionis nõ infrequentia passim apud Platonẽ sunt exẽplaria, si Alexandro fidem adiungimus. εἰ δὲ μὴ ἀποκρινόμενος, inquit hìc Aristoteles, ὅτι οὐκ ἐπιτιμᾷ, ἢ ἀφίσαται? Respõdẽs quãdo increpandus & relinquendus.

a Illud autem intellig.) Ostendit nunc porrò, quænam ex omnibus proposita sint, quæ tum facilè in differendo oppugnari & refelli, tum defendi & sustineri queant. Atque omnino quæ oppugnatu difficilia sunt, eadem defensu & probatu perfacilia esse uult, idq; his uerbis: ἔστι δ' ἐπιχεῖρῆσαι τε, inquit, καὶ ἐπέχειν ῥᾴδιον τὰς αὐτὰς ὑποθέσεις. Monet Alexander uerbum τὴν ὑποθέσεως ἀντὶ τῆς προβλήματος τῶν hìc poni, cùm inquit: ὑποθέσεις νῦν μὲν λέγει τὰ προβλήματα, ἃ καὶ θέσεις ὄνομα ἔχει καὶ αὐτῷ λέγειν. Idem δ' ἐπιχείρειν, δ' ἐρωτᾶν τε καὶ συλλογίζεσθαι interpretatur, δ' ὑπέχειν uerò, δ' ἀποκρίνεσθαι. Certè ut hoc respondentis proprium est, ὑποθέσεως. ἐπιχειρεῖν. cui propositum conuenit tueri & defendere: ita illud interrogantis, cuius est idipsum infirmare & euertere. ὑποθέσεις quid. δ' ὑπέχειν.

b Cuius generis ea sunt.) Exemplis declarat, quænã res maximè probatu sint difficiles. Vultq; tales esse & ipsa demonstrationum initia, & ea quæ initijs quàm proximè adhærent: quorum ut hæc paucis quidem, ita illa multis, excepta finitione, rationibus omnino probari possunt. Illa uerò quæ remotiùs à principijs absunt, etsi propterea quòd maior hìc argumentorum copia suppetat, facilius comprobari posse uideantur: tamen quia ad hoc, ut firmam solidamq; de ijs demonstrãdo cognitionem comparemus, necesse est, illa omnia quæ à primis usq; interiecta sunt, continenti huc serie adhiberi, non minorem in illis confirmandis difficultatem uult inesse. Demonstrationum initia, τὰ πρῶτα τῇ φύσει πρῶτα. σφὶ appellat: quæ initijs quàm proximè hærent, τὰ λίαν ἐγγὺς οὖσι ἀρχῆς: ea quæ longiùs distant, τὰ ἔσχατα uocat, hoc est, extrema. Alexander, φύσει μὲν ὄντα, inquit, τὰ τὰ ἔσχατα. πρῶτα, ἐστὶ ἀρχαί, ἔσχατα δὲ, τὰ πολὺ τῆς ἀρχῆς διεστῶτα. Quæ res difficillimè probatu sint.

c Nam & prima.) Prima, inquit, sola definitione explicanda sunt, τὰ μὲν πρῶτα ὅροις δεῖται. Cùm ergo definitio probatu sit difficilior, quis primorum non longè difficillimam esse comprobationem facilè intelligit? Huc pertinet, quod paulo infrà ait, ἀλλ' ἀναγκαῖον ὁρισμῷ τὴν τοιούτων ἕκαστον γνωρίζειν. Prima definitione explicant.

Et vltima multis.) Hæc ad apodicticæ cognitionis certitudinem comparandam pertinere memineris. Alioqui enim ad Dialecticæ fidei atq; opinionis comparationem id minus necesse est, δ συνεχὲς λαμβάνειν ἀπὸ τῶν πρώτων, ut Græcè ait.

σοφισματώδη ἐπιχειρήματα.

c Aliter enim fallaces.) Fallaces & captiosas, minus apodicticas & necessarias hîc intelligit. Loquitur enim de ἀποδεικτικῶν certitudine, ut sequentib. his declarat: & δύνατον γὰρ ἀποδεῖξαί τι, μὴ ἀρξάμενον ἀπὸ τῶν εἰκείων ἀρχῶν, μηδὲ συνειλῆφθαι μέχρι τῶν ἐσχάτων. Græcè ἢ σοφισματώδη φαίνεται, inquit, τὰ ἐπιχειρήματα.

f Nisi à proprijs initijs.) Aut contrà fortè ab extremis ultimisq; initio sumpto, ad ipsa propria peruenias. De eo enim lib. 1. de Demonstratione, cap. 10. ex professo Philosophus disserit.

g Acilli quidem.) Ostendit, unde finitionis probandæ difficultas sit, præsertim in hoc genere disputationum, in quo nec aduersarius ipse definire uelit, & alijs definientibus temerè obstrepat.

h Sed profectò non est.) Huc pertinet, quod Cicero in Oratore ait: Nisi enim inter eos qui disceptant, conuenit quid sit illud de quo ambigitur, nec rectè disseri, nec usquam ad exitum peruenire potest. Item illud ex 1. de Oratore: Ego uerò, inquit, pergam, & id faciam quod principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo, ut quid sit illud de quo disputetur, explanetur, ne uagari & errare cogatur oratio, si ij qui inter se disseruerint, non idem esse illud de quo agitur intelligent. Verba Aristotelis in præsens sic habent: μὴ γενομένου δὲ φανερόν τί ποτέ ἐστι τὸ προκείμενον, οὐ ῥᾴδιον ἐπιχειρεῖν.

Nisi re finita & cognita, disseri non potest.

i Quibus cætera pro.) In hûc locum uide lib. 1. de Demonstratione, cap. 2. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα, ait, διὰ τούτων δείκνυται, ταῦτα δ' οὐκ ἔχεται δι' ἑτέρων.

k Difficilia etiam probatu.) Cùm de primis & ultimis iam docuerit, ostendit et media, τὰ σφόδρα ἐγγὺς δι' ἀρχῶν, δυσεπιχείρητα esse, hoc est, probatu difficilia.

Ratio superiori cõtraria.

Notat Alexander huius loci probationem, superiori quæ de ultimis allata est, contrariam esse, quia cùm ultimorum Demonstrationem operosiorem dixerit, quòd plura media interessent, per quæ illa probari deberent: hic contrà, quia pauciora ad mediorum comprobationem argumenta suppetant, illa probatu esse difficiliora statuit. εἰσὶ δὲ ταῦτα, inquit, χαλεπὰ δ' ἴσως τὸ πόρρω διὰ πολλῶν μέσων, τὰ δ' ἐγγὺς διὰ ὀλιγότητα.

Alia Alexandri probatio.

Et quia ob hanc rem minus uirium hæc probatio habere uidetur, alteram ipse probationem subijcit, quæ est, propterea probatu difficiliora ea quæ propinqua sunt, uideri, quia cùm de proximo illorum approbatio petatur, in hac tali comprobatione uideatur quasi δι' ὀλίγων ἀρχῶν uitiosè à nobis postulari.

Finitiões quę ex omnibus difficillimè cuertantur,

l Definitiones autem.) Ostensum est lib. 7. cap. 3. definitiones omnes euersu, quàm probatu, esse faciliores. Verùm si quæratur, quæ ex omnibus difficillimè euertantur, (ipse

τῶν

τῶν δ' ὅρων δυσεπιχειρητότατος uocat) eam præsens describit, quæ ex ijs uerbis cõ stant, quæ uerba utrum simpliciter, an multis modis, utrum propriè, an metaphoricè dicantur, non satis certum sit. In ijs enim talibus cùm obscuri uerbi significatio multis modis exponi possit, minus reprehensioni locus futurus uidetur. nib. δυσεπιχειρητότατοι.

m Nam quia dubium est.) Græcè est, διὰ μὲν γὰρ τὸ ἀσαφῆ εἶναι, οὐκ ἔχει ἐπιχειρήματα, διὰ δὲ τὸ ἀγνοεῖσθαι εἰ πᾶσι τὸ κατὰ μεταφορὰν λέγεσθαι τοιοῦτόν ἐστιν, οὐκ ἔχει ἐπιτίμησιν.

n Omnino quæstio.) Hîc ex superioribus quæ demum δυσεπιχείρητοι sint quæstiones, & unde eæ tum nascantur, tum explicentur, summatim colligit.

o Pleraq; etiam propos.) Hoc conuenit cum eo, quod paulo suprà ait, μὴ γεγονέναι δὲ φανερόν τί ποτ' ὀφείλει τὸ προκείμενον, οὐ ῥᾴδιον ἐπιχειρεῖν. Caue autẽ quod de tradendis & explicandis rectè definitionibus ait, id ad uniuersas propositiones pertinere existimes. Definitio enim nõ nisi simpliciũ, tum rerũ, tum uerborum est, uti lib. 2. de Demonstrat. cap. 2. docetur. Quod ergo hîc de finitionibus admonetur, id ad obscuriora propositionum uerba referri debet, quibus explicatis, & ipsæ propositiones clariores euadunt, sicut ipsemet indicat. Propositá quæ hîc dicit, græcè ἀι θέσεις appellantur: paulò suprà τὰς ὑποθέσεις eadem nominauit. ὧν πολλαῖς τε τῶν θέσεων, inquit hoc loco, μὴ καλῶς ἀποδιδομένῳ τὸν ὁρισμὸν, οὐ ῥᾴδιον διαλέγεσθαι καὶ ἐπιχειρεῖν. Propositiones an definitione explicari possint. ἀι θέσεις καὶ ὑποθέσεις.

p Atq; etiam in Mathemat.) Ostendit definitionis necessitatem, ad id, ut rectè quicq; tractetur & explicetur, in omnibus disciplinis eandem esse. ἔοικε δὲ καὶ ὧν τοῖς μαθήμασιν, inquit, ἔνια διὰ ὁρισμοῦ ἔλαττον μὴ ῥᾴδιον γράφειν. Illud δ' γράφειν Alexander hîc ἀντὶ τοῦ ἀποδείκνυσθαι poni testatur, cùm inquit: τὸ γὰρ οὐ ῥᾴδιον ἀπογράφειν εἴρηκεν, ἀντὶ τοῦ, οὐ ῥᾴδιον ἀποδείκνυσθαι. Definitionis ἔλαττον in Mathesi. γράφειν

q Eam lineam quæ ad lat.) Linea ad latus secat planum, (inquit Faber) quando in superficie æquidistantium laterum ad latus per aream linea ducitur æquidistans. Areã uocat τὸ χωρίον, quod Interpres locum, alij planiciem, nonnulli superficiem eodem sensu dicunt. Area, & χωρίον.

r Quasi ex altera parte.) Quam ex altera quasi parte diuisionem uocat, Græcè ἀνταναίρεσις dicitur: τῶν γὰρ ἀνταναίρεσιν, inquit, ἔχει τὰ χωρία καὶ αἱ γραμμαί. ἀνταναίρεσις.

s Illius de qua agitur.) Nempe similitudine secare. Nam τὸ ὁμοίως διαιρεῖν, καὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ διαιρεῖν, in præsens idem planè ualent, estq; hoc postremum superiorum illorum quasi finitio & explicatio, sicut ipse ait, ἔστι δ' ὁρισμὸς τοῦ αὐτῷ λόγῳ οὗτος. Alexander (qui ἀνταναίρεσιν istam, ἀνθυφαίρεσιν uocat) hæc ad Analogorum desumptionem pertinere author est. ἀνθυφαίρεσις.

t Omnino autem prima.) Vult, quemadmodum in Mathematicorum demonstrationibus res habet, ut principijs positis & definiendo explicatis, probè res confici: non

positis

positis uerò nec definitione explicatis, omnino non confici posit: ita & in præsenti instituto, τῷ κατὰ τοὺς λόγους, ut ipse uocat, rem habere. Quod ad Mathematicorum demonstrationes attinet, meminit de illis Cicero in Lucullo, & quidem hisce uerbis: Non quæro ex illis illa initia Mathematicorum, quibus non concessis digitum progredi nõ possunt, punctum esse, quod magnitudinem nullam habeat, & cæt. De linea, orbe, & cæteris eiusdem generis, uide Euclidem lib. 1. Geometricorum Elementorum.

Mathematicorũ initia qualia

u Vix, aut ne vix quidem.) Græcè est, χαλεπὸν, τάχα δ' ὅλως ἀδύνατον, δεῖξαι scilicet. Nam id uerbum ex superioribus repetendum erit.

x Quod idem fit in.) Accõmodatio prædicti exẽpli, seu antè positæ similitudinis, ὁμοίως δὲ τούτοις, inquit, ἔχει καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ τοὺς λόγους ἐχόντων. Alexander τοὺς λόγους author est hîc dici, τὰς ἐπιχειρήσεις τὰς τῶν διαλεγομένων, hoc est, quæ in disserendo adhiberi solent, rationes & probationes.

εἰ λόγοι, ἐπιχειρήσεις

y Hoc igitur intelligendum.) Concludit prædictum locũ de explicatione ἀναπιχειρημάτων τῶν θέσεων, transiens nunc inde ad differẽdam quæstionem, an si thesis probatu difficiliores sint sumptiones, eæ ad disputandum sint accommodandæ.

z Cùm autem propositio &.) Hîc duo nomina, τὸ ἀξίωμα καὶ τὴν πρότασιν ἐκ παραλλήλου coniungit, ὅταν δὲ εἴπῃ, inquiens, πρὸς δ' ἀξίωμα μὴ τὴν πρότασιν μεῖζον ἔχειν διαλεγῆναι, ἢ τὴν θέσιν. In quo nota τὸ ἀξιώματος καὶ τῆς θέσεως nomina ita hîc sumi, quemadmodum in antegressis admonuimus. Nempe ut thesis sit ipsa quæstio, de qua disceptatur: ἀξιώματα, ipsæ propositiones, per quas in hanc illámue partem quæstio concluditur.

ἀξίωμα. θέσις.

a Nam si eam non.) In utramq; partem superiorem quæstionem differit, idq; rationibus ab incommodo ductis. Si tales propositiones aduersarius neget, dum istarũ probationem à differente requirit, μεῖζον προσάξει, inquit, τὸ μὴ ἀσχημόνως: Sin autem ponat, dum per magis dubia persuaderi sibi propositum finit, πιστεύσας δι' ἧττον πιστῶν. Quorum utrumq; sanè incommodum esse uidetur: hoc, quia ex certioribus & credibilioribus res quæq; probandæ sunt, uti sæpe in Analyticis traditum est. Illud uerò, quia mimore negotio ipsum propositum, quod in quæstionem uenit, aduersarius probare potuit. Ita hoc ad eum qui rogat, illud ad eum qui rogatur, hoc est, respondentem pertinet.

Incommodorum explicatio.

b Ac si quæstio diffi.) Hîc ad quæstionem distinguendo respondet. Quòd si operosiorem & difficiliorem, negatione inuolutarum & obscurarum probationum, reddi nolis disputationem, (id enim est, quod ἐμοὶ μὲν οὖν δοκεῖ μὴ χαλεπώτερον δὲ πρόβλημα ποιεῖν, mihi dicere uidetur) admittendæ, inquit, sunt prioris generis quantumuis dubiæ ex se & obscuræ propositiones. Sin difficiliorem & intricatiorem fieri disputationẽ non cures, sed ex manifestis, ijsq; quæ aut per se ipsæ notæ sint, aut ex alijs saltẽ quomodolibet approbatæ, sumptionibus rem confici uelis, negandæ sunt, repudiandæq; tantisper

Responsio ad quæstionem.

sumptio

sumptiones, quoad eas certiùs tibi clariusq; aduersarius comprobarit. Ac cùm hoc quidem in disciplinis ita fieri quàm plurimũ soleat, prius illud in dialecticis, uerisimilibusq;, quæ exercitationis gratia potißimùm suscipiuntur, disputationibus concedi posse deinceps asseuerat.

c Aut ei qui se dat in disci.) Qui ex non dubijs & certis obscura controuersaq; sibi probari postulat. Id quod in disciplinis demum fieri adsolet. Clariùs prædictam distinctionem exponit. Qui se in disciplinam dat, Græcè ὁ μανθάνων dicitur: qui exercitationis gratia disserit, ὁ γυμναζόμενος. Huic satis esse solet, si quæ in disserendo adhibentur, non indubitata & disciplinabilia sint, sed uel ad opinionem tantum accommodata, & persuadibilia, ut cum Fabio sic loquamur. ὁ μανθάνων ὁ γυμναζόμενος.

d Ex quo perspi.) Hoc loco ueri doctoris & disputatoris discrimen obserua. Ille ex proprijs rei principijs, id quod propositum est, reuera semper docet & probat, non contentus nuda eius quem docet, ad rem concludendam assensione. Disputator contrà, si ea quæ adducit talia aduersario uideantur, ut ex illis rem propositam acquiescente ipso conficiat, satis habet. Nihil enim de ui ac natura principiorum, qualiacunq; demum ista adhibita sint, laborat & curat. Quòd si tamen interim & Doctor rogare discipulum uideatur, id non exquirendi eius consensus causa, sed ut meliùs isto modo eum doceat, facere intelligi debet. De qua re uide nonnihil lib. 1. de Demonstrat. cap. 6. Doctor & disputatore quo modo differt.

e Ac de ratione quidem.) Concludit de prima parte huius libri, qua uniuersam rationem περὶ τάξεως καὶ περὶ ἐξωτάσεως τῶν προτάσεων, qua in disserendo Dialecticus uti debeat, hactenus persequutus est. Sequitur nunc, ut quemadmodum superioribus Dialectici technis et molitionibus, ne in fraudem inducatur, peritus sciensq; occurrere ad uersarius debeat, in sequentibus exponat. Ita qui opponentem hactenus instruxit, nunc quæ respondentis in disserendo partes sint, deinceps explicabit. Cõclusio per transitionem.

DE DISSERENTIVM OFFICIO, ET QVO MODO CAPTIOSIS ADVERSARII SVMPTIONIBVS, THESIBVSQVE obuiare Respondens debeat.

Cap. 3.

NVnc[a] de ratione respondendi disseremus, ac primùm quod eius sit officium, [b] qui & rectè poscit, & rectè ponit quæstionem, dicamus. [c] Est autem eius qui poscit quæstionem, ita argumentationem tractare, vt eum qui cum disputet, cogat absurdiora concedere, quàm quæ ex re proposita consequuntur. [d] Eius verò qui quæstionem ponit, dare operam, ne quod incommodum sua culpa, aut quod sit contra opinionẽ omnium, effici videatur, [e] sed ex ipsa tantùm re, quę à se proposita est ad disserẽdum. [f] Aliud enim fortasse genus peccati est, cùm quis proponit Officium opponentis. Respondentis.

primùm quod non debet, deinde propositum illud defendere non potest. [g] Non sunt autem explicata & constituta adhuc à quoquam officia eorum, qui exercitationis & periculi faciendi gratia disputant. [h] Neque enim idem propositum est doctoribus aut discipulis, quod ijs qui certandi studio disputant: neque idem his ipsis & ijs, quorum ad cognttionem & scientiam omnis dirigitur exercitatio. [i] Nam & discipulis ea semper ponenda sunt quæ videntur: quoniam nemo eò operam confert, vt falsa doceat. [k] Et eorum qui certandi studio disputant, is qui quæstionem poscit, semper [l] aliquid facere videri debet, & is qui cum disputat, nulla in re illi concedere. [m] Quoniam autem in conuentu & congressu dialecticorum, ijs qui non certandi studio, sed vel tentandi, vel cognitionis gratia inter se disserunt, non est adhuc à quoquam, vt dixi, expositum & traditum, quid inuestigare, quid dare, aut non dare oporteat eum, qui ponit quæstionem, vt gnauiter, aut non gnauiter, ac pręclarè decreta sua defendat: nos hoc loco instituimus dicere. [n] Qui igitur respondendi munere fungitur, is quæstionem defendat necesse est, vel probabilem, vel nõ probabilem, vel neutram: ita tamen, [o] vt aut probetur, aut non probetur omnino, vel cum adiunctione, vt huic, vel alij. Quo autem modo probabilis, vel non probabilis sit, nihil interest: [p] quandoquidem idem genus retinendum erit præclarè respondendi ad rogatum, aut dandi, aut nõ dandi rogatum. [q] Ac non probabile quidem si sit propositum, probabilem: sin probabile, non probabilem necesse est conclusionem effici. Contrarium enim propositi semper concludit is qui interrogat. [r] Quòd si id de quo agitur sit eiusmodi, vt nec probetur, nec improbetur, eiusdem generis efficietur conclusio. [s] Quoniam autem is qui scitè ratiocinatur & cõcludit, rebus non dubijs & perspicuis id quod dubium est, aperit & ostendit: profectò si quando id quod proponitur, non sit probabile omnino, non debet is qui ponit quæstionem, neque id dare quod non probetur omnino, neque id quod illud quidem probetur, sed minus quàm conclusio: quippe cùm propositum si non probabile sit, conclusio probabilis sit futura. Ita fit, [t] vt ea quæ sumuntur, omnia probabilia esse debeant, ac magis probabilia, quàm id de quo quęritur: si quidem magis perspicuis, minus probabilia velit concludere. [u] Ita si non sit ex eo genere id quod interrogatur, non id debet qui respondet concedere. [x] Sin autem probabile omnino sit propositum, improbabilis omnino conclusio erit. Itaque danda erunt, quæ probantur omnia, & eorum quæ non probãtur, si qua

Differentium in diuersis disciplinis non idem scopus.

Diuisio τῶν θέσεων, q̃s Respõdens defendit.

Thesis omnino ἄδοξος.

Omnino ἔνδοξος.

magis

magis probabilia sint conclusione: sic enim rectè disputatum fuisse videbitur. [y] Quod idem faciundum erit, si nec probabilis, nec minus sit probabilis quæstio. Sic enim & quæ probantur, danda sunt omnia, & quæ non probantur, si qua magis probabilia, quàm cõclusio, erunt. Sic enim fiet, vt probetur magis disputatio. [z] Ac si id de quo agitur, omnino probabile sit, aut non probabile, tum habenda erit eorum ratio, quæ omnino probantur. Sin autem non omnino probabile, aut non probabile, sed ei modò qui respondet, tum ex ijs quæ ei probantur, aut minus probantur, iudicare debet, quid concedendum aut non cõcedendum esse videatur. [a] Quòd si alterius sententiam defendat is qui respondet, certè eius mentem & sententiam spectare debebit, vt quid concedendum sit aut negandum, intelligat. [b] Itaque qui alienas sententias introducunt, vt bonum & malum esse idem, vt placet Heraclito, ij nõ dant in eodem simul non inesse contraria: [c] non quòd non probetur hoc eis, sed quòd Heracliti sententia ita dicendum est. Quod etiam ij faciunt, qui alij ab alijs proposita accipiunt. Exquirunt enim illi, quid sit responsurus is, qui rẽ proponit. [d] Hoc igitur perspicuum est, quæ exquirere is debeat qui respondet, siue omnino probabile, siue alicui sit, id quod quæritur. Quando autem necesse est omne rogatum aut probabile esse, aut non probabile, aut neutrum, [e] & vel ad conclusionem efficiendam valere, vel non valere rogatum: [f] si probetur, neque ad conclusionem efficiendam valeat, id & dare, & probabile dicere debemus. Eo enim posito & concesso, propositum primum non euertitur. Si autem neque probetur ipsum, neque ad conclusionem efficiendam valeat, id quidem dandum est, sed ita tamen, vt non probari id nobis significemus, vitandæ amentiæ gratia. [g] Si verò & probabile sit, & ad rem pertineat, respondendum erit id quidem videri & probari: sed propositum adeò finitimum esse, vt eo concesso, propositum tollatur necessariò. [h] Si ad conclusionem efficiendam valeat, & ad modum sit improbabile, respondendum erit, cõclusionem eo posito & concesso effici: sed stultum id esse quod afferatur. [i] Cùm autem nec probabile quid, nec minus probabile rogabitur, tum si ad conclusionem efficiendam nihil valeat, id dandum erit nulla facta distinctione: sin valeat, exponendum est, eo posito, sublatum iri id de quo agatur. [k] Sic enim & nihil eius qui respondet culpa factum videbitur, si quidem quid concedere & dare debebat, semper prouiderit: & is qui quæstionem poscit, quod vult efficiet, cùm ei ea dabuntur omnia, quę magis quàm cõclusio

Thesis μηδετέρα.

Thesis q̃dãmodo vel ἔνδοξος vel ἄδοξος.

Propositionũ eadem, quæ theseων distinctio.

Ἀσάφειαι & obscura nõ temerè cõcedẽda.

probentur. [l] Qui autem instituunt argumentationem tractare per ratiocinationem, sumptis ijs quæ minus quàm conclusio approbantur, ijs quoniam inscienter ratiocinantur, quæ rogant, dari concedíque non debent. [m] Eodem modo eis occurrendum erit, cùm res dubias & obscuras, & quæ multis modis dicuntur, afferent. [n] Nam quoniam & qui ponit quęstionem, si minus intelligat, licet dicere, Non intelligo: & quod multis modis dicitur, [o] non necessariò id aut cõcedere aut negare debet: profectò si quid afferatur, quod obscurum sit, sine vlla dubitatione & mora se id non intelligere fatebitur. [p] Sæpe enim ex eo quod dant & concedunt, ij quibus obscura nec aperta interrogatio proponitur, absurdum aliquid incidit. [q] Cùm autem cognitum apertumque erit id quod multis modis dicitur, si omni ex parte & omnino verum sit aut falsum quod

Apertæ ambiguitati quo modo occurrendũ.

affertur, [r] id omnino concedi negariue debebit: sin quadam ex parte falsum sit, & quadam ex parte verum, id ambiguè dici, & in illo verè, & in hoc falsò dici indicabit. [s] Nam si id posterius distinguat, dubium erit, an in prima disputatione ambiguum perspexerit. [t] Quòd si ambiguum verbum non attendat, idque tum cùm alterius habet rationem, concedat: si ad alterum impellatur, fateri debet se id concessisse, cùm non ipsum illud ad quod vocatur, sed alterum ipse spectaret, & attenderet. [u] Cùm enim plura eidem nomini & orationi subiecta sunt, tum facilè existit controuersia. [x] Sin rogatum & planum sit & simplex, aut etiã aut non, respondendum est. [y] Quoniamque omnis propositio quæ valet ad conclusionem efficiendam, [z] aut aliqua earum est ex quibus ratiocinatio conficitur, [a] aut ad aliquam earum refertur: [b] perspicuum est autem tum alterius probandæ gratia assumi, cùm multa similia interrogãtur, quippe cùm ferè per inductionem vel similitudinem id quod de toto genere & omnino dicitur, concludatur: [c] singula omnia concedenda sunt,

Quo Inductionibus resistẽdũ, vt δυσκολίας effugias

si vera sint & probabilia, contra vniuersum genus obijciẽdum aliquid. [d] Impedire enim cursum orationis, nisi resistas verè, aut saltem videare, hoc est iniquum se in disputando difficilemque præbere. [e] Ita si multa similia existant, neque det in toto genere dici, tum cùm refellere nequeat, profectò difficilem se proteruumque præbebit. [f] Iam verò si non habeat contrarium argumẽtum ad refellendum, tum multo etiam magis difficilis proteruusque videbitur. [g] Quanquam ne hoc quidem satis est. Multæ enim rationes extant sententijs omnium contrariæ, quarum difficilis est explicatio, [h] cuius generis est Zenonis ratio, qua tollit motum,

& stadi

& stadij traiectionem. nec verò propterea eorum contraria minus defendi concediq́ue debent. [i] Ergo si quis nec contrà vllam adferre rationem queat, nec aliquid opponere in quo non ita sit, & tamen non concedat, is profectò iniquum se præbebit in disputando. [k] est enim in disputationibus iniquitas & proteruia, responsio quæ præter modos quos exposui mus, vim habet ad interimendam tollendamq́ue conclusionem. [l] Defendere autem & propositum & definitionem, ita par est, si antè argumenta ipsi in nos quasi aduersariorum tela iaciamus. Quibus enim rationibus infirmant nostra decreta ij qui rogant, [m] ijs ipsis resistere debemus. [n] Propositũ autem non probabile timidè defendendum est. [o] Multis autem modis non probabile esse potest. Nam & id non probabile est, ex quo efficitur, vt incommoda & absurda quædam fateamur. vt si quis vel omnia, vel nihil moueri dicat, [p] & ea omnia quæ deterior status & constitutio sequi solet, & quæ hominum voluntatibus repugnant. quale illud est: Voluptas est bonum: &, facere quàm accipere præstat iniuriam. [q] Non enim quasi disputationis gratia defendat: sed tanquam ea dicat quę probet & sentiat, ita eum oderunt. [r] Argumenta autem quibus falsum concluditur, dissoluenda sunt, infirmando euertendoq́ue eo, ex quo falsum effectum est. Neque enim quouis sublato, argumentum solui tur, ne si falsum quidem sit id quod sit euersum. Multa enim falsa in argumentatione contineri possunt. [s] vt si quis sumat, eum qui sedeat scribere, & Socratem sedere: ex his efficitur, scribere Socratem. Euersa igitur hac enuntiatione, Socrates sedet, non tamen dissoluta & explicata argumentatio est. Et quanquam falsa enuntiatio est, non tamen falsa ob id est argumentatio. Si quis enim sedeat neque scribat, non iam in hac tali causa hæc ipsa accommodata dissolutio est. Non igitur hoc refellendum est, sed illud, eum qui sedeat, scribere, cùm præsertim non omnis scribat qui sedet. [t] Ita fit, vt dissoluat argumentum is, qui falsi causam tollit: & explicationem argumenti intelligat is, qui causam argumentationis falsæ cognouerit. quemadmodum in ijs quæ falso & vitiosè describuntur, contingit. Neque enim satis est resistere, etiam si falsum sit quod refellitur, [u] sed etiam cur falsum sit, docendum est. Sic enim vtrùm occurrendo, ratione & consilio ductus sit nécne, intelligetur.

Duplex resistendi via.

ἀλόγως ὑπόθεσιν nõ temerè suscipienda.

Rationes quæ falsi cõficiunt, euertẽdæ.

IN CAPVT TERTIVM, ANNOTATIONES.

Altera libri pars.

[a] Nunc de ratiõe.) Hæc altera huius libri pars est, ἡ περὶ τῆς ἀποκρίσεως, de qua priusquàm tractare incipiat, antè quod utriusq; differentium munus sit, in Dialecticorum conuentu & congressu, quem hîc informamus, ob oculos proponit. Cùm autem multa & uaria istiusmodi in Dialecticorum congressu, differentium sint munera, ut uerbi gratia,

Opponentis officia quæ.

Opponentis, primùm quæstionem poscere, positam argumentis oppugnare, & euertere, interrogare, proponere, concludere, posita assumere, ut sibi ab aduersario resistatur petere, & alia id genus: quæ Græcè cum Aristotele dixeris, αἰτεῖσθαι τῷ θέσιν, πρὸς θέσιν, ἢ ὑπόθεσιν ἐπιχειρεῖν, μὴ ἀναιρεῖν τὸ κείμενον, πυνθάνεσθαι τὸ ἐρωτᾶν, προτείνειν, λαμβάνειν τὰ τεθέντα, συλλογίζεσθαι, ἔνστασιν ἀπαιτεῖν. Et contrà Respondentis primùm ponere quæstionem, deinde eam pro uiribus tueri & defendere, tum ad interrogata respondere, proposita admittere, negare, distinguere, contrà dicere, resistere, conclu-

Respõdentis officia

sionem impedire & prohibere: quæ Græcè hoc modo cum Aristotele itidem dicuntur, θέσθαι τῷ θέσιν, τὸ θέμενον μὴ τῷ θέσιν φυλάττειν, ὑπέχειν τὸν ὑπόθεσιν μὴ λόγον, ἀποκρίνεσθαι, φάναι ἢ φῆναι, τιθέναι, συγχωρεῖν, μὴ ὁμολογῆσαι, ἀρνήσασθαι, διελεῖν μὴ διορίσαι, τὰς προτάσεις, ἢ τὰ προτεινόμενα, μὴ τὰ ἐρωτωθέντα, ἀντιλέγειν, ἔνστασιν φέρειν μὴ γίνεσθαι, ἐμποδίζειν μὴ κωλύειν συμπέρασμα, et cæt. Hæc, inquam, omnia, aliaq; eiusdem generis cùm utriusq; differentium in Dialecticis con-

Quod ex his opponenti Aristoteles hîc tribuat.

gressibus sint officia & munera, tum unum tantum, id quod inter cætera facilè eminet, cuius gratia & reliqua ista huc adhibẽtur, (tum quod ad opponentem, tum quod ad respondentem attinet) hoc loco Aristotelcs declarat. Ac quod ad opponentem primùm spectat, uult illius τὸ ἔργον, hoc est, munus in hoc genere disputationis esse, ita argumentationem instituere & tractare, ut per eam respondens si non omnino à proposito abducatur & removeatur, at certè in propositi defensione multa incommoda suscipere, & absurda inopinataq; multa profiteri & concedere cogatur. Sed de hoc sequitur.

[b] Qui & rectè poscit.) Quod ad duas has phrases, poscere quæstionem, et ponere, attinet, utitur quidem illis in hac disciplina Interpres non infrequenter, sed ut mihi quidem uidetur, non satis ad Ciceronis institutum accommodatè. Nam cùm poscere quæstionem, respondenti: ponere non respondenti, sed differenti & opponenti ferè Interpres tribuat, Cicero contrariũ facit, ut qui ponere quæstionẽ, non differenti, sed respondenti, aut

Poscere quæstionẽ & ponere ut differant.

saltem audire cupienti, (q. idẽ ualet) attribuit, ut ex illo, quod prima Tuscul. scriptum reliquit, patere potest. Ponere, enim inquit, iubebam, de quo quis uellet audire, ac id aut sedens, aut ambulans disputabam. Hîc cùm alius ponere, alius disputare dicitur, certè ei qui

Ponere, respõdentis est.

disputat, ponendi uerbum accommodari non potest. Itidem poscendi uerbum non audiẽti, aut respondenti, sed differenti ac disceptãti tribuit, idq; partim lib. 2. de Finib. ubi scribit Gorgiam Leontinũ primum è Sophistarũ numero, quæstionẽ in cõuentu poposcisse,

Poscere, opponẽtis

hoc est, iussisse dicere, qua de re quisq; audire uellet: partim etiam lib. 3. Tusculanarum

quæstio-

quæstionum, quo loco uerba eius sic habent: Vt enim in Academiam nostrã descendimus, inclinato iam in pomeridianum tempus die, popposci eorum aliquem qui aderant, causam differendi. Quid? nónne euidenter his locis is qui disputandam quæstionem suscepit, idem & popposcit? Res certè notior est, quàm ut demonstranda pluribus uideatur. Poscere itaq; ad opponentem, & ponere ad respondentem propriè pertinẽt. Aristoteles oppone tem, ἂν ἐρωτῶντα: respondentem, ἂν ἀποκρινόμενον ferè uocat. Quanquam oppo- nens ἢ ὁ πυνθανόμενος: respondens & ὁ θέμενος, ὁ φησάμενος, ἢ ὁ ἐρωτώ- μενος eidem dicitur. Verum de his satis. Nos interim rei clariùs & distinctiùs ob oculos proponendæ causa, superiores phrases in textu commutauimus, sed tum, cùm sententia in primis id postulare uideretur.

Opponentem & respondentem vt Aristoteles vocet.

c Est autem eius.) Opponentis, τοῦ ἐρωτῶντος, officium est. Græcè hæc sic dicuntur, ἔστι δὲ τοῦ μὲν ἐρωτῶντος δ' οὕτως μεταγαγεῖν ἂν λόγον, ὥστε ποιῆσαι τὸν ἀποκρινόμενον τὰ ἀδοξότατα λέγειν πρὸς διὰ τῶν θέσιν ἀναγκαίων.

Opponentis officiũ

d Eius verò qui.) Respondentis, τοῦ ἀποκρινομένου, officium superiori contrariũ. Vt Opponens cum primis in theseos oppugnatione à sententia aduersarium deijcere conatur, aut eum, si minus id succedit, in thesi defendenda ad falsa inopinataq; concedenda impellere: Ita Respondens si in sententiæ suæ et thesis defensione, à nefandorum confessio ne omnino sibi temperare non potest, id summa ope adnititur, ne tam culpa sua (quòd ad rogata uidelicet imperitiùs responderit) nefanda illa sequi uideantur, quàm ex eo, q minus accuratè consideratéq; sic thesin disputandam proposuerit. Etsi enim utrumq; pariter uitiosum est, neutrumq; sine dedecore effari sanè potest, alterum tamen ut leuius tolerabiliusq; sibi eligendum & anteferendum censet. Græcè Aristotelis uerba sic habent, τοῦ δ' ἀποκρινομένου, ὅ μὴ δι' αὑτὸν φαίνεσθαι συμβαίνῃ ἢ ἀδύνατον ἢ πρόδο ξον, ἀλλὰ διὰ τῶν θέσιν.

Respõdentis officiũ superiori cõtrariũ.

e Sed ex ipsa tantum re.) Hoc est, thesi, quæ in medium disputanda, paulo inconsideratiùs est proposita, ut iam dixi. Conuenit cum hoc loco, quod initio lib. 1. Topicorum in propositione dixit, ἢ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες μικθὲν ἐξ ὧν ἦμεν ὑπεναντίον.

f Aliud enim fortasse.) Duo hîc Respondentis uitia seu peccata nota. Alterum in inconsideratiore quæstionis collocatione positum est: alterum in minus diligenti eiusdem defensione & tuitione. ἕτερα γὰρ ἴσως ἁμαρτία, inquit, τὸ θέσθαι πρῶτον ὃ μὴ δεῖ, ἢ μὴ θέμενον μὴ φυλάξαι κατὰ τρόπον.

Respõdentis duo vitia.

g Non sunt autem.) Ostendit necessariam præsentis tractationis explicationem, eo quòd Veterum nemo de ea quicquam expositum reliquerit: Maximè quod ad id genus disputationis et congressus, quod in præsens inquirimus, (id quod γυμνασίας ἢ πείρας ἕνεκα instituitur) pertineat. Nam ut in διδασκαλικῷ fortè ἢ τῷ ἀγωνιστικῷ differendi genere aliquid traditum sit, de eo certè quod exercitationis & periculi faciendi causa

Præsens hęc tractatio necessaria cur.

causa institutum est, nihil quod literis mandatum sit, reperitur.

Tria τῶν διατριβῶν genera q̃.

h **Neque enim idem.**) Superiora clarius dicendi causa, tria quasi congressuum καὶ τῶν διατριβῶν genera subijcit. Primum τὸ διδασκαλίας καὶ τὸ μαθήσεως gratia suscipitur: alterum τὸ ἀγῶνος: tertium τὸ πείρας καὶ τὸ μετ' ἄλλήλων σκέψεως, ut hoc loco dicit. De hisce tribus generibus uide cap. 1. lib. de Reprehens. Sophistarum.

διδασκαλικόν. ἀγωνιστικόν.

i **Nam & discipulis.**) Hîc prædictorum generum dissimilitudinem aperit. In διδασκαλικῷ, quia doctor fallere discipulum minimè sustinet, discipulus de eo certus, quin ea quæ uidentur statim approbet, nihil tergiuersatur. In ἀγωνιστικῷ, quia uictoriæ uterq; differentium æquè studet, quæ quisq; ex re sua cum primis fore iudicat, ea qua potest diligentia & studio persequitur. Quod ad πειραστικὸν attinet, de eo quid statuendum sit, in sequentibus patebit.

Discipuli quæ uidentur doctori ponit.

Τῷ μὲν γὰρ μανθάνοντι, inquit hoc loco Aristoteles, θετέον ἀεὶ τὰ δοκοῦντα, τῷ γὰρ οὐδὲ ἐπιχειρεῖ ψεῦδος, οὐδ' εἰς διδασκ. Conuenit cum isto loco & illud, quod initio lib. de Reprehensionibus Sophistarum in eandem sententiam ait, δεῖ γὰρ πιστεύειν μανθάνοντα.

Sophistæ καὶ φιλέριδες quid distent.

k **Et eorum qui cert.**) τοὺς ἀγωνιζομένους uocat. Ii sunt, qui lib. de Reprehensionibus Sophistarum cap. 7. ἐριστικοὶ ἄνθρωποι καὶ φιλέριδες dicuntur, qui idem cum Sophistis sunt, nisi quòd inter se hi fine paululum discrepant: Sophistæ enim, quatenus gloriam, & sapientiæ falsæ iactationem propositam habent, sic appellantur: ἐριστικοὶ uerò & contentionis amatores, quatenus omnia ad uictoriam referunt, ut eodem loco his uerbis Aristoteles declarat: οἱ μὲν οὖν τὸ νίκης αὐτῆς χάριν, τοιοῦτοι ἐριστικοὶ ἄνθρωποι καὶ φιλέριδες δοκοῦσιν εἶναι, οἱ δὲ δόξης χάριν τὸ εἰς χρηματισμόν, σοφιστικοί. Et paulo infrà, τῶν λόγων τῶν αὐτῶν μέν εἰσιν οἱ φιλέριδες καὶ σοφισταί, ἀλλ' οὐ τῶν αὐτῶν ἕνεκεν. Et cæt. quæ sequuntur.

l **Aliquid facere videri vult.**) Nimirum ut superior in certamine uideatur. Omnia enim ad opinionem uictoriæ refert, uti modò prædictum est.

πειραστικὸν καὶ διαλεκτικὸν disceptationis genus

m **Quoniam autem in con.**) Superioribus generibus derelictis, ad id quod præsenti disputatione propositum est, τὸ διαλεκτικὸν καὶ τὸ πειραστικὸν, (quemadmodum antè instituit) sermonem refert. Dialecticum uerò καὶ τὸ πειραστικὸν, hoc ipsum disceptationis genus rectè nominari, propterea uidetur, quia in Dialecticorum congressibus, tantummodò periculi faciendi & cognitionis gratia frequentatur, sicut ipsemet his uerbis declarat, ἐν δὲ ταῖς διαλεκτικαῖς συνόδοις, inquit, τοῖς μὲν ἀγῶνος χάριν, ἀλλὰ πείρας καὶ σκέψεως τοὺς λόγους ποιουμένοις, & cæt.

Theseων triplex genus.

n **Qui igitur respondendi.**) Hactenus præfatus, nunc rem orditur, idq; præmittens tripartitã τῶν θέσεων, hoc est, propositorũ, quæ in disputando sumuntur, distinctionem, ut quem ad modum in quoq; thesεως genere officium suum conuenienter Respondens exerceat, postmodum seperatim demonstret. Sunt autem theses aliæ probabiles, ἃι ἔν δοξοι

ἔνδοξοι, aliæ improbabiles, αἱ ἄδοξοι, aliæ neutrius generis, hoc est, quæ neutra parte uel probabiles, uel improbabiles sunt, (ut, si quæras, astráne paria sint, aut imparia, aut aliud quippiam eiusdem generis) quas Græcè τὰς μηδετέρας θέσεις Aristoteles uocat. Quòd si mireris, sit'ne improbabilium καὶ τῶν ἀδόξων θέσεων in disserendo usus aliquis, sciendum est, id genus infamium & inopinabilium materiarum, (quo modo τὰς ἀδόξους καὶ τὰς ἀτόπους ὑποθέσεις Latinè A. Gellius conuertit) non rarum interdum usum esse, quando uel ingenij exercendi causa, uel eruditionis ostentandæ, uel quòd malis moribus assueti nonnulli, deprauata quadam ratione eiuscemodi quæstiones libenter suscipiunt et tractant. Certè Phauorinus iste Gellianus Philosophus mirũ in modum isto quæstionum genere delectatus fuisse perhibetur. Sic enim de eo scribit Gellius lib. 17. cap. 12. Et noster Phauorinus oppidoq̃ libens in eas materias dicebat, uel ingenio expergificando ratus idoneas, uel exercendis argutijs, uel edomandis usu difficultatibus, sicut cùm Thersitæ laudes quæsiuit, & quum febrim quartis diebus recurrentem laudauit. Et cæt. Hæc ille. Græcè hic locus effertur: ἀνάγκη δὴ τὸν ἀποκρινόμενον ὑπέχειν λόγον, θέμενον ἤτοι ἔνδοξον, ἢ ἄδοξον θέσιν, ἢ μηδέτερον. In quo nota non illepidas Aristotelis phrases, καὶ ὑπέχειν δὲν λόγον, (quod antè φυλάττειν τὴν θέσιν dixit) καὶ θέσιν τὴν θέσιν, quod ponere quæstionem Latinè dicimus.

τῶν ἀδόξων θέσεων usus.

Phauorinus Gellianus philosophus.

o Vt aut probetur.) Hæc & probabilium & improbabilium, τῶν ἐνδόξων καὶ τῶν ἀδόξων θέσεων distinctio est. Siquidem aut omnino, ἁπλῶς, aut ὡρισμένως, hoc est, huic illiue, δῖον τῷδε δέτινι, inquit Aristoteles, ἢ αὐτῷ ἢ ἄλλῳ, tales uidentur. Quanquã utrouis modo istiusmodi sint, quod ad hanc præceptionem περὶ τοῦ καλῶς ἀποκρίνεσθαι attinet, nihil interest, ut deinceps Aristoteles subiungit.

ἄδοξοι καὶ ἔνδοξοι theses duplices.

p Quandoquidem idem ge.) ὁ γὰρ αὐτὸς, inquit, τρόπος ἔσται τοῦ καλῶς ἀποκρίνεσθαι, καὶ δοῦναι ἢ μὴ διδόναι τὸν ἐρωτηθέν.

q Ac non probabile.) Ostendit in prædicto dissertationis genere dissimilem thesibus aduersarij esse conclusionem: quia si thesis ἄδοξος sit, conclusio ἔνδοξος erit: si thesis ἔνδοξος, conclusio ἄδοξος. Nimirum cùm aduersarius thesi contrarium semper concludat. δὲ γὰρ ἀντικείμενον, inquit, ἀεὶ τῇ θέσει ὁ ἐρωτῶν συμπεραίνετο.

Aduersarij conclusio thesi repugnat

r Quòd si id de quo agitur.) Nota diuersa eiusdem rei uerba. Quod modò thesin dixit, hic δὲ κείμενον, paulo pòst τὸν προβληθὲν, καὶ τὸν προκείμενον eadem notione appellat. Suntq; hæc quæstionis à respondente propositæ nomina. Quam in aduersam partem affert is qui disserit, conclusio, ea τὸν συμπέρασμα uno nomine hîc nuncupatur.

Thesis diuersa nomina.

s Quoniam autem is.) Iam speciatim singula prædictarum quæstionum genera excutit, docens quo pacto in ijs responsum moderari, ne facilè illaqueetur, Respondens debeat. Ac si omnino ἄδοξος proposita sit thesis, uult etiam atq; etiam cauẽdum, ne quid aduersario nisi ipsa cõclusione notius, temerè largiaris, unde quæstionis à te positæ repugnans

Si thesis planè ἄδοξος.

gnans effici possit. Quod ad istam bene ratiocinandi & concludendi, de qua loquitur, ex perspicuis & manifestis rationem attinet, perfrequenter ea in superioribus, maxime uero in Analytico opere explicata est. ἐπεὶ δ' ὁ καλῶς συλλογιζόμενος, inquit præsenti loco, ἐξ ἐνδοξοτέρων καὶ γνωριμωτέρων διὰ προβλημάτων ἀποδείκνυσι, & cæt.

Propositionum variæ appellationes.

t Vt ea quæ sumuntur.) Ea quæ sumuntur, Græcè τὰ λαμβανόμενα dicit, qua uoce τὰς προτάσεις, hoc est, propositiones significat, quæ nunc τὰ προτεινόμενα, nunc τὰ ἐρωτώμενα, ἢ τὰ ἐρωτηθέντα, τὰ ἐρωτήματα, καὶ τὰ ἠρωτημένα, nunc τὰ λήμματα, ἢ τὰ εἰλημμένα eodem sensu dicuntur. Cicero 1. de Inuentione, ea quæ sumuntur, pari modo ut Interpres hic noster ait, dum sic inquit: Ex ijs quæ sumuntur, aliquid non conceditur, Et: Cùm igitur ex ijs, quæ sumuntur, aliquid non conceditur, sic infirmabitur, & cæt. Idem τὰ εἰλημμένα, ea quæ sumpta sunt, ibidem conuertit, ut, Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex ijs quæ sumpta sunt, non conceditur aliquod unum pluráue. Victorinus hæc Sumpta simpliciter uocat, ibidem de sumptis sic scribēs: Sumpta sunt, quæcunq; nobis ad fidem sumimus. Ad fidem autem sumimus argumentum. Ergo argumenta sumpta sunt. Et quoniam argumentum non nisi ex confesso fit, rectè ea quæ ex confessis argumenta sumimus, sumpta dicuntur. Hæc ille. Verba Aristotelis præsenti loco sic habent: ὥστε δεῖ τὰ λαμβανόμενα ἔνδοξα πάντ' εἶναι, καὶ μᾶλλον ἔνδοξα τῷ προκειμένῳ, εἰ μέλλει διὰ τῶν γνωρίμωτέρων ἢ πρότερον ἔνδοξον περαίνεσθαι. In quam sententiam uide Aristotelem cùm alibi, tum lib. 1. de Demonstrat. cap. 2.

τὰ λαμβανόμενα, καὶ τὰ εἰλημμένα, vt reddantur.

Sumpta quæ.

u Ita si non sit ex.) Cōcludit de primo genere τοῦ ἐνδόξου θέσεως. Hic sumptiones, τὰ ἐρωτώμενα appellat, cùm inquit, ὥστε εἰ μήτε τοιοῦτόν ἐστι τὸ ἐρωτωμένον, οὐ θέτεον ἔσται ἀποκρινομένῳ. Sequenti capite & τὰ ἐρωτηθέντα, τὰ ἐρωτήματα, & τὰ ἠρωτημένα dicuntur.

τὰ ἐρωτώμενα καὶ ἠρωτημένα, & cæt.

x Sin autem probabile.) Quòd si omnino ἔνδοξον quæstio sit, uult omnic concedi, non modò per se probata, sed & quæ ipsa per se minus probantur, modò credibiliora sint ipsa conclusione. θετέον οὖν, inquit, τάδε δοκοῦντα πάντα, καὶ τῶν μὴ δοκούντων ὅσα μὴ πόρρωσι ἄδοξα τῷ συμπεράσματι. ἱκανῶς δ' ἂν δόξειε δειχθῆναι.

Si thesis planè ἔνδοξος.

y Quod idem faciendum.) Loquitur de thesi τῇ μηδετέρᾳ, quam hic prædictorum generū τῶν ἐνδόξου καὶ τοῦ ἀδόξου negatiōe describit. In qua pari modo, ut de ἀδόξῳ iam genere dictum est, admittendas esse propositiones ait, quòd & sic probatum iri disputationem nulla dubitatio sit. οὕτω γὰρ ἂν ἐνδοξοτέρως, inquit, συμβαίνειται τοὺς λόγους γίνεσθαι.

Thesis μηδετέρα.

z Ac si id de quo.) Transit ad alterum genus τῶν ἐνδόξων καὶ τῶν ἀδόξων διστῶν, id quod οὐχ ἁπλῶς, non omnino, ἀλλ' ὡρισμένως, sed quadam ex parte, nimirum quatenus uel respondenti, uel alijs ita uidetur, tale existit. In hoc genere, si quidem respōdenti thesis proposita, aut uerisimilis, aut non uerisimilis uideatur, omnis ad eius quire-

Thesis ὡρισμένως ἔνδοξος ἢ ἄδοξος.

spondet

spondet, iudicium oratio accommodanda est, ut uel concedas uel neges, non quæ simpliciter talia sint, sed quæ ei solum aut probentur aut improbentur: Similiter si non ipsius respondentis, sed aliorum iudicio talis, aut talis quæstio appareat, iam ex quorum sentẽtia disputatio suscipitur, ad eorundem opinionem, uel danda uel neganda sunt ea, quæ ab aduersario proponuntur. Non ergo hîc, ut in superiore genere, πρὸς τὰ δοκοῦντα ἁπλῶς τῷ συγκρισιν ποιητέον, ἀλλὰ πρὸς ἄνδρ' ἢ δοκοῦν ἢ μὴ δοκοῦν κρίνοντα θετέον ἢ οὐ θετέον, quemadmodum Græcè ait.

Thesis a aliorũ iudicium disputanda.

a Quòd si alterius.) De altero genere τὸν ὡρισμένως docet, quo respondens ad alterius iudicium disputandam quæstionem, seu probabilem, seu improbabilem proponit. Hîc responsio ad alterius sententiam, ut prædiximus, omnis referẽda est. ἂν δὲ ἑτέρῳ δόξαν διαφυλάττῃ, inquit, ὁ ἀποκρινόμενος, δῆλον ὅτι πρὸς τὴν ἐκείνου διάνοιαν ἀποβλέποντα, θετέον ἕκαστα καὶ ἀνελετέον. Hîc phrasin nota, διαφυλάττειν τὴν δόξαν ἢ θέσιν, pro quo superiùs φυλάττειν dicebat.

διαφυλάττειν τὴν δόξαν ἢ θέσιν.

b Itaq; qui alienas.) Exemplo declarat. De Heraclitæa sententia uide lib. 3. Metaphysicorum, cap. 3. Ad hunc modum & nos sæpe in Scholis religioni dissidentes & repugnantes sententias defendimus, ut, mundum esse æternum, ex nihilo quicquam oriri, nullũ tempus extare initium, & id genus quàm plurima alia, non quòd ita rem habere sentiamus, diuersum à Scriptura edocti, sed uel exercitationis & ingenij ostentandi causa, uel ut Philosophorum placita & decreta, ipsorum sententijs & rationibus uel confirmemus, uel infirmemus. Qua tamen in re, ut modus à nobis seruetur, ne dum animi causa liberiùs in istiusmodi materias euagamur, alienas & pugnantes cum Religione sententias induamus, etiam atq; etiam uidendum erit.

Religioni pugnãtes theses vt in schollis defendamus.

c Non quòd non probetur hoc eis.) Non quòd sic sentiant, contraria nimirum in eodem simul inesse, id quod Dialectici negant, de quo uide lib. Categor. cap. 7.

d Hoc igitur perspicuum.) Concludit, quæ de distinctione quæstionum, & accõmodandis ad eas responsionibus disseruit, ostendens nunc porrò, quónam modo ratio instituenda sit, si quæ ad rem disceptandam adhibentur pronunciata, similiter discrepent, neq; omnia pari ratione ad concludendum ualere intelligantur. Id quod quæritur, Interpres τὸ πρόβλημα, hoc est, quæstionem dicit: omne rogatum, propositiones significat. Hoc τὸ ἐρωτώμενον, illud τὸ κείμενον in præsens Aristoteli dicitur.

Transit à thesibus ad pronũciata.

τὸ ἐρωτώμενον.

τὸ κείμενον.

e Et uel ad conclusionem.) Græcè ἢ πρὸς τὸν λόγον, ἢ μὴ πρὸς τὸν λόγον εἶναι dicit.

f Si probetur, neq; ad.) Quòd si à proposito abhorrẽt, siue probabilia sint, quæ interrogantur, siue improbabilia, uult utraq; iuxtà concedi, quia sine periculo idipsum fiat. Quanquam cùm improbabilia adhibentur, stuporis & ignorantiæ remouendæ causa, illa ipsa à nobis minimè approbari significationem dabimus. Id quod hoc modo præcipit

Propositiones à thesi abhorrẽtes vt concedendæ.

Aristoteles, ἐάν τε μὴ δοκοῦν καὶ μὴ πρὸς ἂν λόγον, δοτέον μὲν, ἐπισημαντέον δὲ ἂν μὴ δοκοῦν πρὸς εὐλάβειαν εὐηθείας. Cuius ergo rei causa, inquias, ista dabimus? τοῦ λόγου χάριν, ait Alexander, καὶ τοῦ μαθεῖν, πῶς ἐξ αὐτοῦ τὸ προκείμενον δείκνυται. Hoc est, disputationis causa, & ut cognoscamus, quem ad modum ex talibus istis propositum demonstrari poßit.

ἄδοξα disputatiōis gratia dari.

g Si verò & probabile.) Si quæ rogantur ad propositum faciant, uult si probabilia quidem sint, dici, ea ita uideri, sed nimis proposito finitima esse, ut per ea ipsa quod in quæstionem uenit, quodammodò interrogari uideatur. Sic enim Alexander, ὁμολογεῖν μὲν, inquit, τὸ ἐρωτώμενον ἔνδοξον εἶναι, λέγειν δὲ λίαν αὐτὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ προκειμένου, καὶ τρόπον τινὰ διὰ τοῦ ἐρωτωμένου τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνεσθαι. Sin autem improbabilia, colligi quidem per ea posse, id quod in controuersiam uocatur, sed nimis absurdum & stultum esse ea ponere, quòd fatua planè talis interrogatio sit, & quam nemo mentis compos facilè concedat. Sic nanq; Alexander, ἔνηθες μέντοι τὸ ἐρώτημα, καὶ ὑπὸ μηδενὸς νοῦν ἔχοντος τεθέν.

Si propositiōes ad rē spectēt, seu probabiles, seu improbabiles.

h Si ad conclusionem.) Græcè est, εἰ δὲ πρὸς τὸν λόγον λίαν ἄδοξον τὸ ἀξίωμα, συμβαίνειν μὲν φατέον τούτου τεθέντος, ἀλλὰ λίαν ἔνηθες εἶναι τὸ προτεινόμενον. Nota hîc ἀξιώματος nomen generatim sumi ut suprà.

ἀξίωμα ꝓ propositione.

i Cùm autem nec.) Loquitur de medij generis sumptionibus, quas τὰς μηδετέρας docendi causa superiùs appellauit. Has, si ab instituto abhorreant, simpliciter concedi uult: sin idipsum attingant & quasi inferant, uult reijci, tanquā ijs conceßis id quod in quæstionem adductum est, euertatur, idq; propter principij, τοῦ ἐν ἀρχῇ, ut credo, postulationem, quam superiore modo admitti respondens causari uidetur.

μηδέτεραι sumptiones vt cōcedendæ.

k Sic enim & nihil.) Commendat antegressam præceptionem ab usu, quem utriq; τῶν διαλεγομένων affert. οὕτω γὰρ ὅτε ἀποκρινόμενος (inquit Aristoteles) οὐδὲν δόξει δι' ἂν ἂν πάσχειν, ἐάνπερ προορῶν ἕκαστα τιθῇ, ὅτε ἐρωτῶν τεύξεται συλλογισμοῦ, τιθεμένων αὐτῷ πάντων τῶν ἐνδοξοτέρων τοῦ συμπεράσματος.

Antegressæ præceptionis vsus.

l Qui autem instituit.) Transit ab ἀδοξοτέρων disputatione, ad ea quæ obscurè dubieq; in disserendo proponuntur, iubens, ut quemadmodum non temerè τὰ ἀδοξότερα ratiocinantibus aduersarijs dari solent, ita quoties dubia obscuraq; ab ijsdem afferuntur, diligenter caueamus, ne aliquo modo incognitis rebus leuiùs astipulando, in fraudem inducamur.

Trāsit ad obscura & dubia.

m Eodem modo eis.) ὁμοίως δὲ, inquit, καὶ ἐπὶ τῶν ἀσαφῶς καὶ πλεοναχῶς λεγομένων ἀπαντητέον.

n Nam quoniam &.) Vult planiùs apertiusq; & dubia & obscura à disserente explanari, atq; ut faciliùs idipsum respondens obtineat, iubet ignorantiam eum suam profiteri, ut dicat, non intelligo. Nota non inscitam suo loco, adeoq; licitam in disserendo

Propriæ ignorātię confessio nō inscita

ignorantiæ

ignorantiæ professionem. Græcè hic locus ab Aristotele effertur: ἐπεὶ γὰρ δέδοται ὧν ἀποκρινομένῳ μὴ μανθάνειν τι ἐπεῖν, ὅτι οὐ μανθάνω, ἢ καὶ πλεοναχῶς λεγομένων μὴ δῆλον ὡς ἀναγκαῖον ὁμολογῆσαι ἢ ἀρνήσασθαι, δῆλον ὡς πρῶτον μὲν ἀπλῶς ἢ διορίσαντα, ὅπως ἀποκριτέον δ' ἐστὶ καὶ μὴ συνιέναι. ὁ μανθάνω

o Non necessariò id aut con.) Nimirum quòd talia antè ferè distinguenda et explicanda sunt, de quo pòst sequitur. Alexander, ἀλλ' οὐ δ' ἀναγκαῖον ἔχει (inquit hoc loco) πολλαχῶς τινὸς λεγομένου ἢ ἁπλῶς ὁμολογῆσαι, ἢ ἁπλῶς ἀρνήσασθαι, ἀλλὰ μὴ διελέσθαι καὶ διαλῦσαι τὴν ἐρωτωμένην δόξαν ἐχθρὰν. Pertinet huc, quod in Elenchis Aristoteles ait, δέδοται γὰρ ἐν τοῖς λόγοις δι' ἐλέγχειν. Item, ὥστε ἐπεὶ δέδοται διαιρεῖν οὐκ ὀκνητέον, καθάπερ ἐλέχθη πρότερον. Obscura & dubia distinguere licitum

P Sæpe enim ex eo, quòd.) Ratio ab incommodo ducta. πολλάκις γὰρ ἐκ τοῦ μὴ σαφῶς, inquit, ἐρωτηθέντος δι' ὃ ἄν, ἅπαντῶν τι δυσχερές. Alexander quid istud absurdi, seu incommodi & difficultatis sit, exponit his uerbis: συμβαίνει γὰρ πολλάκις πρὸς δ' συγχωρεῖν τι ὃ μὴ ἀσαφὲς ἐλέγχεσθαι. Id est, quia contingit sæpe propter obscuri concessionem reprehendi & decipi. Incõmodi explicatio

q Cùm autem cognit.) Quomodo perspecta, & ipsa se prodente ambiguitate, ἀπόκρισις instituenda sit, docet. Si quidem ab omni parte id quod dicitur, aut uerũ sit, aut falsum, uult simpliciter aut concedi, aut negari, perinde ac si ambiguum non esset. Sin ex parte quadam & uerum sit & falsum, uult adhibita distinctione, quid ueri falsíq; ἀμφίβολον complectatur, explicari. ἐὰν δὲ γνώριμον μὴ ἢ δ' πλεοναχῶς λεγόμενον, ἐὰν μὲν ἐπὶ πάντων ἀληθὲς ἢ ψεῦδος ἢ δ' λεγόμενον, δοτέον ἁπλῶς δ' λεγόμενον ἢ ἀρνητέον· ἐὰν δὲ ἐπί τι μὲν ψεῦδος ἢ, ἐπί τε δὲ ἀληθὲς, ἐπισημαντέον ὅτι πλεοναχῶς λέγεται, καὶ διότι δ μὲν ψεῦδος, τὸ δὲ ἀληθές. Aperte ambigua vt danda aut non danda.

r Id omnino concedi neg.) Quasi simplex nimirum planáq; interrogatio proposita fuisset. Vide autem an hæc ex aliorum sententia asserat. Nam lib. de Reprehensionibus Sophistar. cap. 12. (ubi ad ambiguam orationem nunquam, ne si uerè quidem liceat, simpliciter respondẽdũ præcipit) sic alios sentire significat, Idq; his uerbis: φανερὸν ὅτι οὐδὲν πρόσκειται τῷ ὁμωνύμων ἀποκρίνεσθαι ἁπλῶς, οὐδ' εἰ καλὰ πάντων ἀληθῆ, ὥσπερ ἀξιοῦσί τινες. Ac quamobrem aliorum pleriq; ita sentiant, id ipse paulo suprà eodem loco explicat hoc pacto: συμβαίνει μέντοι πολλάκις ὁρῶντας τὸ ἀμφίβολον, ὀκνεῖν διαιρεῖσθαι διὰ τὸ τὴν συνήθειαν τῶν τοιούτων προτεινόντων, ὅπως μὴ πρὸς ἅπαν δοκῶσι δυσκολαίνειν. Ad multiplicẽ orationẽ nũquã simpliciter respondendum.

s Nam si id posteriùs.) Vult initio multiplicis uerbi notionem euoluendam esse, ne si postea idipsum tentes, minus antè perspexisse uideare. Qua in re doctrinæ tuæ existimationi nonnihil detraxeris. Græcè est, ὕστερον δὲ διαιρεθέν, ἅπλουν ἐστὶ καὶ ἔχει συνεώρα τὸ ἀμφίβολον. Multiplex verbũ initio explicãdũ

t **Quòd si ambiguum.**) *Quòd si minus attentus ambiguum aduersario dederis, iã re aduersum te confecta, uult in alia significatione, quàm aduersarius acceperit, id à te concessum præ te feras. Sic Cicero lib. 1. de Inuentione: Ambiguum si concesseris, inquit, ex ea parte quam ipse intellexeris, eam partem si aduersarius ad aliam partem per complexionem uelit accommodare, demonstrare oportebit, non ex eo quod ipse concesseris, sed ex eo quod ille sumpserit, confici complexionem.* ἐὰν δὲ μὴ προΐδῃ, inquit, δ' ἀμφίβολον, ἀλλ' εἰς ἕτερον βλέψας θῇ, ῥητέον πρὸς δὲν ἐπὶ θάτερον ἄγοντα, ὅτι οὐκ εἰς τοῦτο βλέπων ἔθηκεν, ἀλλ' εἰς θάτερον αὐτῶν.

Ambiguũ re confecta vt explicandũ.

u **Cùm enim plura.**) *Græce est,* πλειόνων γὰρ ὄντων τῶν ὑπὸ ταυτὸ ὄνομα ἢ λόγον, ῥᾳδία ἡ ἀμφισβήτησις. *Nota coniunctim eum hîc de homonymia & amphibologia loqui, quarum illa simplicium uerborum, hæc orationis propria est, ut lib. de Reprehensionibus Sophistar. tradit cap. 2. Paulò antè tamen memineris nomen* τοῦ ἀμφιβόλου *generatim pro omni eo, quod multis modis dicitur, usurpatum esse. Sic Alexander* δ' ἀμφίβολον, τὸ πολλαχῶς λεγόμενον *exponit,* καὶ τὸ διττὸν τοῦ λεγομένου, *quod eódem tendit*

Nomẽ τοῦ ἀμφιβόλου duplex.

x **Si rogatum & planum.**) *Cùm hactenus de ambiguis præceperit, hîc de simplici apertaq; rogatione quid sentiendum sit, paucis indicat. Nempe prout rerum natura & conditio postularit, in hanc illámue partem ad illam respondendum est. Quod Interpres, aut etiam, aut non, reddit, Græcè est,* ἢ ναὶ, ἢ οὔ. *Dicit enim Aristoteles hoc loco,* ἐὰν δὲ καὶ σαφὲς ᾖ καὶ ἁπλοῦν τὸ ἐρωτώμενον, ἢ ναὶ ἢ οὔ ἀποκριτέον. *Cicero consimili modo illam Græcorum phrasin conuertit 4. Academicar. Vbicunq; hæc aut occurrat, inquit, aut deficiat, aut etiam, aut non, respondere poßit.*

ἢ ναὶ, ἢ οὔ, aut etiam aut non.

y **Quoniamq; omnis propo.**) *Docturus nunc inde, quemadmodum Inductionibus, ne proteruiæ & difficultatis ullius in disserendo accersaris, occurrendum sit, præmittit hoc loco* τῶν προτάσεων, *hoc est, propositionum, distinctionem quandam, ex qua cuiusmodi propositiones Inductione tandem confirmandæ sint, nobis innotescat. Est autẽ distinctio illa,* τῶν προτάσεων, *hoc est, propositionum, alias esse* συλλογιστικὰς, *ex quibus necessariò Syllogismus efficitur: quas paulo suprà* τὰς πρὸς δὲν λόγον, *primo capite huius libri,* τὰς ἀναγκαίας *eodem sensu dixit: alias uerò non ipsas syllogisticas, sed* τῶν συλλογιστικῶν ἕνεκα ἐρωτωμένας, *hoc est, gratia syllogisticarum propositas & interrogatas: quod genus propositionum, paulo antè* τὰς μὴ πρὸς δὲν λόγον, *primo capite huius libri,* τὰς πρὰ τὰς ἀναγκαίας λαμβανομένας *appellauit. Quanquam & ipse posteriores hasce in præsens* τὰς συλλογιστικὰς *appellat. Verùm nos distinguendi gratia, superiores illas tantum hoc nomine cum Alexandro donemus.*

Distinctio propositionum in syllogisticas & non syllogisticas.

z **Aut aliqua est earum.**) *Hæ principales sunt, & necessariæ,* καὶ αἱ συντελοῦσαι εἰς δὲν προκείμενον συλλογισμόν, *ut eas Alexander uocat.*

Syllogisticæ.

a Aut

a Aut ad aliquam earum.) Hæ assumptæ sunt, non necessariæ, quæ partim per Inductionem, partim per Exemplum & collationem, partim etiam per προσυλλογισμὸν tractantur. Vnde et ἐπακτικαὶ, ἢ παραδείγματικαὶ, ἢ προσυλλογισικαὶ, seu διὰ προσυλλογισμοῦ καταχευαζόμεναι, cum Alexandro nominari possunt. Non syllogisticæ.

b Perspicuum est autem.) Loquitur de non Syllogisticis, quas Inductione ferè & similitudine, (hoc est, exemplo & collatione) cùm plura similia proponuntur, explicari ostendit.

c Singula omnia conced.) Vult singularibus omnibus, quæ uero consentanea ab aduersario proponuntur, conceßis, uniuersi generis conclusioni (quoniam non perfectè adhuc demonstrata sit) ὡσατικῶς obuiandum esse. Idq; diβimilibus exemplis in medium propositis. Nam nisi hoc modo, diuersis exemplis κατ' ἔνσασιν allatis, conclusioni resistas, futurum id, ut proteruiæ & insolentiæ (quam τὴν δυσκολίαν paulo infrà nominat) suspicionem & notam effugere non possis. τὰ μὲν καθέκασα πάντα, inquit, θετέον, ἂν ᾖ ἀληθῆ καὶ ἔνδοξα, πρὸς δὲ τὸ καθόλου παρατέον ἔνσασιν φέρειν. Vniuersi generis conclusioni vt resistendum. δυσκολία

d Impedire enim cursum.) Negando & repudiando conclusionem, quæ ex antè positis infertur & colligitur. Græcè est, τὸ γὰρ ἄνευ ὡσάσεως ἢ δύσις ἢ δοκόσις κωλύειν λόγον, δυσκολαίνειν ἐσίν. Hoc loco attende, λόγον ἀντὶ τοῦ συμπεράσματος, id est, pro conclusione poni. Quod enim hic κωλύειν λόγον ait, id sequenti capite κωλύειν καὶ ἐμποδίζειν τὸ συμπέρασμα, καὶ λόγον κωλύειν συμπεραίνεσθαι eodem sensu dicit. λόγος ἀντὶ τοῦ συμπεράσματος.

e Ita si multa.) In hanc sententiam uide & suprà lib. 2. cap. 2.

f Iam verò si non.) Quòd si ὡσάσει, in contrariorum exemplorum productione, ubiq; non sit locus, uult in contrariam partem minimùm argumenta proponi, quibus aduersarius ne contra nos conclusionem inducat, aliquo modo impediatur. Id est, quod Cicero in Reprehensionis locis, lib. 1. de Inuentione, ubi aliter refutari argumentatio non potest, contra firmam argumentationem, aliam aut æquè firmam, aut firmiorem opponendam esse præcipit. Id quod ἀντεπιχείρειν hîc Aristoteles dicit. Siquidem, ἔτι δὲ εἰ μὴ ἀντεπιχείρειν (inquit) ἔχει ὅτι οὐκ ἀληθὲς, μᾶλλον ἂν δόξειε δυσκολαίνειν. In contrariam partem argumentari ἀντεπιχειρεῖν.

g Quanquam ne hoc quidem.) Id est, quod M. Victorinus in lib. 1. de Inuentione Ciceronis, id reprehensionis genus, cùm alij argumentationi alia opponitur, pertenue esse ait, taleq; quod non nisi defectis omnibus extrema necessitate adhibendum esse uideatur. Reprehensio tenuis quæ.

h Cuius generis est Zenonis.) De hac Zenonis ratione uide Aristotelem lib. 6. de Motu, cap. 8.

i Ergo si quis nec.) Concludit de duabus occurrendi uijs, quarum altera τῇ ὡσάσει, altera τῇ ἀντεπιχειρήσει constat, docens si neutra illarum in differendo respondenti suppetat, Occurrendi via duplex.

suppetat, non posse sine magna τῆς δυσκολίας, hoc est, proteruiæ & insolentiæ, ut antè diximus, significatione & reprehensione, aduersarij sententiæ obsisti & reclamari. εἰ οὖν μήτε ἀντεπιχειρεῖν ἔχων, μήτε ἐνίστασθαι οὐ τίθησι, δῆλον ὅτι δυσκολαίνει.

δυσκολία quid.

k **Est enim in disputat.**) *Definitionem hoc loco τῆς δυσκολίας affert, de qua sæpe in antegressis meminimus.* ἔστι γὰρ ἡ ἐν λόγοις δυσκολία, ἀπόκρισις πρὰ τοὺς εἰρημένους τρόπους συλλογισμοῦ φθαρτικὴ.

Antè quid in aduersam partē dici queat, cōmeditandū.

l **Defendere autem & propo.**) *Ostendit, quo pacto contra aduersarij oppugnationem, sententiam nostram quàm facillimè in disserendo tueri possimus. Nempe id futurum est, si in hac re perdiligenter nos exercuerimus, ut priusquàm pugnam cum aduersario ineamus, bene iam consideratum, & quasi commeditatum animo habeamus, quid sit id, quod in aduersam partem proponi & obijci nobis queat. Etenim tali uia perfacilè uidebitur, quem ad modum contrarijs τῶν διαλεγομένων rationibus obuiam iri & resisti poterit.* ῥᾷον γὰρ τὰς ἀποκρίσεις ποιεῖται, *inquit Alexander,* προεπεσκεμμένος πρὶ τούτων πῶς ἀποκρίνεσθαι. *Græca Aristotelis uerba sic habent:* ὑπέχειν δὲ καὶ θέσιν καὶ ὁρισμὸν αὐτῷ δεῖ προεγχειρήσαντα, ἐξ ὧν γὰρ ἀναιροῦσιν οἱ πυνθανόμενοι δὲ κείμενον, δῆλον ὅτι τούτοις ἐναντιωτέον.

Aduersariæ rationes expendendæ.

m **Ijs ipsis resistere debe.**) *Id quod factu sanè procliue fuerit, si quæ in utranque partem dici posse uideantur, antè nobiscū in animis expenderimus. Huc pertinet, id quod initio lib. 2. Metaphysicor. Aristoteles ait,* ἔτι δὲ βέλτιον ἀνάγκη ἔχειν πρὸς τὸ κρῖναι, ἂν ὥσπερ ἀντιδίκων καὶ ἂν ἀμφισβητούντων λόγων ἀκηκοότα πάντων.

Modus in ἀδόξοις adhibendus.

n **Propositum aut non proba.**) *Cùm suprà de inopinabilibus thesibus disputandis mentionem fecerit, hoc loco admonet, modum in ijs ponendis faciendum esse, ne si cupidè & præter modum eas affectare uideamur, odium & offensionem eorū qui audiunt, nobis comparemus.* ἄδοξον δὲ ὑπόθεσιν εὐλαβητέον, *inquit,* ὑπέχειν.

Duo genera τῆς ἀδόξου θέσεως.

o **Multis autem modis.**) *Ostendit diuersis modis* τὰς ἀδόξους ὑποθέσεις *assumi posse, ex quarum pertinaci defensione, eorum qui audiunt maleuolentia comparetur. Alexander ad duo genera reuocat, cùm inquit,* ἄδοξος δὲ ὑπόθεσις ἐστὶ διχῶς. *Prius genus est, cùm ex eo quod sumpseris, absurda & inopinata dicere contigerit. Alterum, cùm idipsum et malorum morū efficiens est, & hominum bene institutorum uoluntatib. repugnat. Prioris generis exempla sunt, si quis uel omnia cum Heraclito, uel cum Parmenide nihil moueri asserat. Illis enim sententijs positis, infinita incommoda consequuntur, de quibus Physici agunt. Posterioris generis exempla sunt, si quis & uoluptatem bonū esse, & melius facere, quàm accipere iniuriam, defendat. Vt enim uoluptatis assertio, q̄ plurimùm bonis institutis, & præclaris hominum moribus obest: ita altera sententia, omnium sine dubio bonorum, & iustitiæ amantium calculis improbatur & repugnat.*

p **Et ea omnia.**) *Hæc ad alterum genus iuxta Alexandrum pertinēt. De uoluptate,*

quarum

quarum rerum efficiens sit, præter alios uide Ciceronem in Catone Maiore. Quid de iniurijs seu faciendis, seu sustinendis sapientes quiq; æstiment, uide Platonẽ in Gorgia, quo loco Socrates disputat, multo satius esse, non modò lege, sed & ipsa natura iudice, pati quàm inferre iniuriam. Pati q̃ facere iniuriã melius.

q Non enim quasi disp.) Hæc ratio est, quam ob rem timidiùs superiores quæstiones adsumi uelit. Nimirum quia talium assertores, non animi causa, (quod concedendum uideatur) sed magis q̃ tam absurdas opiniones probẽt, id genus quæstionũ tueri uelle existimentur. Quæ sanè res, quum quisq; etiam deprauatißimis moribus, uel maximè uirtuti ac honestati faueat, non potest non odium indignationemq; ijsdem parare. οὐ γὰρ ὡς λόγου χάριν (ait hic Aristotel.) ἔτυχόντα, ἀλλ' ὡς τὰ δοκοῦντα λέγοντα μισοῦσιν. Cur timidiùs absurdę quæstiones defendandæ.

r Argumenta autem.) Cùm multiplex ratio dissoluendorum argumentorum sit, attingit hic de ea, quæ falsi negatione cõstat. Verùm cùm aliquoties multa quæ falsa sunt, in eadem argumentatione concurrant, uult id in primis negari & tolli, cuius ui maximè dissolutione falsum efficitur. ὅσοι δὲ τῶν λόγων, inquit, ψευδῆ συλλογίζονται, λυτέον ἀναιροῦντα παρ' ὃ γίνεται τὸ ψεῦδος. De multiplici ratione soluendorum argumentorum pluribus cap. sequenti Aristoteles, præter quem uide & Rodolphum Agricolam lib. 2. cap. 21. ut interim non dicam ex professo de hac ratione agi libro de Reprehensionibus Sophistarum, cap. 13. Solutio ex falsi negatione.

s Vt si quis sumat.) Exemplo declarat, eoq; fictitio, cuius utramq; sumptionem cũ falsam esse uelit, non tamen utrauis falsa, sed maiore falsa euersa, conclusionis falsitatem subuerti asseuerat.

t Ita fit vt dissoluat.) Antegressæ monitionis commoditatẽ ostendit. In hunc locũ uide cap. 13. lib. de Reprehensionibus Sophistar. ἐπεὶ δ' ἔστιν ἡ μὲν ὀρθὴ λύσις, ἐμφάνισις ψευδοῦς συλλογισμοῦ, παρ' ὁποῖαμ ἐρώτησιν συμβαίνει τὸ ψεῦδος. ἡ ὀρθὴ λύσις

u Sed etiam aut falsum sit.) Græcè est, ἀλλὰ καὶ διότι ψεῦδος, ἀποδεικτέον. De hoc iam diximus ex lib. de Reprehensionibus Sophistarum.

DE MODIS IMPEDIENDAE, AC REPREHENDENDAE RATIOCINATIONIS.

Cap. 4.

IMpediri a autem argumentatio potest, ne concludatur, quatuor modis. b Primùm, id ex quo falsum est, refellendo. c Secundò, occurrẽdo ei qui rogat. Sæpe enim non explicato & dissoluto argumento, d tamẽ is qui rogat, progredi nõ potest longiùs. e Tertiò, refellendo rogatum. Fit enim interdum, vt ex ijs quæ quæruntur, non quod volumus consequamur, propterea quòd vitiosè interrogatum est, quibusdam tamen Argumentatio quadrifariam impedit.

appositis effici potest conclusio. [f] Ac si vltrà progredi, is qui rogat non potest, occursum erit roganti: sin potest, rogato. [g] Quartum genus resistendi, & deterrimum id est, quod ad tempus refertur. Nonnulli enim in refellendo ea afferunt, [h] quæ ad differendum plus temporis desiderant, quàm patitur disputandi consuetudo. [i] Ac resistendi quidem quatuor, vt dixi, genera sunt: sed prima vna ex omnibus explicatio est, cætera impedimenta sunt quædam conclusionum. [k] Reprehensio autem argumentationis non eadem ex eius natura, & ex interrogandi ratione nascitur. [l] ferè enim fit culpa eorum qui rogantur, vt non rectè tractetur argumentatio, quòd non concedant ea quæ magnam facultatē suggerant ad id efficiendum quod quæritur. [m] Neque enim in alterutro situm positum est, vt communis res rectè ad finem exitumq; perducatur. [n] Quapropter interdum qui aliquid respondet, refellendus est necessariò, & omittendum ipsum propositum: [o] tum denique cùm is qui respondet, instructus calumnijs, paratus venit ad contradicēdum. [p] Ita iniquos se præbentes, disputationes non dialecticas, sed concertationum plenas instituunt & inuehunt. [q] Et quoniam exercitationis & veluti examinis causa, non eruditionis, hæ tales disputationes comparatæ sunt: profectò non modò vera, sed etiam falsa concludenda sunt: nec ex veris semper, sed interdum etiam ex falsis. [r] Nam & plerunque vero posito, is qui contrà disputat, refellere debet. ita fit necessariò, vt sint proponenda falsa: et falsum quod positum est, interdum falsis euerti tolliq; debet, cùm præsertim nihil prohibeat [s] falsa alicui magis quàm vera probari. Ita si ex ijs quæ illi probantur, progrediatur argumentatio, [t] persuasus potiùs quā adiutus erit. [u] Sed omnes debent, qui aliò disputationem rectè traducere & trahere volunt, vt geometra geometricè, sic dialecticè, non pugnaciter, traducere, siue falsum, siue verum sit id quod concluditur. [x] Quæ autem sint dialecticæ ratiocinationes, suprà expositum est. [y] Vt autē in rebus vsuuenit, vt socius iniquus & sceleratus sit is qui rem communem impedit: sic in disputationibus, in quibus etiam [z] commune quiddam propositum est vtrique, [a] præter quàm ijs qui certandi studio disputant. Neque enim vtrique eorum licet eundem finem consequi, præsertim cùm plures vno vincere non possint. [b] Vtrùm autem in respondendo, an in rogando, id efficiant, nihil interest. Nam & qui certandi studio rogat, vitiose & prępostere differit: & qui respondendo non concedit, neq; dat quod videtur probabile, neque inducit in animum audire, quid tandem

Eadē culpa respondētis quo modo reprehēdat.

Quādo ex falsis ratiocinari detur.

Cōmunē rē impedi remalum

dem

dem velit is qui rogat.[c] Ex quo perspicuum est, non eodem modo argumentationem, si per se consideretur, reprehendendam esse, & eum qui eam rogando tractat. Nihil enim prohibet, vitiosam argumentationē esse, cùm interim is qui rogat, quàm poterit accommodatissimè, cum eo qui respondet, disputabit.[d] Nam si res sit cum difficilibus & proteruis, non potest profectò statim quas quisque velit, sed quas possit, tractare per ratiocinationem argumētationes.[e] Quoniam autem incertum est, quando contraria homines sumunt, & quando id quod à principio positum est in quæstione: (sæpe enim ipsi secum, & soli cùm aliquid loquuntur, repugnantia dicunt, negatoq́; eo quod prius est, concedunt posterius. itaq; cùm rogantur, sæpe repugnantia, & quod primo loco propositum est, concedunt)[f] eò vitiosas argumētationes necesse est effici. Culpa est ista eorum qui respondent, qui quædam non concedunt, alia eiusdem generis concedunt.[g] Ex quo etiam perspicuum est, non eodem modo reprehendendos esse eos qui rogant, & ipsam argumentationem.

Cōtraria καὶ δ' ἐν ἀρχῇ sumere, ἀδιόριστον.

[h] Argumentatio autem quinque modis reprehendi solet.[i] Primo, cùm ex ijs quæ rogata sunt & quæsita, nihil concluditur omnino,[k] nec quod ad rem pertineat,[l] quòd falsa sint, vel non probabilia omnia, aut certè plurima eorum, ex quibus conclusio efficitur:[m] & quòd nec detractis quibusdā, nec additis, nec alijs detractis, alijs additis efficitur conclusio. Secundo, si tractetur per ratiocinationem, quæ ad rem non pertineat argumētatio, ex talibus & eo modo, quo in superiori dictum est.[n] Tertio, si additis quibusdam conficiatur ratiocinatio, sed quæ deteriora sint quā quæ rogata sunt, minusq́; probabilia conclusione. Quarto, si detractis quibusdam, idem contingat.[o] Interdum enim plura sumuntur, quàm necesse est, vt non ex eo quia hæc concessa sunt, efficiatur conclusio. Postremo, si ex minus probabilibus, & credibilibus efficiatur, quàm sit cōclusio: aut si ex veris, sed quæ difficiliùs & maiore negotio quā id quod quæritur, ostendi possunt.[p] Neq; verò id postulandū est, vt omnes quæ de proposito instituuntur, æquè probabiles sint ratiocinationes, & ęquè valeant ad faciēdam fidem.[q] Eorum enim quæ exquiruntur, partim prima facie faciliora sunt natura sua, partim difficiliora: vt si quibuscunq; probabilibus possint, concludentur, rectè conclusa videantur.[r] Perspicuum est igitur, non eodem modo argumentationem iudicandam esse vitiosam, cùm ad quæstionē refertur, & cùm per se exquiritur.[s] Nihil enim prohibet argumentationē per se vitiosam esse, quæ si ad quæstionē

1. Quinque modi reprehendendę argumentationis.

2.

3.

4.

5

Non omniū thesewν æquè probabilis assertio.

referatur, vera erit: viciſsimq; vera per ſe conſiderata, cum quæſtione collata, vitioſa eſſe poteſt: cùm facilè ex multis probabilibus, et veris quę illi quęſtioni tractandę ſunt accommodata, effici poteſt quod volumus.

Non concluſa quę concluſis præſtant.

[t] Fit autem interdum, vt argumentatio etiam quæ concludit, ea quæ nõ concludit ſit deterior, cùm illa ex ijs, quę minus probantur concludit, cũ quæſtio propoſita in eo genere non ſit: hæc autem talia modò requirit, quæ probabilia & vera ſint, nec ex ijs quæ aſſumpta ſunt, argumentatio eſt. [u] Neque verò ij qui ex falſis verum concludunt, iure reprehendi poſſunt, cùm præſertim, & neceſſe ſit ſemper falſum ex falſis, & liceat interdum verum ex falſis cõcludi. [x] quod ex Analyticis perſpici poteſt. [y] Cũ autem argumentatio quæ expoſita eſt, alicuius rei demonſtratio erit: ſi qua ſit alia propoſitio, quæ cum concluſione nullam habeat coniunctionem, ex ea non efficietur concluſio. Sin ſpeciem præ ſe ferat coniunctionis, fallax erit concluſio, non neceſſaria. [z] Eſt etiam φιλοσόφημα, ratiocinatio neceſſaria. [a] Epicherema autem, ratiocinatio probabilis. [b] Sophiſma autem, ratiocinatio pugnax. [c] ἀπόρημα, ratio in vtramq; partem diſſerendi. [d] Quòd ſi ex vtraq; propoſitione probabili aliquid oſtendatur, neque æquè probentur, nihil prohibet id quod demonſtratum eſt, magis quàm vtramque probari. At ſi vna ſit probabilis, altera neutro modo: aut ſi hæc probetur, illa non probetur, ſi id quidem ſimiliter ſit, tum ex æquo probabitur & non probabitur, quod demonſtratione concluditur: ſin altera magis probetur, magis etiam probabitur. [e] Atq; etiam in tractandis argumentationibus per ratiocinationem peccatur, cùm aliquid pluribus oſtenditur, quod paucioribus poteſt, quæ etiam in argumentatione reperiuntur. [f] Cuius generis illud eſt, quod ſumitur ad probandum, opinionem aliam alia veriùs dici opinionem. [g] Si quis poſcat hanc enunciationem, quicquid appellatur cum acceſsione pronominis, ipſum, illud eſt quod in eo genere maximè eſt id ipſum quod eſt. Eſt autem opinabile aliquid, quod quia verè eſt opinabile, appellatur ipſum opinabile: ex quo ſequitur illud ipſum cũ maximè ſit, alijs quibuſdã eſſe magis opinabile: [h] porrò aũt omne quod magis eſſe dicitur, alterius cõparatione dicitur magis. Eſt verò opinio etiam aliqua vera quæ acceſsione pronominis, ipſa opinio appellari poteſt, quę alijs quibuſdam certior eſt. Hic igitur ſumptũ eſt, veram eſſe aliquam opinionẽ, quæ acceſsione pronominis, ipſa opinio vocaretur. Itemq; illud, in omni genere illud eſſe maximè tale quod per acceſsionem pronominis, ipſum, nominatur:

φιλοσόφημα. ἐπιχείρημα. σόφισμα. ἀπόρημα.

Prolixitate quo patio interim peccetur.

[i] ex qui-

[j] ex quibus sequitur, ipsam opinionem quæ maximè verax est, eam esse quæ maximè & verisimè opinionis nomine vocatur. [k] Sed quod vitium in hac est ratiocinatione? An ob eam causam, quòd facit, vt causa ex qua ratiocinatio conficitur, ignoretur? [l] Argumentatio autem perspicua est vno modo, [m] qui maximè in populi ore versatur, cũ ita concluſa est, vt iam nulla sit opus interrogatione. [n] Altero, qui etiam crebris vsurpatur sermonibus, cùm sumpta sunt ea, ex quibus esse necesse est quod concluditur, sunt autẽ ea ex alijs cõclusionibus collecta. [o] præterea si quid præterm issum sit, quod valde sit probabile.

1. Argumentatio tribus modis perspicua.
2.

IN CAPVT QVARTVM,

ANNOTATIONES.

[a] Impediri autem.) Quam tractationem paulo suprà inchoauit de uia ac ratione soluendarum argumentationum, eam nunc inde fusiùs explicat, primùm docens, quem ad modum ne argumentatio colligatur, inhiberi possit: deinde, quo modo confecta iam & concluſa reprehendi & coargui debeat, ne id quod aduersarius uult aduersum te efficiat. Ac cùm prioris modi rationes omnino sint quatuor, (quas uno nomine τὰς ἐνστάσεις appellat) eas sic distinguit, ut primam solùm τὴν λύσιν, hoc est, solutionem, appellet: cæteras non solutiones uocet, sed inhibitiones quasdam & impeditiones tantum conclusionũ. ἀλλὰ μὴν ὅτι, inquit, ἐνστάσεις καθάπερ εἴπομεν, τέτταρές γίνονται. λύσις δὲ ἡ τοῦ συμπεράσματος. Quanquam tamen si paulo penitiùs φύσει λύσεως, id est, solutionis, nomen attendas, cùm nihil reuera dissolui φύσει λύεσθαι, nisi iam antè cõstructum & quasi compactum, dicamus, ne prima quidem ipsa ratio, sat uerè proprieq; seu λύσις, seu solutio uocari potest, si quidem more aliarum nec illa propositum cõfici patiatur. Rodolphus Agricola lib. 2. cap. 21. solutionis nomen tum demum uerè conuenire author est, cùm multiplex distinguitur. Nam sic scribit: Soluendi autem uerbum, quanquam commune sit negãti & distinguenti, rectiùs tamen distinguenti conueniet. Nam quisquis negat, non patitur confici argumentationem: quæ autem confecta non est, propriè solui dici non potest. At cùm multiplex distinguitur, est utiq; in speciem confecta, rectiùs igitur solui dicetur. Verùm nos in præsentia, tum cum Philosopho nostro, tũ et cum Rodolpho, et cũ uniuerso adeò philosophantium cœtu, omnem discutiendæ & explicandæ argumentationis rationem, solutionem appellemus. Neq; hanc solum. Quin etiam quotquot rationes ac modi traduntur, non tam explicandæ discutiendæq; argumentationis, quàm à proposito digrediendi, in aduersariũ retorquendi, regerendi, eleuandi, et omnino elabendi subterfugiendiq;, has rationes omnes, si ita uidebitur, solutionis nomine dignemur: præsertim cùm & sic Scholas interim, & non uno etiã loco ipsum Aristotelem, id genus subterfugiorum

Quæ hîc tradãtur.

Quatuor ἐνστάσεις κωλύσεσ

Quæ propriè solui dicantur.

Et elabendi modi, solutiones dicuntur.

fugiorum solutionis nomine appellare uideamus. Facit enim Aristoteles duplex solutionum genus: alterum, quod in rem fertur, quod propriè sic dicitur, de quo iam superiùs meminimus: alterum, quod non in rem, sed in personam, & ipsum hominem dirigitur, quod est, quo de nunc agimus, quo tũ deniq; utimur, quando superiori locus deest. Hoc πρὸς ἂν ἄνθρωπον καὶ ἂν ἐρωτῶντα: illud πρὸς τὸ πρᾶγμα, καὶ ἀλήθειαν, τὸ ἂν λόγον nominatur, partim lib. de Reprehensionibus Sophistarum, cap. 13. partim etiam lib. 8. de Motu, cap. 8.

Solutiõis genꝰ Aristoteli duplex.

b **Primùm, id ex quo.**) *De hoc genere paulo suprà meminit. Id est, quod negatione eius constat, unde mendax efficitur conclusio.*

c **Secundò, occurrendo ei.**) *Tria quæ sequũtur genera, diuerticula sunt, et quasi elabendi modi, quibus tum utimur, quum parum quod de re dicamus, in promptu habemus. Occurrimus autem aduersario, quum uel similia in eum regerimus, uel ea quæ rogantur inter se non cohærere, à propositóque aliena esse, & uel illo ipso, uel nobis indigna demonstramus, aut alio quouis id genus modo. Ac si de regestione accipi placet, huius nõ illepida quædam exempla apud Virgilium extant Ecloga tertia, qua Menalcas & Damœtas inter se commißi, partim indigna quædam sibi obiectant, de nescio quibus à se criminibus perpetratis, partim talia etiam quædam sciscitantur, quorum explicatio cùm utrinq; perdifficilis & subobscura sit, silentio utriq; imposito disputationem abrumpit.*

Aduersario vt occurramus

d **Tamen is qui rogat.**) *Nimirum quòd uel similium obiectione, uel quia indigna eum, extrariaq;, & quæ inter sese minimè cohærent, proposuisse demonstramus, cùm ad hæc ipsa quid dicat, non habeat, hoc modo ei quasi silentium præscribatur. Græcè est, ὁ μέντοι πυνθανόμενος οὐ δύναται πορρωτέρω προάγειν. In quo nota & ἂν πυνθανόμενον, opponentem hîc dici, & τὸ πορρωτέρω προάγειν, non ineleganter longiùs progredi ab Interprete conuerti.*

ὁ πυνθανόμενος. τὸ πορρωτέρω προάγειν.

e **Tertiò, refellendo rogat.**) *Non quidem, ut paulò antè, quasi aut falsum, aut falsi efficiens, sed quia non legitimè, rectaq; uia id proponi & rogari, (ut quid ex illo efficiatur) uideatur. Sic enim Alexander hunc modum exponit, cùm inquit: τρίτος τρόπος ἐνστάσεως, ὅταν ἀληθῆ μὲν ᾖ τὰ λαμβανόμενα, τῷ δὲ καλῶς ἠρωτῆσθαι ἢ ἐλλείπειν τι αὐτὰ, ἢ μὴ κατὰ σχέσιν συγκεῖσθαι συλλογιστικὴν, μηδὲν φαίνηται συνάγοντα. Vide, an hoc modo Plutarchus lib. 2. eorum, quos de Homero scriptos reliquit, Epicuri illam argumentationem reprehendat, ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, τὸ δὲ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Nã prætermisit, inquit Plutarchus, quod in prima parte sumere debuit, ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. Tum deniq; autẽ ipso quod omiserat quasi posito concessoq; ad confirmandum aliud utitur. Progredi autem hic (inquit) syllogismus nisi illo priùs posito, non potest. Sic Gellius lib. 2. cap. 8. Rogatum, hîc τὰ ἠρωτημένα Græcè appellat, τρίτον δὲ, inquiens,*

Rogatum vt hic refellatur.

Exemplũ Gellianũ.

ἠρωτημένα

πρὸς

πρὸς τὰ ἠρωτημένα, συμβαίνει γὰρ ἂν ἐκ μὴ τῶν ἠρωτημένων, &c.

f Ac si vltrà progredi.) Distinguit hoc genus ab antecedente. Quòd si qui rogat, longiùs progredi poterit, πρὸς τὰ ἠρωτημένα: si non poterit, πρὸς ἂν ἐρωτῶντα τὴν ἔνστασιν uocat. Ita una eademq; re subiecta illa esse uidetur, sed habita quodam comparationeq; sola distingui. Hoc genus à superiore vt distet.

g Quartum genus resistendi.) Hoc genus digressorium est, quo tum utimur, cũ aduersarij rogationibus quasi circumuenti & implicati, causa prorogandæ & differendæ conclusionis, talia quædam respondendo adiungimus, quorum explicatio quàm pro re nata, cùm obscurior difficiliorq; sit, in aliud tempus disputationem reijcit. Neque enim, nisi explicatis & dissolutis ijs, quæ in aduersam partẽ à respondente afferuntur, concludi propositum ab aduersario potest, iuxta id quod Alexander ait, δεῖ μὲν γὰρ πρῶτον λῦσαι τὴν ἔνστασιν. Aristoteles hoc genus occursionis & quasi auocationis, χειρίστην τῶν ἐνστάσεων τὴν πρὸς τὸν χρόνον uocat. At cur χειρίστη; quæso. κακοτεχνούντων γὰρ, inquit Alexander, δὲ, ἂν μὲν λόγον μηκύνειν, ἐκκρούειν δὲ τὸ προκείμενον, κατὰ τὴν εἰς χαλεπώτερον πρόβλημα μετάθεσιν. Quartũ genus digressorium. Cur χείριστον.

h Quæ ad disserendum.) πρὸς ἃ διαλεχθῆναι, inquit, πλείονός ἐστι χρόνου, ἢ ἐστὶ παρούσης διατριβῆς.

i Ac resistendi quidem.) Superiora genera inter se confert, & distinguit eo modo, ut suprà diximus. Cùm uno nomine ἐνστάσεις καὶ κωλύσεις τινὲς ἐπεμποδισμοὶ τῶν συμπερασμάτων omnia dicantur, primum genus etiam ἡ λύσις, hoc est, solutio, dicitur. Verùm solutionis nomen ei tribuitur, non qua ex parte colligendam iam argumentationem cæterorum more impedit: sed qua ex parte collectam eam confectamq; falsæ sumptionis interemptione quasi dissoluit & explicat. Ita enim solutio à prohibitione & quasi impeditione distat, quemadmodum his uerbis Alexander testatur, οὐ γὰρ ταὐτὸν λῦσαί τε καὶ κωλῦσαι. λύεται μὲν γὰρ ὁ ἤδη συμπεπερασμένος, κωλύεται δὲ ὁ πρὸς τὸ συμπεραίνεσθαι. Prędictorum generum inter se collatio. Solutio à phibitiõe vt distet.

k Reprehensio autem.) Explicatis uijs ac rationibus impediendæ conclusionis, sequitur nũc, ut quemadmodum confectis iam ratiocinationibus occurrendum sit, demonstretur. Hîc quia de reprehensione agendũ est, eaq; non uniusmodi et simplici, antè quot modis, quibusq; illis omnino in disserendo hæc eueniat, ob oculos ponit. Sunt autem modi illi distincti duo, quorum alter ex ui et natura ipsius ratiocinationis, aliter ex modo et ratione quærendi existit. Qui ex ui ac natura ipsius ratiocinationis ducitur, is uarius & quasi multiplex est, cuius genera, (altero modo hîc priùs exposito & declarato) paulo infrà Aristoteles subijcit numero quinq;. Verba Aristotelis in præsens sic habent: ἐπιτίμησις δὲ τοῦ λόγου, καθ' αὑτόν τε ἂν λόγον, ἐπὶ ὅταν ἐπερωτᾶται. ἐπιτίμησιν τοῦ λόγου, reprehẽsionem & refutationem argumentationis dicit. Nam quod paulo post Transitio ad reprehensionẽ. Reprehensio duplex. ἐπιτίμησις τοῦ λόγου.

ἐπιτιμᾶν

ἐπιτιμᾶν τοῦ λόγου dicitur, id Latini reprehendere, refellere, coarguere, & refutare orationem seu argumentationem dicunt.

l Ferè enim fit culpa.) Ostendit uitio & culpa eius qui contrà disserit, hoc est, respondentis, prædictum malum in disserendo ferè euenire. Etenim cùm is seu naturæ prauitate, seu peruersa institutionis uitio, ea quæ ad disserendum ab aduersario afferuntur, proteruè negat & reijcit, cò uel inuitum aduersarium adducit, ut causa disserendi, hoc est, thesi relicta, eum ipsum argumentis petere & inuadere cogatur. Quod dum fit omni diligentia & studio, non dubium quidem certè, quin quàm plurima istiusmodi ὁ διαλεγόμενος interim afferat, quæ cùm aliena & dissentanea à proposito sint, antegressæ illius εἰς ἐπιτιμήσεως, hoc est, reprehensionis in disserendo occasionem præbent. Atq; id est, quod Aristoteles in præsens, πολλάκις γὰρ, inquit, τοῦ μὴ καλῶς διειλέχθαι ἐν λόγον, ὁ ἐρωτώμενος αἴτιος, διὰ τὸ μὴ συγχωρεῖν ἐξ ὧν ἦν διαλεχθῆναι καλῶς πρὸς τὴν θέσιν.

Respondētis proteruia, vitiosa interim disputatio euadit.

m Neq; enim in alterutro.) Sententiosè ait: οὐ γάρ ἐστιν ἐπὶ θατέρῳ μόνῳ τὸ καλῶς ἐπιτελεσθῆναι τὸ κοινὸν ἔργον.

Sentētia.

n Quapropter interdum.) Hoc casu permittit, relicta thesi in aduersarium inuehi, & eius proteruiam retundere. Vnde prædictæ reprehensionis, ut antè diximus, occasio existit. ἀναγκαῖον οὖν ἐνίοτε, inquit, πρὸς ἐν λέγοντα, καὶ μὴ πρὸς τὴν θέσιν ἐπιχειρεῖν. Hic phrasin nota, ἐπιχειρεῖν πρὸς τὴν θέσιν, καὶ ἐν λέγοντα. paulo suprà διαλέγεσθαι πρὸς τὴν θέσιν eodem sensu dixit. Nota & τοῦ λέγοντος nomine hic respondentem, ἐν ἀποκρινόμενον intelligi.

In respondentē inuehi.

ὁ λέγων.

o Tum deniq; cùm is.) Græcè est, ὅταν ὁ ἀποκρινόμενος τἀναντία τοῦ ἐρωτῶντι πρὸς ἀτηρῇ προσεπηρεάζων.

p Ita iniquos se præbentes.) Ostendit hoc modo ἀγωνιστικὴν tandem disceptationem effici, quæ cùm contendendi & decertandi studio solummodò suscipiatur, non iniuria superiori reprehensioni obnoxia euadit. δυσκολαίνοντες οὖν, inquit, ἀγωνιστικὰς καὶ οὐ διαλεκτικὰς ποιοῦνται τὰς διατριβάς.

ἀγωνιστικαὶ διατριβαί.

q Et quoniam exercitat.) Concedit in hoc disceptationis genere, posteaquā non disciplinæ & institutionis, sed exercitationis & quasi examinis gratia id institui uidetur, non modò falsis rationibus, (ex quibus interim uerum sequi solet) ubi res postularit, uti, sed falsa quoq; sicubi res ferat, nos ipsos contra aduersarium concludere. Quanquam hoc ipsum magis ad Sophisticen tamen spectat. Non disciplinæ, sed exercitationis gratia hoc disputandi genus suscipi, id his uerbis in præsens Aristoteles declarat, cùm inquit: ἔτι δὲ ἐπὶ γυμνασίας καὶ πείρας χάριν, ἀλλ' οὐ διδασκαλίας οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων.

Et falsa, & ex falsis interim concludi licet.

r Nam & plerunq; vero.) Ostendit, quando tandem falsa concludenda sint, idq; ex falsis. Cùm proposita, inquit, thesis ad ueritatem accommodata est, si quidem illam

impugna-

impugnare pro officio, qui contrà disputat enitatur, necessariò falsum concludendum est. Et quia idipsum falsum ex ueris confici non potest, ut lib. 2. de Ratiocinat. cap. 1. ostensum est, sequitur, ut διὰ ψευδῶν idipsum demõstrandũ esse uideatur. Esse uerò eius qui contrà disserit, Respondentis thesi contraria semper concludere, id præcedenti capite his uerbis Aristoteles astruxit, δ' γάρ, inquit, ἀντικείμενον ἀεὶ τῇ θέσει ὁ ἐρωτῶν συμπεραίνεται.

Ex ueris falsum effici negat.

6 Falsa alicui magis.) Hoc loco falsa, τὰ μὴ ὄντα Græcè uocat. Inquit enim, οὐδὲν κωλύει τινὶ δοκεῖν τὰ μὴ ὄντα μᾶλλον εἶναι ἀληθῶν. Verum autem & falsum, τὸ ὂν τοῦ μὴ ὄντος nominibus apud Philosophum significari, lib. 2. de Ratiocinatione, cap. 1. ostendimus.

τὰ μὴ ὄντα

t Peruasus potiùs quàm adiut.) Adiutum, hîc doctum & institutum intellige. Græcè est, ὥσε ἐκ τῶν ἐπείνῳ δοκόντων τῷ λόγῳ γινομένων, μᾶλλον ἔσαι πεπεισμένος ἢ ὠφελημένος. Huc pertinet, quod paulo antè ad disciplinam hoc disceptationis genus minimè pertinere asserit.

ὠφελημένος, adiutus.

u Sed omnes debent.) Monet ad ueri similitudinem orationẽ accommodandam, ut διαλεκτικῶς καὶ μὴ ἐρισικῶς, in hoc genere traducendæ disceptationis uersari uideamur. Dialectici est διαλεκτικῶς ex ueri similibus & probabilibus, perinde ut Geometra γεωμετρικῶς ex ueris et necessarijs, rẽ suã cõficere. Ita præsenti loco, δεῖ δὲ (ait) ἡμᾶς καλῶς μεταβιβάζοντα διαλεκτικῶς καὶ μὴ ἐρισικῶς διαβιβάζειν, καθάπερ τὸν γεωμέτρην γεωμετρικῶς, ἄντε ψεῦδος, ἄντ' ἀληθὲς ἢ τὸ συμπεραινόμενον. τὸ μεταβιβάζειν ἢ διαβιβάζειν, Alexander exponit, μεταφέρειν ἢ λόγον ἢ τινὰ ἀληθῶν ἐπὶ ψεῦδος, ἢ ἀπὸ ψευδῶν εἰς ἀληθές, ὥσε δ' ἀντικείμενον δεῖξαι διὰ τοῦ ἀντικειμένου.

Dialecticus ueri similitudinẽ spectat

μεταβιβάζειν quid.

x Quæ autem sint.) Reiectio est. Vide in hunc locum lib. 1. Topicor. cap. 1.

y Vt autem in rebus.) Redit ad superiorem τὸ ἀποκρινομένου proteruiam, quã similitudine declarat. Græcè est, ἐπεὶ δὲ φαῦλος κοινωνὸς ὁ ἐμποδίζων δὲ κοινὸν ἔργον, δῆλον ὅτι καὶ ἐν λόγοις. κοινόν τι γάρ τι προκείμενον ἐν τούτοις ἐστί.

Cõmune opus impedire peruersi est.

z Commune quiddam.) Nempe thesis disputatio, & ut in hanc illámue partem ij qui disputant, utrimq; consentiant.

a Præterquã ijs qui.) τοὺς ἀγωνιζομένους dicit, quorum controuersæ disputationes nihil commune propositum habent, cùm utrimq; ij qui disceptant, uictoriæ sibi obtinendæ causa, priuatum suum, nõ commune opus agant. τούτοις δὲ οὐκ ἔστιν, inquit Aristoteles, ἀμφοτέροις τοῦ αὐτοῦ τέλους τυχεῖν, πλείους γὰρ ἑνὸς ἀδύνατον νικᾶν.

Cõtentiosis nihil commune propositũ

b Vtrùm autem in respon.) Quod ad prægressum hoc genus disputationum attinet, quia in illo disceptantes utrimq;, dum sibi plus æquo student, rei perturbandæ occasionem præstant, neutri separatim, sed ambobus simul ἡ ἐπιτιμήσεως τοῦ λόγου

causam assignandam esse meminisse debemus. Quanquam Aristoteles hîc item ad respondentis improbitatem eandem referre uidetur, uti ex sequentibus patet. Sed id extra cõtentiosæ disputationis genus intelligi conuenerit. Quod uitiosè & præposterè differere, Interpres ait, Græcè est ὁ φαύλως διαλέγεσθαι: quod non inducere in animum audire, & cæt. μὴ δὲ συνέχεσθαι ὅ, τί ποτε βέλεται ὁ ἐρωτῶν ποθέσθαι.

φαύλως διαλέγεται.

c Ex quo perspicuum est.) Concludit, ad describendam respondentis proteruitatem rediens, cui antegressæ disputationis ἐπιτίμησιν, ut iam diximus, uniuersam uult ascribi. Sed extra contentiosas id disputationes in primis locum habet, ubi solus respondens, quò minus præclarè ὁ διαλεγόμενος & propositũ suum conficiat, impedimẽto est.

d Nam si res sit.) Græcè est, πρὸς γὰρ τοὺς δυσκολαίνοντας οὐ ῥᾴδιον εὐθὺς ὅτου τις βέλεται, ἀλλ' ὁτου συνέχεται ποιεῖσθαι τοὺς συλλογισμούς.

c Quoniam autem incert.) Altera causa, quur uitiosè interim disputetur, non tam malitiosa respondentis improbitas, quàm eiusdem imperitia & ignorantia, nimirum quòd nec sumptionem τὸ ἐναντίωμα, nec postulationem τοῦ ἐν ἀρχῇ, (quæ multis modis fiunt) satis perspectam & cognitam habet. Ita Alexander, λέγει γίγνεσθαι οἷον τὸν διαλέγεσθαι καθ' ἁπλῆν ἁμαρτίαν ἐν τοῖς λόγοις καὶ πρὸ τῶν ἄγνοιαν. In hunc locum uide partim lib. 2. de Ratiocinat. cap. 6. & 7. partim cap. iam nũc sequente. Id quod à principio positum in quæstione, Interpres reddit, Græcè τὰ ἐν ἀρχῇ est. Qua uoce quidnam Philosophus intelligat, & quàm diuersè eandem exprimat, uide lib. 2. de Ratiocinatione, cap. 7.

Respondẽtis imperitia uitiosæ disputationis causa.

τὰ ἐν ἀρχῇ.

f Eò uitiosas argu.) Græcè est, ἀνάγκη φαύλους γίνεσθαι τοὺς λόγους.

g Ex quo perspicuum est.) Repetit antè dictam conclusionem, nunc inde differens, quot quibusq; modis quæ per se uitiosæ sunt, argumentationes in differendo reprehendantur.

h Argumentatio autem.) Vult quinq; modis ὁ καθ' ἁπλῶς λόγος in disserendo coargui & refutari. Quòd si diligentiùs hos modos intuearis, partim ad conclusionis uitiositatem pertinent, ut cùm aut nihil omnino, aut non id quod propositum erat, concluditur: partim non ad conclusionis uitiositatem, sed ad sumptorum rogatorumq; pertinent seu obscuritatem & falsitatem, seu quòd quædam in sumptionibus, aut aliena admisceantur, quæ detrahenda sint, aut quæ apponi oporteat, omittantur necessaria. Vulgò omnem ratiocinationis reprehensionem uel ad materiæ uitium referunt, uel ad formæ. Formæ uitium ad conclusionem spectat: materiæ, ad propositiones. Vide num hunc locũ lib. 1. de Inuentione Cicero imitatus sit, cùm de Reprehensione scribit ad hunc modum: Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex ijs quæ sumpta sunt, non conceditur unum pluráue: aut his concessis complexio confici ex his negatur: aut si genus ipsum argumentationis uitiosum ostenditur. Græca Aristotelis uerba hoc loco sic habent, καθ' ἁπλῶς δὲ τὸν

Modi uitiosæ argumẽtationis duo qui.

Cicero 1. de Inuentione

τῶν λόγῳ πέντε εἰσὶν ἐπιτιμήσεις.

i Primò cùm ex ijs.) *Videtur primi huius modi descriptio omnes alios modos suo ambitu complecti, præsertim si omnes eius particulæ huc pertinere existimentur. Verùm ut ab alijs modis separetur, non incommodum erit, si eius uim ac rationē in ἀσυλλογισίᾳ positam esse præcipuè dicamus, tum cùm ex ijs quæ sumuntur, nihil uerè effici & concludi posse uidetur. Hoc enim modo ἀσυλλογισίαν in præsens Aristoteles describit, cùm inquit,* πρώτη μὲν ὅταν ἐκ τῶν ἠρωτημένων μὴ συμπεραίνηται, μήτε πρὸς τὸ τεθὲν, μήτε ὅλως μηδέν.

Primus modus ἀσυλλογισίᾳ constat, etsi hic latiùs sumit.

k Nec quod ad rem.) *Hoc ad secundum modum propriè pertinet, qui est,* πρὸς εἰ τὴν θέσιν μὴ γίνοιτο ὁ συλλογισμός, *ut infrà dicitur.*

l Quòd falsa sint.) *Hæc ad quinti generis descriptionem pertinent, quā infrà subijcit his uerbis:* ἔτι εἰ δὲ ἀδοξοτέρων καὶ ἧττον πιστῶν τὸ συμπεράσματος, ἢ δὲ ἀληθῶν, ἀλλὰ πλείονος ἔργου δεομένων ἀποδεῖξαι τὸ προβλήματος.

Qnintus modus.

m Et quòd nec detractis.) *Hæc ad tertij pariter ac quarti generis descriptionem accommodanda sunt. Illic enim & de superfluorum recisione, & adiunctione necessariotum, quod ad efficiendam conclusionem attinet, disseritur.*

n Tertiò, si additis.) *Quo modo aut addenda, aut demenda sint ea, quæ in ratiocinatione aut desunt, aut redundant, de eo uide lib. 1. de Ratiocinat. cap. 18. Deteriora rogatis,* τὰ χείρω τῶν ἐρωτηθέντων *Græcè dicuntur.*

o Interdum enim plura.) *Plura duabus sumptionibus ratiocinatio non requirit. Vide cap. 14. lib. 1. de Ratiocinat. Huc pertinet, quod suprà cap. 2. dixit.* δὲ ὀλίγων γὰρ πᾶς συλλογισμός.

Duæ syllogismi sumptiones.

p Neq; verò postuland.) *Cùm paulo antè ex credibilioribus & notioribus unūquicq; syllogismo probandum & concludendum esse significarit, demonstrat hoc loco nō posse æquè probabiles omnium rerum demonstrationes sumi. Ita satis fuerit, si pro natura & conditione rerum ad disserendum propositarum, quàm maximè consentanea aptaq; fidei argumenta sint, ea quæ proferuntur, quemadmodum his uerbis testatur Alexander,* ἀλλ' ἱκανὸν δ' καθέκαστα προβλήματα ὃ ἐνδέχεται ἔνδοξον ληφθῆναι, τούτου ἐυποροῦσαι. *Aristotelis uerba in præsens sic habent:* οὐ δεῖ δὲ πάντων τῶν προβλημάτων ὁμοίως ἀξιοῦν τοὺς συλλογισμοὺς ἐνδόξους εἶναι καὶ πιθανοὺς, ὥστε ἂν δὲ ὧν ἐνδέχεται μάλιστα ἐνδόξων συμβιβάζῃ, διείλεκται καλῶς.

Nō omnium æquè aperta ꝓbabilisq; demōstratio.

q Eorum enim quæ exquiruntur.) *Ratio à problematum seu quæstionum distinctione sumpta.* οὐ γὰρ ὁϊόντε, *inquit Alexander,* τοῦτο, ὅτι μὴ δὲ τὰ προβλήματα πάντως ὅμοια, ἀλλ' ἔστιν αὐτῶν τὰ μὲν φύσει ῥᾴω καὶ εὐεπιχείρητα, τὰ δὲ χαλεπώτερα καὶ οὐκ εὔπορα πρὸς ἐπιχείρησιν. *Problemata hoc loco* τὰ ζητούμενα *Aristoteles uocat, cùm inquit:* φύσει γὰρ εὐθὺς ὑπάρχει τὰ μὲν ῥᾴω, τὰ δὲ χαλε-

Problematum disparitas. τὰ ζητούμενα.

πώτερα τῶν ζητουμένων.

Bifariam argumentatio redarguit.

[1] Perspicuum est igitur.) Ex superioribus colligit bifariam argumentationem redargui posse, non modò cùm ipsa ex se uitiosa est, sed etiam cùm ad quæstionem minus uerè accommodatur. Suntq; hi modi inter se distincti, propterea quòd non semper cohærent, ut deinceps Aristoteles demonstrat. φανερὸν οὖν, inquit, ὅτι οὐδὲ τῷ λόγῳ ἡ αὐτὴ ἐπιτίμησις πρόστε τὸ προβληθὲν καὶ καθ' αὑτὸν. Alexander καθ' αὑτόν τε τῷ λόγῳ καὶ πρὸς τὸ πρόβλημα ἐξεταζομένῳ μὴ τὴν αὐτὴν ἐπιτίμησιν paratam esse ait.

Vitiosa, & vera argumentatio, vt dicatur.

[3] Nihil enim prohibet.) Quod hic & uitiosam, & ueram argumentationem Interpres reddit, Græcè est ψεκτός τε καὶ ἐπαινετὸς ὁ λόγος. Dicitur enim Græcè ad huuc modum: οὐδὲν γὰρ κωλύει καθ' αὑτὸν μὲν εἶναι τὸν λόγον ψεκτὸν, πρὸς δὲ τὸ πρόβλημα ἐπαινετὸν, καὶ πάλιν ἀντεστραμμένως καθ' αὑτὸν μὲν ἐπαινετὸν, πρὸς δὲ τὸ πρόβλημα ψεκτὸν.

Conclusa argumentatio, non conclusa deterior quando.

[t] Fit autem interdum.) Ostendit hoc loco conclusam argumentationem non conclusa καὶ ἀσυλλογίστῳ quandoq; deteriorem esse: si non conclusa καὶ ἀσυλλόγιστος, ex ueris & probabilibus: conclusa autem ex non probabilibus, & falsis conficiatur. Conclusa argumentatio, ὁ συμπεπερασμένος: non conclusa, ὁ μὴ συμπεπερασμένος λόγος dicitur. εἰκ δ' ἄνποτε (inquit Aristoteles) λόγος καὶ συμπεπερασμένος μὴ συμπεπερασμένου χείρων, ὅταν ὁ μὲν ἐξ εὐηθῶν συμπεραίνηται, & cæt. ἐξ εὐηθῶν συμπεραίνεσθαι, est ex ineptis, fatuis, & insulsis rationibus concludi. εὐήθης enim Græcè est, ineptus, fatuus, ignauus. Notat Alexander hanc ratiocinationum collationem ad superioris loci confirmationem itidem pertinere. Nam cùm non ipsa ex se, sed ex relatione & comparatione ad quæstionem spectatur, fit, ut quæ ex se ipsa melior sit, ea collata cum quæstione sit deterior, & contrà. Vnde efficitur, non eandem utriusq;, & ex se spectatæ, & relatæ ad quæstionē argumentationis esse reprehensionem.

ἐξ εὐηθῶν συμπεραίνεσθαι.

[u] Neq; verò ij qui.) Quæ ex falsis conficiuntur ratiocinationes, etsi antè improbatæ sunt, hoc tamen loco non omnino eas repudiandas esse docet, propterea quòd non modò ex falsis falsum, sed uerum quoq; ex illis, ubi res ita tulerit, sequi poßit, de quo uide lib. 2. de Ratiocinat. cap. 1. & 2.

Analyticorum opus geminum.

[x] Quod ex Analyticis.) Analyticorum Operis subinde nos Aristoteles commonefacit, partim in lib. de prima Philosophia, partim hic, et alibi, ut in lib. περὶ ἑρμηνείας, cap. 6. Est autem opus illud geminum & bipartitum,, quia partim de Ratiocinatione agit, partim de Demōstratione. Vbi de demonstratione agitur, ἀναλυτικὰ τὰ ὕστερα: ubi de Ratiocinatione, τὰ πρότερα ἀναλυτικὰ dicuntur, quorum in præsens est mentio, ut paulò antè significauimus. De inscriptione Analyticorum, & eius operis diuisione, uide προλεγόμενα nostra in lib. de Ratiocinatione.

y Cùm

y Cùm autem argumentat.) Quod suprà de extraneis & alienis sumptionibus admonuit, hoc loco clariùs explicat, docēs si omnino alienum sit, quod sumitur, nec quicquam ad propositū faciat, nullam ex eo confectum iri conclusionem: sin aliquo modo permittere ad id uideatur, futurum quidem aliquam, sed non nisi fallacem & Sophisticam cōclusionem. ὅταν δὲ ἀπόδειξις ἢ τινὸς ὁ εἰρημένος λόγος, εἰ τί ὅλως ἄλλο πρὸς τὸ συμπέρασμα μηδαμῶς ἔχον, οὐκ ἔσαι περὶ ἐκείνου συλλογισμός, ἐὰν δὲ φαίνηται, σόφισμα ἔσαι μᾶλλον ἢ οὐκ ἀπόδειξις. Quo modo cùm omnino à proposito sumpta abhorrent, nihil tum reuera concludi possit, de eo uide Aristotelem lib. 1. de Ratiocinat. cap. 12.

Cùm plane à re differt argumentum, nihil concludatur.

z Est etiam φιλοσόφημα.) Occasione præcedentis annotationis de sophismate, hoc est, fallaci & captiosa conclusione, hîc de cæteris conclusionum generibus breui subijcit, quæ materiæ ratione inter se distincta, his nominibus appellantur, φιλοσόφημα, ἐπιχείρημα, σόφισμα, μᾶλλον ἀπόδειγμα: quorum φιλοσόφημα, idem quod apodictica ratiocinatio, seu ἀπόδειξις: ἐπιχείρημα, idem quod ratiocinatio dialectica: σόφισμα idē quod fallax & captiosa: ἀπόδειγμα idem quod dialectica, præsertim contradictionem concludens, ratiocinatio ualet, quemadmodum ipse deinceps declarat. φιλοσόφημα, apodictica & necessaria ratiocinatio eò dicitur, quia Philosophorum proprium est, huius generis ratiocinationibus, ubi locus & res postulant, in disserendo uti.

Quatuor conclusionū genera

Φιλοσόφημα.

a Epicherema autem.) Quod ad ἐπιχειρήματος nomen attinet, non satis inter Antiquos conuenit, quidnam illud præcipuè nobis signet. Dicitur quidem ἀπὸ τοῦ ἐπιχειρεῖν, ἐπιχειρεῶ, quod uerbum argumentari, & argumentis quempiam petere & aggredi significat. Verum sit ne argumentum, ἐπιχείρημα, an argumenti quædam tractatio, nō satis constat, cùm alij argumentum et rationem, alij argumentationem, ἀπόδειξιν, ratiocinationem, & aggressionem esse uoluerint, de quo ita Fabius lib. 5. cap. 10. Epichirema Valgius aggressionem uocat. Verrius autem iudicat non nostram administrationem, sed ipsam rem quam aggredimur, id est argumentum, quo aliquid probaturi sumus, etiamsi nondum uerbis explanatum, iam tamen mente cōceptum, epichirema dici. Alijs uidetur non destinatam uel inchoatam, sed perfectam orationem hoc nomen accipere, et ultimam speciem. Ideoq; propria eius appellatio, & maximè in usu posita est, qua significatur certa quædam sententiæ comprehensio, quæ ex tribus partibus constat. Quidam epichirema rationem appellauerunt: Cicero melius ratiocinationem. Quanquam & ille nomen hoc duxisse magis à syllogismo uidetur. Et quoniam est quædam inter syllogismum & epichirema uicinitas, potest uideri rectè hoc nomine abusus. ἀπόδειξις est euidens probatio, ideoq; apud Geometras γραμμικαὶ ἀποδείξεις dicuntur. Hanc & ab epichiremate Cecilius putat differre solo genere conclusionis, & esse apodixim imperfectum epichirema, & cæt. Certè Aristoteles non uno modo isto uerbo in hoc Opere utitur. Nam cùm aliàs passim ἐπιχείρημα ferè rationem & probationem dicat, qua aliquid ex alio

De uerbo τῶ ἐπιχειρήματος uaria sententiæ.

Aristoteles nunc pro argumēto utit.

probatur & confirmatur, ut cùm dicit, ὑποζῆμ τῶν ἐπιχειρημάτων, pro eo quod est argumentorum copiam habere: in præsens non argumentum & rationem, sed argumenti & rationis explicationẽ idipsum dicit, cùm inquit: ἐπιχείρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικός. Id est, Epichirema uerò, Dialectica ratiocinatio est. Atq; cum hac sententia conuenit, id quod Fab. lib. 5. cap. 14. de uerbo τῶ ἐπιχειρήματος differens, scribit ad hunc modum: Epichirema autem nullo modo differt à syllogismis, nisi quòd illi & plures habent species, & uera colligunt ueris: epichiremata frequentior circa uerisimilia est usus. Verùm hæc de Epichiremate satis multa.

Nunc pro argumentatione.

b Sophisma autem.) Author est Seneca epistola 112. Sophismatis nomen à multis quidem Latinè dici tentatum esse, sed quia res ipsa non recipiebatur à Latinis, nec in usu erat, idcirco & nomini fuisse repugnatum. Dicitur uerò illud ἀπὸ τῶ σοφίζεσθαι, quod est, sapienter loqui, fallere, calumniari, captiosè agere. Vnde & fallacia, calumnia, sapiẽs inuentum, impostura, & captio, Latinè trãsfertur. Cicero 4. Academica. fallacem conclusiunculam uocat, cùm sic ait: Quorum sunt contorta & aculeata σοφίσματα. Sic enim appellantur fallaces conclusiunculæ. At si Senecæ credimus eo loco, quem modò nominauimus, nullum uerbum est aptius, quàm cauillationis, quo & Ciceronem in ea re usum esse Sene. testatur, & post Cicero. eodẽ uerbo Vlpian. Iureconsultus utitur, ff. de Verbor. significatione, cùm ad hunc modum Cauillationem describit, Natura cauillationis, quam Græci σόφισμα appellauerunt, hæc est, ut ab euidenter ueris per breuissimas mutationes disputatio ad ea quæ euidenter falsa sunt, perducatur. Aristoteles hîc Sophisma definit esse συλλογισμὸν ἐρισικὸν, hoc est, pugnacem, & contendendi studio institutam ratiocinationem. Sed quid inter ἐρισικὸν συλλογισμὸν, & eundem σοφισικὸν, seu propriè σόφισμα interfit, de eo uide lib. de Reprehensionib. cap. 7.

Sophisma tis nomini à Veteribus repugnatũ.

Sophisma cauillatio rectissimè dicitur.

c Ἀπόρημα, ratio.) ἀπόρημα παρὰ τὸ ἀποζῆμ dicitur, quod est, ambigere, hærere, dubitare. Vnde & ἀπόρημα, συλλογισμὸν διαλεκτικὸν ἀντιφάσεως in præsens Aristoteles definit, hoc est, ratiocinationem, qua in contrarias partes uerisimiliter disseritur. Nam ex hac tali in contrarias partes differendi ratione, dubitatio oboriri solet, de quo suprà dictum est, lib. 6. cap. 2.

ἀπόρημα παρὰ τὸ ἀποζῆμ.

d Quòd si ex utraq;.) Hoc loco ostendit, quo pacto propositionum probabilitatẽ conclusiones consequantur. Siue utræq; probabiles sint, siue altera tantum, non modò probabilis semper est conclusio, sed etiam si in sumptionibus probabilitas uariarit, eam quæ magis talis esse uideatur, exprimit. Hîc conclusio, seu id quod concludendo demonstratur, Græcè τὸ συνεχθὲν dicitur. Alexander τὸ συνυμενον συμπέρασμα uocat, id quod τῇ τὸ μᾶλλον ἐχόσῃ προτάσει ἀκολουθῆν attestatur.

Cõclusio sumptorũ probabilitatem vt sequatur. τὸ συνεχθὲν.

e Atq; etiam in tract.) Cùm in tractandis argumentationibus cum primis perspicuitas adhibenda sit, quæ copia ferè ac turba rerum non necessariarum obscuratur: monet ut non

Plura necessaria adhibere.

ut non plura, quàm necesse sit, in ratiocinando adsumamus. ἔστι δέ τις ἁμαρτία καὶ αὕτη κατὰ τοὺς συλλογισμούς, ὅταν δείξει διὰ μακροτέρων, ἐνδεχόμενον δι' ἐλαττόνων καὶ ἐν τῷ λόγῳ ὑπαρχόντων. Conuenit cum hoc loco, id quod superiùs cap. 2. dixit, ὅς τις δ' ἕνα λόγον πολὺν χρόνον ἐρωτᾷ, κακῶς πυνθάνεται. Obscuritatē parit.

f Cuius generis est illud.) Vide an hoc δι' ἐλαττόνων sic concludas. Vbicunque est ipsum, & non ipsum, ibi est & magis & minus. Atqui in opinione inest & ipsum & non ipsum. Ergo opinio una magis aut minus est opinio, quàm altera, Id quod in quæstionem ueniebat. Pronomen, ipsum, græcè αὐτὸ appellatur, hinc αὐτοέκαστον, αὐτοαληθῶς, αὐτοδόξαν composita Aristoteles affert. Opinio vna, alia & magis & minus.

g Si quis poscat hanc.) Græcè hanc sententiam paucißimis uerbis complectitur, εἴ τις αἰτήσαιτο αὐτοέκαστον μάλιστα εἶναι.

h Porrò autem omne quod.) Græcè est, πρὸς δὲ τὸ μᾶλλον, μᾶλλον τὸ λεγόμεν εἶναι.

i Ex quibus sequitur.) ὥστε αὐτὴ ἡ δόξα, ait, ἡ μάλιστα ἀληθὴς, ἀκριβεστέρα ἐστί.

k Sed quod vitium in.) Subiectione causam antegressæ uitiositatis (quam τὴν ἁμαρτίαν καὶ μοχθηρίαν uocat) exquirit. Illa est, quòd rerum extrinsecus adhibitarum uis & copia, consequutionis rationem καὶ τὸ αἴτιον inuoluit & obruit. Græcè est, τίς δὲ ἡ μοχθηρία? ἢ ὅτι ποιεῖ παρ' ὃ ὁ λόγος λανθάνειν τὸ αἴτιον? Quæ uerba Alexander sic interpretatur, ut dicat. τίς δ' ἡ ἁμαρτία τῶν οὕτω δεικνύντων, καὶ τίς ἡ τῶν τοιούτων λόγων μοχθηρία, προστίθησι. ποιοῦσι γὰρ τὰ ἔξωθεν καὶ ἐκ πριόδου προστεθέντα λανθάνειν τὰ τοῦ συμπεράσματος αἴτια ἤτοι τὸ μέσον, παρ' οὗ καὶ δι' ὃ συλλογισμός γίνεται. Causa antegressæ τῆς ἁμαρτίας.

l Argumentatio aūt perspi.) Subijcit, quibus tandem modis in ratiocinationib. cōcludendis perspicuitatem afferamus. Eos modos tres enumerat, quorū omnium hæc summa est, ita explicandam ratiocinationem esse, ut ijs quæ per se notiora sunt, recisis, cætera omnia per alia approbata, eatenus persequamur, ut nihil aliud deinceps aduersarius exquirat. Perspicua argumentatio, Græcè δῆλος ὁ λόγος dicitur. λόγος δὲ ἐστὶ δῆλος, inquit, ἕνα μὲν τρόπον & cæt. Argumentatio trib. modis perspicua. λόγος δῆλος.

m Qui maximè in popu.) Græcè est, ἕνα μὲν τρόπον καὶ δημοσιώτατον, ἐὰν ᾖ συμπεπερασμένος οὕτως, ὥστε μηδὲν δεῖν ἐπερωτῆσαι.

n Altero qui crebris.) ἕνα δὲ, inquit, τὸ ὃς μάλιστα λέγεται, ὅταν εἰλημμένα μὲν ᾖ δὲ ὧν ἀναγκαῖον εἶναι, ᾖ δὲ διὰ συμπερασμάτων συμπεραινόμενα.

o Prætereà si quid præter.) Ne minus uidelicet necessarijs argumentatio obruatur, quæ res obscuritatem parit, ut paulo suprà dictum est. Græcè est, ἔτι εἰ ἐλλείπει τὸ σφόδρα ἔνδοξον. In hunc locum, de prætermißione ualde perspicuarum & probabiliū propositionum, uide nonnulla lib. 1. de Ratiocinat. cap. 18. τὰ σφόδρα ἔνδοξα omittenda.

DE

DE FALSA ARGVMENTATIONE, ET QVOT MODIS TVM PRINCIPIVM, TVM CONTRARIA SVMANTUR, item quæ ad exercitationem pertineant.

Cap. 5.

Argumentatio falsa modis quatuor.

FAlsa [a] aũt dicitur argumẽtatio quatuor modis, & cùm videtur cõcludere neq; concludit, [b] q̃ vocatur cõclusio, & ratiocinatio ad concertationes spectans. [c] Et cùm efficit illa quidem aliquid, sed quod minus ad rem pertineat: quod ijs contingit maximè, quibus incommodo aliq̃ vrgentur. [d] Aut aliquid concludit, quod ad id quod agitur pertinet, sed non propria accommodataq́; ratione, id est, si ea quæ non est medicinæ propria, videatur medicinæ esse, aut geometrarum, quæ non est, aut dialecticorum quę non est, siue verum, siue falsum sit quod efficitur. [e] Alio modo falsa est argumẽtatio, cùm ex falsis concludit, cuius generis erit alia falsa, alia vera conclusio. [f] Nam & falsum sempex ex falsis, & verum interdum ex falsis, vt suprà dixi, concluditur. [g] Ac oratio quidem quòd falsa sit, culpa est eius qui argumentationem tractat potiùs, quàm argumentationis. Nec verò culpa est semper disputantis, sed tum deniq;, cũ falsam se aliquam argumentationem tractasse ignorat. [h] quandoquidẽ sæpe falsam orationem & propositionem per se quidem magis quã multas veras approbamus, dum ijs quæ maximè vidẽtur probabilia, aliquid eorum quæ vera sunt, ipsa refellit. [i] nam cùm sit eiusmodi, tamẽ verorũ necessaria conclusio est. quippe cùm aliquid eorum quę posita sunt, falsum esse debeat omnino, vt id demonstretur. [k] Si verò falsis, & valde absurdis verum cõcludat argumentatio, multo certè deterior ijs futura est quæ falsum concludunt. [l] Cuius generis argumentatio, etiam falsum concludere potest. [m] Perspicuum est igitur primùm videndum esse, an concludat argumentatio: deinde, verúmne an falsum: tum ex quibus. [n] Nam si ex falsis, sed quæ probabilia sint, tolerabilis erit, & non aspernanda ratio: sin ex veris, sed quæ nõ probentur, vitiosa: si & falsa, & quæ valde improbentur, profectò vitiosa erit aut omnino, aut in re de qua agitur. [o] Quemadmodum autem is qui quærit, id quod initio propositũ est, & contraria petat ad veritatem, expositum est in Analyticis: quemadmodum ad opinionem, nunc dicendum est. [p] Petendi autem id quod initio dictum est, quinque sunt genera. [q] Primum & clarissimũ, si quis id petat, quod demonstrandum ipsi est: [r] quod quidem in eadem re non facilè ignoratur, in synonymis autem ijsq́; omnibus quorum nomen,

Cuius culpa falsitas eueniat.

Modi petẽdi principij quinq.

&

[s] & definitio idem declarant, magis. [t] Alterum, cùm id quod singulatim demonstrari debet, omnino & totum aliquis petit. vt si quis probans cõtrariorum quæ aduersa dicuntur, vnam esse artem, petat contrariorum omnino vnam esse. [u] videtur enim quod per se probari debeat, id vnà cũ alijs pluribus petere. [x] Tertium, si quis singulatim petat, quod propositum est ad demonstrandum omnino. vt si omnium aduersorum esse propositum sit, aliquorum petat. [y] Nam videtur hic etiam quod cũ multis erat docendum, id petere per se ac separatim. [z] Rursus si quis adhibita diuisione, id de quo agitur petat. vt si demonstrandum sit, medicinã esse salubrium & contrariorum, separatim petat vtrumq;. [a] Aut si quis alterum petat eorum, quorum alia alijs consequuntur necessariò, vt latus cum diametro componi non posse, cùm probandum sit, diametrum cum latere non posse. [b] Contraria etiam tot modis, quot ea quæ initio dicta sunt, petuntur. [c] Primùm, si contraria petat, aientia & negantia. [d] Secundò, si contraria eo modo quo sunt inter se repugnãtia. vt bonum & malum esse idem. [e] Tertiò, si quis omnino & totum sumpserit, & in parte petat quod repugnat. vt si quis hoc sumpto, aduersorum vnam esse artem, petat, salubrium & insalubrium aliam artem: aut si hoc posteriore petito, de toto genere repugnantiam sumat. [f] Rursus si quis contrarium petat eius, quod ex positis & concessis efficitur necessariò. [g] Item si quis contraria ipsa non sumat, duo autem petat eiusmodi, ex quibus repugnantia sequetur. [h] Sumere autem contraria, & petere id quod initio positum est, hoc differunt, quòd huius error in conclusionem incidit. ([i] Illam enim spectantes, peti id dicimus quod initio positum est) contraria autem in propositionibus cernuntur, quòd inter se quodam modo affectæ sunt. [k] Vt autem exercitatio & meditatio in argumentationibus eiusmodi paretur, primùm assuescendum est argumentationes conuertere. [l] Sic enim maior nobis ad disputandum argumentorum suppetet copia, & in paucis multas argumentationes tenebimus. [m] Conuertere enim est, vnum eorum quæ data sunt refellere, mutata in suam oppositam conclusione, eaque cum altera sumptionum accepta. [n] Nam si tollatur conclusio, vna aliqua propositio tollatur necesse est: si quidem positis ijs omnibus, necesse sit conclusionem effici. [o] Ad omne verò propositum multùm valet, in hanc & illam partem argumenta inuenire, quibus solutio illico quærenda est. [p] Sic enim fiet, vt simul & in quærendo, & in respondendo exercitati simus: & si nemo alius sit quo cum dispute

2. 3. 4. 5.

Sumendorum contrariorũ totidem

Quę ad superiorum rationum μελέτην pertineant.

mus conferamusque hæc ipsa, nobis certè per nos, & nobiscum licebit. [q] Sunt etiam comparanda inter se argumenta, quæ vtramq; in partē plurimùm valent. [r] Hoc enim & ad obfirmandum se, & ad refellendū multùm valet, cùm alicui magna argumentorum copia in vtramq; partem disserendi suppetit. [s] Nam ad contrarias partes fiet tutior. [t] Posseq; antè perspicere, & perspexisse, quid vtramq; quæstionem, & causam sequatur, non parvum adiumentum adfert ad cognitionem, philosophiæque rationem. [u] Relinquetur enim, vt eorum rectè alterum sequamur. [x] Sed ad id efficiendum ingenio opus est: verumque ingenium, & indoles in eo est, vt possis verum rectè sequi, & declinare falsum: [y] quod quidem ij quibus acumen ingenij, & indolem natura largita est, præclarè efficere possunt. [z] Cùm enim amant, & oderunt quod affertur & proponitur, verè de eo quod præstantissimum est, iudicant. [a] Cùm verò ad quęstiones, quæ sæpissimè in disputationem incidunt, parati & instructi argumentorum copia venire debemus, tum maximè ad eas quibus capita prima proposita, & quæstiones generales disputantur. [b] quoniam in his ferè ij qui respondent, omnia ferè quæ vulgò recepta sunt, respuere solent. [c] Iā definitionum nobis magna vis suppetere debet, eaque in promptu habere debemus maximè, quibus ea quæ probantur, & prima declarantur: cùm præsertim ex ijs ratiocinationes constent. [d] Danda est etiam opera, vt ea in quæ alia argumenta incurrunt, teneamus. [e] Vt enim in geometria vtile est, elementa exercitatione parata & meditata habere: & in numerorum ratione, prima quasi capita in promptu habere, [f] magnaque in hoc ipso vis est, vt alium etiam numerum multiplicatum cognoscāt: [g] sic in argumentationibus, principia tenere, & propositiones in ore habere. [h] Quemadmodum enim in memoriæ exercitatione loci collocati & dispositi statim faciunt, vt redeant res nobis in memoriam: [i] ita hæc ipsa magnam nobis ad disserendum copiam suggerent, quòd loci ipsi certi sint, quos spectemus. [k] Sed locus communis potiùs quàm tota ratiocinatio, memoriæ mandandus est: [l] quippe cùm difficile sit, mediocrem principiorum & propositorū vim ac numerum suppetere. [m] Præterea argumentum vnum in multa distribuere assuescendum est nobis: ita tamen vt id obscurissimè facere videamur. [n] Quod ita fiet, si quis longissimè aberrat à vicinitate eorum de quibus agitur. [o] Ea autem argumēta in hoc genere plurimùm valebunt, quę de toto genere id maximè efficere possunt. Cuius generis illud est: Non esse vnam multarum rerum

Ad supiora præstāda & ingenij bonitate opus

artem.

artem. [p] Eadem enim ratio est eorum quæ cum aliquo conferuntur, & contrariorum quæ aduersa dicuntur, & coniugatorum. [q] Atq; etiam rationes quas ab alijs accepimus, quasi vniuersales accipere debemus, etiã si in parte sint tractatę. Sic enim ex vna multas etiã facere licebit. [r] Quod fieri in arte rhetorica de enthymematibus eodem modo iudicandũ est. [s] Is verò qui respondet, hoc quantum poterit declinabit, ne ad totum genus reuocetur disputatio: [t] illiq́ue hoc videndum est semper, an de pluribus rebus communibus tractetur facta ab alio argumentatio. Omnis enim quæ de parte est, in vniuerso genere continetur, [u] ineſtq́; in priuata & singulari causa vniuersi generis expositio & demonstratio: quòd sine vniuersi generis locis nihil concludi potest. [x] Vsus autem argumentationum earum quæ per inductionem tractantur, ad rudes & ignaros: earũ quæ per ratiocinationem, ad peritos transferri accommodariq́; debet. [y] Enitendumque est, vt ab ijs qui argumentationes per ratiocinationem tractare possunt, propositiones: ab ijs qui per inductionem, similitudinum collationes comparationesq́; accipiamus. Sunt enim vtrique in hoc genere exercitati. [z] Omnino is qui exercitationis gratia disputat, conari debet vtilitatem illam ex disputatione consequi, vt aliquam inde referat aut ratiocinationem ad aliquid probandum, aut propositionem, aut solutionem, aut oppositionem, [a] quæ instantia vulgò appellatur. Et vt notet bene an perperam, aut ipse aut alius disputauerit: & qua ratione vtrumque euenerit. [b] Ex his enim tota hæc facultas constat: exercitatio autem facultatis gratia suscipitur. [c] Sed ex ijs omnibus quę dixi, maximè quærendæ sunt propositiones & oppositiones, hoc est vt vocãtur, instantiæ. Dialectici enim vis maximè cernitur in proponendo, & resistendo. [d] Est autem proponere, vnum facere ex multis: quandoquidem vnum omnino sumi debet, ad quod pertinet argumentatio: resistere verò, est multa ex vno. aut enim distinguit, aut euertit, cùm ex ijs quæ proposita sunt, hoc concedit, illud non concedit. [e] Quoniam autem vitiosæ & iniquæ disputationes cum quibusdam futuræ sunt necessariò, nec cum quouis disputationes instituere, nec quemlibet in societatẽ exercitationis recipere debemus: [f] nam aduersus eum qui hoc vnum agit, hoc conatur, vt alterius argumenta quacunq; ratione eludat, æquum est omnino disputare, tamen non semper decet. [g] Quocirca nõ temerè cum quibusuis exercitatiõis causa cõsidendũ est: [h] hinc enim maledicta, hinc contumeliæ, hinc iracundæ contentiones, concertationesq́; nascuntur.

Dialecticus ὁ πειραστικὸς ἢ ἐνστατικός.

Cũ quibus disputationes nõ incundæ.

[j]Neque enim fieri potest, vt qui vnum in locum discendæ exercendæq; artis gratia conueniunt, sine concertationibus disputare desinant. [k] Atque vt finem dicendi faciam, parata & meditata argumenta nobis esse debent ad eiusmodi quæstiones, quibus tractandis, quò minor copia suppetet, eo ad plura valebunt: [l] quo ex genere sunt & ea quæ per vniuersi generis quæstionem fusa sunt, & ea quorum ex tempore difficilior suppeditatio & inuentio est.

IN CAPVT QVINTVM,

ANNOTATIONES.

[a] Falsa autem dicitur.) *Hoc postremũ caput est Topicæ præceptionis, in quo post explicatam omnem rationem bene tum interrogandi, tum respondendi, communia quædam præcepta ad utrumq; differentium ex æquo informandum & instituendum subijcit. Ac primùm quidem de falsa argumentatione agit, deinde de petitione principij, tum de sumptione contrariorum. Post hæc, & extremo quidem loco, de exercitatione & meditatione, quæ doctrina longè sanè pulcherrima est, qua omnem antegredientem disciplinã ac præceptionem terminat & concludit. Quod uerò ad falsæ argumentationis rationem attinet, quatuor modos hic tradit, non longe superiori disputationi de reprehensione uitiosæ argumentationis dissimiles, quorum primus est, qui ad ἀσυλλογιστα pertinet, cũ ea quæ affertur conclusio, rectè quidem effecta uidetur, attamen rectè effecta non est. De quo modo ita Aristoteles,* ἕνα μὲν τρόπον, *inquit,* ψευδοῦς λόγον καλεῖται, ὅταν φαίνηται συμπεραίνεσθαι μὲ συμπεραινόμενον.

Sũma capitis, quæ.

Falsæ argumẽtationis modi quatuor.

[b] Quod vocatur cõclusio.) ὃ καλεῖται, *inquit,* συλλογισμὸς ἐρισικός. *Quod ad* ἐρισικὸν συλλογισμὸν *attinet, duo eius genera proponit Aristoteles lib. 1. Topicorum, cap. 1. Alterũ quidem, quod ex falsis progrediens rectè conclusionem conficit, quod genus* ἂν πρὸ τῶν ὕλην ἡμαρτημένον συλλογισμὸν *Alexander uocat. Alterũ uerò, quod etsi ex ueris progreditur, non rectè tamen concludit & colligit. Quod genus* ἂν πρὸ χῆμα, *seu* ἂν κατὰ εἶδος ἡμαρτημένον συλλογισμὸν *Alexander uocat. Aristoteles prius genus,* ἂν συλλογισμὸν: *posterius non* συλλογισμὸν, *sed* φαινόμενον συλλογισμὸν *cum adiunctione uocat. Ac cùm prædicto modo in duo genera* ἂν ἐρισικὸν συλλογισμὸν *1. Topicorum distribuat: in præsens posterius genus tantùmodò isto nomine appellari meminisse debemus.*

ἐρισικὸν συλλογισμὸν duplex.

At hic vno modo capitur.

[c] Et cùm efficit illa.) *Hic alter modus est, quo rectè quidem aliquid concluditur, at non satis ad propositum accommodatè. Quod genus in ijs demum conclusionibus, quæ ex incommodi demonstratione conficiuntur, maximè euenire significat: de quo genere uide lib. 2. de Ratiocinat. cap. 8. quo illud* ἂν μὴ πρὸς τοῦτο edisseritur. *Græcè hunc modum Aristoteles describit, ut dicat,* ἄλλον δὲ, ὅταν συμπεραίνηται μὲν, μὴ μέντοι πρὸς

Secundus modus in quibus incidat.

πρὸς δὲ προκείμενον, ὅπερ συμβαίνει μάλιστα τοῖς ἐκ δὲ ἀναλόγου ἄγουσιν. Quod hîc πρὸς δ' προκείμενον συμπεραίνεσθαι ait, id superiore capite μὴ γίνεσθαι πρὸς τὴν θέσιν συλλογισμὸν eodem sensu dixit.

d Aut aliquid concludit.) Hic tertius modus est, quo ad propositum quidem aptè concluditur, sed ex communibus & alienis principijs ac rationibus. ἢ πρὸς δ' προκείμενον μέν, inquit, συμπεραίνεται, μὴ μέντοι κατὰ τὴν οἰκείαν μέθοδον. Quemadmodum quemq; artificem ex sui generis proprijs, & accommodatis disciplinæ principijs disputare, & concludere argumentationes oporteat, de eo dictum est lib. 1. de Demonstratione, cap. 5. & 6.

Tertius modus ex alienis principijs

e Alio modo falsa.) Hic postremus modus est, qui ex falsis rem conficit, quem superiore capite aliquo modo approbauit, cùm ex falsis sine reprehensione interim concludi & dissèri posse asserebat. Græcè est, ἄλλον δὲ τρόπον, ἐὰν διὰ ψευδῶν συμπεραίνηται, τοῦτον δὲ ἔσαι ποτὲ μὲν δ' συμπέρασμα ψεῦδος, ποτὲ δὲ ἀληθές.

Quartus ex falsis progredi

f Nam & falsum semper.) Græcè est, τὸ μὲν γὰρ ψεῦδος ἀεὶ διὰ ψευδῶν συμπεραίνεται, δ' δὲ ἀληθὲς ἐγχωρεῖ καὶ μὴ δι' ἀληθῶν. In hunc locum, quo modo ex falsis tum falsum, tum uerum efficiatur, & qua id diuersitate fiat, uide lib. 2. de Ratiocinatione, cap. 1. & 2.

Ex falsis verum effici.

g Ac oratio quidem quòd.) Loquitur de postremo genere, cùm ex falsis falsum colligitur, demonstrans, cuinam falsi istius causam imputare conueniat. Neq; enim orationis culpa id semper fit, sed quandoq; & differentis. Idq; tum demum, cùm is qui differit, nõ intelligit se falsa dicere, quemadmodum dicebat Aristoteles subijcit. Græcè est, δ' μὲν οὖν ψευδῆ δι' λόγον εἶναι, τοῦ λέγοντος ἁμάρτημα μᾶλλον ἢ τοῦ λόγου, & οὐδὲ τοῦ λέγοντος ἀεί, ἀλλ' ὅταν λανθάνῃ ἀνδ', ὅτι ψευδῆ λόγον εἶπε τινά. Alexãder δ' λέγοντα, hic opponentem & interrogantem intelligit, cùm inquit, δ' ψευδῆ λόγον εἶναι τοῦ λέγοντος ἡγεῖται ἐρωτῶντος ἀνδ', ἁμάρτημά φησι. Antegresso capite πρὸς δ' λέγοντα ἐπιχειρεῖν Aristoteles ait, quo loco δ' λέγοντα, ipsum respondentem significabat, quemadmodum ibidem monuimus.

Falsi causa ὁ ἐπιχειρῶν quando.

ὁ λέγων bifariam dicitur.

h Quandoquidem sæpe.) Ratio, quamobrem non semper differentis culpa oratio falsa sit. Sæpenumerò ciusmodi tempora incidunt, ut non possit non ex falsis is qui differit progredi, falsumq; concludere. Quod tamen conclusionis genus, tantum abest, ut uitio differenti dandum sit, ut uel necessariò eo utatur, quum re per argumentationem confecta, minimè aduersarius acquiescit. Id quod fit in eo genere demonstrationis, quod διὰ τοῦ ἀδυνάτου nuncupatur. Locus ad explicandum paulò difficilior uidetur. Verùm ista est sententia, quam diximus, si & uerba penitiùs introspicias, & Alexandri expositionẽ sequaris. Græca ad hunc modum habent, ἐπεὶ καθ' ἑαυτόν γε πολλῶν ἀληθῶν ἀπορεχόμεθα μᾶλλον, ἂν δῇ ὅτι μάλιστα δοκούντων ἀναιρεῖ τι τῶν ἀληθῶν. Alexander illud

Nõ semp differẽtis vitio falsum effici.

ἢ ἐξ ὅτι μᾶλλον δοκοῦντων. der illud, ἢ ὅτι μᾶλλον δοκοῦντων, ad aduersarij hypothesin referre uidetur, qua hypothesi cum altera prægressarum propositionum sumpta, falsum colligitur, per quod altera sumptionum antè posita, uerá; cuertitur, etsi ex hac ipsa cuersione ad eiusdem ueræ & positæ antè sumptionis confirmationem tandem reditur. Quò sit, ut hæc talis ratiocinatio ἀληθῶν ἀπόδειξις etiam in sequentibus uerbis appelletur.

i Nam cùm sit eiusmodi.) πρόληψις est, qua obiectioni occurrit. Etsi falsa sit, inquit, falsumq; ob aduersarij hypothesin prædicta argumentatio conficiat, tamen cùm in huius falsi assertione argumentatio non acquiescat, fieri non potest, quin cùm ad ipsum eiusdem euersionem & labefactationem se transferat, hoc modo, etsi indirectò & tanquam interuallo quodam, superioris sententiæ ueritas astruatur. Græcè uerba sic habent, τοιοῦτος γὰρ ὢν, ἀληθῶν ἀπόδειξίς ἐστι. Vide in hunc locum, quod attinet ad ueritatem ex falsi concluſi euersione astruendam, lib. 2. de Ratiocinat. cap. 5. ubi his uerbis eam rationē breuissimè nobis exhibet: τοῦτο δὲ ἀδύνατον, inquit, ὥστε ψεῦδος ὑποτεθέν, ἀληθὲς ἄρα ὑπάρχειν τὸ ἀντικείμενον.

Prædicta ratio ἢ ἐξ ἀληθῶν ἀποδείξις.

k Si verò falsis, & valde.) Hoc loco falsas ratiocinationes inter se confert, ratione assumptarum etiam falsarum propositionum. Nam cùm aliæ propositiones falsæ, ad ueri simulationem propensæ sint, aliæ à ueri similitudine in tantum abhorreant, ut etiā absurdæ & fatuæ (quas Græcè λίαν εὐήθεις Aristot. uocat) esse uideantur: quæ utriusq; generis pronūciatis ratiocinatiōes constant, nō eodē loco habentur, cùm eæ quæ ex probabilibus constant, longè potiores sint, nō modò ijs quæ ex absurdis falsum colligūt, sed etiā quæ ex ijsdem uerum. εἰ δ' ἀληθὲς, inquit, συμπεραίνοιτο διὰ ψευδῶν ἢ λίαν εὐηθῶν, πολλῶν ἂν εἴη χείρων ψεῦδος συλλογιζόμενον, εἰ δ' ἂν τοιοῦτος ᾖ ψεῦδος συμπεραινόμενος. Quod ait, πολλῶν ἂν εἴη χείρων, significat non omnib. falsum concludentibus priorem illam deteriorem esse, sed illis modò quæ ex falsis, ijsdemq; probabilibus falsum colligunt, sicut Alexander exponit.

Falsarū ratiocinationum collatio.

Ἢ πολλῶν ἂν εἴη χείρων.

l Cuius generis argu.) Nempe quæ ex falsis & absurdis progreditur: quæ multo quidem adhuc abiectior & uilior est, propterea quòd absurditati propositionum et complexionis falsitatem adiungit. Sic enim hunc locum Alexander exponit, cùm inquit, ὃν δ' ἔχεται δέ φησι ἢ ψεῦδος τί συνάγων διὰ ψευδῶν ἢ ἀληθίων προτάσεων, ὃς ἔτι φαυλότερος ἂν εἴη τῷ προσκεῖσθαι.

Ex absurdis falsum colligens peior ratio.

m Perspicuum est igitur.) Concludit de falsis ratiocinationibus, docens quam cautionem in ijs dijudicandis & æstimandis adhibere conueniat. Primò exquirendū est, utrum rectè ea colligant, deinde utrum uerum colligant, an falsum, tum ex quonam genere, seu uerum, seu falsum colligant. Ac si quidem non rectè colligere uideantur, omnino ratiocinationes illæ sunt, statimq; reijciendæ ac repudiandæ. Sin colligant quidem, sed uel ex probabilibus, uel nō probabilibus & absurdis, iam si ex absurdis & improbabilibus colligāt, idq;

Falsarū ratiocinationū collatio.

idq; seu ueris illis seu falsis, perinde ut superiores illæ ἀσυμπέρασοι, uitiosæ sunt, ac reijciendæ: sin autem ex probabilibus & falsis colligant, iam etsi ad docendum minus accõmodatæ sunt, tamen quia ex probabilibus conficiuntur, aliquo numero habendæ sunt, tãquam à Dialecticorum instituto non omnino alienæ. ὥστε δῆλον, inquit Aristoteles, ὅτι πρώτη μὲν ἐπίσκεψις λόγου καθ' αὑτὸν, εἰ συμπεραίνεται, δευτέρα δὲ, πότερον ἀληθὲς ἢ ψεῦδος, τρίτη δ' ἐκ ποίων τινῶν.

tio & diiudicatio.

n Nam si ex falsis.) Postremi membri explicatio est. εἰ μὲν γὰρ, inquit, ἐκ ψευδῶν, εὐδόξων δὲ, λογικός. εἰ δ' ἐξ ὄντων μὲν, ἀδόξων δὲ, φαῦλος. εἰ δὲ καὶ ψευδῆ καὶ λίαν ἄδοξα, δῆλον ὅτι φαῦλος, ἢ ἁπλῶς, ἢ τοῦ πράγματος. Hic triplex conclusionis genus nobis ob oculos ponit. Primùm λογικὸν, quod ex falsis & credibilib. progreditur: alterum, quod ex ueris quidem, sed τῷ προσδιαλεγομένῳ minus approbatis progreditur, quodammodo uitiosum καὶ φαῦλον. Tertium omnino φαῦλον ac uitiosum, idq; tum ex falsis progrediens, tum ex ijs, quæ omnino sunt inopinabilia & absurda. Quod ad uerbum τοῦ λογικοῦ attinet, Alexander id τὸ διαλεκτικὸν interpretatur, cùm inquit, καλεῖται ὁ τοιοῦτος συλλογισμὸς λογικὸς ἤτοι διαλεκτικός. Verbum τῶν ὄντων hîc accipitur, perinde ut in antegressis monuimus, nempe ut τὰ ἀληθῆ, hoc est, uera, designet. Idcirco Alexander, εἰ δὲ συνήχθη, inquit, ἐξ ὄντων μὲν καὶ ἀληθῶν, nimirum obscuram uocem alia clariore et notiore ἐκ παραλλήλου exponens. Quod Aristoteles ait, δῆλον ὅτι φαῦλος, ἢ ἁπλῶς, ἢ τοῦ πράγματος, Alexander ἀντὶ τοῦ πράγματος, καθ' ἄντοι τοῦ πράγματος legisse uidetur, exponitq; illud, τουτέστι πρὸς δὲ πρᾶγμα.

Triplex genus cõclusionis.

λογικὸς ἀντὶ διαλεκτικοῦ.

τὰ ὄντα, uera.

o Quemadmodum autem.) Transit ad principij petitionem, simul ac sumptionem contrariorum, de quorum utroq; antegresso capite meminit. Cùm uerò & in Analyticis, ut lib. 2. de Ratiocinatione, de ijsdem his egerit, ostendit non eadem ratione de illis hîc se tractaturum esse. Nam cùm in Analyticis ad ueritatem orationem retulerit, hîc nõ ad ueritatem, sed ad opinionem se præceptionem accommodaturum monet. Quod etsi maiore quidem ex parte utrobiq; uerum sit, non omnino tamen & in Analyticis omnia ad ueritatem, & hîc ad opinionem, prætermissa ueritate, omnia accommodata esse uidẽtur. Nam quod ad principij postulationem attinet, ut hîc in primo genere describendo, ad ipsam ueritatem orationem dirigit, ita in Analyticis, præsertim in generali modo postulationis principij, longiùs ab ipsa ueritate discedit. Neque enim propriè principium in disputatione tum petitur, cùm uel ex posterioribus priora, uel ex minus perspicuis clariora illustrioraq; probantur, quemadmodum ipsemet his uerbis ibidem profitetur: τούτων μὲν οὖν οὐδέν ἐστι τὸ αἰτεῖσθαι τὸ ἐξ ἀρχῆς. Certè in contrariorum, τῶν ἐναντίων, generibus recensendis, non ad opinionem omnia, sed quædam etiam ad ueritatem hîc refert, maximè in primis aliquot generibus, ut infrà patebit. Conuenit cum hoc loco, id quod de

Analytica præceptio à Topica qd distet.

Nec hîc ad opinionẽ, nec in Analyticis ad veritatẽ omnia dirigi.

petitione

petitione principij lib. 2. de Ratiocinat. cap. 7. Aristoteles scribit in hæc uerba: ἔστι δὲ τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι ἐν μὲν ταῖς ἀποδείξεσι τὰ κατ' ἀλήθειαν οὕτως ἔχοντα: ἐν δὲ τοῖς διαλεκτικοῖς τὰ κατὰ δόξαν.

p Petendi autem id quod.) Subijcit quinq; modos petitionis principij, quorum primus si non totus, magna tamen ex parte, ad ueritatē pertinet. Cæteri modi omnes nō reuera, sed specie tantum quadam id quod in principio est, petunt. Hinc Aristoteles non simpliciter quinq; modis peti, sed uideri tantum peti, id quod à principio ponitur, totidem modis astruit, cùm inquit: αἰτεῖσθαι δὲ φαίνονται τὸ ἐν ἀρχῇ πεντα χῶς, quemadmodum & Alexander admonet.

Principiū quinque modis peti videtur

q Primum & clarissimum.) Hic modus conuenit cum eo, quem in Analyticis describit his uerbis: ὅταν δὲ μὴ δι' αὑτοῦ γνωσὸν, δι' ἑαυτοῦ τις ἐπιχειρῇ δεικνύναι, τότε αἰτεῖται δ' ἐξ ἀρχῆς. Item, ἐὰν οὖν ᾖ τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι, δι' αὑτὸ δεικνύναι δ' μὴ δι' αὑτὸ δῆλον. Estq; ille non ad opinionem, ut cæteri, sed ad ueritatem, ut dixi, accōmodatus, idq; teste Alexandro, qui ad hunc modū de eo scribit: οὗτος δὲ ὁ τρόπος τοῦ ἐν ἀρχῇ οὐ κατὰ δόξαν ἐστίν, ἀλλ' ὁ κυρίως καὶ κατ' ἀλήθειαν. Græce Aristotelis uerba in præsens sic habent: φανερώτατα μὲν καὶ πρῶτον, εἴτις αὐτὸ δεικνυοῖ δέον αἰτήσει.

Primus modus ad ueritatē dirigitur.

r Quod quidem in eadem.) Ostendit bipartitò hunc modum explicari, partim ijsdem uerbis, partim alijs, sed idem ualentibus. Quorum illud quidem est apertius, hoc obscurius & tectius, & proinde in differendo aliquanto usitatius. Quæ enim nimis manifesta sunt & conspicua uitia, ea caueri diligentiùs solita sunt. Quod interpres in eadē re ait, Græcè ἐπ' αὐτὸ est, quod rectiùs in eodem nomine dixeris, quemadmodum Alexander ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ λέξεως interpretatur. Nomina synonyma, hîc intelliguntur τὰ ἰσοδυναμοῦντα more Grammaticorum, quæ lib. Categoriar. cap. 1. τὰ πολυώνυμα propriè uocari diximus. Vnde & Alexander hoc loco, ἐν δ', ἐν δὲ τοῖς συνωνύμοις, ἀντὶ τοῦ πολυωνύμοις ait. In eodem nomine principium petitur, si dicas, Socrates est homo, quia Socrates est homo. In synonymis, si dicas, Socrates est homo, quia Socrates est mortalis.

Idq; bifariam.

ἐπ' αὐτῷ

Nomina synonyma hic quæ.

s Et definitio idem decla.) Quid audio? cùm definitio ad rem docendam adhibetur, principiū tū petitur? Id si est, quomodo ullum definitionis locus argumentum Demōstratori suppeditabit? At negat Alexander reuera principiū tum peti, cùm ex definitione argumentum, maximè apertum, affertur. ὁ δὲ ὁρισμὸν, inquit, ἀντὶ ὀνόματος λαμβάνων φαινομένως αἰτεῖται. δείκνυσι γάς τινα διὰ τοῦ ὁρισμοῦ, ὅταν δ' μὴ ὄνομα ᾖ δῆλον ᾖ, ὁ δὲ ὁρισμὸς καὶ δ' σημαινόμενον, γνώριμον. Cùm ergo uel definitio minus aperta adhibetur, uel alia definitionis loco, reciprocantia quidem illa, sed tamen æquè acres ipsa obscura subijciuntur, tum uerè hoc modo principium postulatur.

Ex definitione nō uerè peti principiū.

Sic

Sic Alexander, τὰ δ' ἄλλα εἰκὰν τοῦ ἀληθῶς τοῦ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν πραδείγματα, καὶ καθόλου ὅταν δύο τινὰ ἀντιστρέφοντα ἀλλήλοις ὁμοίως ἀσαφῆ, ὁ πρὸς τὴν ἑτέρου δεῖξιν τῷ ἑτέρῳ ἀντῶν χρώμενος, αἰτεῖται δὲ ἐν ἀρχῇ. Aristoteles tamen, quod definitionem Interpres conuertit, non ὅρον seu ὁρισμὸν hîc, sed δὲ λόγον uocat, quod uerbum paulo latiùs non definitio, sed oratio, cum Boëtio reddi potuit. Inquit enim, καὶ ἐν ὅσοις δὲ ὄνομα καὶ ὁ λόγος τοῦ αὐτοῦ σημαίνει.

λόγος, oratio reddi potuit.

t **Alterum, cùm id quod.**) Hoc modo ad comprobationem partium, argumentũ ducitur à toto. Ita quum totum & partes idem esse uideantur, fit, ut idem ad suijpsius probationem adhiberi uideatur. Sed non ita est, quia etsi subiecto totum cum partibus conuenit, ratione tamen idipsum à partib. distinguitur, ut in Topicis lib. 6. cap. 5. dictũ est. Græcè est, δεύτερον δὲ, ὅταν κατὰ μέρος δέον ἀποδεῖξαι, καθόλου τὶς αἰτήσῃ.

Totũ an cum partibus omnino conueniat.

u **Videtur enim quod per.**) Græcè est, δοκεῖ γὰρ δὲ ἔδει καθ' αὑδὲ δεῖξαι μετ' ἄλλων αἰτεῖσθαι πλειόνων.

x **Tertium, si quis.**) Hic modus superiori è regione opponitur, estq; cùm ad probationem totius argumentum à partibus ducitur. Græcè est, τρίτον, εἴτις δὲ καθόλου δεῖξαι προκειμένου, κατὰ μέρος αἰτήσειεν.

y **Nam videtur hic etiam.**) Græcè est, δοκεῖ γὰρ καὶ οὗτος, ὁ μετὰ πλειόνων, ἔδει δεῖξαι, καθ' αὑδὲ χωρὶς αἰτεῖσθαι.

z **Rursus si quis.**) Quartum genus est, quo uel coniuncta diuisim, uel diuisa coniunctim approbamus. Quanquam prioris tantum modi hîc mentio fit. Verba Aristotelis Græcè sic habent, πάλιν εἴτις διελὼν, αἰτῆται δὲ πρόβλημα.

a **Aut si quis alterum.**) Hic postremus modus est, quo & antecedentia ex consequentibus, & consequentia ex antecedentibus, cùm necessario quodam nexu inter se iuncta sint, uicissim probantur. Græcè est, ἢ εἴτις τῶν ἑπομένων ἀλλήλοις δὲ ἀνάγκης, θάτερον αἰτήσειεν. Hoc modo & diem esse, quia sol exortus sit, & solem esse exortum esse, quia sit dies, concludimus.

b **Contraria autem tot.**) Subijcit de contrarijs, τοῖς ἐναντίοις, quæ totidem modis sumi uult, quot modis τοῦ ἐν ἀρχῇ iam sumi demonstrauit. Memineris τὰ ἐναντία in præsens paulo latiùs accipi, nempe ut idem, quod τὰ ἀντικείμενα generatim ualeant. Nam paulo infrà aliquanto diuersiùs ea uox sumitur. Pertinet hæc explicatio ad sextam syllogismorum potestatem commodiùs intelligendam, de qua uide lib. 2. de Ratiocinatione, cap. 6.

Cõtraria hîc latiùs sumũtur.

c **Primùm, si contraria petat.**) Græcè est, πρῶτον μὲν γὰρ, εἴτις τὰς ἀντικειμένας αἰτήσαιτο φάσιν καὶ ἀπόφασιν. Hîc φάσιν pro καταφάσει poni memineris. Propriè enim κατάφασις ἀντικειμένως τῇ ἀποφάσει opponitur.

φάσις pro καταφάσει.

d **Secundò, si contraria.**) Græcè est, δεύτερον δὲ, τὰ ἐναντία κατὰ τὴν ἀντί-

θεσιν. Hic propriè τὰ ἐναντία pro aduersis ponuntur.

e Tertiò, si quis omni.) Hic modus cum primo conuenit, nisi quòd paulo tectior est. Quam primus modus apertè præ se fert repugnantiam, & contradictionem, ut, omnis scientia bona est, quædam scientia non est bona: eam hic modus occultiùs significat, ut omnis scientia bona est, Pharmaceutice, uerbi gratia, aut necromantice, non est bona. Cũ enim pharmaceutice et necromantice scientiæ subsint, nihil interest, aliquámne scientiã non esse bonam, an hanc talem seu pharmaceuticen, seu necromãticen esse dicas. Ita Alexander hũc modum à primo distiungit, ut dicat, ὅτι ἐπὶ μὲν ἐκείνου δοκεῖ αὐτόθεν φανερῶς λαμβάνεσθαι, ἐνταῦθα δὲ, δυνάμει. Et: διὸ ἐκεῖνος μὲν ὁ τόπος καταφορώτερος καὶ τῶν ἀντικειμένων λήψεως, οὗτος δὲ μᾶλλον λανθάνων. Græcè hũc modum Aristoteles describit hoc pacto, τρίτον, εἴτις τὸ καθόλου ἀξιώσας, ἐπὶ μέρους αἰτεῖτο τὴν ἀντίφασιν, ἢ τοῦτο αἰτησάμενος ἐπὶ τοῦ καθόλου τὴν ἀντίθεσιν πειρῶτο λαμβάνειν.

Tertius modus à primo qd distet.

f Rursus si quis contrar.) Quartus modus est superiore adhuc tectior. Huius exemplum fuerit, si dato eo, hominem suo arbitrio uiuere, quod huic consequens est, eius cõtrarium sumas, nempe omnia fato regi. Item si dato eo, qui uirtutem habeat, eum nullius rei ad bene uiuendum indigere, postea assumas sine bona ualetudine eundem bene uiuere non posse. Item te adesse amico propter beneuolentiam, & ab eodem aliquid commodi ad te peruenturum sperare, & cæt. Græcè est, πάλιν ἐάντις αἰτήσῃ τὸ ἐναντίον τῷ δὲ ἀνάγκης συμβαίνοντι διὰ τῶν κειμένων.

Quarti modi exempla.

g Item si quis contraria.) Hic postremus modus est, quo pro contrarijs sumũtur, uel antecedentia, uel consequentia contrariorum. Græcè est, κἂν εἴτις αὐτὰ μὲν μὴ λάβῃ τὰ ἀντικείμενα, τοιαῦτα δ' αἰτήσαιτο δύο δὲ ὧν ἔσται ἡ ἀντικειμένη ἀντίφασις.

Quintus modus.

h Sumere autem contraria.) Distinguit sumptionem contrariorum à petitione principij, quòd hæc circa conclusionem eueniat, illa in antegredientibus propositionibus cernatur. διαφέρει δὲ, inquit, τὸ τἀναντία λαμβάνειν τοῦ ἐν ἀρχῇ, ὅτι τοῦ μὲν ἐστιν ἡ ἁμαρτία πρὸς τὸ συμπέρασμα, τὰ δ' ἐναντία ἐν ταῖς προτάσεσι, τῷ δ' ἔχειν πῶς ταύτας πρὸς ἀλλήλας.

Sumptio contrariorũ à petitiõe principij vt distet.

i Illam enim spectantes.) Nempe conclusionem, τὸ συμπέρασμα. Hic nota conclusionem etiam τὸ ἐν ἀρχῇ nominari. Græcè est, πρὸς γὰρ ἐκεῖνο βλέποντες, τὸ ἐν ἀρχῇ λέγομεν αἰτεῖσθαι.

Cõclusio, τὸ ἐν ἀρχῇ.

k Vt autem exercitatio.) Superioribus expeditis, transit ad exercitationem, cuius præcepta, ὀργανικά τινα πρὸς γυμνασίαν καὶ μελέτην τῶν διαλεκτικῶν λόγων Alexander uocat. Inter ea primum est, ut studio τοῦ ἀντιστρέφειν τοὺς λόγους, (hoc est, cõuertendarum ratiocinationũ & conclusionum) incumbamus, propterea quòd ea uis ad

Studiũ τοῦ ἀντιστρέφειν

copiam

copiam argumentorum parandam, simul ac facultatem in contrarias partes disserendi, nõ paruam uim obtineat. οὕτως γὰρ πρός τε ἀλεγόμενον εὐπορώτερον ἔξομεν, καὶ ὀλίγοις πολλοὺς διεπισκοπήσομεθα λόγους, ut ipse deinceps ait. Exercitationẽ, τὴν γυμνασίαν καὶ μελέτην, ἐκ παλαίας uocat, dum inquit, πρὸς γυμνασίαν καὶ μελέτην τῶν τοιούτων λόγων, πρῶτον μὲν ἀντισρέφειν ἐθίζεσθαι χρὴ τοὺς λόγους. Alexander τοὺς λόγους, τοὺς συλλογισμοὺς hic interpretatur. De hac ratione exercitationis conuertendi argumentationes, uide lib. 2. de Ratiocinat. cap. 4.

Exercitatio γυμνασία καὶ μελέτη.

l **Sic enim maior.**) Commendatio ab usu. Quomodo hæc res ad promptiorem disserendi facultatem conferat, Alexander ostendit, Quia cùm bipartitò hæc conuersio fiat, partim per contrarium, partim per contradicens, ubi unam quandam & simplicem conclusionem habuerimus, eius beneficio iam quatuor adepturi sumus.

Bipartitò conuersio fit.

m **Conuertere enim est.**) Quod conuertere, τὸ ἀντισρέφειν hîc ait, Alexander conuertere ratiocinationem, τὸ ἀντισρέφειν συλλογισμὸν dicit. Paulo suprà ἀντισρέφειν τοὺς λόγους eodem sensu dicebatur. Quod ad huius uerbi descriptionem & intelligentiam attinet, de ea uide lib. 2. de Ratiocinat. cap. 4. τὸ γὰρ ἀντισρέφειν ὄζι, inquit hoc loco, τὸ μεταλαβόντα τὸ συμπέρασμα μετὰ τῶν λοιπῶν ἐρωτημάτων, ἀνελεῖν ἓν τῶν τεθέντων. Admonet Alexander τὸ, μετὰ τῶν λοιπῶν ἐρωτημάτων, per heterosin ἀντὶ τοῦ μετὰ τοῦ λοιποῦ ἐρωτήματος, τουτέστι μετὰ μιᾶς τῶν κειμένων προτάσεων positum esse.

τὸ ἀντισρέφειν quid.

Heterosis numeri.

n **Nam si tollatur conclus.**) Id quod fit per illius in repugnantem qualitatẽ conuersionem. Sic lib. 2. de Ratiocinat. ἀνάγκη γὰρ τοῦ συμπεράσματος, inquit, ἀντισρεφέντος εἰ θατέρας προτάσεως μενούσης ἀναιρεῖσθαι τὴν λοιπήν.

Cõclusio vt tollatur.

o **Ad omne verò propositum.**) Alterum præceptum, ut quamq; thesin in contrarias partes disputare adnitamur. Quæres paratos tum ad interrogandum, tum ad respondendum nos mox efficiet. In hunc locum uide partim lib. 1. Topicorum, cap. 2. partim lib. 8. cap. 3. πρὸς ἅπαν ἀντιθέσιν, inquit, καὶ ὅτι οὕτως καὶ ὅτι οὐκ οὕτως τὸ ἐπιχείρημα σκεπτέον, καὶ εὑρόντα τὴν λύσιν, εὐθὺς ζητητέον.

In contrarias partes theses differẽdæ.

p **Sic enim fiet.**) Ab usu commendat. οὕτω γὰρ ἅμα, inquit, συμβήσεται πρόσταν τὸ ἐρωτᾶν καὶ πρὸς τὸ ἀποκρίνεσθαι γεγυμνασθαι· κἂν πρὸς μηδ' ἕναν ἄλλον ἔχωμεν, καθ' αὑτούς.

q **Sunt etiam comparanda.**) Loquitur de contentione & comparatione dictarum rationum, quæ & iudicium acuet, & miram in disserendo facultatem suppeditabit. Huc pertinet, quod lib. de Reprehensionibus Sophistarum ait, cap. 10. πρατιθεμένων γὰρ ἐγγὺς τῶν ἐναντίων καὶ μείζω καὶ μεγάλα φαίνεται καὶ χείρω εἰ βελτίω τοῖς ἀνθρώποις. Item quod libro 2. Metaphysicorum ait, ἔτι δὲ βέλτιον ἀνάγκη ἔχειν, & cæt. de quo suprà cap. 3. dictum est. παράλληλά τε παραβάλλειν, ait, ἐκλέγοντα

Cõtentio rationum iudicium acuit.

Alexãdri diuersa lectio.

πρὸς τὴν ἀντίθεσιν ἐπιχειρήματα. Locus superiori propinquus & finitimus est. Quod nos πρὸς τὴν ἀντίθεσιν legimus, Alexander πρὸς τὴν αὐτὴν θέσιν habet. Quã quam idem de eadem thesi εἰς ἑκάτερα τὰ μέρη nos disserere καὶ ἐπιχειρεῖν uult.

r Hoc enim & ad obsir.) τοῦτο γὰρ πρός τε τὸ βιάζεσθαι πολλὴν εὐπορίαν ποιεῖ, καὶ πρὸς τὸ ἐλέγχειν μεγάλην ἔχει βοήθειαν, ὅταν εὐπορῇ τις, καὶ ὅτι οὕτως, καὶ ὅτι οὐχ οὕτως.

t Nam ad contrarias.) Græcè est, πρὸς τὰ ἐναντιὰ καὶ συμβαίνει ποιεῖσθαι τὴν φυλακήν. Quod ita exponit Alexander, ut dicat, ὁ γὰρ εὐπορῶν πρὸς τὰ ἀντικείμενα καὶ εἰς ἑκάτερα τῶν ἀντικειμένων, φυλάττεται πρὸς τὴν τῶν ἀντικειμένων αὐτοῖς παράθεσιν. ἡ γὰρ εἰς τὰ ἀντικείμενον ἐπιχείρησις, φυλακὴ τοῦ δεικνυμένου διὰ καὶ εἰς τὸ ἀδύνατον ἐπιχειρήσεως.

ἡ εἰς ἀντικείμενον ἐπιχείρησις.

t Posseq; antè perspicere.) Pertinet huc, quod de locorum ratione scribit in hæc uerba Rodolphus Agricola lib. 1. cap. 1. Nec instruere solum os facultas ista, & tãtum dicendi copiam subministrare, sed prouidentiam animi, & rectè consulendi quoq; aperire uiam uidetur, quando non alia re prudentiam constare apparet, quàm perspicere quid in quaq; re sit positum, & consentanea repugnantiaq;, & quò quicq; ducat, quiq; euenire poßit, colligere. Admonet Alexander cum hoc loco conuenire, quæ suprà lib. 1. cap. 2. de Dialecticæ commendatione Aristoteles disseruit, idq; his uerbis: πρὸς δὲ τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας, ὅτι δυνάμενοι πρὸς ἀμφότερα διαπορῆσαι, ῥᾷον ἐν ἑκάστοις κατοψόμεθα τ' ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος. Græca hoc loco sic habent: πρός τε τὴν γνῶσιν καὶ τὴν κατὰ φιλοσοφίαν φρόνησιν, τὸ δύνασθαι συνορᾶν, καὶ συνεωρακέναι τὰ ἀφ' ἑκατέρας συμβαίνοντα καὶ ὑποθέσεως, οὐ μικρὸν ὄργανον. In quo nota τὸ οὐ μικρὸν ὄργανον, non paruum adiumentum, Latinè ab Interprete non ineleganter dici. Alexander τὴν γνῶσιν καὶ τὴν κατὰ φιλοσοφίαν φρόνησιν, τὴν καὶ ἀληθείας εὕρεσιν, καὶ τὴν τοῦ ἀληθοῦς ἐπιστημονικὴν γνῶσιν interpretatur.

Locorum ratio ad prudentiã valet.

οὐ μικρὸν ὄργανον.

ἡ γνῶσις καὶ φρόνησις κατὰ φιλοσοφίαν.

u Relinquetur enim.) Græcè est, λοιπὸν γὰρ τούτων ὀρθῶς ἑλέσθαι θάτερον. τῶν γὰρ ἐνδεχομένων, inquit Alexander, εἰς ἑκάτερον μέρος ἐπιχειρηθῆναι γνωρίμων ὄντων, ῥᾳδία ἡ τῶν ἀληθῶν εὕρεσις.

x Sed ad id efficiendum.) Ostendit ingenij bonitate & præstantia opus esse, ut superiora illa assequare. Ingenij illa bonitas, εὐφύϊα Græcè dicitur, quam definiendo explicat hoc modo, ut dicat, καὶ τοῦτ' ἔστιν ἡ κατ' ἀλήθειαν εὐφύϊα, τὸ δύνασθαι καλῶς ἑλέσθαι τ' ἀληθὲς, καὶ φυγεῖν τὸ ψεῦδος. Cõuenit cum hac ἡ ἀγχίνοια, hoc est, Sollertia, de qua uide Aristotelem lib. 1. de Demonstrat. cap. postremo.

εὐφύϊα, ingenij bonitas.

y Quod quidem ij quibus.) Hic uerborum τὴν συζυγίαν, hoc est, coniugationẽ nota, εὐφύϊα καὶ εὐφυεῖς, seu οἱ πεφυκότες εὖ. ὅπερ οἱ πεφυκότες εὖ, inquit Aristoteles, δύνανται ποιεῖν εὖ. Sic Alexander, εὐφιοῦς γὰρ τὸ οἰκειοῦσθαι μὲν πρὸς τ' ἀλη-

οἱ πεφυκότες εὖ.

θὲς,

θὲς, ἀποστρέφεσθαι δὲ τὸ ψεῦδος. ὁ δὲ τοῦτο ἔχων, ἔχει τὸ κρίνειν τἀληθὲς δύνασθαι καλῶς.

z **Cùm enim amant.**) *Quid audio? qui amant & oderunt id quod profertur, rectißimè iudicant? Nonne affectuum omne iudicium præposterũ est et cæcum? Impedit ira animum, ne poßit cernere uerum, inquit ille. Verùm caue, hæc simpliciter de amore laborantibus, & odio, intelligas. Qui amant & oderunt id quod affertur, uerum scilicet & falsum, intelligendum est, idq; naturæ præstantia, & ingenij bonitate, de qua iam dictum est.* οἱ γὰρ φιλοῦντες καὶ μισοῦντες, *ait Aristoteles,* τὸ προσφερόμενον, εὖ κρινοῦσι τὸ βέλτιστον. Affectus iudicium corrũpit.

a **Cùm verò ad quæstiones.**) *Redit ad superiora monita, ostẽdens in quibus primùm nos exerceri conueniat, nempe in ijs, quæ omnium maximè & frequentißimè incidunt, ut si quando de talibus illis agendum sit, iam copia & facultate argumentorum in utramq; partem simus instructi.* πρός τε τὰ πλεισάκις ἐμπίπτοντα, *inquit,* τῶν προβλημάτων ἐξεπίσασθαι δεῖ λόγους, καὶ μάλιστα περὶ τῶν πρώτων θέσεων. *Quod uerò de primis thesibus, hoc est, principijs, primo loco discutiendis & explanandis admonet, id eò facit, quòd talium thesium disputatio & tractatio longè difficilior est, in quo genere difficilium & arduarum rerum cum primis nos deceat exerceri, de quo uide suprà lib. I. cap. II. Atq; sic in præsens Alexander,* ἢ καθόλου *inquit,* ἀξιοῖ πρὸς τὰς τοιαύτας θέσεις ἔχειν τινὰς λόγους παρασκευασμένους, ἐπεὶ δύσκολος ἡ περὶ αὐτῶν ἐπιχείρησίς τε καὶ ἀπόκρισις, ἵν' ἂν δέη ποτὲ ὑπέχειν ἡμᾶς περὶ αὐτῶν λόγον, μήτε ἐπιχειρήματος, μήτε ἀποκρίσεως ἀπορῶμεν. In quibus exerceri cõueniat. Primę theses.

b **Quoniam in his ferè.**) *Græcè est,* ἐν τούτοις γὰρ ἀποδυσπετοῦσιν οἱ ἀποκρινόμενοι πολλάκις. *Alexander illud,* τὸ ἀποδυσπετεῖν, ἀπορεῖν τῶν ἀποκρίσεων *exponit, cũ inquit,* ὅτι ἀπορήσουσι πρὸς ταῦτα ἀποκρίσεων οἱ ἐρωτώμενοι. *Phauorinus* ἀποδυσπετεῖν *idem quod* τὸ ἀποδύρεσθαι, *hoc est, conqueri, & deplorare, ualere ait. Alij nolle loqui, & fastidire omnia more ægrotantium, esse uolunt.* τὸ ἀποδυσπετεῖν qd.

c **Iam definitionum.**) *Vult definitiones & probabilium et primorum, hoc est, initiorum, cum primis nobis perspectas et exploratas esse, eò quòd nisi illis cognitis, legitimè in disserendo progredi & ratiocinari non poßimus.* ἔτι τὲ ὅρων εὐπορεῖν δεῖ τὸ τῶν ἐνδόξων τὲ καὶ τῶν πρώτων ἔχειν προχείρους, διὰ γὰρ τούτων οἱ συλλογισμοὶ γίνοντι. *Alexander admonet, non solum ad Dialecticum hanc annotationem pertinere, sed etiam ad Demonstratorem. Quò fit, ut priusquam de rerum demonstrationibus Mathematici agant, initio* τοὺς ὁρισμοὺς *demonstrandarum rerum ob oculos ponant, de quo uide Euclidem in Geometricis Elementis.* Præceptio Dialectico & Demõstratori communis.

d **Danda est etiam opera.**) *Monet communes locos, propositiones, & sententias, quæ plurimùm in disserendo incidere solent, nos in promptu habere, non secus atque* Cõmunes loci in promptu habendi.

Mathematici, ut Geometræ & Arithmetici, sua principia, ex quibus cætera pendent & confirmantur, explorata meditataq; habent. πειρατέον δὲ ἔτι εἰς ἃ πλείστακις, inquit, ἐμπίπτουσιν οἱ ἄλλοι λόγοι τατέχειν, ὥσπερ γὰρ ἐν γεωμετρίᾳ πρὸ ἔργου δὲ περὶ τὰ στοιχεῖα γεγυμνᾶσθαι, καὶ ἐν ἀριθμοῖς δὲ περὶ τοὺς κεφαλισμοὺς προχείρως ἔχειν.

e Vt enim in Geometria.) A simili probat. Quod in numerorum ratione, prima quasi capita Interpres reddit, Græcè est, τοὺς κεφαλισμούς. Est autem κεφαλισμὸς simplicium numerorum usq; ad decem multiplicatio, quemadmodum Alexander ostendit, dum inquit, κεφαλισμοὺς λέγει, τοὺς τῶν πρώτων ἀριθμῶν τῶν μέχρι δεκάδος πολλαπλασιασμούς.

κεφαλισμὸς in numeris quid.

f Magnaq; in hoc ipso.) Sic Alexander, διὰ γὰρ τοῦς τούτων γυμνασίας, καὶ οἱ τῶν ὑστέρων καὶ μειζόνων καὶ ὁμοίων αὐτοῖς πολλαπλασιασμοὶ κατὰ μετάβασιν γνωρίζοντι. Ita ex duobus bis sumptis, quatuor cognoscuntur, ex bis uiginti, quadraginta, ex uicies uiginti, quadringenta, & sic de alijs.

Numerorum πολλαπλασιασμοί.

g Sic in argumentationibus.) Applicatio similitudinis. ὁμοίως καὶ ἐν τοῖς λόγοις, inquit, τὸ πρόχειρον εἶναι περὶ τὰς ἀρχὰς, ἔτι τὰς προτάσεις ἀπὸ στόματος ἐξεπίστασθαι. In quo nota phrasin, ἀπὸ στόματος ἐξεπίστασθαι, cui idem ferè ualet, quod antè dixit, προχείρως ἔχειν, quod est ad manum, & quasi in numerato habere. Græci ἀπὸ στόματος εἰπεῖν, καὶ ἀποστοματίζειν, pro ἀπὸ μνήμης λέγειν, hoc est, memoriter dicere, ex memoria exponere & recitare dicunt. Ita ἀπὸ στόματος ἐξεπίστασθαι, memoria tenere, seu memoriter nosse Latinè dici potuit.

ἀπὸ στόματος ἐξεπίστασθαι, καὶ εἰπεῖν.

h Quemadmodum enim.) Alia similitudo, qua superiorem rationem cõfirmat. Vt in memoriæ artificio magnus locorum & imaginum usus est, ita in præsenti causa mirum in modum communium locorum descriptio & notatio, de qua prædiximus, nobis cõferet. Memoriæ artificium, τὸ μνημονικὸν appellat, qua uoce eadem significatione utitur & Cicero lib. 3. Rhetoricorum, cùm inquit: Ita qui μνημονικὰ didicerunt, possunt quæ audierunt in locis collocare, & ex his memoriter pronunciare. Nota hoc loco, quantum locorũ designationi & collocationi in artificiali memoria promouenda Aristoteles deferat. Defert tantundem & Cicero, partim lib. 3. Rhetoricorum ad Herennium, partim in Partitionib. Oratorijs, quo loco memoriam quasi germanam literaturæ propterea uocat, quòd ut literatura constat ex notis literarum, & eo in quo imprimuntur illæ notæ, sic confectio memoriæ tanquam cera locis utitur, & in his imagines ut literas collocat. At non itidem Quintilianus, qui lib. 11. cap. 2. memoriæ promouendæ, ut simpliciorem, ita certiorem quoque uiam præscribit, etsi nec omnino prægressam locorum dispositionem improbat. Aristoteles libello de Memoria & recordatione, etsi prædictæ locorum descriptioni nonnihil tribuit, dum inquit, δεῖ δὲ λαβέσθαι ἀρχὴν, διὸ ἀπὸ τόπων δοκοῦσιν

Memoriæ artificiũ, τὸ μνημονικόν.

Locorũ dispositioni in memoria quid Cicero tribuat.

Fabius ordinẽ rerũ magis probat cum Aristotel.

σιν ἀναμνίσκεσθαι ἐνίοτε: *plus tamen, & quidem non iniuria, legitimæ dispositioni ac ordini rerũ memorandarum acceptum refert. Scribit enim in hæc uerba cap. 2. quo suprà,* καὶ ἔστιν εὐμνημόνευτα, ὅσα τάξιν τινὰ ἔχει, ὥσπερ τὰ μαθήματα, τὰ δὲ φαύλως, καὶ χαλεπῶς. *Græca præsenti loco sic habent:* καθάπερ γὰρ ἐν τῷ μνημονικῷ μόνον οἱ τόποι τεθέντες εὐθὺς ποιοῦσιν αὐτὰ μνημονεύειν.

i **Ita hæc ipsa magnam.)** *Græcè est,* καὶ ταῦτα ποιήσει συλλογιστικώτερον, διὰ τὸ πρὸς ὡρισμένας αὐτὰς βλέπειν κατ' ἀριθμόν.

k **Sed locus communis.)** *Quò pluribus oratio accommodetur, uult communium locorum (hoc est, uniuersarum propositionum & sententiarum, quæ ad diuersas quæstiones disputandas adhiberi possunt) præ cæteris rationem haberi. Quem enim communem locum Interpres reddit, Græcè* κοινὴ πρότασις *est. Nam sic græcè habetur,* πρότασίν τε κοινὴν μᾶλλον ἢ λόγον, εἰς μνήμην θετέον. *In quo nota* εἰς μνήμην τιθέναι, *pro memoriæ mandare, & in memoria reponere, Græcè dici. Faber Stapulensis uitiosam tamen hanc lectionem putat. Nam quod nos* μᾶλλον ἢ λόγον *habemus, ipse* μᾶλλον ἢ θέσιν *uetusti exemplaris admonitu reponendum credit. Atq; illa fortè lectio & paulo est emendatior, & Aristotelis sententiæ, ut Faber iudicat, aliquanto propinquior. Quanq; Alexander uulgatam hanc lectionem retinet, exponitq;* ἐν λόγον *in præsens* τὸν συλλογισμὸν, *quemadmodum &* κοινὴν πρότασιν, ἐν τόπον κοινὸν, *quem noster hîc Interpres sequitur. Cicero quidem in Oratore, cõmunes locos appellari author est, eo quòd uidẽtur multarum ijdem esse causarum. Idem lib. 2. de Inuentione, Hæc ergo argumenta, inquit, quæ transferri in multas causas possunt, locos communes nominamus. Atq; sic & Alexander* τοὺς τόπους κοινοὺς *paulo suprà describit his uerbis,* εἰσὶ γάρ τινες κοινοὶ τόποι, οἱ πρὸς πάντα τὰ γένη τῶν προβλημάτων εἰσὶ χρήσιμοι.

Cõmunes loci tractandi.

Lectio diuersa.

Cõmunes loci qui Ciceroni.

l **Quippe cùm diffi.)** *Græcè singulari numero dicitur,* ἀρχῆς γὰρ καὶ ὑποθέσεως εὐπορῆσαι μετρίως χαλεπόν. *Alexander* τὰς ἀρχὰς ὑποθέσεις *dici author est, quia sine demonstratione ponantur,* ὅτι μὴ δι' ἀποδείξεως, *inquit,* τίθενται.

αἱ ἀρχαὶ ὑποθέσεις.

m **Præterea argumentum vnum.)** *Hoc superioris loci consequens est, authore Alexandro, facitq; ad copiam & ubertatem orationis parandam, quum quod in genere dictum est, separatim per species diducimus. Græcè est,* ἔτι τὸν ἕνα λόγον πολλοὺς ποιεῖν ἐθιστέον, ὡς ἀδηλότατα κρύπτοντας.

Vnũ multa facere.

n **Quod ita fiet.)** *Nempe ut quàm occultißimè id facere uideamur. Græcè est,* εἴη δ' ἂν τοιοῦτον, εἴ τις ὅτι πλεῖστον ἀφισταίη τῆς συγγενείας περὶ ὧν ὁ λόγος.

o **Ea autem argumenta.)** *Ostendit in cuiusmodi tandem argumentis & propositionibus unum in plura diduci & partiri poßit. Nempe in communibus & generalib. quæ suo complexu plura cõtineant. Cuius rei exemplum subijcit,* ὅτι οὐκ ἔστι μία πλειόνων ἐπιστήμη. *Græcè est,* ἔσονται δὲ δυνατοὶ τῶν λόγων, οἱ μάλιστα καθόλου τοῦτο

In quibus vnũ tandẽ in plura diducatur.

πάσχειν

πάσχειν δύνανται.

p Eadem enim ratio est.) Quippe cùm hæc omnia, aliaq; istis similia, multa sint, καὶ τῶν πλείονων uerbo contineantur.

q Atq; etiam rationis.) Quò superiori facultati unius in multa diducendi & distribuendi locus faciliùs detur, monet ut quàm maximè singulares et proprias, hoc est, nõ tam latè patentes materias, ad uniuersi generis quæstionem, quoad eius fieri potest, in disserendo traducamus. Atq; in hoc genere, non ad philosophorum institutum ieiunè & aridè disceptandi, sed copiosè & splendidè more Rhetorum in contrarias partes dicendi, discipulos suos non indiligenter Aristoteles ipse exercuit, de quo ita Cicero in Oratore: Latiùs enim de genere, quàm de parte disceptare licet, ut q; in uniuerso sit probatũ, id in parte non sit ꝓbari necesse. Hæc igitur quæstio à proprijs personis & tẽporibus ad uniuersi generis orationem traducta appellatur θέσις. In hac Aristoteles adolescentes non ad Philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam Rhetorum in utramq; partem ut ornatiùs & uberiùs dici possit exercuit. Hæc ille. Græcè hoc loco inquit: δεῖ δὲ καὶ τὰς ἀπομνημονεύσεις καθόλου ποιεῖσθαι τῶν λόγων κἂν ᾖ διειλεγμένος ἐπὶ μέρος. οὕτω γὰρ καὶ πολλοὺς ἐξέσται ἐν ἕνα ποιεῖν.

Ab hypothesi ad thesin oratio traducenda.

In thesiũ tractatione adolescẽtes Aristoteles exercuit.

r Quod fieri in arte Rheto.) Hoc est, quod modò ex Cicerone diximus, non solũ ad Philosophorum morem tenuiter, sed ad Rhetorum copiam ornatè etiam & splendidè hoc genus τῶν θέσεων ab Aristotele tractatum & explicatum esse. Quod ad Enthymemata attinet, de quibus loquitur, de ijs uide lib. Rhetoricorum ad Theodecten.

s Iis verò qui respondent.) Quemadmodum disputantis est, ad uniuersi generis quæstionem quæq; transferre & auocare, sicut iam dictum est: ita pro uirili adniti debet is qui respondet, ne isti auocationi & translationi quæstionis ad uniuersum genus facilè assentiatur, aut occasionem præbeat. Quin imo omnibus modis eam impedire & fugere utpote sibi obfuturam debebit. Sic Alexander, ἐπιχειροῦντα μὲν οὖν, inquit, χρὴ μετα φέρειν ἐπὶ τὰ καθόλου τὰς ἀποκρίσεις, οὕτω γὰρ ῥᾴδιον ἡ τῶν τιθεμένων ἀνασκευή. ἀποκρινόμενον δὲ καὶ ὑπέχοντα λόγον καὶ παρισάμενον τινὶ συλλογιζομένῳ περὶ αὐτῷ φεύγειν δεῖ τὸ καθόλου ποιεῖσθαι τοὺς συλλογισμούς. οὕτω γὰρ τὰς ἀφορμὰς πλείονας τῶν πρὸς τὰ λεγόμενα ἀφαρεθήσεσθαι τοὺς ἀνασκευάζοντας τοὺς ὑπ' αὐτῶν πειρωμένους. Verba Aristotelis græcè sic habent, αὐτὸν δ' ὅτι μάλιστα φεύγειν ἐπὶ τὸ καθόλου φέρειν τοὺς συλλογισμούς.

Respõdẽs à thesibus abhorret.

Opponentis & respõdentis diuersa studia.

t Illiq; hoc videndum est.) Vult etiam atq; etiam diligenter ad uniuersi generis notã, in aduersarij argumentatione respondenti attendendum esse, eò quòd ut citra illam notam nulla rectè confici ratiocinatio potest, ita si eadem adhibeatur, non paucæ in generali argumentatione speciales concludi ratiocinationes uideantur. ἀιεί τε δεῖ, inquit, σκοπεῖν τοὺς λόγους, εἰ ἐπὶ πλείονων κοινῶν διαλέγοντες, πάντες γὰρ οἱ ἐν μέρει

Ad vniuersalem notã respõdẽti respiciendũ.

καὶ

καὶ καθόλου διειλεγμένοι εἰσί. Quod ἐπὶ πλειόνων κοινῶν dixit, ad propositiones referendum est, quæ si plures una communes & uniuersæ adhibeantur, generalem conclusionem efficient: sin una sola, conclusionem specialem, ut ex lib. 1. de Ratiocinat. patet. ἐπὶ πλειόνων κοινῶν.

11 Ineſtq; in priuata.) Id est, Res priuata & singularis, sine uniuersalis pronunciati adiunctione concludi & demonstrari non potest, de quo uide lib. 1. de Ratiocinat. cap. 13. Græcè est, καὶ ἔνεσιν οὐ τῇ κατὰ μέρος ἢ τῷ καθόλου ἡ πόρισις διὰ μὴ εἶναι συλλογίσασθαι μηδὲν ἄνευ τοῦ καθόλου. Sine uniuersali nihil cõcludit.

x Vius autem argumentatio.) Annotat de diuerso usu τῶν τε ἐπακτικῶν & τῶν συλλογισικῶν, de quo in superioribus aliquoties antè meminit, ut lib. 2. de Ratiocinatione, cap. 11. & lib. 1. Topicor. cap. 8. τὰ ἐπακτικὰ ad rudiores & imperitiores, τὰ συλλογισικὰ ad doctiores exercitationesq; adhiberi præcipit, idq; his uerbis: τῷ δὲ γυμνασίαν ἀποδοτέον, τῷ μὲν ἐπακτικῷ πρὸς νέον, τῷ δὲ συλλογισικῷ, πρὸς ἔμπειρον. Ita quia doctioribus communia et uniuersalia, indoctioribus propria & singularia notiora sunt: ab his (quæ ferè adres singulas pertinent) collationes & exempla: ab illis uerò, quæ plurimùm uniuersæ sunt, propositiones petendas & accipiendas esse monet. In quo nobis discendum est, non eodem modo omnia peragenda & tractanda ubiq; esse. Temporum enim, locorum, & personarum diligens in omni re meditatio & curatio adhibenda est. Sic in Metaphysicis lib. 3. cap. 5. Aristoteles, ἔστι δ' οὐχ ὁ αὐτὸς τρόπος, inquit, πρὸς ἅπαντας οὐδ' εὐτεύξεως, οἱ μὲν γὰρ παιδὸς δέονται, οἱ δὲ εἵξεως. Sic & 2. Officiorum Ciccro, Alia est illa, cùm ueritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas: alia cùm ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Nec dissimiliter etiam Fabius lib. 5. cap. 14. Dialogis enim & Dialecticis, ait, disputationibus erit similior, quàm nostri operis actionibus, quæ quidem inter se plurimum differunt: Namq; illi homines docti, & inter doctos uerum quærentes, minutiùs & scrupulosiùs scrutantur omnia, Et cæt. τὰ ἐπακτικὰ καὶ τὰ συλλογισικὰ καὶ cuiusmodi. Nõ eadem ratio agẽdi cũ quibuslibet.

y Enitendumq; est, vt ab ijs.) Græcè est, πειρατέον τὸ λαμβάνειν παρὰ μὲν τῶν συλλογισικῶν τὰς προτάσεις, παρὰ δὲ τῶν ἐπακτικῶν τὰς πιθανολάς. οὗτοι γὰρ ἑκάτεροι γεγυμνασμένοι εἰσίν. Nota uerò hìc, τῶν συλλογισικῶν καὶ τῶν ἐπακτικῶν, ad homines referri, quæ paulo suprà ad ipsas argumentationes pertinere uidebantur. συλλογισικοὶ καὶ ἐπακτικοὶ, homines.

z Omnino is qui exercitat.) Quæ præcipua omnis Dialecticæ exercitationis ratio sit, quibusq; in rebus ea maximè uersetur, postremò admonet. Vultq; eam partim in notatione uitiorum, tum nostrorum, tum aduersarij positam esse, partim etiam in obseruatione & consideratione uirtutum, quas in differendo sectari oportebat. Ita ad examinationem & dijudicationem tum ratiocinationis, & propositionis, quæ à nobis afferuntur; tum solutionis, & oppositionis, quæ afferuntur ab aduersario, utrum rectè an secus Exercitatio in quibus præcipuè uersẽt

allatæ eæ sint, nos intueri præcipit, dum inquit: ὅλως δ' ἐκ τοῦ γυμνάζεσθαι διαλεγόμενον πειρατέον ἀποφέρεσθαι ἢ συλλογισμὸν πρίτινος, ἢ λύσιν, ἢ πρότασιν, ἢ ἔνστασιν, ἢ εἰ ὀρθῶς τις ἤρετο, ἢ μὴ ὀρθῶς ἢ αὐτὸς, ἢ ἕτερος, καὶ πρὰ τι ἑκάτερον.

a Quæ instantia vulgò appell.) *De hoc nomine suprà dictum est hoc lib. cap. 2.* Græcè ἔνστασις *dicitur, quæ est propositio propositioni cõtraria, ut lib. 2. de Ratiocinat. cap. 13. definitur, & quidem his uerbis,* ἔνστασις δέ ἐστι πρότασις προτάσει ἐναντία.

ἔνστασις.

b Ex his enim tota hæc.) ἐκ τούτων γὰρ ἡ δύναμις, *inquit,* τὸ δὲ γυμνάζεσθαι δυνάμεως χάριν.

c Sed ex his omnibus.) *Ex superioribus quatuor, duo præcipuè, nempe* τὰς προτάσεις καὶ ἐνστάσεις, *repetit, in quibus si non omnino, tamen uel maximè Dialectici uis omnis posita esse uidetur.* ἔστι γὰρ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, *ut ipse ait,* διαλεκτικὸς ὁ προτατικὸς καὶ ἐνστατικὸς. *Budæus illud* τὸ ἐνστατικὸς *Commentarijs in Græcam linguã exponit, ut sit, peruicax, non cedens, qui obsistere obstinauit animo,* ὁ ἐναντίος, *idq;* παρὰ τὴν ἔνστασιν, *quam pugnacem contentionem instantis aduersario, hoc est,* ἀνταγώνισμα καὶ ἀντιλογίαν *ibidem interpretatur.*

ἐνστατικὸς Budæo quis.

d Est autem proponere.) *Quæ uis & potestas prædictorum uerborum sit, ostendit.* ἔστι δὲ τὸ μὲν προτείνεσθαι, *inquit,* ἓν ποιεῖν τὰ πλείω, τὸ δ' ἐνίστασθαι, τὸ ἓν, πολλὰ. *At quomodo unum ex multis proponendo, resistendo uerò multa ex uno fiunt? An quia dum plura simul propositio rogat, unum est, quod ex multis respondens assumit? Dum uerò distinguendo rogationi respondens occurrit, tum unum in multa quasi distrahi & dispertiri uidetur? Sic enim ipsemet quodammodò se explicat, dum inquit:* δεῖ γὰρ ἓν ὅλως ληφθῆναι πρὸς ὃ ὁ λόγος. *Et,* ἢ γὰρ διαιρεῖ ἢ ἀναιρεῖ, τὸ μὲν δίδους, τὸ δ' οὔ, τῶν προτεινομένων.

Propositio occursioni contraria q̃modo.

e Quoniam autem vitiosæ.) *Cum quibus tandem disputatio nobis suscipienda & ineunda sit, ut ne aduersarij proteruia & malignitate impediamur, admonet: uultq; eos, qui inani gloria elati, ad quoduis propositum temerè resistunt, tametsi non indigni sint, qui disputatione acriter refellantur, à nobis relinqui, propterea quòd sine contentione, probris, & maledictis cum talibus agi non posse uideatur. Pulchra mediusfidius hæc ipsa admonitio est, cui si uulgò à nobis pareretur, minus profectò in disceptando incommodi nos hodie sentiremus.* οὐχ ἅπαντι δὲ διαλεκτέον, *inquit Aristoteles,* οὐδὲ πρὸς τὸν τυχόντα γυμναστέον. ἀνάγκη γὰρ πρὸς ἐνίους φαύλως γίνεσθαι τοὺς λόγους, πρὸς γὰρ τὸν πάντως πειρώμενον φαίνεσθαι διαφεύγειν, δίκαιον μὲν πάντως πειρᾶσθαι συλλογίσασθαι, οὐκ εὔσχημον δέ.

Cum quibus minimè disserẽdum.

f Nam aduersus eum.) *Videtur ad hunc locum alludere Cicero lib. 4. Academicarum quæstionum, ubi inquit: Sed quod nos facere nunc ingredimur, ut contra Academicos disseramus, id quidem è Philosophis, & hi quidem non mediocres faciẽdum omnino*

Qui nihil probãt, cũ ijs non disputandũ.

non

non putabant, nec æquum esse ulla ratione disputare cum ijs qui nihil probarent.

g Quocirca nō temerè.) διόπερ οὐ δεῖ, inquit, συνεστᾶναι εὐχερῶς πρὸς τοὺς τυχόντας. ἀνάγκη γὰρ πονηρολογίαν συμβαίνειν.

h Hinc enim maledicta.) *Interpres uocem* τῆς πανηρολογίας *exprimere cupiens, imitatur locum illum Ciceronis, qui est lib. 1. de Finibus, in hæc uerba: Quamobrem disserentium inter se reprehensiones non sunt uituperandæ: maledicta, contumeliæ, tum iracundæ contentiones concertationesq; in disputando pertinaces, indignæ philosophia mihi uideri solent. Tunc Torquatus, inquit, prorsus assentior. Neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia rectè disputari potest. Hæc ille.*

Maledicta à disputatione abesse debent.

i Neq; enim fieri potest.) Græcè est, καὶ γὰρ οἱ γυμναζόμενοι ἀδυνατοῦσιν ἀπέχεσθαι τοῦ διαλέγεσθαι μὴ ὁ γωνιστικῶς.

k Atq; vt finem dicendi.) *Postrema præceptio, ut cùm aduersus omnes alias quæstiones, tum uerò & maximè uniuersas, & eas, quarum oppugnatio ex tempore sit difficilior, magnam semper argumentorum copiam habeamus, ne si derepente & quasi ex improuiso contra eas agendum sit, nos argumentis destituti, turpiter in disserendo intersilere cogamur.* δεῖ δὲ τὰ πεποιημένους ἔχειν λόγους, inquit, πρὸς τὰ τοιαῦτα τῶν προβλημάτων, ἐν οἷς ἐλαχίστων εὐπορίσαντες, πρὸς πλεῖστα χρησίμους ἕξομεν, &c. Nota πεποιημένους hic λόγους dici, quos Alexander τοὺς ἑτοίμους, τὰ τοὺς παρεσκευασμένους eodem sensu uocat.

In quibus instructi esse cum primis debeamus.

πεποιημένοι λόγοι.

l Quo ex genere sunt.) Græcè est, οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ καθόλου καὶ πρὸς οὓς πορίζεσθαι χαλεπώτερον ἐκ τῶν παρὰ πόδας. Quod παρὰ πόδας Aristoteles ait, Latinè iuxta pedes sonat. *Suidas aduerbialiter id interpretatur,* εὐθέως, ἢ ἐγγὺς, ἢ πλησίον. τὰ παρὰ πόδας, *omnibus obuia, & quasi ante pedes exposita prouerbiali figura dici possunt, quæ Græcè aliter partim* τὰ ἐν ποσὶν, *partim* τὰ πρὸ ποδὸς *eodem sensu dicuntur, de quo uide Prouerbium, Ante pedes, in Erasmi Chiliadibus.*

τὰ παρὰ πόδας.

FINIS.

MATTHISIVS CANDIDO LE. ctori Salutem.

CVm in hunc librum de Reprehensionibus Sophistarum extaret commentarius eruditißimi Viri, Ioannis Hauichhorstij, ueteris nostri amici, longo tempore nihil mihi in eundem scribendum esse putaui. Verum cùm hucusq; nostræ in Aristotelem commẽtationes, bonis an malis, haud scio, (aliorum id esto iudicium) auib. progressæ essent: non destiterũt monere me amici, ut quod reliquo in Opere iam peregissem, id in hoc Topica tractationis fragmento, quod etiamnũ reliquum est, omnino intẽtatum ne relinquerem. Ita factum est, ut post Hauichhorstij nostri commentationem, breues quasdam annotationes conscribere instituerim, quibus et Aristotelicæ doctrinæ consensionem pro uirili explicarem, & nostras in Aristotelem obseruationes, si quid tale mererentur, in commune proferrem. Quòd uerò eæ minus antehac apparuerunt, in causa est, quòd simul cum Hauichhorstij Commentario illas diuulgari placuit. At cùm Hauichhorstiani Commentarij recognitionem etiamnum Typographus desideret, ne & diutiùs nostræ iuuentutis studijs deesse, & Typographi, qui sæpiùs à me idipsum seriò popoſcit, uoluntati repugnare temerè uiderer, passus sum has qualescunq; annotationes nostras autumnalibus his nũdinis etiam seperatim prodire. Eas uerò, quantum subita & extemporali scriptione consequi potui, ita attemperaui, ut si Hauichhorstij Commẽtarius accedat, neq; nos illi quicquam derogasse, & ille nobis in explicando Authore nonnihil lucis allaturus esse uideatur. Dedi operã, ut Aristotelis phrases quàm maximè in conspectu omnibus proponerẽ. Quapropter ut antè in Topicis, sic & hic cũ Interpretis uersione Græca Aristotelis subinde conferre mihi studio fuit. Quòd si quid in hisce tu amice lector desideraris, scias ita scripta esse, ut neq; ea per se sola, & bona tua cum uenia eadem legi semper optaremus. Sed his missis, ad προλεγόμενα nostro more explicanda iam accedamus.

DE MATERIA ET INSCRIPTIONE HVIVS LIBRI, Cap. I.

Materia huius libri quæ sit, ipsa inscriptio statim prodit. Inscribitur enim hic liber περὶ τῶν σοφιστικῶν ἐλέγχων, hoc est, de Sophisticis seu Sophistarũ Reprehensionibus. Ita ut Sophistica, seu Sophistarum reprehensio, sine dubio huius libri materia sit. Verũ cùm non uno modo Sophistica reprehensio intelligi queat, operæpretium fuerit Verulum de hacre sententias huc afferre. Alexander author est, nonnullos Sophisticas reprehensiones, fallaces & captiosas Sophistarum conclusiones, quibus ad refellẽdum coargu-

Sophistica reprehensio bifariã intelligit.

guendumq; aduersarium Sophistæ utebantur, accepisse: quasi Aristotelis institutum & propositum in hoc libro sit, uiam ac rationem aperire, qua Sophistæ freti argumenta ac rationes reperirent, quibus alij in disserendo refutarentur et illaquearentur. Scribit enim ad hunc modum: σκοπὸς μὲν οὖν ἐστὶ τῆς παρούσης πραγματείας κατὰ μέν τινας, ὡς ἂν ἡ μὲν τὴν μέθοδον παραδῶ, δι' ἧς τοὺς ἐλέγχους συνίστων οἱ σοφισταὶ, καὶ τοὺς ἀπείρους τῆς συλλογιστικῆς μεθόδου ἠπάτων. καὶ οὗτοι διὰ τοῦτο ἐπιγεγράφθαι τοὺς σοφιστικοὺς ἐλέγχους φασὶ, ὡς τῆς παρούσης πραγματείας περὶ τοῦ πῶς ἤλεγχον οἱ σοφισταὶ διαλαμβανούσης, καὶ περὶ τῆς συστάσεως τῶν σοφισμάτων αὐτῶν, οὐ περὶ τοῦ πῶς ἂν τοῖς σοφισταῖς ἀντιλέγοιμεν. Alij uerò improbantes hanc sententiam, non quibus Sophistæ ad alios decipiendum utebantur, sed quibus ipsimet ab aduersario Sophistarum fraudes intelligente coarguebantur, rationes sic dictas existimabant. Scribit enim ad hunc modum Alexander: ἄλλοι δὲ οὐ τοῦτον εἶναι δὴ σκοπὸν τοῦ βιβλίου εἰσήγαγον, ἀλλὰ μᾶλλον σκοπὸν ἔχειν δὴ ἀριστοτέλη εἰπεῖν περὶ τοῦ πῶς ἂν αὐτοὶ μάθοιμεν ἐλέγχειν, καὶ ἀντιλέγειν τοῖς πειρωμένοις σοφίζεσθαι ἡμᾶς. διὰ τοῦτο γάρ φασιν οὐδὲ περὶ τῶν σοφιστικῶν συλλογισμῶν ἐπιγέγραπται δὲ βίβλιον, ἀλλὰ σοφιστικοὶ ἔλεγχοι, ὡς καθόλου παραδιδομένης δι' ἧς ἂν τοὺς σοφιστὰς ἐλέγχειν δυνάμεθα. Verùm salua horum pace, teste Alexandro superior melior est sententia. Quanquam ex eo confici non oportet, hunc esse Aristotelis scopum, ut talium reprehensionum conficiendarum formas solum ac modos nobis in hoc Opere præscribat. In eo occupatus est Aristoteles, ut primùm quomodo Sophistarum reprehensiones conficiantur, doceat. Deinde quo modo confectæ & constructæ eæ, ne Sophistarum tendiculis ac fraudibus temerè illaqueeris, dissoluendæ sint, ostendit. Ac tametsi hoc ei præcipuè curæ fuerit, ut quem ad modũ aduersus Sophistarum importunitates, καὶ τὰς ἐνοχλήσεις tuti & securi esse possemus, demonstraret: consequi tamen idipsum, non exposita & explicata antè struendarum eiusmodi captionũ forma, non satis potuit. Quippe cùm nodi dissoluendi & explicandi artificiosa ratio dari non poßit, si quẽ ad modum nodus conficiatur, ignoratum habeas, iuxta id quod in Metaphysicis lib. 2. cap. 1. Aristoteles ait: λύειν δὲ οὐκ ἔστιν ἀναγνοῦντα δὴ δεσμόν. Vtrunq; ergo simul hîc docet, tum quomodo struendæ, tum quomodo dissoluendæ sint Sophistarum reprehẽsiones: etsi hoc per se, illud non nisi alterius ratione facit, quemadmodum his uerbis indicat Alexander, οὐ γὰρ τοῦ ἀριστοτέλει σκοπὸς ἦν προηγούμενος περὶ τῶν σοφιστικῶν ἐλέγχων διαλαβεῖν, οὐδὲ δι' αὐδ', ἀλλὰ καθ' ἕτερον περὶ τοῦ εἰρημένου εἴδους διδάσκει, περὶ τοῦ ἐλέγχειν τοὺς σοφιστάς.

Aristotelis institutũ in hoc libro.

DE VARIIS SOPHISTICAE REPREHENSIONIS VOCABVLIS, ET SYNONYMIS, Cap. 2.

Siue Græcos, siue Latinos Philosophos quis audiat, permultas easq; uarias Sophisticæ

Sophisticę reprehensiones vt Aristoteli dicantur.

reprehēsionis appellationes inueniet. Nos quæ maximè peruagatæ tritæq; tū apud Græcos, tum apud Latinos sint, hic subijcemus. Aristoteles lib. 8. Topic. cap. 2. σοφισματῶν δὲ τὰ ἐπιχειρήματα, uocat fallaces & captiosas argumentationes. Ibidem cap. 4. σόφισμα, ἐρίστικον συλλογισμόν, hoc est, pugnacem & contentiosam ratiocinationē definit. Libro de Reprehensionibus Sophistarum, partim τοὺς παραλογισμούς, ut cap. 1. 3. 17. 18. partim τοὺς παρεξελέγχους, ut cap. 12. & 16. partim τοὺς σοφιστικούς, ἐριστικούς, καὶ ἀγωνιστικούς, tum συλλογισμούς, tum ἐλέγχους non uno loco uocat. Cicero nunc captiones appellat, ut 2. de Diuinatione: Cur igitur uos inducitis in eas captiones, quas nunquam explicetis? Et lib. de Fato: Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. Lib. 2. de Finib. dialecticas captiones uocat. 4. Academicarū quæstio. partim quasi præstigias quasdam & captiones, ut, Maiore quadam opus est uel arte, uel diligentia, ne ab ijs quæ clara sint ipsa per se, quasi præstigijs quibusdam & captionibus depellamur: partim fallaces & captiosas interrogationes, ut, Alterum est, quòd fallacibus & captiosis interrogationibus circumscripti & decepti quidam, cùm eas dissoluere non possunt, desciscunt à ueritate: partim fallaces conclusiunculas, ut, Quorum sunt contorta & aculeata quædam σοφίσματα. Sic enim appellantur fallaces cōclusiunculæ. Lib. 2. Tusculanar. quæst. contortulas ac minutas conclusiunculas dicit, ut, Sitne igitur malum dolor, nec ne, Stoici uiderint: qui contortulis quibusdam ac minutis conclusiunculis, nec ad sensus permanantibus effici uolunt, non esse malum dolorem. Iureconsultus ff. de Rerum significat. Cauillationes uocat, ut, Natura cauillationis, quā Græci σόφισμα appellauerunt, hæc est, ut ab euidenter ueris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt perducatur. Atq; hæc quidem appellatio cumprimis An. Senecæ probatur, ut qui epistola 112. eam solam ad conuertendā τὸ σοφίσματον uocē in Latinā lingua accommodatam esse ait. Verùm hæc de sophisticarum reprehēsionum uarijs appellationibus satis multa.

Quomodo easdē Cicero, & alij appellent.

DE VTILITATE PRAESENTIS DOCTRINAE, ET QVANDO SOPHISMATIS VTI LICEAT, Cap. 3.

Etsi hæc doctrina non eò traditur, ut construendarum captionum modos edocti, alios in differendo circumueniamus, sicut antè dictum est: quia tamē aduersus eiusmodi captionum genus nos instruit, & tanquam μῶλυ illud Homericum contra Circeia ueneficia, sic aduersus omnes Sophistarum conatus & molitiones quasi præsens remedium ἀντιφάρμακον præbet: nemo est, qui non summè utilem hanc esse doctrinam sibi persuadere debeat. Si errare, labi, nescire, decipi, et malum et turpe, sicut est, ita meritò etiā ducimus: certè ea doctrina, cuius beneficio ab errore, lapsu, ac deceptione liberi, ad scientiam quodammodò

Remediū aduersus captiones hic tradit.

dammodo inducimur, non potest non esse ut fructuosa & bona, sic & laudabilis & honesta. εἰδότες γὰρ τοὺς τρόπους, inquit Alexander, καθ' οὓς οἱ σοφισταὶ τὰ οἰκεῖα προβάλλονται σοφίσματα, ἐλεγχθησόμεθα μὲν παρ' αὐτῶν οὐδαμοῦ, ἐλέγξομεν δὲ μᾶλλον αὐτοὺς λύοντες τὰ προβαλλόμενα σοφίσματα παρ' αὐτῶν. Notum illud est, malum uitari non posse, nisi cognitum. Ad hunc modum medici non solum ea docent, quæ ad sanitatē conferunt, sed etiam noxia uenenosaq; pharmaca explorant et indagant, non ut eis utantur, sed ut fugiant atq; declinent. Atq; ita Rodolphus Agricola lib. 2. cap. 2. Sanè sicut reliquæ artes, (inquit) quæ remedio sunt inuentæ humanis necessitatibus, non potuerunt si ccurrere incommodis, nisi priùs ea detegerent: sic Dialectice cùm magna ex parte in eo sit posita, quo pacto laqueos captionum fraudumq; in dicendo uitemus: necesse habuit aperire insidias, & ostendere quàm uariè quis capi posset. & cæt. Atq; huc facit, quod lib. 2. Rhetoricorum author ad Herennium, de usu cognitionis fallacium argumentationum scribit in hæc uerba: Hæc cognitio uitiosarum argumētationum duplicem utilitatem afferet: nam & uitare in argumentatione uitium admonebit, & ab alijs non uitatum commodè reprehendere docebit. Omitto, quæ de eadem hac re superioribus congruenter insequenti libro 11. capite Aristoteles scribit, idq; gratia breuitatis. Hîc illud notandum est, quod paulò antè diximus, non utendi gratia, hanc Sophismatum doctrinam nobis tradi, non omnino ac simpliciter ita intelligi conuenire. Incidunt enim tēpora, quibus non incommodè nec iniucundè ijsdem utamur. Sed in causis serijs ac grauibus nequaquam ad obruendam & euertēdam ueritatem illis uti par est. Vbi iocari & facetè cum amicis ludere, animum quoq; defatigatum remittere ac pascere, institutum est: quemadmodum Saturnalibus olim Athenis, sic & nobis hoc ludicrum disserendi ac disceptandi genus nequaquam est intermittendum. Quanquam id operam dare conuenit, ne nimium huic rei indulgeatur, utq; rixandi libido absit, & nimis pertinax alterius uincendi studium. Si quemadmodum olim Saturnalib. hoc genere fallacium & sophisticarū captionum se docti exercitarint, scire quis desideret, audiamus A. Gellium copiosè de ea re disserentem lib. 18. cap. 13. Saturnalibus (inquit) Athenis alea quadam festiua & honesta lusitabamus huiuscemodi. Vbi conueneramus complusculi eiusdem studij homines, ad leuandum tempus, captiones quæ sophismata appellantur, mente agitabamus: easq; quasi talos aut tesserulas in medium uice sua quisq; iaciebamus. Captionis solutæ, aut parū intellectæ præmium pœnáue erat nummus unus HS. Hoc ære collecto quasi manuario cœnula curabatur omnibus, qui eum lusum luseramus. & cæt. Ac similiter ferè eodem libro cap. 2. Equidem si ad hunc modum studijs fatigatum animum recreare & reparare Iuuētus moliretur, longè id satius & exoptandum magis iudicio meo foret, quàm cùm perpotationibus, alea, disco, & cæteris id genus minus laudatis ac probatis lusibus se reficit, propterea quòd hoc modo non solum ingenium acuitur & alitur, sed disserendi quoq; facul-

Quibus locis Sophismatibus Vti licear.

tas

tas & prudentia nescio quo modo comparatur & augetur. Sed modus, ut antè dixi, hic habendus & faciendus est. Quod ad colligendum & reficiendum animum hoc genus exercitamenti ualere, superiùs diximus, id his uerbis etiam Alexander astruit, cùm sic ait: παιζόντων γὰρ ὀυ σπουδαζόντων τ' τοιοῦτον εἶδος τοῦ συλλογισμοῦ. οὐδὲ παίγνιον ὡς ἂν εἴη περισπούδαστον ἀνδρᾶσι σοφοῖς καὶ ἐπιστήμωσιν, ὡς ἐν τῷδ' εὐθυδήμῳ καὶ πλάτων διαλαμβάνει, & cæt. Verùm hæc de utilitate, & locis quibus fas sit uti, dicta sint hactenus.

DE SVMMA HVIVS LIBRI SECTIONE ET PARTITIONE, Cap. 4.

Boetius hunc librũ in duos secuit.

Sequitur, ut quo modo hic liber diuidendus ac partiendus sit, breuiter uideamus. Boetius, & quotquot eum sequuti sunt, hunc librum in duos diuiserunt: alterum, quo τοῦ ἐρωτῶντος, hoc est, rogantis & disceptantis, (uulgò in Scholis Opponentem uocare soliti sumus) abunde partes & officium explicat: alterum uerò, quo τοῦ ἀποκρινομένου, hoc est, respondentis, accuratè officiũ persequitur. Verùm quia Græcè unus tantum liber est, non duo, ut posteà ad Boëtij imitationẽ eum secuit Michael Isingrius Typographus, quos Boëtius distinctos eiusdem Operis libros fecit, eas nos eiusdem libri partes præcipuas faciamus: Priorem, qua Opponentẽ Aristoteles instruit, dum locos, ex quib. singulæ quæque captiones ducendæ & eruendæ sunt, non solùm sophisticarum reprehensionum, sed etiam falsi, admirabilis, solœcismi, & nugationis, (tot enim præcipua prioris sunt partis Capita) ob oculos proponit: Posteriorem autem, qua respondentem ex aduerso informat, dum quo modo ex superioribus locis constructæ & conflatæ cauillationes aut captiones dissoluendæ sint, planum facit. Capita in uniuersum huius libri (ut nos pro materiæ simul ac facilioris tractationis ratione distinguenda putauimus) sunt 18. quorum priora 10. ad primum Boëtij librum: reliqua 8. ad librum secundum pertinent: Quorum omnium distincta accurataq; ut ratio ac materia percipiatur, non inconsultò fecerimus, si quẽadmodum proposuimus, ita sequenti tabula summatim ea contracta ante oculos ponamus.

Capita libri omnino 18.

TABV-

TABVLA SEQVENTIS LIBRI MATERIAM SVCCINCTE' PER SINGVLA CAPITA EXHIBENS.

Huius libri partes præcipuè sunt duæ, quarũ

Prima agit de construendis captionibus, qua parte interrogãs instruitur, Cap. 10.

Primo Capite (ut μεθοδικῶς ad hanc disputationem ingredi uideatur) communia quædam præfatur, ut esse Sophisticam reprehensionem, & unde maximè ea existat, quodq; sit Sophistarum ingenium, & quatuor argumentorum formis omnem disputationem contineri.

2. Quinq; Sophistarum tanquam finibus ac scopis propositis, quemadmodum sextuplici fallacium reprehensionum (quæ è uerbis oriuntur) genere, ut homonymia, amphibolia, coniunctione, diuisione, accentu, et forma dictionis, nos Sophista circumuenire nitatur, ob oculos proponit.

3. Quemadmodum septulici genere falsarum reprehensionum, quæ è rebus ducuntur, & quidem ex accidente, ex eo quod circumstantijs definitur, ex ignorantia reprehensionis, è petitione principij, ex consequentibus, ex non causa ut causa, ex multiplici interrogatione, nos Sophista decipiat, planum facit.

4. Oẽs antè dictas captiões ad unius Reprehẽsionis ignorantiã transferri posse, & quã obrẽ singulæ quæq; captiones nos fallãt, declarat.

5. Ostendit eosdem falsarum & apparentium reprehensionum esse locos, cosq; non alios nisi communes & generales in hac arte tradi ac constitui oportere.

6. Veteres refellit, qui antegressas istas captiones alia uia, quòd has ad nomẽ, illas ad sententiam pertinere iudicarunt, dispertiti erant.

7. De πειρασικῇ traditis nonnullis, & quid contentiosus à Sophista distet, & pirasticum cum Dialectico in nullo certo rerum genere uersari docet.

8. Quibus modis ad falsum simul atq; inopinatum quiddam asserendum nos temerè Sophista inducat, ante oculos ponit.

9. De nugatione simul ac Solœcismo, quibus modis ad hæc Sophista imperitiores impellat, disserit.

10. Communia quædam præcepta de collocatione tradit, et dispositione eorum, quæ tum ad celandum propositum faciunt, tum ad coarguendum eum qui in disserendo est proteruior.

Secunda de refellẽdis et soluendis captionib. quæ pars respondenti seruit, Cap. 8.

11. De triplici præsentis doctrinæ utilitate disserit, & quantoperè in eadem doctrina nos exerceri conueniat.

12. Quemadmodum uerisimilis & ad opinionem accommodata solutio, ad prægressas captiones utiliter quandoq; adhibeatur, & quo id modo fiat, uniuersim ostendit.

13. Quæ uera sit sophisticarum captionum dissolutio, & quemadmodum in quinq; primis generibus captionum quæ è uerbis existunt, eadem tractetur, speciatim docet.

14. Quomodo in postremo genere captionum τῶν πρὸς τὴν λέξιν solutio se habeat, manifestat.

15. Quemadmodum captiones quæ ex rebus sunt, & primùm quæ ex loco accidentis ducuntur, sigillatim sint explicandæ, declarat.

16. Quo pacto reliquæ sex formæ captionum, quæ ex rebus ducuntur, sint dissoluendæ, ostendit.

17. Vt soluantur captiones, quæ tum ad nugationem, tum ad Solœcismum, aduersarium deducunt: deinde quo modo non pari facilitate omnes captiones dissoluantur, quæq; dissolutu cæteris sint difficiliores, (ipse τοὺς διαμετρουμένους λόγους uocat) conspicuum facit.

18. Prædictam istam tractationem concludit, primùm generatim repetens, ea quæ tum hoc libro, tum 8. antecedentibus Topicis explicata sunt: deinde planum faciens, quanto labore præcedens doctrina sibi constiterit, utpote in qua tradenda nihil superiorum industria sit adiutus. Quo nomine si quid rectè præceperit, sibi gratias agi: sin secus, bona cum uenia qualiacunq; ista legi à posteris, precatur. Atq; hæc summa uniuersi libri est.

ARISTOTELIS STAGIRITÆ DE REPREHENSIONIBVS SOPHISTARVM

LIBER VNVS, NICOLAO GROVCHIO ROTHOMAGENSI Interprete, vnà cum annotationibus Gerardi Matthisij Geldrienſis, nunc recens editis.

ESSE VITIOSAM REPREHENSIONEM, ET VNDE MAXIME ORIATVR, QVÓDQVE SIT SOPHISTARUM ingenium, & quatuor argumentorum formis omnem diſputationem concludi. Cap. 1.

CAP. 1.

Orditur à propoſitione.

DE[a] ſophiſtarum autem reprehenſionibus, & de ijs quę ſpeciem habent reprehenſionum, [b] reuera tamen fallaces ac vitioſæ concluſiones ſunt, nunc dicendum. In quo ego naturam imitatus, [c] ab ijs potiſsimùm exordiar, quæ ſunt huius diſputationis prima veluti elemẽta. [d] Ac primùm quidem alias eſſe veras ratiocinationes: alias, quæ tantùm videãtur, nec ſint ratiocinationes, iam per ſe propemodum eſt perſpicuum. Atque vt alijs in rebus, ita in argumentationibus propter quandam rerum inter ſe ſimilitudinem id accidit. [e] Sunt enim inter homines alij, quibus reuera ineſt bonus corporis habitus: in alijs, aut tumor quidam talis, qualis eſſe hoſtiarum ſolet in ſacris curialibus per æmulationem curiarum, aut fictus ad eam rem ornatus bonam corporis habitudinẽ imitatur. Sũt item, qui ſua ipſi forma pulchri ſunt: alij autem, qui per fucũ tantùm tales videntur. [f] Nec diſsimilis eſt in rebus inanimatis ratio, in quibus ſunt nõnullę, quę vt videntur, ita reuera ſunt, aut argentum, aut aurum. aliæ cùm non ſint, falſa quadam ſpecie iudicio ſenſuum videntur: vt lithargyrina & ſtannea, videntur eſſe argentea: quæ felle tincta ſunt, aurea. [g] Eodem planè modo ratiocinationes & reprehenſiones aliæ ſunt, aliæ propter imperitiam videntur. Sunt enim imperiti homines ijs propemodum ſimiles, qui procul res proſpiciunt. [h] Ac vera quidẽ tum ratiocinatio eſt, cùm ex quibuſdam poſitis, quippiã ab ijs quæ poſita ſunt, diuerſum ob id neceſſariò ſequitur, quia illa ſunt antepoſita. [i] Reprehẽſio autem, cùm eſt ratiocinatio, per quam

Sintne vitioſæ concluſiones, ac reprehẽſiones.

non modò conclusio, sed eius etiam disparatum conficitur. [k] Fallaces autem in vtroque genere orationes sunt, quę idem quod illæ, efficere videntur, nec tamen efficiunt. Id quod multis quidē ex causis euenit: sed vnus est inter omnes vulgatissimus & latissimè patens locus, ex rerum vocabulis. [l] Quia enim ipsis per se rebus in medium prolatis, constare disputatio non potest, [m] eo quòd verbis, quasi notis quibusdam, pro rebus vti cogimur: propterea fit, vt idem ferè vsuueniat, [n] quod in subducendis per calculos rationibus, nempe vt verborum ac rerum eandem omnino esse rationem existimemus. [o] In quo nos longè lateq; erramus: tantum enim inter illa interest, vt verborum et orationum certus sit ac definitus numerus, rerum infinitus. Vnde efficitur, vt vna oratione aut nomine multas res significari sit necesse. [p] Et quemadmodum in subducēdis calculis qui rudes sunt, & quid suo quiq; loco valeant calculi, nesciunt, ab ijs, qui sunt in eo genere periti, facilè circumueniuntur: ita in sermonibus conferendis, qui ignorant quæ sit verborum vis & significatio, facilè, siue differant ipsi, siue aliorum audiant sermones, decipiuntur. [q] Atque illa quidem vna causa est, præter alias quę posteà explicabuntur, cur sæpè videantur esse ratiocinationes, aut reprehensiones, quæ non sunt.

Et qua potissimùm sint ex causa.

CAP. 2. Sophistarum ingeniū ac natura cuiusmodi.

[r] Quoniam autem quibusdam illud est ingenium, vt se operæpretium maius facturos existiment, si sapientes videantur, nec sint, quā si essent, nec viderentur, ([s] est enim Sophistice, simulata & non vera sapientia: et Sophista is dicitur, qui ex ea quam præ se fert, non vera, sed simulata sapientia, quæstum facit) illud profectò ex ijs perspicuum est, tali ingenio natis hominibus magis elaborandum esse, vt sapientis officium præstare videantur, quàm vt faciant, nec videantur. [t] Est autem (vt singula cū singulis conferam) sapientis in re quaque officium, vt rogatus de ijs reb. quarum habet scientiam, nil falsum dicat: & vt, si quem in errore versari senserit, illum coarguat, & de falsa opinione deducat. [u] Quorum prius in bene reddenda ratione de ijs quæ interrogantur, positū est: posterius in bene interrogādo, si quid sit de quo reposcenda sit ab altero ratio, cernitur. [x] Necesse igitur est, vt qui sophistæ munus probè fungi velit, illud fallacium argumentorum genus, de quo paulo antè diximus, in primis exquirat: quandoquidem in eo tantum est momenti, vt hæc sit vna ratio, qua sapientiæ opinionem, in qua illi sunt omnia, consequi possit, si talium argumentorum facultate instructus sit. [y] Ac esse quidem non nulla huius generis argumenta, & huiusmodi facultatem ab ijs quos Sophistas.

phistas appellare solemus expeti, satis explicatum est. [c] Nunc quot sint rationum sophisticarum genera, & quis sit numerus singularum facultatum, ex quibus constat hæc tota facultas: & quot partes sint huius tractationis quam instituimus, & si qua sunt alia quæ ad huius artis perfectionem pertinent, dicamus. [a] Sunt igitur ad differendum quatuor omnino argumentorum genera. Vnum est, eorum quæ propriè ad docendum sunt accommodata: alterum, eorum quæ dialectica vocantur. Tertio genere continentur, ea quæ ad probandum & examinandum alterũ adhibentur. In quarto genere sunt, quæ contentiosa appellantur. [b] Atq; illa quidem ad docendum sunt accommodata, quæ constant ex proprijs cuiusque disciplinæ principijs, nec vim habent ab eo quod respondenti probatur. [c] Credere enim, & indubitatã fidem habere eum oportet, qui discere aliquid velit. [d] Dialectica autem sunt, quibus vtraque pars contradictionis ex probabilibus concluditur. [e] Illa verò ad tentandũ & examinandum alterum apta dicuntur, quæ ex ijs modò vim habent, quæ ei probantur, quocum disputamus: quæque talia sunt, qualia ignorare nõ possit, qui sibi alicuius rei scientiam tribuit & arrogat. Qua verò ratiõe id fit faciendum, [f] alijs in libris docuimus. [g] Contentiosa autẽ sunt, quæ ex ijs quæ probabilia videntur, nec sunt, aut concludunt necessariò, aut non concludunt, sed modò videntur. [h] Ac de ijs quidem quæ ad docendum & demonstrandum valent, dictum est à nobis in Analyticis: de dialecticis autem, & ijs quæ ad examinandum alterum adhibentur, in superioribus libris. Nunc de contentiosis dicamus.

Quatuor argumẽtorum genera omnino in differendo adhiberi.

διδασκαλικόν.

διαλεκτικόν.

πειραστικόν.

ἐριστικόν.

IN CAPVT PRIMVM, ANNOTATIONES.

Materia libri quæ.

[a] De Sophistarum autem.) *Orditur à propositione, præsentis Opusculi materiã indicans. Illa est omnis uitiosa & ementita reprehensio, siue uitium ex forma, siue ex materia nascatur. Nam ut ratiocinationis uitium aliud in materia, aliud in forma cernitur, sic & reprehensionis: quippe cùm & ipsa quædam ratiocinatio sit. Sunt, qui materiæ ratione uitiosam reprehensionem, proprie Sophisticam hic dici arbitrantur: ut formæ, apparẽtem & simulatam. Verùm ut aliquid isti dicunt, ita non omnino certum id ipsum ac necessarium est. Siquidem ut Sophisticam reprehensionem utroq; modo uitiosam in sequentibus cap. 5. Aristoteles appellat: ita eandem & ficatam seu simulatam, Græcè* φαινόμενον ἔλεγχον, *rectè dici Alexander admonet. Ita per* [illegible]*imationem & quasi* παραλλήλως *utraq; nomina hic coniungi ab Aristotele nonnulli existimant, dum inquit,* περὶ δὲ τῶν σοφιστικῶν ἐλέγχων, καὶ τῶν φαινομένων ἐλέγχων, *& cæt.*

Quid Sophistica reprehensio ab apparẽte distet.

[b] Reuera

b Reuera autem fallaces.) Græcè uno nomine τοὺς πραλογισμοὺς uocat. Sunt autem πραλογισμοὶ propriè ratiocinationes, quarum forma uitiosa est, ut eo nomine cùm alibi, tum lib. 1. de Demonstratione, cap. 6. Aristoteles usus est. Quanquam Alexander admonet id uerbi ad omnem uitiosam ac fallacem conclusionem item transferri posse.

πραλογισμοὶ qui propriè dicãt.

c Ab ijs potissimùm exord.) Hæc sunt, ut & captiosam reprehensionem esse, & cuius rei gratia potißimùm à Sophistis ea usurpetur, item quàm latè eadem pateat, quæq; illius sint & genera & modi, in primis ante oculos ponat. Sunt enim prædicta istaliæ, quæ in re accuratè pertractanda, μεθοδικῶς primùm explicanda uideantur. Græcè uno uerbo τὰ πρῶτα appellat, cùm inquit, ἀρξάμενοι κατὰ φύσιν ἀπὸ τῶν πρώτων.

τὰ πρῶτα hic quæ intelligat.

d Ac primùm quidem.) Docet antegressum uitiosarum & apparentium conclusionum genus esse, idq; à simili, quod bipartitum adducit. Quæ ueræ sint, quæq; non ueræ, sed uerarum speciem exprimentes ratiocinationes, de eo uide lib. 1. de Ratiocinatione.

e Sunt enim inter homines.) Prima similitudo ab hominibus ducta, quorũ alij reipsa ac uerè, alij simulatè & fictè, tum firmam corporis constitutionem, tum liberalẽ ac præstantem præ se formam gerunt. καὶ γὰρ τὴν ἕξιν, inquit, οἱ μὲν ἔχουσιν εὖ, οἱ δὲ φαίνονται φυλετικῶς φυσήσαντες καὶ ἐπισκευάσαντες ἑαυτοὺς. In quo nota τοὺς φυλετικῶς φυσήσαντας eos dici, qui tanquam curialium hostiarum instar, (de quo apud Athenæum in Sophistarum conuiuio est) sese comebant & ornabant, ut egregium corporis habitum, qui naturâ deerat, hoc modo exprimerent. Perionius quasi pomparum more se comẽtes & comparantes uertit, ut Græci uerbi longiùs petitam metaphoram, propiùs ad Latinorum intelligentiam, rei dilucidiùs explicandæ causa, transferret.

Hominum inter se dissimilitudo

οἱ φυλετικῶς φυσήσαντες ἑαυτοὺς.

f Nec dissimilis est.) A rebus inanimis altera similitudo ducta. Hîc τὰ λιθαργύρινα καὶ τὰ καττιτέρινα, ἀργυρᾶ: τὰ δὲ χολοβάφινα, χρυσᾶ, iudicio sensuum minus perspicaci & exacto uideri solent.

g Eodem planè modo.) Accommodatio similitudinum, qua nostræ imperitiæ acceptum refert, quòd fallaces tum ratiocinationes, tum reprehẽsiones, se pro ueris nobis insinuent. φαίνεται δὲ διὰ τὴν ἀπειρίαν, inquit, οἱ γὰρ ἄπειροι ὥσπερ ἂν ἀπέχοντες πόῤῥωθεν θεωροῦσιν.

Imperiti quasi eminus rem spectant.

h Ac vera quidem.) Quò fallacium ratiocinationum simul ac reprehensionum natura faciliùs intelligatur, quæ ueræ tum ratiocinationis, tum reprehensionis uis sit, definiendo explicat. ὁ μὲν γὰρ, inquit, συλλογισμὸς ἔκτινων ἐστὶ τεθέντων, ὥστε συνάγειν ἕτερον ἐξ ἀνάγκης τι τῶν κειμένων διὰ τῶν κειμένων. In quo nota uerbum τοῦ συνάγειν ἀντὶ τοῦ συμπεραίνεσθαι hoc loco dici, id quod Cicero lib. 1. de Inuentio. uerbum de uerbo exprimens, conducere Latinè uertit. Quod διὰ τῶν κειμένων hîc dicitur, id simili modo & 1. Topicorum habes, pro eo, quod in Analyticis τοῦ εἶναι ταῦτα paulo diuersiùs, etsi eodem sensu dicitur.

Syllogismus quid.

συνάγειν, cõducere.

i Repre-

i Reprehensio autem.) Græcè est, ἔλεγχος δὲ συλλογισμὸς μετ' ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος. Quam finitionem simili propè modo expreßit & lib. 2. de Ratiocinat. Aristoteles cap. 8. sic scribens. ὥστε εἰ τὸ κείμενον εἴη ἐναντίον τοῦ συμπεράσματι, ἀνάγκη γίνεσθαι ἔλεγχον. ὁ γὰρ ἔλεγχος ἀντιφάσεως συλλογισμός. In hunc locum uide plura infrà cap. 3. & 13. ἔλεγχος quid.

k Fallaces autem in.) Vnde fallaces, & quæ specie uerarum approbantur, conclusiones sint, ostendit. Cumq; multis ex causis illæ fiant, (quemadmodum in sequentib. capitibus ostenditur) tum illa facilè princeps ex cæteris est, quæ multiplicis uerbi notione constat, quam τὴν ὁμωνυμίαν sequenti capite appellat. οἱ δὲ τοῦτο, ait, ποιοῦσι μὲν οὐ, δοκοῦσι δὲ διὰ πολλὰς αἰτίας, ὧν εἷς τόπος εὐφυέστατος καὶ δημοσιώτατος ὁ διὰ τὴν ὀνομάτων. Homonymia præcipua causa omnis fallaciæ.

l Quia enim ipsis per se.) Vnde & multiplicis uerbi notio existat, & quo modo uerarum reprehensionum simulatione, fallaces nobis reprehensiones obtrudat, declarat. Existit quidem illa uerborum multiplicitas, ex eo, quòd cùm uerbis rerum loco in disserẽdo uti cogimur, propter uerborum paucitatem, rerum uerò innumerabilitatem, uno uerbo plures interim res complecti nos oporteat. Decipit uerò eadem, quòd diuersæ illius multiplicisq; uerborum, quæ in disserendo adhibentur, potestatis ignari, non secus atq; in calculis fieri solet, ita & hîc res cum uerbis semper congruere arbitramur. Pulcher hic locus est. ἐπεὶ δὴ γὰρ, inquit, οὐκ ἔστιν αὐτὰ καθ' αὑτὰ τὰ πράγματα διαλέγεσθαι φέροντας. ἀλλὰ τοῖς ὀνόμασιν ἀντὶ τῶν πραγμάτων χρώμεθα συμβόλοις, τὸ συμβαῖνον ἐπὶ τὴν ὀνομάτων, καὶ ἐπὶ τὴν πραγμάτων ἡγούμεθα συμβαίνειν καθάπερ ἐπὶ τὴν ψήφων τοῖς λογιζομένοις, & cæt. Homonymia vnde, & q̃ modo decipiat. Verbis rerum loco in disserendo utimur.

m Eoq; verbis quasi notis.) Vide an huc respiciat Cicero in Topicis, dum Aristotelem uerba, rerum notas, & σύμβολα appellasse scribit his uerbis: Atq; hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod Latinè est nota. Est tamen huic non dißimilis locus alius & initio libri περὶ ἑρμηνείας, quem imitatus esse Cicero uideri potest. Illic enim eadem uoce Aristoteles consimiliter utitur, dum ait: ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. Pertinet huc, quod de Stoicis Cicero scribit lib. 5. de Finibus: Atq; ut reliqui fures, earum rerum quas ceperunt, signa commutant: sic illi ut sententijs nostris pro suis uterentur, nomina tanquam rerum notas mutauerunt. Σύμβολον, nota Ciceroni dicit. Verba rerum notæ.

n Quod in subducendis.) Explicat hunc locum Seuerinus Boëtius initio Commentariorum in Porphyrium à se conuersum, & his quidem uerbis: Hæc autem idcirco huic atq; alijs accidisse manifestum est, quoniam per imperitiam disputandi quicquid ratiocinatione comprehenderant, hoc in res quoq; ipsas euenire arbitrabantur. Hic uerò magnus est error. Neq; enim sese res ut in numeris, ita etiã in ratiocinationibus habet. In numeris enim quicquid in digitis rectè computãtis euenit, id sine dubio in res quoq; ipsas Calculorũ & ratiocinationum dissimilitudo quæ.

necesse est euenire: ut si ex calculo centum esse contigerit, centum quoq; res illi numero subiectas esse necesse est. Hoc uerò nõ æquè in disputatione seruatur. Neq; enim quicquid sermonum decursus inuenerit, id natura quoq; fixum tenetur. Hæc ille.

o In quo nos longè.) Allatæ similitudinis dissimilitudinem explicat, docens unde uerborum in significando sit multiplicitas. Τὰ δὲ ὄυκ ἔστιν ὅμοιον, inquit, τὰ μὲν γὰρ ὀνόματα πεπέρασαι καὶ τὰ τῶν λόγων πλῆθος, τὰ δὲ πράγματα τὸ ἄπειρόν ἐστιν. ἀναγκαῖον οὖν πλείω εἶναι τὸν λόγον καὶ τὸ ὄνομα τὸ ἐν σημαίνον. Caue uerò res ipsas hoc loco propriè infinitas dici existimes. Nihil enim reuera Natura infinitum agnoscit. Sed res infinitæ uulgari modo hîc dicuntur, quia ualde multæ, & quodammodò nobis innumerabiles uidentur. De hoc nonnihil in Porphyrio diximus, capite 2. de Specie.

Nomina rerum finita, res infinitæ.

p Et quemadmodum in subd.) Persistit in superiore similitudine, demonstrãs id, quod suprà dictum est, nos ob ignoratam ambiguarum uocum potestatem, hoc fallaciarum genere circũueniri. Ὥσπερ οὖν, inquit, κἀκεῖ οἱ μὴ δυνατοὶ τὰς ψήφους φέρειν ὑπὸ τῶν ἐπισταμένων παρακρούονται, ἐν ἀνὰ τρόπον καὶ ἐπὶ τῶν λόγων οἱ τῶν ὀνομάτων δυνάμεως ἄπειροι παραλογίζονται, καὶ αὐτοὶ διαλεγόμενοι, καὶ ἄλλων ἀκούοντες.

Nominũ potestatis ignari decipiuntur.

q Atq; illa quidem una.) Conclusio per reiectionem, qua deinde transit ad studium et conatum Sophistarum describendum, quod in eo potissimùm uersatur, ut opinione scientiæ & doctrinæ sibi comparata, quæstum ex ea faciant, atq; ditescant. Et si enim & alij fines Sophistis propositi sunt, hic tamẽ inter cæteros nequaquàm uulgaris est. De alijs Sophistarum finibus uide infrà cap. 7. & 11.

Sophistarũ studiũ ditescere.

r Quoniam autem quibusdam.) Græcè est, ἐπεὶ δ' ἔσί τισι μᾶλλον πρόσγου δοκεῖν εἶναι σοφοῖς, ἢ δ' εἶναι καὶ μὴ δοκεῖν. & cæt. In quo nota insolens & iactabundum hominum uanissimorum ingenium, quibus pluris est inanis sapientiæ titulus & uenditatio, quàm sine titulo & uenditatione uera sapientiæ possessio. De hoc tali hominum genere nonnihil uide apud A. Gellium lib. 10. cap. 22.

Sapientiæ iactatio uana.

s Est enim Sophistice.) Prioris ingenij et instituti homines, Sophistas esse docet, idq; allata tum Sophisticæ, tum Sophistæ qui eam profitetur, descriptione. ἔστι γὰρ ἡ σοφιστικὴ, inquit, φαινομένη σοφία, οὖσα καὶ μὴ, καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης. Quod ad hanc Sophistæ descriptionẽ attinet, non longè diuersa est ab illa ea Ciceronis lib. 4. Academicar. quo loco inquit: At quis est nũc hic Sophistes? Sic enim appellantur ij, qui ostentationis aut quæstus gratia philosophãtur. Plura de Sophistæ descriptione uide apud Platonem in Dialogo, qui Sophistes inscribitur. De nomine lib. 8. Topicorum à nobis dictum est, cap. 4.

Σοφιστικὴ.

Sophistæ qui.

t Est autem (ut singula.) Prædictorũ occasione, quodnam Sapientis in disserendo munus

munus & officium sit, explicat. Estq; illud, tum ut ipse neminem dolosè ac insidiosè quærendo, in ijs rebus, quas perspectas & cognitas habeat, circũueniat: tum ut alios idipsum conantes ac molientes refellat & redarguat. Quorum hoc, dum respondẽdi partes: illud, dum disserendi & quærendi partes tuetur, ei præstandũ est. Græcè est, ἔστι δὲ ὡς ἓν πρὸς ἓν εἰπεῖν, ἔργον περὶ ἕκαστον τοῦ εἰδότος, ἀψευδεῖν μὲν αὐτὸν περὶ ὧν οἶδε, ἐν δὲ ψευδόμενον ἐμφανίζειν δύνασθαι. *Interpres, qui in alijs feliciter & luculenter Aristotelis mentem expressit, in hoc loco minus eam assecutus uidetur. Id quod si Græca diligentiùs attendas, statim tibi perspicuum erit.*

Sapientis officium duplex.

Interpres minus rẽ hic exprimit.

u Quorum prius in bene.) *Græcè est,* ταῦτα δὲ ἐστι, τὸ μὲν ἐν τῷ δύνασθαι δοῦναι λόγον, τὸ δὲ ἐν τῷ λαβεῖν. *In quo nota* τὸ δοῦναι λόγον, *ad respondentem referendum esse:* τὸ λαβεῖν, *ad interrogantem, perinde ut lib. 8. Topicor. cap. 3. eas phrases Aristoteles explicat. At hoc modo inuersim sententiam Interpres exposuit.*

δοῦναι καὶ λαβεῖν ἐν λόγῳ.

x Necesse igitur est.) *Concludit superiore argumentorum genere, quod multiplici uerborum significatione imponit, Sophistæ utendum esse, si quidem probè, ut sapientiæ opinionem auferat, munus suum fungi uelit. Nam tale genus ad eam rem cum primis accommodatum esse.* ἀναγκαῖον οὖν τοῖς βουλομένοις, *inquit,* σοφιστεύειν τὸ τῶν εἰρημένων λόγων γένος ζητεῖν, πρὸ ἔργου γάρ ἐστιν. ἡ γὰρ τοιαύτη δύναμις ποιήσει φαίνεσθαι σοφὸν, οὗ τυγχάνουσι τὴν προαίρεσιν ἔχοντες.

Quo argumentorũ genere Sophistę vtãtur.

y Ac esse quidem nonnulla.) *Conclusio, qua transit à superiore disputatione, ad explicationem Sophisticarum captionum. Quanquam antequàm ad hanc ipsam ingrediatur, in primis quotinam genera* τῶν ἐν τῷ διαλέγεσθαι λόγων *sint, hoc est, rationum earum, quibus in omni disputatione utimur, (ut sic à primo quasi capite præsens explicatio arcessatur) ob oculos proponit.*

z Nunc quot sint rat.) *Prima genera Sophisticarum rationum, quæ hic ad disputandum maximè proponuntur, sunt duo, quorum alterum in uerbis, alterum in rebus positum est. Istorum generum partes, seu modi sunt 13. quibus hæc omnis facultas, (quod ad tractationem Sophisticæ reprehensionis attinet) absoluitur. Quanquam præter istos Sophisticæ reprehensionis modos, & alia nonnulla sunt, quæ præterea hac disciplina persequitur, quas institutæ commentationis et tractationis quasi partes uocat. Cuiusmodi sunt ista, quæ initio Capitis subsequentis primùm refert, ut falsum, admirabile, seu inopinatũ, solœcismus, & nugatio. Græcè ait:* πόσα δέ ἐστιν εἴδη τῶν λόγων τῶν σοφιστικῶν τὰ ἐκ πόσων ἐν ἀριθμὸν ἡ δύναμις αὕτη συνέστηκε, καὶ πόσα μέρη τυγχάνει τῶν πραγματείας ὄντα, *& cæt.*

Sũma vniuersæ huius tractationis, & distinctio

a Sunt igitur ad disser.) *Quatuor omnino genera rationum ad disserendum accommodatarum proponit, dum inquit:* ἔστι δὲ τῶν ἐν τῷ διαλέγεσθαι λόγων γένη τέτ τερα, διδασκαλικοὶ καὶ διαλεκτικοὶ καὶ πειρασικοὶ καὶ ἐριστικοί. *Hic si bipartitã*

Quatuor genera τῶν λόγων.

illam.

Logicæ diuisio bipartita.

illam Logicæ diuisionem notare placet, (cuius nos sæpe Boëtius, Laërtius, et alij nonnulli admonent) ut διδασκαλικοὶ λόγοι ad Apodicticam disciplinam referendi sunt: ita διαλεκτικοὶ, πειρασικοὶ, καὶ ἐρισικοὶ, ad Dialecticam pertinent, de quo uide, quæ in Προλεγομένοις nostris annotauimus, cap. 8.

διδασκαλικοὶ λόγοι.

b Atq; illa quidem ad.) Primi generis descriptio. Græcè est, καὶ διδασκαλικοὶ μὲν οἱ ἐκ τῶν οἰκείων ἀρχῶν ἑκάστου μαθήματος, καὶ οὐκ ἐκ τῶν τοῦ ἀποκρινομένου δοξῶν συλλογιζόμενοι. In hunc locum uide lib. 1. de Demonstratione, cap. 2. & sequentibus ijs, quibus demonstratiuarum propositionum uis ac natura explicatur.

Docentiũ authoritas discentib. obest iuxta Ciceronem.

c Credere enim & indub.) Ratio, quur à respondentis iudicio, prædictum id genus τῶν διδασκαλικῶν λόγων non pendeat. Quia illius est credere ijs quæ dicũtur, non quæ dicuntur, censere & dijudicare. Quanquam id minus à Cicerone lib. 1. de Natura probatur, quo loco sic inquit: Quin etiam obest plerunq; ijs qui discere uolunt, authoritas eorum qui se docere profitentur. Desinunt enim suum iudicium adhibere, id ratum habent, quod ab eo quem probant, iudicatum uident. Nec uerò probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cùm ex his quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, Ipse dixit. Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio præiudicata poterat, ut etiam sine ratione ualeret authoritas. Hæc ille. Græcè hæc sententia dicitur, δεῖ γὰρ πιστεύειν ἂν μανθάνοντα. In hunc locum nonnihil uide & lib. 8. Topicor. cap. 3. quo loco huiusce dicti rationem talem affert Aristoteles, ut omnia discenti idcirco ponenda esse putet, quia nemo studio falsum docere uelle uideatur, ἐν γὰρ οὐδὲ ἐπιχειρεῖ ψεῦδος οὐδεὶς διδάσκειν, inquit. Sed id in probis tantùm doctorib. locum habet. Secus Propheta clamat, Væ qui dicitis malum bonum, & bonũ malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarũ. Quod doctorum genus prô dolor, nimisq̃ usitatum ac frequens est hodie, etiam in præcipuis Religionis & Christianæ pietatis dogmatibus.

Nemo praua docere studet, saltẽ bonorũ.

διαλεκτικοὶ λόγοι.

d Dialectica autem sunt.) Hoc alterum genus est τὸ διαλεκτικὸν, quod ex probabilibus progrediens, utramq; repugnantiæ & contradictionis partem conficit. Græcè est, διαλεκτικοὶ δὲ, οἱ ἐκ τῶν ἐνδόξων συλλογισικοὶ ἀντιφάσεως. De hoc genere in Topicis dictum est.

Cõmuniũ ignoratio imperitũ, nõ sciẽtia peritum arguit.

e Illa verò ad tentandum.) Hoc genus est tertium τὸ πειρασικὸν, id quod superiori affine, itidem ex probabilibus, sed ijs quæ respondenti maximè probentur, institutũ conficit. Ea quæ ignorare non poßit, qui sibi rei scientiam assumit, maximè generalia & communia sunt, quæ quisquis in arte quapiam ignorat, is planè istius se artis ignarum imperitumq; esse demonstrat. Quanquam è conuerso, si eadem ista teneat, non statim sciens peritusq; esse coarguitur. Atq; ex his talibus in primis etiam τὸ πειρασικὸν disceptandi genus progreditur, quẽadmodum in sequẽtibus, præsertim cap. 7. ipse Aristoteles docet.

Græcè

Græcè uerba hîc ita habent: πειρασικοὶ δέ, οἱ ἐκ τῶν δοκούντων τοῦ ἀποκρινομένου, καὶ ἀναγκαίων εἶναι τοῦ προσποιουμένου ἔχειν τὴν ἐπισήμην. πειρασικὰ.

f Alijs in libris.) Qui isti libri sint, non constat. Alexãder Topica hîc intelligi credit, idq; eo maximè loco, quo Dialecticæ πραγματείας utilitates exponuntur, lib. 1. ca. 2. Differuntur tamen de πειρασικῇ nonnulla & lib. 8. cap. 3. & infrà hoc libro cap. 7. & alibi. Quodq; Interpres, alijs in libris ait, Græcè non est, libris. Legitur enim, ὃν τρόπον διώρισαι ἐν ἑτέροις, Quo modo explicatum est in alijs. πειρασικὰ vbi explicentur.

g Contentiosa autem sunt.) Hoc postremum genus est τὸ ἐριστικόν, id quod præsentis instituti proprium est, cuius causa superiorum istorum generum descriptiones huc adhibuit. Id bipartitum esse in præsens admonet, propterea quòd nunc in forma, nunc in materia peccatum admittitur, quemadmodum & initio lib. 1. Topicorum demonstrauit. Quanquam secus ἐριστικὸς συλλογισμὸς lib. 8. Topicor cap. 5. accipitur, ut ibidem patet. Græcè, ἐριστικοὶ δέ, οἱ ἐκ τῶν, inquit, φαινομένων μὲν ὄντων δὲ, συλλογισικοί, ἢ φαινόμενοι συλλογισικοί. ἐριστικὸν genus duplex. ἐριστικοὶ λόγοι.

h Ac de ijs quidem quæ.) Obiter, quibúsnam locis de prædictis generibus disputetur, indicat. διδασκαλικὰ quidem in Posterioribus Analyticis: διαλεκτικὰ καὶ πειρασικὰ in Topicis: ἐριστικὰ in præsenti Sophisticarum reprehensionum libro explicantur, si Alexandro credimus. Ac quod ad ἐριστικὰ quidem & διδασκαλικὰ attinet, de ijs non obscurè ipsemet significat id, cùm inquit: περὶ μὲν οὖν διδασκαλικῶν καὶ ἀποδεικτικῶν ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς εἴρηται, περὶ δὲ τῶν ἀγωνισικῶν καὶ ἐριστικῶν, νῦν λέγωμεν. Hîc obiter autem nota & τὰ διδασκαλικὰ, ἀποδεικτικὰ: & τὰ ἐριστικὰ, ἀγωνισικὰ non diuerso sensu ab eodem dici. Quibus libris prædicta omnia explicentur.

DE QVINQVE SOPHISTARVM FINIBVS, ET DE SEX MODIS, QVIBVS CAPTIONES EX GENERE VERborum oriuntur. Cap. 2.

CAP. 3.

PRimùm [a] autem intelligendum est, quot & quæ sint ea quæ disserẽdo sibi proponunt, qui contentionis modò & vincendi causa disputant. quæ sunt quinque: [b] Reprehensio, falsum, incredibile, quodque sit contra omnium opinionem, solœcismus, & quintum, cogere eum qui cum disputant, nugari: [c] quod est eiusdem verbi inepta & inanis repetitio. [d] Atque illa quidem sibi proponunt, vt aut reuera assequantur, aut certè vt assequi videantur. [e] Hoc enim est quod primùm & maximè cõtendunt huiusmodi homines, vt coarguere respondentem videantur: secundo loco, falsum aliquid volunt concludere: tertio, ducere eò aduersarium, vt admirabile aliquid & contra opinionem hominum dicere cogatur: quarto, vt eum, si possint, cogant solœcismum cõmittere, [f] quod

Quinq; Sophistarum fines, καὶ ἐξοχασμὸν in disserẽdo qui.

est, aduersarium vi rationis adductum videri non posse effugere, quin barbarè loquatur: postremò, vt ad ineptam eiusdem verbi iterationem adducant. [g] Sunt autem reprehensionum generales duo modi: vnus in verbis, alter in rebus. [h] Atq; ille quidem modus in quo vis captionis ex verbis oritur, in sex partes distribuitur, quæ sunt: Vocabuli multiplicitas, orationis ambiguitas, coniunctio, diuisio, accentus, forma dictionis. [i] Esse autem tot, nec plures partes, non modò inductione doceri, sed etiã ratiocinatione, non vna quidem fortasse, sed hac certè demonstrari aptissimè potest: [k] nempe quia non possit præter illos modus alius reperiri, quo non idem semper ijsdem verbis & orationibus dicamus. [l] Ex nominis multiplicitate hæ omnes captiones ducuntur: Quę memoriter ab alio recitantur, ea grammatici μανθάνουσι: ergo qui docti sunt, μανθάνουσι. Homonymum est μανθάνειν. interdum enim idem valet quod intelligere rem aliquam, interdum significat idem quod discere. [m] Quod quenque facere oportet, id bonum est: sæpe autem vsuuenit, vt mala nos subire oporteat: malum igitur aliquod bonum est. Oportere duobus modis accipi potest. vno modo, pro eo quod necessariũ est: quæ significatio ad mala sæpe pertinet: [n] sunt enim quę, licet mala sint, nobis tamen necessariò subeunda sunt: altero modo, quod bonum est, officioq; consentaneum, hoc verbo intelligitur. [o] Qui surgebat, stat: & qui conualescebat, valet: atqui surgebat sedens, & conualescebat ægrotans: stat igitur sedens, & valet ægrotans. [p] Aegrotantem facere aliquid, aut pati, nõ habet vnã tantùm significationem: sed interdum huius generis participia significant eum qui nunc aut ægrotat, aut sedet: interdum verò, qui ægrotabat priùs, aut sedebat. Illud tamen verum est, eum qui conualescebat, ægrotantem etiamnum fuisse: qui autem valet, non est ægrotans, nisi ita accipias, vt eum significet qui priùs ægrotabat. [q] Ad ambiguitatem orationis hæc omnia sunt referenda: Ego vellem me hostes capere. item illud: Quod quisque cognoscit, illud ipsum cognoscit. hæc enim oratio vel ad cognoscentem, vel ad rem cognitã referri potest. Item illud: Quod quis videt, illud ipsum videt: columnã aũt videt quispiam: columna igitur videtur. [r] Quod esse dicis, tu illud ipsum dicis: lapidem autem esse dicis: tu igitur illud ipsum, lapis scilicet, dicis. Postremò illud quoque ambiguum est, σιγῶντα proloqui. nam & hoc dupliciter accipi potest. vno modo, vt significet loqui aliquem qui taceat: altero, vt de rebus mutis loqui aliquẽ declaret. [s] Sunt autem tres potissimùm modi, quib. omnis homonymia

Duplex reprehensionũ genus, quorum alterũ in verbis ꝓsatur.

Homonymia.

Amphibolia.

Exẽplum hoc licet omnino non exprimat græcã tñ quantũ patit lati.

&

& amphibolia continetur. vnus est, quando aut oratio, aut vocabulũ pro priè ac per se multa significat: vt aquila, canis. alter est, [t] quando ex vsu loquendi multiplicitas nascitur. tertius, [u] cùm verba coniuncta multis modis accipi possunt, separata simplicem habẽt significationem. [x] quale est illud, scire literas. vt enim multiplicia non sint singula hæc verba, scire, & literas, coniuncta tamen multis modis accipi possunt. aut enim significant ipsas literas scientiæ capaces esse, aut verò literarum cognitionem habere alterum. [y] Ac modi quidẽ, quibus homonymia aut amphibolia continetur, hi sunt, quos exposuimus. Nunc de coniunctione dicamus, [z] ad quam hæc pertinent omnia: Posse sedentem ambulare, posse nõ scribentem scribere. Etenim hæc duo non idem significant, [a] cùm est coniuncta, & cùm est diuisa orationis sententia. Est autem huius orationis, posse non scribentem scribere, sententia coniuncta, cùm significat eum qui non scribit, posse, cùm non scribit, scribere: diuisa autem, cùm eam vim habet, posse eum qui nunc non scribit, posteà scribere. [b] Est etiam illud ex coniunctione ductum: Quas scis literas, modò didicisti eas. Item illud: Quod vnum solum potest ferre, multa potest ferre. [c] Ex diuisione autem ista ducuntur: Quinque sunt duo & tria, atque ita paria & imparia. Item illud: Maius dicitur, quod tantum est quantum alterum, & aliquid amplius: ergo quod maius est, tantum erit, quantum alterum, itaq; æquale. Neque enim idem valet oratio, cùm illius sententia modò diuisa, modò coniuncta accipitur, qualia sunt hæc: [d] Ego te seruum feci liberum: [e] Quinquaginta hominum centum heros liquit Achilles. [f] Ex accentu autem vix oritur captio, nisi si de scripto sit controuersia. nam in scripto & poemate sæpe locum habet. Quo modo liberatur eorum calũnia Homerus, [g] qui apud illum dicunt absurdè scriptum esse, οὗ καταπεπύθεται ὄμβρῳ. dicunt enim, malè accipi accentũ illius particulæ οὗ, quæ non circumflexo, sed acuto notari debet, hoc modo οὔ. Item cùm ille locus Homeri reprehenditur, vbi de somnio Agamemnonis agitur, ita occurrunt, vt dicant, non esse illa accipienda quasi Iouis verba, δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι, sed ijs verbis imperare Iouem somno, vt det ipse somnus Agamemnoni illud, vt fiat sui voti compos Agamemnon, [h] ita vt διδόμεν pro διδόμεναι accipiatur. Ac de accentu quidem hactenus. [i] Ex forma autem dicendi tum duci intelliguntur captiones, quãdo alterius verbi specie falsi in ijs eandem esse rationem interpretamur, in quibus non est eadem ratio. [k] veluti cùm masculinum ad fœmininum genus transferimus,

nus sermo ad grecum proximè accedit.

Coniunctio.

Diuisio.

Accentus.

Forma dictionis.

ferimus, aut cõtrà fœmininum ad masculinum: aut verò cùm neutrum genus malè accipimus: [l] & cùm ad qualitatem transferimus quantitatẽ: aut contrà ex qualitate facimus quãtitatem: & cùm id quod facere significat, in pariendi significatione accipimus. Denique, cùm id quod certã quandam affectionem declarat, pro actione sumitur. eodemque modo in alijs omnibus categorijs, [m] quomodo superioribus libris à nobis diuisæ sunt. [n] Illud enim vsuuenire interdum, vt quod actionem non significat, si tantùm speciem vocabuli spectes, ita accipiatur, quasi facere aliquid significet, vel hoc exemplo intelligi potest: Valere, dicendi forma simile est his verbis, secare, ædificare: & tamen illud qualitatem & certã quãdam affectionem significat, hæc actionem: nec dissimilis est in alijs ratio. Ac de locis quidem, ex quib. ductæ ex verbo captiones eruuntur, satis.

IN CAPVT SECVNDVM,

ANNOTATIONES.

a. Primùm autem intelligend.) *Hactenus præfatus, nunc rem orditur, & primũ quidem incipit ab ijs, quæ tanquam partes præsentis huius institutionis sunt, de quib. suprà meminit, cùm inquit,* καὶ πόσα μέρη τυγχάνει τῆς πραγματείας ὄντα, *& cæt. Sunt autem illa in uniuersum numero quinq;, quæ perinde ut metæ seu scopuli quidã Sophistæ proposita sunt, ad quæ sua studia tanquam tela Sophista dirigit, gratia supplantandi ac uincendi eius quicum agit. Id quod non obscurè significat Aristoteles, dum metaphora à sagittarijs, seu gladiatoribus desumpta, loquitur ad hunc modum:* πρῶτον δὲ λυπτέον πόσων σοχάζονται οἱ ἐν τοῖς λόγοις ἀγωνιζόμενοι τῆς διαφιλονεικοῦντες, εἰσὶ δὲ ταῦτα πέντε ἐν ἀριθμόν.

Quinque metæ & quasi scopi Sophistarum.

b. Reprehensio, falsum.) *Hîc ordinem nota, quem in partibus Sophisticæ doctrinæ explicandis sequitur. Prima reprehensio est, hinc falsum sequitur, tum* παράδοξον, *deinde Solœcismus, postremò nugatio. Reprehensio Græcè* ἔλεγχος *dicitur,* πρὰ τὸ ἐλέγχειν, *quod est arguere, refellere, confutare. Quod forense uocabulum est, propter rerum similitudinem & cognationẽ huc traductum. Falsum,* τὸ ψεῦδος, *quod idem quod mendacium ualet,* πρὰ τὸ ψεύδεσθαι, *quod est mentiri ac fallere.* παράδοξον, *Ciceroni admirabile & inopinatum dicitur, ut in Partitionib. Orator. Hoc est dictum inopinatũ atq; mirabile. Et in Paradoxis: Quæ quia sunt admirabilia, contraq; opinionẽ omnium, ab ipsis etiam* πράδοξα *appellantur. Interpres incredibile eodem sensu uocat. Solœcismus (quod nomen apud nullum Veterum, seu Græcorum, seu Latinorum, se reperisse A. Gellius testatur lib. 5. cap. 20.)* πρὰ τὸ σολοικίζειν *dicitur, quod est perperam & non rectè quid facere. Vnde Solœcismus generatim pro uitio atq; errore apud Poëtas, Iuuenalem &*

Rep̃hẽsio.

Falsum.

παράδοξον.

Solœcismus.

lem & Martialem captur. Quanquam hîc, ut apud Grammaticos, certi generis uitiũ est, id quod in sermone non bene constructo & coagmentato cernitur, quod Latinorum alij imparilitatem, alij stribiliginem, teste Gellio, uocarũt. De istius uerbi origine uide apud Diogenem Laërtium lib. 1. in uita Solonis: Cùm Solon, inquit, relicto Cœlo in Ciliciam commigrasset, urbem quandam de suo nomine Solos ibi condidit, quò nonnulli Athenienſium deportati, tẽporis progressu patrio sermone corrupto, σολοικίζειν dicti sunt, οἱ γὰρ χοάνῳ, ait, τὴν φωνὴν ἀπεξενωθέντες σολοικίζειν ἐλέχθησαν. Nugatio, Græcè ἡ ἀδολεσχία dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀδολεσχεῖν, quod est nugari, garrire, sæpe idem sine causa ac temerè dicere, quomodo & paulo infrà, & lib. 8. Topicor. cap. 2. Aristoteles id uerbi describit. Fabius lib. 8. cap. 3. ταυτολογίαν pro eodem dicit, etsi nõ semper in uitio haberi eam uelit, uti à summis authoribus subinde frequentatam. Sed hæc de nominum ui et origine nimis multa. Illud non indignum est, quod hoc loco notetur, cùm tria prima genera, ut reprehensio, falsum, inopinatum, ad rerum naturam ac scientiam pertineant, duo postrema genera, nempe solœcismum et nugationem, ad sermonẽ orationemq; pertinere. Cuius quidem sermonis atq; orationis non minor, quàm ipsarum rerum, iam tum cura Sophistis erat, utpote qui eloquentiæ pariter ac sapientiæ professores se ac magistros ab omnibus haberi uolebant.

Origo uerbi τοῦ σολοικισμοῦ.

Nugatio.

Sophistæ & rerũ & uerborum magistri.

c Quod est eiusdem uerbi.) Græcè est, τοῦτο δέ ἐστι τὸ πολλάκις ἀναγκάζεσθαι τὰ αὐτὰ λέγειν. Sic & infrà, τελευταῖον δὲ τὸ πλεονάκις τὰ αὐτὰ λέγειν.

d Atque illa quidem.) Hoc loco nota, non uerè semper antegressos fines Sophistas assequi: Quin id modò ijs propositum esse, ut imperitis eos assecuti esse uideantur: quippe qui ueritati in omnibus opinionem anteponunt. Græcè est, ἡ δ' μὴν ὅμως ἀλλὰ τὸ φαινόμενον ἕκαστον εἶναι τοῦτο μάλιστα μὲν γὰρ προαιρεῖνται φαινεσθαι ἐλέγχοντες, & cæt.

Sophistæ opinionẽ veritati anteponũt.

e Hoc enim est, quod.) De hoc suprà annotauimus, quod ad ordinem in his quinque finibus, seu metis Sophistici instituti explicandis obseruatum attinet. Primo loco reprehensio ponitur, secundo falsi conclusio, & sic deinceps.

f Quod est aduersarium.) Græcè est, τοῦτο δέ ἐστι, τὸ ποιῆσαι τῇ λέξει βαρβαρίζειν ἐκ τοῦ λόγου τὸν ἀποκρινόμενον. Nota uerò hîc τὸ βαρβαρίζειν uerbum impropriè accipi. Neq; enim idem, quod τὸ σολοικίζειν ualet, cùm σολοικισμὸς in orationis compositione & structura propriè uersetur: βαρβαρισμὸς uerò spectetur in uerbis singulis, de quo ita 4. Rhetoricor. Cicero: Solœcismus est, quum uerbis pluribus consequẽs uerbum superiori non accommodatur. Barbarismus est, cùm uerbum aliquod uitiosè effertur. De hoc & Fabius lib. 1. cap. 9. consimili modo. Quid propriè uerbum τὸ βαρβαρίζειν sibi uelit, & qui barbari antiquitus fuerint nominati, de eo præter Strabonem lib. 14. Geographiæ, uide & Cornucopiæ Nicolai Perotti.

τὸ βαρβαρίζειν impropriè hîc dicit.

Solœcismus. Barbarismus.

g Sunt autem reprehensionum.) Propositâ generali partium huius Operis distributione, nunc ad primæ partis specialem explicationem se accingit, docens in duo prima genera omnem Elenchum, seu reprehensionem captiosam tributam esse. Aut enim ratione uerborũ omnis captio oritur, aut ratione rerum, quorum hoc fieri, ἔξω τῆς λέξεως, illud παρὰ τὴν λέξιν Græcè ab Aristotele dicitur. Græcè enim sic habetur, τρόποι δέ ἐισι τοῦ μὴ ἐλέγχειν δύο, οἱ μὲν γάρ ἐισι παρὰ τὴν λέξιν, οἱ δὲ ἔξω τῆς λέξεως. Quod παρὰ τὴν λέξιν, καὶ ἔξω τῆς λέξεως Græcè dicitur, Boetius propter dictionem, & extra dictionẽ, uerbotenus, sed minùs perspicuè Latinéq; conuertit. Alexander illud, οἱ δὲ ἔξω τῆς λέξεως, οἱ δὲ ἐπὶ τὰ πράγματα interpretatur: Cuius sententiam ad Cicerionij imitationem noster Interpres expressit. Veteres non longè dissimili ratione hoc genus reprehensionum partiti esse uidentur, cùm alias reprehensiones, seu captiones πρὸς τοὔνομα, alias πρὸς τὴν διάνοιαν referendas esse statuerunt. Verùm cùm membra istius diuisionis nõ tam repugnent, quàm inter se conuenire, eodemq; recidere uideantur: nõ est probanda illa distinctio, quemadmodum infrà cap. 6. de ea re differens ex professo Aristoteles ostendit.

Captio omnis aut uerborum, aut rerum est.

Veterum diuisio finitima, etsi uitiosa.

h Atque ille quidem modus.) Prioris generis sex modos recensет, qui sunt, ὁμωνυμία, ἀμφιβολία, σύνθεσις, διαίρεσις, προσῳδία, καὶ σχῆμα λέξεως, ut Græcè eos Aristoteles uocat. Quòd si Quintilianum, & ante hunc Ciceronem lib. 2. Rhetoricor. ad Herennium, audias, omnes isti modi uno communi amphibologiæ nomine contineri possunt. Fabij uerba lib. 7. cap. 10. sic habent: Amphibologiæ species sunt innumerabiles, adeò ut Philosophorum quibusdam nullum uideatur esse uerbum, quod non plura significet, genera admodum pauca. Aut enim uocibus accidit singulis, aut coniunctis. Et cætera quæ sequuntur. Quod Interpres uocabuli multiplicitatem uertit, Fabius cum Aristotele ὁμωνυμίαν uocat, cùm inquit: Singula afferunt errorem, cùm pluribus rebus, aut etiam hominibus eadem appellatio est, ὁμωνυμία dicitur, ut Gallus. Vtrum enim auem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis significet, incertum est. Rodolphus lib. 1. Dialect. Inuentio. cap. 22. agnominationem: Boetius æquiuocationem uoce paulo duriore & incultiore appellat. Græcè in præsens dicitur: ἔσι δὲ τὰ μὲν παρὰ τὴν λέξιν ἐμποιοῦντα τῇ φαντασίαν, ἓξ ὄντα τῷ ἀριθμῷ.

Verborum captiones amphibologię noïe omnes tenentur.

ὁμωνυμία quid, & ut Latinè dicatur.

i Esse autem tot, nec.) Probat senarium prægressarum captionum numerum. Alexander paulo obscuriùs hunc locum ab Aristotele expositum ait, quod ad ratiocinationis explicationem attinet.

k Nempe quia non posit.) Græcè est, καὶ ὅτι τοσαυταχῶς ἁμαρτοῖς ἀνοήτοις ὀνόμασι καὶ λόγοις μὴ ταυτὰ διαλῶσωμεν.

l Ex nominis multiplicit.) Redit ad primum genus, quod uarijs exemplis explicat, quorum nonnulla talia sunt, ut non aptè satis Latinè conuerti possint, de quo uide

Erasmum

Erasmum in Colloquijs, in cõuiuio Poëtico. Primum exemplum ex Platonis Euthydemo traductum est, etsi paululum immutatum: τί δὲ ὦ κλεινία, inquit Plato, ὁπότε ἀποστοματίζοι ὑμῖν ὁ γραμματιστὴς, πότεροι ἐμάνθανον τῶν παιδῶν τὰ ἀποστοματιζόμενα οἱ σοφοὶ ἢ οἱ ἀμαθεῖς; οἱ σοφοὶ, ἔφη ὁ κλεινίας. οἱ σοφοὶ ἄρα μανθάνουσι, ἀλλ' οὐχ οἱ ἀμαθεῖς. Aristotelis exemplum hoc modo non incommodè tractari uidebitur, si dicas, Grammaticos ea quæ dictantur in Scholis, (τὰ ἀποστοματιζόμενα Aristoteles dicit) intelligendo assequi. Id enim τὸ μανθάνειν in præsens significare uidetur. Grammaticos autẽ esse peritos & scientes, τοὺς ἐπισταμένους. Ergo & τοὺς ἐπισταμένους (id quod absurdè dici uidetur) μαθάνειν, hoc est, discere.

Exẽplum à Platone sumptum.

ἐμανθάνειν duplex.

m Quod quenque facere.) Hoc exẽplum integro syllogismo explicatur. Græcè, conclusio primo loco ponitur, ad hunc modum: ὅτι τὰ κακὰ, ἀγαθὰ, τὰ γὰρ δέοντα ἀγαθὰ, τὰ δὲ κακὰ δέοντα. Hic τοῦ δέοντος uerbum ambiguum est, id quod nunc necessarium ualet, nunc bonum & officio consentaneum.

τὰ δέοντα.

n Sunt enim quæ licet.) Eiusmodi sunt, uitæ periculo se exponere, ut patriã tuearis: mercium iacturam facere, ut nauis ingruente tempestate ad portum salua perueniat.

o Qui surgebat, stat.) In hoc exemplo itidem complexio apud Græcos præcedit. Dicitur enim, ἔτι δὲ αὖ δὲ καθῆσθαι καὶ ἐστάναι, καὶ κάμνειν καὶ ὑγιαίνειν, ὅσπερ γὰρ ἐνίστατο ἔστηκε, καὶ ὅσπερ ὑγιάζετο ὑγιαίνει, ἀνίσταται δὲ ὁ καθήμενος καὶ ὑγιάζεται ὁ κάμνων.

Exempla græca.

p Aegrotantem facere aliquid.) Quod de ægrotante ait, idem & de sedente intelligendum est, & de omnibus alijs eiusdem generis participijs, quorum anceps significatio est, quòd nunc ad præsens tempus, nunc ad præteritum inchoatum pertineãt, ut ipsemet ostendit.

Participiorũ significatio anceps.

q Ad ambiguitatem orationis.) Huius loci quinq; exempla supponit, quorum duo perfecta ratiocinatione tractantur, ut tertium & quartũ: in reliquis ambiguitas ipsa partim uerbis ab eo explanatur, partim ut per se nota simpliciter tantũ ꝓponitur. Quo in loco disce, quoties ipsum per se ἀμφίβολον sine conclusione dilucidum est, non opus esse illius tractatione, ut quæ in re per se notiore gratiam omnem diminuat. Ad hunc modum Apollo simpliciter apud Ennium Pyrrho de euentu belli cum Romanis gerendi se consulenti respondit:

ἀμφίβολα nõ semper cõcludẽda in re apta.

Aio te Aeacida Romanos uincere posse.

Quia, ut Cicero lib. 2. de Diuinat. asserit, ipse per se Pyrrhus intelligere potuit, istã amphibologiam uersus, te Romanos uincere, nihilo magis in se, quàm in Romanos ualere. Ambiguitas omnium captionum huiusce loci uersatur in tribus uerbis, me, illud ipsum, καὶ τῷ σιγῶντα, quæ uariè constructa errorem omnem pariunt, ut sigillatim Hauichhorstius declarat.

Tria ꝟba hic ambigua.

r Quod

r Quod esse dicis, tu illud.) Cùm antegressa exempla Latinis auribus utcunque adhuc reddita sint, hoc cum eo quod deinceps sequitur, tale Erasmo esse uidetur, quod uix ac ne uix quidem Latinè exprimi poßit. Græcè est: καὶ ἄρα ὃ σὺ φῆς εἶναι, τοῦτο σὺ φῆς εἶναι; φῆς δὲ λίθος εἶναι: σὺ ἄρα φῆς λίθος εἶναι. Ambiguitas ex eo pendet, quòd τὸ τοῦτο σὺ φῆς εἶναι, bifariā dici uideatur. Aut enim ualet, idipsum tu esse dicis, aut, idipsum te esse dicis. Quorum posterior sensus est mendosus, ad quem si conclusionem componas, efficietur, ut te ipsum lapidem esse σοφιστικῶς confirmes. Nemo quidem Latinorū tale dicendi genus unquam affectauit, nisi illud fortè Catulli κατ' ἀντίπτωσιν eiusmodi tibi esse uideatur. Phaselus iste, quem uidetis hospites, Ait fuisse nauium celerrimus, pro, Phaselum istum fuisse celerrimum.

Exēplum Latinè nō satis expressum.

ἀντίπτωσιν in Catulli Versibus.

s Sunt autem tres potiss.) Confert duo prædicta genera inter se, docens utrumq; tribus modis dici. Vide num ex hoc loco sumatur homonymorū distinctio, illa, cuius Ammonius in Categorias meminit: cùm homonyma alia τὰ ἀπὸ τύχης, alia τὰ ἀπὸ διανοίας καὶ τῆς προαιρέσεως appellat. Quæ enim ἀπὸ τύχης dicuntur, illa sunt, quæ per se plura propriè designant, ut aquila, canis: quæ ἀπὸ διανοίας, illa, quæ ex usu loquēdi per translationem multa significant: quorum exemplum nullum in præsens Aristoteles subiecit, uel quòd metaphoræ non semper durent, uel quòd non eædem apud omnes reperiantur, ut nonnullis placet.

Homonymorum distinctio apud Ammonium.

t Quando ex vsu loquendi.) Græcè est, ὅταν εἰωθότες ὦμεν οὕτω λέγειν. Id est, quando sic loqui soliti sumus, per abusiones & metaphoras uidelicet.

u Cùm verba coniuncta multis.) Vel contrà, cùm uno modo coniuncta dicuntur, & separata multis, id quod homonymorum est. Ipse enim loquitur de amphibologia tantùm. Sic homo mortuus, coniunctim uno modo dicitur, cùm separatum plura significet, inquit Alexander in cap. 13.

Homo mortuus.

x Quale est illud, Scire literas.) Aristoteles lib. 5. Topicor. cap. 2. author est, τὸ ἐπίστασθαι τοῦτο, multis modis dici, propterea quòd τοῦτο, nunc personæ significans sit, quæ persona scientiam habeat, aut utatur: nunc uerò non personam, sed ipsammet rem, cuius scientia habeatur, & quæ sub scientiam cadat, declaret. Atq; sic de literis bipartitò hîc loquitur, quia nunc tanquam personam scientiæ capacem, eas intelligit, quæ sentētia absurda est, quam Sophista conficit: nunc ipsas res scientiæ subiectas, quarum cognitione alter præditus sit. Quæ sententia nihil absurdi habet. Erasmus pro literis seculum legi malit, (quam peruulgatam Latinorum fuisse codicum lectionem asserit) tāquam sit mollius, & suauiùs dicatur, aliquid seculo suo notum esse, & aliquem seculum suum nosse.

τὸ ἐπίστασθαι τοῦτο, ambiguum.

Pro literis seculū alij legunt

y Ac modi quidem, quibus.) Transit ab amphibolia ad coniunctionem, quod tertium genus uitiosæ reprehensionis est, ex deprauata rerum diuellendarum connexione existens. Operæpretium est hoc loco obseruare, quod Fabius de amphibologiæ dissolutione

Transitus.

tione & explicatione admonet lib. 7. cap. 10. nempe casuum mutatione ei medendum & occurrendum esse. Ita si dicas, Audiui Lachetem percussisse Demeam, ἀμφίβολον tollet-tur, mutato casu hoc modo, audiui à Lachete percussũ esse Demeã, aut à Demea Lachetẽ. Similiter in illo, Aio te Aeacida, ἀμφίβολον tolletur, si dicas, aio quòd uel tu Aeacida Romanos, aut quòd Romani te uincere possint. Et sic de alijs. Amphibolia vt explicetur.

z Ad quam hæc pertinent omnia.) Duplicis generis exempla de uitiosa rerũ coniunctione tradit: Alterum genus modificatis enunciationibus constat, alterum simplicibus & absolutis. Modificatarum enunciationum exempla duo sunt, quorum eadem tamen uis est ac potestas. Si sedentem, & non scribentem, accusandi istos casus, cum uerbis ambulare, et scribere, non uerò cũ posse, copulaueris, uitiosa cõiunctio est, quæ im præsens fallaciam struxerit, si dicas: Quemcunq; possibile est uel ambulare, uel scribere, is fieri potest, ut & ambulet, & scribat. Atqui possibile est & sedentem ambulare, & non scribentem scribere. Ergo fieri potest, ut & sedens ambulet, & non scribens scribat. Id quod propter implicatam contradictionem dici non potest. Cõiũctionis duplicia exẽpla. Propositiones modales.

a Cùm est coniuncta.) Coniungitur, cum accusandi casus cum uerbis infinitis construuntur: diuiditur, quando construuntur cum apposito modo, possibile est, contingit, & similibus. In hunc locum uide nonnulla de distinctione modalium pronunciatorũ, coniunctorum & diuisorum, in lib. περὶ ἑρμηνείας, cap. 7. Coniuncta & diuisa oratio, paulo infrà Aristoteli ὁ διῃρημένος & συγκείμενος λόγος appellatur. Cap. 4. ὁ συντεθέμενος καὶ διαιρεθέμενος λόγος. Cõ iuncta & distincta oratio

b Est etiam illud ex coniunctio.) Hæc alterius generis exempla sunt, quæ superiorum instar sola propositione efferuntur, cuiusmodi in magnis disputationibus apud bonos authores Sophistarum peruersitate interim incidunt, cùm ea quæ in medio sententiæ locantur uerba, non satis constat, quò referenda sint. Fabius per collationem hoc ambigui genus fieri scribit, ubi dubium est, quid quò referri oporteat, ac frequentissimè cùm quidem quod medium est, utrinq; possit trahi, ut de Troilo Virgilius: Lora tenens tamẽ. Hîc utrum quòd teneat tamen lora, an quamuis teneat, tamen trahatur, quæri potest. Vn de controuersia illa: Testamento quidam iussit poni statuam auream hastam tenentem. Quæritur statua hastam tenẽs aurea esse debeat, an hasta esse aurea in statua alterius materiæ. Hæc Fabius. In hunc locum uide B. Augustinum lib. 3. de Doctri. Christia. cap. 2. Prioris exẽpli uitiosa reprehensio nascitur hoc loco, ex particula, modò, cum uerbo didicisti coniuncta. Posterioris ex eo, quòd uocabulum, Solum, cum uerbo potest, malè copulatur, id quod cum ferendi uerbo rectè connecti potuit. Fabius per collationẽ hunc locũ vocat. Explicatio posteriorũ exẽplorum.

c Ex diuisione autem.) Hic locus cum superiore coniunctus est, & quire subiecta cum illo planè conuenit, sola ratione ab eo separatur. Ita Alexander in caput 13. Dixit autem eos & propter compositionem quos ob diuisionem, quia idem ab hoc diuisum cõpo- Loco diuisiõis cum

priore re-ipsa conuenit.

nitur eidem, & compositum huic diuiditur ab eodem. Et paulo infrà: Quare patet, quòd ob compositionem aliquo modo est etiam ob diuisionem, & illud ob diuisionem est ob compositionem. Ex coniunctione quidem fallacia est, quum ea quæ separanda erant, alieno loco connexa, mendacem sententiam pariunt: Ex diuisione, cùm distracta ea quæ copulari oportuit, pariunt eiusdem generis sententiam. Exempla hoc loco afferuntur quatuor, quorum duo priora aliquo modo ratione concludens, duo reliqua simpliciter tantũ, ut superiora, proponit. Vult quinq; paria & imparia esse, quia duo & tria, (quæ coniunctim quinq; efficiunt) & paria sunt, & imparia. Atq; hoc exemplum facile est: quod sequitur ad demonstrandam maiorum æqualitatem, paulo proponitur inuolutiùs, de quo uide Alexandri commentarium.

Exempla diuisionis quatuor.

d Ego te seruum feci.) Versiculus est senarius sumptus ex Comœdia, ut uidetur. Sensus esse potest, Ego te cùm esses seruus, effeci liberum. Item cùm esses liber, effeci te seruum. Quorum illud beneficiũ utiq; est, pro quo gratiæ sint referẽdæ: hoc maleficiũ, quod nullam gratam uoluntatem requirat. Græcè est: ἐγώ σε ἔθηκα δοῦλον ὄντα ἐλεύθερον.

e Quinquaginta hominum.) Et hic uersiculus est Poëtæ Græci: πεντήκοντ' ἀνδρῶν ἑκατὰν λίπε δῖος ἀχιλλεύς. Recitat eundem sensu contrario Fabius in hæc uerba, lib. 7. cap. 10. sic scribens: Fit per flexum idem magis: Quinquaginta ubi erant centum occidit Achilles. Si distinguas, Quinquaginta, ubi erant centum, sensus uerus est: sin autem, Quinquaginta ubi erant, centum occidit Achilles, sensus falsus est. Docet Quintilianus hoc genus captionum, quod à coniunctione ac diuisione existit, respiratione ac mora, tum fieri, tum explicari. At id uerum est, si uiua uoce enuncies: sin in scripta referas, etiam interpunctis & distinctionibus opus erit.

Quinquaginta vbi erant, Varium.

f Ex accentu autem.) Huius loci frequens usus est, non in scriptis tantum, ut ipse uult, sed etiam cùm uiua uoce oratio profertur: præsertim si non tonos hîc solum spectes, & quantitatem syllabarum, sed mille pronuuciandi modos ac formas, quibus una eademq; oratio diuersis sensibus distrahitur, de quo uide B. Augustinũ, lib. 3. de Doctri. Christia. cap. 3. Meminit huius loci Fabius lib. 7. cap. 10. dum inquit: Productio quoq; in scripto & correptio in dubio relicta, causa est ambiguitatis, ut in hoc Cato. Aliud enim ostendit breuis secunda syllaba casu nominatiuo, aliud eadem syllaba producta casu datiuo, aut ablatiuo. Et paulo suprà eodem loco: Alterum est, in quo alia integro uerbo significatio est, alia diuiso, ut ingenua, & armamentum, & coruinum. Ineptæ sanè cauillationes, ex quatamen Græci controuersias ducunt. Inde αὐλητρὶς illa uulgata quum quæritur, utrum aula quæ ter ceciderit, an Tibicina quæ ceciderit, debeat publicari. & cæt.

Accentus etiam pronunciãdo fallit.

Fabius de accentu.

g Qui apud illum absurdè) Quod ad Homeri uersiculos attinet, quorum alter ex Iliados ψ. alter ex Iliados β. traductus est, eorum explicationem uide apud Erasmum in Conuiuio Poëtico. Quia de ijsdem satis ab Hauichhorstio scriptum est, & quidem ex

Alexandri

Alexandri sententia, nihil est, quod in præsens nobis adijciendum esse uideatur.

h Ita vt διδόμεν pro διδό.) Διδόμεναι Doricè atq; Aeolicè pro διδόναι dicitur, quod est, dare. Iam Iones per Apocopen eodem accentu retento, pro διδόμεναι διδόμεν dicũt. Estq; hoc infiniti modi uerbum, quo Græci subinde, maximè autem Poëtæ, pro imperatiui modi uerbis uti solent, ut: διδόμεν Ionicè pro διδόναι.

μήτε γαμοκλοπέειν, μητ' ἄρσενα κύπριν ὀρίνειν,
μήτε δόλους ῥάπτειν, & cæt. apud Phocylidem in Poëmate τῷ νουθετικῷ.

i Ex forma autem dicendi.) Postremus hic locus est, cuius etsi multa sunt genera, ad duo tamen præcipua capita eum hîc Aristoteles reuocat. Alterum caput in generibus nominum uersatur: alterum in rerum, & maximè quidem in uerborum significationibus positum est. Vtrobiq; fraudem facit dictionum similitudo, quæ efficit ut dissimilia eodem modo interpretemur. Sic nominum genera confundimus propter similem terminationem: Rerum ac uerborum significationes, propter eandem. Postremi loci duo præcipua genera.

k Veluti cùm masculinum.) Sic planetam cometam, unionem & ternionem, fœminina esse dicimus, quia diæta, musa, & talio ratio, fœminina sint: mentem, frontem, masculina, quia dens, & fons masculina sint. Et sic de alijs.

l Et cùm ad qualitatem.) Quod hîc de qualitate & quantitate dicitur, idem & de substantia, & de cæteris Categorijs intelligendum est. Atq; huius generis exemplum est illud apud Gellium lib. 18. cap. 13: Quod nix est, grando non est: nix autem alba est, grando igitur alba non est. Item cætera apud eundem, Quod homo est, hoc non est equus: homo autem animal est, equus igitur animal non est. Et: Quod ego sum, id tu non es: homo autem ego sum, homo igitur tu non es. & cæt. Nam etsi hîc Categoriæ inter se non confunduntur, quia tamen quod uniuersale est, & de multis dicitur, uti homo, et animal, propter finitimam singularium nominum terminationem, (dum pro indiuidua ac singulari substantia id ponitur) captioni locum præbet, quaẽdmodum infrà cap. 4. Aristoteles declarabit. Exempla τῆς ὁμοιοσχημοσύνης apud Gellium.

m Quomodo superioribus libris.) Vt in Topicis lib. 1. cap. 5. & lib. 1. de Demonstration. cap. 10. Ex professo autem in libro Categoriarum, peculiariter de istare cõscripto & edito.

n Illud enim vsuuenire.) In hunc locum uide, quæ annotauimus in libellum Categoriarum, cap. 6.

DE SEPTEM MODIS, QVIBVS CAPTIONES EX GENERE RERVM EXISTVNT. Cap. 3. CAP. 4.

SEquitur, a vt de fallacibus conclusionibus, quæ in rebus continẽtur, dicamus: quarum septem sunt genera. Primum est, ex accidente: secundum, ex eo quòd simpliciter aliquid dicitur, vel non simpliciter, sed Septẽ loci captionũ è genere rerum.

cum aliqua adiectione, aut partis, aut loci, aut temporis, aut affectionis ad alterum: tertium, est ex ignoratione reprehensionis: quartum, ex consequenti: quintũ, ex eo quòd sumitur illud ipsum, quod iam inde à principio in quęstione positũ est: sextum, ex eo quòd pro causa ponitur quod minimè est causa: septimum, ex eo quòd quæ multæ sunt interrogationes, pro vna accipiuntur. [b] Ac fallaces quidem ex accidente conclusiones tum ducuntur, quando rei subiectæ & accidenti eadem omnia attribuũtur: [c] quia enim multa sunt in eodem subiecto, quæ eius modò sunt accidentia, propterea non necesse est eadem omnia rei subiectæ conuenire, & omnibus rei subiectæ attributis: nisi velimus fateri, omnia quæ sunt, esse eadem: quemadmodum sophistæ dicunt. [d] in quo vel hac ratione vtuntur: Si est diuersus ab homine Coriscus, est à seipso diuersus: Coriscus enim homo est. vel ista: Si est diuersus à Socrate Coriscus, sit autẽ Socrates homo, diuersum esse Coriscum ab homine necessariò fatendũ est. Hæc autem est huius captionis occasio, [e] quòd ita fortè accidit, vt is, à quo diuersus est Coriscus, homo esset. [f] Ex eo autem, quòd omnino ac simpliciter esse dicitur, id quod verè dici potest hoc vel illud esse, aut q ex parte modò aliqua non propriè, tum vitiosa nascitur conclusio, quando ita accipitur quod ex aliqua tãtùm parte verum est, quasi omnino ac simpliciter verum esset. [g] veluti si quis aut ex eo quòd res quæ non est, opinabilis est, vellet concludere, esse rem quæ non est, (neque enim idẽ valet rem esse omnino, quod esse aliquid tale) [h] aut contrà, rem aliquam quæ sit, non esse, quia de illa negetur alia quædam res: verbi gratia, quia verum sit rem illam non esse hominem. Multum enim interest, dicas, rem non esse simpliciter & sine vlla adiectione: an verò, non esse hoc aut illud: sed quoniam, si verba modò spectes, maxima est affinitas & coniunctio inter ista, esse quidpiam, & esse: itemque non esse quidpiam, & non esse: idcirco fit, vt distingui hæc inter se non videantur. [i] Quod aũt dixi, in eo quod non omnino esse, sed cum adiectione tale aliquid esse dicitur: idem intelligendum est, quando id quod in parte modò aliqua & quodam modo verum est, ita accipietur, quasi simpliciter omnique ex parte verum esset. exempli causa: Si Indus aliquis, cùm sit toto corpore niger, dentes albos habeat, erit igitur idem albus, & non albus. Item si pars vna sit vno colore tincta, alteraque altero, inerunt igitur in eodem subiecto duo aduersa. [k] Porrò autem, harum captionum causa in quibusdam facilè perspicitur: veluti si, postquam sumpseris nigrũ esse Aethiopem,

Ex accidẽte.

Ex eo q simpliciter aliqd dicit, vel non simpliciter.

In quibus facilius

pem, roges, num sit albus dentes (vt poëtæ loquuntur) tũ eo sumpto ad extremum omni absoluta interrogatione, putes te necessaria conclusiõe effeciſſe, nigrum esse eundem, & non nigrum. In alijs quibusdam sæpe vsuuenit, vt sit difficilis explicatio, idque ex duabus potissimùm causis: Prima est, quando ex eo quod cum adiectiõe alicuius partis dicitur, simplex & absoluta pronunciatio rectè sequi videtur: altera, cùm ita alteri conueniunt alia, vt sit difficile perspicere, vtrũ ex illis simpliciter ac omnino dici iudicãdum sit: quemadmodum euenire solet, cùm duo aduersa pariter alicui insunt: tum enim aut vtrunq;, aut neutrum simpliciter dici admittendum videtur. verbi gratia, si dimidium totius cuiusdam albi est, & alterum dimidium nigrum, sit ne illud nigrum potiùs an album appellandum, incertum est. [l] Captiosa autem argumenta, quæ ex eo vim habere videntur, quòd non sit constitutum ac definitum quid sit ratiocinatio aut reprehensio, omnia ex omissa aliqua definitionis parte oriuntur. [m] Etenim reprehensio est, contradictio vnius & eiusdem non nominis, sed rei & nominis: atque adeò eiusdem nominis, vt non synonymum sit, sed idem ipsum: [n] quæ contradictio ex ijs quę sunt posita, ita sequitur necessariò, vt in sumptionibus non sit acceptum illud, de quo instituta est disputatio: [o] quæ denique ita facta est, vt pars vtraque in eodem, ad idem, eodem modo & eodem tempore sumatur. [p] Quæ omnia, quo modo reprehensioni conueniunt, eodem possunt errori omnino ac deceptioni conuenire. Quoniam ergo horum aliquid, quæ in definitione posita sunt, prætermittitur: idcirco fit, vt reprehẽdere alterum videatur, qui tamen reuera non coarguit: [q] vt, duo ad vnum sunt dupla, ad tria non sunt dupla: est igitur aliquid duplum, & nõ duplum. Item, si vnum cum vno collatum in longitudine superet illud duplo, in latitudine aũt non duplo, videbitur idem, facta etiam ad idem comparatiõe, duplum esse, & nõ duplum: sed non in eadem certè re vtrunq; dicitur. Postremò si facta sit ad idem comparatio, cernaturq; in eadem re vtrunque, & eodem modo, ad idem autem tempus vtrunq; non pertineat, erit etiam ex hoc loco ducta fallax & captiosa reprehensio: [r] Verùm quæ ducta est ex hoc loco reprehensio, potest etiam pertinere ad aliquem ex ijs, quos in verbis esse diximus. [s] Captiones autem, in quibus id ipsum accipitur in sumptionibus, de quo est instituta disputatio, ijsdem, & tot modis fiunt, quot, & quibus petitio principij committitur. Causa autem, cur speciem aliquam reprehensionum habere nobis videantur, est, [t] quia discernere

difficilius que ꝑsens captio per spiciatur.

Ex ignoratione reprehensionis.

Ex sumptiõe eius quod inuentio est pro posito.

interdum non possumus quid idem sit cum eo, quod à nobis ad disputã-
Ex conse- dum propositum est, & quid diuersum. [u] Fallaces autem ex consequen-
quenti. tibus reprehensiones, inde vim habent, quòd retrò verti consecutiones
existimemus, quæ minimè retrò commeant. Quia enim ex hoc illud ne
cessariò sequitur, ideo vicissim ex illo hoc effici necessariò opinamur.
[x] Atque ex eodem hoc genere sunt falsæ illæ opiniones, quæ gignuntur
ex sensuum perceptione. Quia enim melli is consequens est flauus color,
inde fit, vt sæpe fel pro melle accipiatur. Et quoniam pluuiæ consequẽs
est, madefieri terrã: si madida sit terra, pluisse statim existimamus: quod
tamen minimè necesse est. Pertinent etiam ad hoc genus illa ferè orato
rum argumenta, quæ ex signis ducuntur. Illi enim, vt probent adulterũ
esse aliquem, consequẽtia accipiunt: vt quòd accuratiùs comptus, & om
ni genere ornatus sit, aut quòd oberrare noctu conspiciatur: quæ tamen
multis insunt, quibus attributum illud non possit conuenire. Nec dissi-
milis est in ijs argumentis ratio, quibus hi vtuntur, qui syllogismis, non
signis differunt: [y] Quale est illud Melissi, quo infinitam esse vniuersita
tem hoc modo ostendere conatur: Vniuersitas est ingenita, ([z] nam ex ni
hilo nihil gignitur) quod autem genitum est, principium habet: [a] Itaq;
si ingenita est vniuersitas, omni principio careat necesse est: infinita igi-
tur. quæ profectò infirma est, minimeq; necessaria conclusio. [b] Nam vt
verum sit, omne quod generatum est, habere sua quædam principia: cur
quæso, vicissim id erit necessarium, vt omne quod principium habet, ge
nitum sit? [c] Illud sanè non magis necessarium, quàm hoc: Si quis habet
Ex eo q̃ febrem, calet: ergo si quis calet, habet febrem. [d] Sequitur locus, cùm nõ
nõ est cau causa tanquã causa accipitur: quò referendæ sunt omnes captiones, quæ
sa, ꝑ causa ex eo nascuntur, quòd in sumptionibus [e] aliquid tale accipiatur, quale
posito. potissimùm videatur esse causa reprehensionis, cùm reuera ea nõ sit cau
sa, cur ad extremum illud efficiatur, quod concluditur. [f] Quod in ijs ma
ximè ratiocinationibus vsuuenit, quæ aduersarium vrgẽt incommodo.
Semper enim quod huiusmodi ratiocinationib. refellitur, est vna ex sum
ptionibus. Si igitur præter necessarias sumptiones ante conclusionem
acceperis illud vndè incommodum sequi debeat, illa sæpè videbitur esse
causa, cur tu coarguas absurda conclusione aduersarium, quæ non erit.
[g] Exempli causa, si probare velis, quòd idem non sint vita & anima, &
hac tu ratione vtaris: Si aduersatur omnino ortus interitui, & cuidam
interitui aduersabitur quidam ortus: est autem mors, quæ vitæ est

contra-

contraria, interitus quidam: erit igitur vita ortus quidam, [h] & viuere gigni ac oriri, quod fieri omnino non potest: quare verum illud non fuit, vitam & animam idem esse. [i] Hac tu profectò ratione non confeci sti quod volebas. Nam vt illud nemo dicat, nil interesse inter animã & vitam: nihilo minus idem illud incommodum sequitur, si illud modò admittat quispiam, cùm mors interitus quidam sit, eam esse vitæ cõtrariam, interitui autem generationem. [k] Ac huiusmodi quidem rationes non sunt ita vitiosæ, vt nil omnino necessariò efficiant: sed cùm necessariæ conclusiones sint, ad illud modò conficiendum quod propositum est, infirmæ ac minimè necessariæ dicuntur. Neque his captionib. respondentes modò falluntur, sed etiam qui contrà disputant, læpenumerò in conclusiones huius generis incurrunt, cùm se optimè argumẽtari existimant. Atque illa quidem sufficiant de captionibus, quæ tum ex consequenti, tum ex nõ causa ducuntur. [l] Postremus locus supereſt, duas interrogationes quasi vnam accipere: quò tum referendæ sunt captiones, cùm non putat respondens multas esse interrogationes, ob idq; quasi ad vnam interrogationem, simplicem dat responsionẽ. [m] Ac nõ nullæ quidem interrogationes sunt, quas facilè videmus multas esse, ideoque non esse ad illas simpliciter respondendũ. cuius generis est ista: Sítne terra, mare, an cœlum? In alijs quibusdam non ita facilè perspicitur: quas interrogationes ij qui respondent, perinde quasi vnum esset q; rogatum est, aut admittũt, quia nil habent quod rectè ad interrogatum respondeant, aut coarguí reprehendiq; meritò videntur. exempli causa: Nunquid hic, & ille homo est? qui igitur hũc & illum cædit, hominem verberat, non homines. Item illud: Positis quibusdam, quorum partim bona sunt, partim mala: Súnt ne illa omnia bona, an mala? Hîc enim, vtrumuis dixeris, vno modo habebit, qui contrà disputat, vnde te non ille quidem verè coarguat, sed videatur certè reprehẽdere: aut vnde eò te deducat, vt absurdum aliquid dicere videare. nã in bonis aliquid numerare, quod minimè bonũ est, aut contrà in non bonis, quod bonum, absurdum est. [n] Alio modo, hoc est, si alia quædam præterea assumat, habebit vnde te vera reprehensione coarguat: veluti si quis iam antè concessisset, eadem ratione vnum & multa dici alba, nuda, cæca. nam si cæcum id appellatur, quod cùm in genere eorum sit quæ videre possint, [o] caret sensu oculorum: cæca illa dicentur, quæ non vident, cùm in genere tamen earum rerum sint, quæ oculorum sensu præditæ esse possunt. Hîc igitur

Ex eo q; multæ interrogationes tãquam vna sumantur.

Quo modo vera hîc reprehensio fiat.

igitur si de duobus rogaueris, quorum vnum videat, alterum non videat, & alius simpliciter respondeat, illud necessariò efficietur, [P] vtraque sensum oculorum habere, aut cæca esse, quod fieri omnino non potest.

IN CAPVT TERTIVM,

ANNOTATIONES.

a Sequitur, vt de fallacib.) *Explicato priore genere reprehensionum τῶν παρὰ τὴν λέξιν: sequitur nunc alterum genus τῶν ἔξω τῆς λέξεως, id quod in septem formas distributū est, quæ deinceps sequūtur.* τῶν δὲ ἔξω τῆς λέξεως, *inquit,* εἴδη ἐστὶν ἑπτά.

Septē modi τῶν ἔξω τῆς λέξεως qui.

ἓν μὲν παρὰ τὸ συμβεβηκός, δεύτερον δὲ τὸ ἁπλῶς ἢ μὴ ἁπλῶς, ἀλλὰ πῇ ποῦ, ἢ ποτὲ, ἢ πρός τι λέγεσθαι, τρίτον δὲ τὸ παρὰ τὸ τῷ ἐλέγχειν ἀγνοιαν: τέταρτον δὲ τὸ παρὰ τὸ ἑπόμενον: πέμπτον δὲ τὸ παρὰ τὸ ζητεῖν ἀρχὴν λαμβάνειν: ἕκτον δὲ τὸ παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι: ἕβδομον δὲ, τὸ παρὰ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν. Quorum omnium uis ac ratio quæ sit, ex ordine deinceps patebit.

b Ac fallaces quidem ex acci.) *Huius loci creber usus est, quo etiam peritos scientesq; ab imperitis sæpenumerò falli, & irretiri, sequenti capite Aristoteles profitetur. Accidit ex eo, quòd sine discrimine quæuis, quæ attributo conueniunt, rei subiectæ conuenire existimamus. Accidentis uocabulum, hîc attributum simpliciter ac prædicatum*

Accidens, attributū valet, cuius duo sunt genera.

ualet. Iam cùm attributa non omnia uniusmodi sint, (alia enim essentiam rei attingunt, quæ τὰ οὐσιώδη, hoc est, essentialia, nuncupamus: alia non essentiam attingunt, sed extrinsecus adsumuntur, quæ τὰ ἐπεισακτα ἢ τὰ ἐπουσιώδη dicuntur, hoc est, aduentitia, extraria, in rem inducta) sequitur non eodem modo quælibet eidem subiecto accommodari posse. Conueniunt quidem omnia, quæ rei naturam attingunt, idq; iuxta Canonē in Categorijs explicatum, Quando alterum de altero: At illa, quæ extrinsecus adsumuntur, quorū longè maior pars est, nō item. Atq; illa sunt, quæ præsenti captioni locum præbent. Græcè hic locus explicatur: δι μὲν οὖν παρὰ τὸ συμβεβηκὸς παραλογισμοί εἰσιν, ὅταν ὁμοίως ὑπάρχειν ἀξιωθῇ τῷ πράγματι ἢ τὸ συμβεβηκότι ὑπάρχειν.

c Quia enim multa sunt.) *Eiusmodi sunt essentialia, quæ naturam rei attingunt,*

Essētialia attributa.

attributa, ex quib. præsenti captioni minimè locus suppetit, ut cùm dicis, Socrates est homo, homo est animal, rationis compos, aut substantia. Ex illis enim sequitur, Ergo Socrates est animal, rationis compos, & substantia. Secus uerò habet, cùm pro essentialibus ac

Accidentalia.

natiuis attributis ascititia atq; peregrina adhibes, ad hunc modum: Socrates est homo, homo est dissyllabum, homo est generis communis, uox uniuersalis, nomen in o desinens, & id genus alia innumerabilia, ex quibus si colligi uelis, Ergo Socrates est dissyllabum, uox uniuersalis, nomen in O terminatum, communisq; generis, errabis. Neque enim id sequitur, cùm ex hoc loco fallax & captiosa ista sit ratiocinatio. Quod ad supradictam illam

seu

seu accidentium, seu attributorum, τῶν κατηγορουμένων, distinctionem attinet, qua alia rei naturam attingere, alia foris assumi & adhiberi diximus, de ea uide lib. 1. de Demõstratione, cap. 10.

d In quo uel hac ratione.) Duplex huius loci exemplum affert, Alterum est, quo Coriscum à seipso distare: alterum, (quod ad prioris confirmationem adhibet) quo eundẽ ab homine diuersum esse docet. Torquet se nonnihil in horum exemplorum explicatione Alexander. Quod ad Coriscum attinet, frequens istius in hoc opere mentio fit, fuitq; iste Socratis auditor, Nelei istius pater, cui Neleo Theophrastus celebrem, cùm suã, tum præceptoris sui Aristotelis bibliothecam testamento reliquit, teste Strabone lib. 13. Geographiæ. Exẽplum duplex. Coriscus quis.

e Quòd ita fortè accidit, vt is.) Loquitur de Socrate, cui cùm hominem fortè accidere ait, uerbo accidendi abutitur, pro eo quod est inesse, & attribui Socrati, teste Alexandro. Quòd si plura huius captionis exempla desideres, talia, eaq; explicatu faciliora, plurima suppetunt infrà, cap. 14. Accidere pro inesse ponitur.

f Ex eo autem, quòd omnino.) Quod ad hunc locum attinet, duplex ferè eius usus est, propterea quòd nunc ea quæ antecedunt, cum adiunctione proferuntur, cõsequẽte purè illato: nunc id quod sequitur cum adiunctione, purè autem ea, quæ præcedunt enunciantur. Quorum ea tamen, quæ antecedens quodammodò circumscriptum ac definitum habent, longè frequentiora sunt: ob quam causam & hic locus, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, uulgò in Scholis appellari solet. Exemplum eius, ubi antecedens purè enunciatur, tale est: Vinum bonum est, ergo & uino ingurgitari bonum. Fur malus, ergo & furem punire seu apprehendere malum est. Illud obseruandum est hoc loco, quũ ex eo quod cum adiunctione quadam profertur, alterũ omnino sequi: aut ex eo quod simpliciter enũciatur, alterũ cum adiunctione sequi negatur: nõ quamuis, nec quoquo modo efformatam aut institutam adiunctionem intelligi conuenire. Operæpretium est, ut ista adiunctio quippiam repugnans, aut dissentaneum naturæ eius, quod simpliciter atque omnino efferendum est, in se cõtineat, aut aliquo saltẽ modo eam cõtrahat atq; diminuat: Alioqui enim ad hanc rem, id est, ad struendum hoc genus captionum, minimè accommodata est, de quo uide lib. περὶ ἑρμηνείας, cap. 6. Duplex huius loci Vsus. Adiunctio quæ hic sit intelligenda.

g Veluti si quis aut ex eo.) Exemplo declarat. Sic dixeris, Chimæra, Centaurus, Tragelaphus, & cætera id genus, quæ nullam eminentiam, statum, ac soliditatem in natura habent, sunt opinabilia, Ergo sunt. Homerus est poëta, ergo Homerus est, & cæt.

h Aut contrà, rem aliquam.) Significat in utramq; partem huius loci exempla tractari posse. Ita dicitur, Asinus non est homo, aut animal rationis particeps, ergo asinus non est. Gratitudo non est uirtus, qua libido alijq; non recti animi impetus refrenantur, Ergo non est uirtus. Locus in vtranque partem valet.

i Quod autem dixi, in eo.) *Plura genera præsentis loci subijcit. Vide in hunc locum infrà cap. 14. quo plurima, eáq; non insuauia, huius captionis exempla referuntur.*

k Porrò autem harum capti.) *Distinguit huius generis captiões, quòd aliæ per se ipsæ pateant, aliæ ad cognoscendum sint obscuriores.* Τὸ δὲ τοιοῦτον ἐπ' ἐνίων μὲν, inquit, παντὶ θεωρῆσαι ῥᾴδιον· ἐπ' ἐνίων δὲ λανθάνει πολλάκις, *&c.*

l Captiosa autem argumẽta.) *Si huius generis omnes captiones eas statuas, quæ ex ignorantia ueræ reprehensionis proficiscuntur, non erit, quo hunc locum ab omnibus alijs locis separes atq; disiungas. Siquidẽ omnes aliæ captiones ex sequentis sinitionis prætermissione & ignorantia (ut insequenti capite planum fiet) ortum ducunt. Verùm ea demum propriæ huius loci intelligendæ sunt esse captiones, quæ omissione & dissimulatione subsequentium quatuor particularum, secundum idem, ad idem, similiter, & eodem tempore fiunt. Sic enim præterquàm quòd huius loci reprehensiones ab omnib. alijs uerè distinguntur, etiam ipse Aristoteles huius generis captiones persequens, non alio modo, quàm ob prætermissam aliquam istiusmodi particularum, eas sumendas esse demonstrat.*

Quæ captiones ex ignorãtia reprehensionis proprie sint.

m Etenim reprehensio est.) *Operosa hæc Reprehensionis definitio est, quæ integra si accipiatur, omnes omnium sophismatum ac cauillationum locos eius trangressio & præuaricatio in se continet, ut modò diximus.* Ἔλεγχος μὲν γάρ ὅπερ (inquit) ἀντίφασις τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς μὴ ὀνόματος, ἀλλὰ πράγματος, καὶ ὀνόματος μὴ συνωνύμου, ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τῶν κειμένων δὲ ἐξ ἀνάγκης, μὴ συναριθμουμένου τοῦ ἐν ἀρχῇ, καὶ κατὰ ταὐτό, καὶ πρὸς τὸ αὐτό, ὡσαύτως καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ. *Nota uerò in hac definitione impropriè* ἀντίφασιν *sumi* ἀντὶ τοῦ συλλογισμοῦ ἀντιφάσεως. *Sic &* ὄνομα δὲ συνώνυμον, *impropriè sumitur* ἀντὶ τοῦ πολυωνύμου, *perinde ut & 3. lib. Rhetoricor. de quo uide quæ in Categorias annotauimus, cap. 1. Alludit ad hanc Reprehensionis finitionem Aristoteles libello* περὶ ἑρμηνείας, *cap. 3.*

Operosa Reprehensionis definitio.

ἀντίφασις.

συνώνυμον.

n Quæ contradictio ex ijs.) *Hæc cum ratiocinatione communia sibi seu reprehẽsio, seu contradictio habet.*

o Quæ deniq; ita facta est.) *Hæc rursum, ut prima illa, contradictionis propria sunt, ex quorum prætermissione, ut suprà diximus, quæ huius loci sunt captiones, dijudicari debent.*

p Quæ omnia quo modo reprehens.) *Quemadmodum præscripta, inquit, si rectè obseruẽtur, legitimam reprehensionem pariunt: ita si quid ex illis prætermittatur, reprehensio quæ existit, simulata est & captiosa. Nota contrariorum eandem ex contrario rationem esse ac disciplinam.*

Cõtrariorũ eadẽ disciplina.

q Vt duo ad unum.) *Exempla affert, præsertim de trium ultimarum particularũ omissione. In primo exemplo omittitur particula* πρὸς δὲ αὐτό, *ad idem: in altero* κατὰ δὲ αὐτό, *secundum idem: in tertio* ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, *in eodem tempore, seu quod idem ua-*

Trium particularum uius.

let,

let, ἅμα, id est, simul.

r Verùm quæ ducta est ex hoc loco.) Præsertim quod ad superiores definitionis particulas attinet, quemadmodum capite sequenti patebit.

s Captiones autem, in quibus.) Locum de repetitione principij inexplicatum relinquit, quòd de eo satis tractatum sit, partim lib. 2. de Ratiocinat. cap. 7. partim lib. 8. Topic. cap. 5. Ex quib. locis quæ huc pertinere uideantur, cuiq; prompũ est petere. Petitio initij vbi explicetur

t Quia discernere interdum non poss.) Id tum fit, quando tectiùs id quod initio positũ est, argumentando repetitur & assumitur, de quo uide libros antè nominatos.

u Fallaces autem ex consequentibus.) Quæ huius generis sunt captiones, magnam affinitatem cum ijs habent, quæ ex loco accidentium ducuntur. Id quod fit, quia cõsequens accidentis quædam particula est, ut sequenti capite Aristoteles declarat, cùm inquit: μέρος γάρ τι τοῦ συμβεβηκότος τὸ ἑπόμενον. Et, ὁ δὲ πρὰ τὸ ἑπόμενον, μέρος εἰσὶ τοῦ συμβεβηκότος. τὸ γὰρ ἑπόμενον συμβέβηκε. Sed hoc interest, quòd non eodem modo utriusq; loci captiones tractantur. Si dicas, mel flauum est, flauum est & fel, Ergo fel est mel. Adulteri & compti sunt, & noctu plurimũ uagantur. Atqui talis est M. Cælius, aut Clodius. Nã & noctu uagãtur, & nimio uestitui indulgent. Ergo & sunt adulteri. Si ad hũc, inquam, modum ratiocineris, παραλογισμοὶ ex loco accidẽtis sunt, qui simpliciter contra Syllogismi naturam peccant, uti ex utraq; aiente in secundo dispositionis genere conclusi. At non ita, quæ ex consequentibus ducuntur, captiones sese habent. In his forma recta obseruari potest, sed uitium oritur ex deprauata consequentiũ (hoc est, generalium & aientium propositionum) conuersione. Vniuersæ aientes propositiones quadam ex parte conuertuntur, ut lib. 1. de Ratiocinat. cap. 2. demõstratum est. Iam si ista lege prætermissa aut ignorata, simpliciter id quod offertur, generale & aiens pronunciatum conuerteris, huius loci fallaciam & captionem construes. Verbi gratia, in quæstionem ueniat, sit'ne mel fel, sit'ne Cælius aut Clodius adulter. Hîc ita ratiocinationem instituis, Omne id quod flauo colore præditum est, est mel. Atqui fel habet talem colorem. Ergo fel est mel. Item, omnes qui lasciuè uestiuntur, & noctu uagabundi incedũt, adulteri sunt. At talis est cum Clodio Cælius. Ergo uterq; est adulter. Hîc si propositio nobis ut falsa negetur, ad consequentis conuersionem recurritur hoc modo: Omne mel est flauum, ergo & omne flauum, est mel. Omnes adulteri & lasciuiùs comuntur, & noctu ferè oberrant, Ergo quotquot & sic comuntur, & noctu oberrant, habendi sunt adulteri. Ac quod de his quidem exemplis iam diximus, id de omnibus alijs pari modo intelligendum est. Sicq; accipi debet, quod in præsens Aristoteles ait, ὁ δὲ πρὰ τὸ ἑπόμενον ἔλεγχος, διὰ τὸ οἴεσθαι ἀντιστρέφειν τὴν ἀκολούθησιν. Cõsequẽs pars accidentis. Tractatio locorũ accidẽtis & cõsequẽtis cuiusmodi

x Atq; ex eodem hoc genere.) Quinq; in uniuersum huius loci exempla affert, quorum duo prima cum eo quod postremum ponitur, ad sensuũ iudicium refert, Tertium Exempla diuersa.

ad Rhetorum coniecturas ac signa. Quartum ad Philosophorum ratiocinationes & demonstrationes. Ita ualdè latè hoc captionum genus patere ac manare declarat. Quæ ad sensuum iudicium referuntur captiones, τὰς πρὸς τὴν δόξαν ἐκ φαντάσεως ἀπάτας hic uocat: quæ ad Rhetorum signa ac cõiecturas, τὰς κατὰ δ σημεῖον ἀποδείξεις ἐκ τῶν ἐπομένων. Quæ ad philosophorũ demõstrationes, τὰς ἐν τοῖς συλλογισμοῖς.

Quib. modis ab Aristotele vocentur.

y Quale est illud Melissi.) Explicatio huius exempli paulo obscurior est, et nõnihil ob conuersionis dissimilitudinẽ à superioribus distat. Melissus aiebat τὸ ἄπαν, hoc est, Vniuersum, seu mundum, (in sequentibus cap. 15. τὸ ὅλον οὐρανὸν, hoc est, Cœlum, uocat) esse infinitum, quia ingenitum, & propterea principij expers esset, ad quod probandum conuersione repugnantiæ, τῇ κατ' ἀντίφασιν, etsi non rectè, ut putabatur, hoc modo: Si quod generatũ est, habet principium, ergo id quod generatum non est, non habet principium. Atqui generatum non est Vniuersum, ergo Vniuersum principium non habet. Quod si est, neq; finem habuerit: Itaq; infinitum erit. Etsi aliam ob causam hæc Melissi argumentatio uitiosa est & inconsequens, (sumit enim principij nomen non eodem modo, quia in propositione de principio temporis, in cõplexione de principio magnitudinis intelligit) hoc tamen in loco non aliud, quàm uitiosam propositionis conuersionem τὴν ἀκολούθησιν Aristoteles reprehendit. Nã cùm ἀνάπαλιν, hoc est, è conuerso mutato uerborum ordine per contradictionem propositio conuertenda fuisset, Ergo id quod principium non habet, generatum non est, Melissus istius conuersionis legis ignarus, contrà fecit. Quod ad istam conuertendi per repugnantiam rationem attinet, de ea uide Aristotelem lib. 2. Topicor. cap. 4. Melissi argumentatio simili modo explicatur, & lib. 1. de Natura, cap. 3. & infrà hoc lib. cap. 15.

Meliſſus Vniuersũ ingenitum aiebat.

Cõuersio repugnantiæ Melissi ignota.

z (Nam ex nihilo.) Hoc commune axioma est, ἐκ μηδενὸς λόγμα omnium ferè naturalium Philosophorum, ut lib. 10. Metaphysicor. cap. 5. Aristoteles asseuerat. Adhibuit id ad sumptionis suæ comprobationem Melissus, ut Vniuersum ἀγένητον, hoc est, non genitum, nec factum demonstraret, de qua demonstratione uide caput 8. lib. 1. de Natura.

Physicorũ ἀξίωμα.

a Itaque si ingenita est.) Hoc colligit uirtute superioris conuersionis φυσικὴ ἀντίφασιν, etsi non rectè explicatæ, ut antè ostendimus.

b Nam vt verum sit.) Quo modo hæc ad antegressæ sententiæ, & cõclusionis Melissææ refutationem faciant, mireris, cùm non isto conuersionis modo Melissus usus sit, sed contrario. Verùm consentaneum est, Melissum utrumq; cõuersionis modum approbasse. Et qui non facta principio carere uoluit, is facta cum ijs quæ principium habent, tãquam idem ualentia, retrò uicissim conuerti utiq; existimauit. Nimirum cùm ex hac consequutione, ad asserendam superiorem illam (quemadmodum Alexãdro uidetur) sit inductus. Atq; hoc quidem modo non abs re in præsenti Aristoteles in istam ἀκολούθησιν inquirere uidetur.

Melissus. duplicẽ cõuersionem probat.

c Illud

c Illud sanè non magis.) *A simili exemplo refutat. Quo modo uniuersæ propositiones aientes ad ueritatis legem conuertendæ sint, docet Aristoteles lib. 1. de Ratiocinatione, cap. 2.*

d Sequitur locus, cùm non.) *Quæ huius loci sunt captiones, ex eo nomen sortiuntur, quòd Sophista in disserendo, dum ui suarum sumptionum incommodum confecit, nihilominus tamen refellendi aduersarij causa, eius hypothesin criminatur & coarguit, tanquam istius incommodi efficientem & causam, Id quod minimè est. Conuenitq; cum hoc loco ferè illud disserendi genus itidem captiosum, quod τὸ μὴ παρὰ τοῦτο lib. 2. de Ratiocinat. Aristoteles appellat, cap. 8. Verùm hoc interest, quòd iste locus paulo latiùs, quàm illud dißerendi genus patere, uideatur. Neq; enim tum solùm incidit, cùm aduersarij hypothesin demonstratione absurdi refellere nitimur, eo genere syllogismorum, quod incommodo aduersarium urget: (etsi tum incidit maximè, quemadmodum & continenter Aristoteles admonet, & nos eiusdem appellatio docere potuit) sed etiam tum incidit, cùm in probanda, aut refutanda re quapiam, minus ueras, necessarias, ac proprias causas adhibemus: ut cùm philosophiam damnamus, aut improbamus, tanquam socordiæ & desidiæ authorem: eloquentiam Reipub. noxiam defendimus, quia multi in subuertenda Repub. eloquentia abusi fuerunt, & cæt. Græcè hunc locum Aristoteles describit: οἱ δὲ παρὰ τὸ μὴ αἴτιον, ὅταν προσληφθῇ τὸ ἀναίτιον, ὡς παρ' ἐκεῖνο γενομένου τοῦ ἐλέγχου.*

Loco à nõ causa, vnde dicatur

Latiùs idẽ patet, quã captio τοῦ μὴ παρὰ τοῦτο.

e Tale aliquid accipiatur.) *Aduersarij hypothesin intelligit, quam falsis propositionibus suis Sophista studiosè admiscet, ut eius ui incommodum, in complexione uideatur effici, sicut antè diximus. Græcè τὸ μὴ αἴτιον, & τὸ ἀναίτιον hoc loco appellatur.*

τὸ μὴ αἴτιον καὶ ἀναίτιον.

f Quod in ijs maximè.) *Rectè, maximè Interpres adijcit. Neq; enim in Ratiocinationibus, quæ incommodo aduersarium urgent, solummodò usu uenit, perinde ut disserendi genus illud, de quo iam nunc meminimus, τὸ μὴ παρὰ τοῦτο, sicut paulo antè demõstratum est. Græcè tamen illud, maximè, non habetur, cùm ita Aristoteles scribat: συμβαίνει δὲ τὸ τοιοῦτον ἐν τοῖς εἰς τὸ ἀδύνατον συλλογισμοῖς.*

Maximè, rectè adiectum.

g Exempli causa, si probare.) *Exemplo probat. Hypothesis sit, ὅτι ψυχὴ καὶ ζωὴ ταυτὸν. Ad hanc hypothesin refellendum sequenti ratione utitur, in qua falsum est id, quod ait, mortem uitæ contrariam, esse interitum. Neq; enim tam interitus est, quàm dissolutio quædam partium cohærentium, nempe animi & corporis, quã interitus tãdem seu corruptio ipsius corporis sequitur, ut uult Alexander. Atq; ex hac sumptione falsum efficitur, id quod concludit, nimirum uitam esse ortum quendam, non uerò ex superiore illa hypothesi, ut ipsemet demonstrat.*

Mors an simpliciter corruptio rei.

h Et viuere, gigni.) *Hoc ex coniugatis, incommodi clariùs ob oculos proponendi causa, attexit. Is qui uiuit, non iam gignitur, sed genitus est.*

i Hac tu profectò ratione.) *Ostendit superiorem hypothesin omnino alienam ac remotam esse ab incommodi antegressi conclusione.*

k Ac huiusmodi quidem.) *Vult non omnino ἀσυλλόγιστον hoc concludendi genus esse, etsi quod ad propositæ rei conclusionem attinet, id tale est. Ita οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸς τὸ κείμενον ἀσυλλογίστους hoc genus ratiocinationes appellat. Id quod interrim ipsissimet disputatoribus clam esse ait.*

ἀσυλλόγιστον πρὸς κείμενον.

l Postremus locus sup.) *Hoc genus tum incidit, quum aut unum de multis, aut multa seu de uno, seu de multis interrogantur, ad quæ simpliciter is qui contrà disserit, respondet. Mediocri hîc prudentia et cautione opus est, ut illa quæ rogantur, accurate discernas & internoscas. Vbi id assequutus fueris, nullius negotij erit Sophistæ tenebricolis & fraudibus obuiare. Maximè cùm uniuersim id hoc loco obseruandum sit, ad multiplicem rogationem, ne in loco quidem, ubi uerè id posis, simplicem atq; unicam dandam esse responsionem, quemadmodum in sequentibus locis aliquot, partim 12. partim 15. capitib. Aristoteles præcipit.*

Cautio ad plures rogationes discernendas.

m Ac nonnullæ quidem.) *Distinguit, ὧν ἐρωτημάτων, hoc est, rogationum genus in duas formas, quarũ hæc multiplicitatem rogatorum per se statim prodit, ad quã propterea facilior est responsio: illa cælat & occulit, qua facilius idcirco imperitior rerũ aduersarius illaqueatur.*

Duplex genus rogationum.

n Alio modo, hoc est.) *Ostendit, quo modo & hîc assumptis quibusdam uera reprehensio existat.*

o Caret sensũ oculorum.) *Non omnino, sed tẽpore, quod natura accipiendo uisui destinauit, iam exacto. Nam alioqui & catuli recens nati cæci dicerẽtur. Quod nõ fit nisi uerbi abusione. De hac re uide libellum Categoriar. cap. 7. de Priuantibus.*

p Vtraq; sensum oculorũ hab.) *Nimirum quia et multorũ & singulorum eandem esse rationem concessum est. Atqui iam patet alterũ eorum quæ proposita sunt, aut uidere, aut cæcum esse. Quare & utraq; pari modo affecta sint, necesse est.*

OMNES CAPTIONES AD IGNORATIONEM REPREHENSIONIS REVOCARI, ET QVAM OB REM FALlacijs nos decipiamur. CAP. 5. Cap. 4.

Oẽs captiones ad ignorationem reprehensionis reuocari.

A Vt[a] igitur illa & tot fallacium ratiocinationum et reprehensionũ genera statuenda sunt, quæ & quot modò exposuimus: aut si magis limus vnum quasi omnium principium constituere, reuocãda sunt omnia ad ignorationẽ reprehensionis. Nam posse omnes modos, quos paulo antè docuimus, referri ad definitionem reprehensionis, potest his rationibus intelligi. [b] Primùm, si infirma est conclusio. est enim hoc in definitione reprehensionis positum, vt ex ijs quæ posita sunt, conficiat id quod

quod vult: atque ita conficiat, vt necessaria sit re ipsa conclusio, non tantùm videatur. [c] Deinde verò, si singulas definitionis partes persequamur, idem illud planum fiet. nam ex ijs captionibus quæ sunt in verbis, nonnullæ ex eo ducuntur, quòd dupliciter, non singulari significatione aliquid dicatur: vt quæ sunt ex homonymia, ambigua oratione, [d] & dictionis forma. soleut enim ista omnia, quasi vnum quidpiam significarent, ita vsurpari. Reliquæ autem, vt quæ sunt à cõiunctione, diuisione, & accentu, captionis inde originem habent, [e] quòd non eadem semper oratio, aut nomen sumatur. Atqui vt fiat reprehensio, aut omnino syllogismus, oportebat sicut eadem res est, ita eadem esse nomina, & orationes: [f] atque ita eadem, vt si de tunica, verbi gratia, concludendum esset aliquid, non esset aliud sub nomine vestis concludendũ, sed sub eodem ipso nomine tunicæ: [g] non quò illud in altero nomine non tam verum sit, quàm in hoc: sed quia sub illo altero nomine adhuc non confectum est necessariò, quod propositum erat: sed illa prętereà interrogatio debet accedere, nónne idem vnum valeat, atque alterum? si modò velis ei qui causam rogauerit, vnde illud sequeretur quod concludis, iusta ratione satisfacere. [h] Quòd autem captiones, quæ ab accidente ducuntur, huc reuocari possint, ex definitiõe ratiocinationis statim fiet manifestum. Est enim eadem reprehensionis quæ syllogismi definitio, nisi quòd præter syllogismi rationem adiungitur verbum illud, contradictionis: Reprehensio enim nil aliud est, quàm ratiocinatio, quæ ad conficiendam contradictionem pertinet. Si igitur quæ ex accidente captiones ducuntur, syllogismi non sunt, nec reprehensiones profectò erunt. [i] Neque enim si ex illo antecedente efficitur hoc consequens, & hoc album sit: necessariò conficitur, vt etiam illud antecedens album sit. [k] Sed nec illud necessariò concluditur, si triãgulum habeat tres angulos pares duobus rectis, ei autem accidat, vt aut figura sit, aut primum, aut principium: ex ijs inquam non poterit necessariò sequi, eandem illam proprietatem conuenire figuræ, primo, aut principio: quandoquidem huius rei demonstratio non fiat de figura aut primo, quia figura sit aut primum, sed de triangulo hoc ipso quòd triangulum est. Quod idem in alijs eiusdem generis dicendum est. [l] Quare si omnis reprehẽsio est ratiocinatio, nulla erit ex accedente captio, quæ possit reprehensionis nomine appellari. Verũ tamen hoc maximè fallacium conclusionum genere falluntur, & coarguuntur ab imperitis hominibus ij etiã, qui vel arte aliqua, vel omnino scientia.

[c] Tum quæ in verbis sunt, quæ in contradictionẽ peccant.

[d]

[e]

[f]

[g]

[h] Tum quæ in reb. quę fere delin quũt in ratiocinationem.

[i]

[k]

[l] Accidẽtis captione sæpe docti falluntur.

ſcientia quadam ſunt pręditi. Ducunt enim illa ab accidentibus argumẽta, quæ contra ſapientes obijciant: [m] quæ quoniam docti alioqui homines diſcernere ac diſtinguere rectè interdum non poſſunt, propterea ab illis interrogati aut concedunt: aut etiam quæ non admiſerunt, ea ſe conceſsiſſe opinantur. Quæ verò ex eo ducuntur, quod ſimpliciter & ex aliqua parte dicitur, in reprehenſionis ignorationem eò incurrunt, [n] quòd in ijs affirmatio & negatio in eadem re non accipiuntur. Nam *ei quod* ex aliqua parte album eſt, id contradicit quod non eſt ex aliqua *parte album*: ei verò quòd omnino album eſt, id quod nõ eſt ſimpliciter album. Si igitur quod ex aliqua parte album eſſe dederit quiſpiam, ita alius accipiat, quaſi omnino album eſſe conceſsiſſet, eo modo nunquam illum verè reprehendet: quòd autem reprehendere videatur, ex eo proficiſcitur, quòd ignoratur quid ſit reprehenſio. [o] Iam autem *apertiſsimè* omnium ad hoc caput referuntur illæ captiones, quas ſuprà ex *definitione* reprehenſionis appellauimus: vnde etiam factum eſt, vt illo nomine vocarentur. Cauſa enim cur illæ aliquã habeant ſpeciem reprehenſionis, in prętermiſsione alicuius partis definitionis poſita eſt. Atque ſi diſtribuantur ſingula in partes, eo modõ quo iam aggreſsi ſumus, communem eſſe omnibus captionibus hanc definitionis prætermiſsionem facilè perſpicietur. [p] Quòd verò huc etiam reuocentur captiones, quæ oriũtur *ex eo*, quòd illud ipſum, de quo inſtituta eſt diſputatio, aſſumitur, *aut in quib.* non cauſa pro cauſa ponitur, vel ex ijs quæ nominatim in definitione poſita ſunt, perſpici poteſt. Illud enim in definitione erat, vt concluſio neceſſariò ſequeretur propter illa quæ antè poſita eſſent: *quod non fit in captionibus* quæ non cauſam pro cauſa accipiunt. Item *illud in definitione* ponebatur, vt non inter ſumptiones acciperetur id, quod fuit à principio propoſitum ad diſſerendum: quod non obſeruatur in captionib. quibus committitur petitio, vt vocatur, principij. [q] Quæ verò ex conſequentibus ducuntur, quaſi partes quædam in accidentium captionibus continentur. nam quod eſt alteri conſequens, id in accidentium numero cenſetur. [r] Illud tamen differt conſequens ab accidente, quòd in vno tantùm cernitur tractatio accidentis: veluti flauum & mel idem *eſſe, aut* album & cygnum. Conſequentis autem vis & tractatio, non niſi in pluribus intelligi poteſt. [s] nam ſi quæ ſint, quę idem quod vnum *aliquid* valent, ea etiam idem valere inter ſe poſtulamus: ex quo proficiſcitur reprehenſio illa, quę ex conſequenti appellatur. Illud verò pronunciatũ non

Cõſequẽs accidentis pars q̃dã, vt ab illo diſtet.

eſt

non est ex omni parte verum, vt si non per se, sed fortuitò & per accidẽs album sit vtrunque. in eo enim cygnus & nix idem sunt, quòd vtrunq; album sit. [t] Aut si aliud exẽplum malis, sumatur argumentatio Melissi, vbi ille accipit idem esse, principium habere, & generatum esse: aut illa, in qua pro eodem accipiuntur, æqualia fieri, & eandem recipere magnitudinem. Quia enim quod factum est, principiũ habet: idcirco vult Melissus vicissim effici, vt quod principiũ habet, factum sit: [u] perinde quasi idem valeant ista duo, propterea quòd principium habeat quod generatum est, & quod est finitum. Quod idem in ijs quæ æqualia fiunt, contingit. Nam si, quæ vnam atque eandem magnitudinem accipiunt, æqualia fiunt: vicissim etiam quæ paria fiunt, vnã & eandem recipere magnitudinem postulatur: quò fit, vt ex cõsequenti ducta sit hæc vitiosa cõclusio. [x] Quoniam ergo ad reprehensionis ignorationẽ reducuntur captiones accidentis, profectò dubium iam esse non potest, quin eò etiam referri possint quæ ex consequentib. eruuntur. Sed illud certè, si modò diligentiùs attendas, alia etiam ratione melius doceri potest. [y] Reliquæ sunt captiones, quæ ex eo nascuntur, quòd multæ interrogationes pro vna accipiuntur: quæ inde vim habent, quòd à nobis vis & natura propositionis non satis explicata animo cernitur, ac veluti in suas partes tribuitur. [z] Est enim propositionis natura in eo posita, vt vnum de vno dicatur: nimirum quia non est alia definitio eius quod vnum quidpiam huius generis est, quã ipsius omnino generis: vt vnius hominis eadem est quæ hominis definitio, & sic alia. [a] Si igitur ea est vna propositio, qua vnum de vno pronũciatur, erit profectò ipsius omnino propositionis natura in eo posita, vt sit talis aliqua interrogatio. [b] Et quoniam ex propositionibus constat syllogismus: reprehensio autem syllogismus est: propterea necesse est, vt etiam reprehensio ex propositionib. constet. Quapropter si ea demum propositio est, in qua vnum de vno pronunciatur, illud iam dubium esse non poterit, quin huiusmodi captiones ad ignorationẽ reprehensionis pertineant: vtpote quæ non propositiones, sed quę propositiones modò esse videntur, accipiant. Ac si interrogatus quidem alius quasi ad vnam interrogationem respondeat, vera hinc nascetur reprehensio: sin ille non ita respondeat, [c] sed videatur modò respondere, fallax, non vera erit reprehensio. [d] Quare omnes fallacium conclusionum modi in reprehensionis ignorationem incurrunt. Atque illi quidem, qui in verbis cernũtur, propterea huc pertinent, quia non vera cõ-

Propositio vnum de vno declarat.

Cõcludit per distinctionem.

tradictio, quod tamen est reprehensionis maximè proprium, sed falsa modò species contradictionis in eis existat: reliqui autem alij propter definitionem ratiocinationis.

CAP. 6. Causa cur nos quæ captiones fallant.

[c] Causa autem cur nos decipiant captiones, in quibus ineſt aut nominis multiplicitas, aut orationis ambiguitas, eſt, quia diſtinguere non poſſumus ea quæ multis modis dicuntur. Nam huius generis ſunt nonnulla, quorum multiplicitatem explicare non eſt facile: [d] cuiuſmodi ſunt, ens, vnum, idem. In ijs verò quæ ex coniunctione & diuiſione oriuntur, erroris cauſa eſt, eò quòd nil putamus intereſſe inter coniunctam & diſtinctam orationem: [e] ſicut in plurimis nullum eſt diſcrimen. Nec multum abſimilis eſt in ijs quæ ex accentu eruuntur, ratio: quia ſcilicet aut nuſquam, [f] aut certè in plurimis nil intereſſe inter cõtentum & remiſſum verbum videatur. Quæ ex verbi ſpecie ducuntur, propter quandam verborum inter ſe ſimilitudinem, in errorem nos inducunt. Difficile eſt enim diſcernere, quorum ſit eadem ratio, & quorũ diuerſa. [g] Nam qui hoc præſtare poteſt, propè eſt, vt quid in quaq; re verum ſit, cognoſcat: idemq; ſcit, nos hac potiſsimùm ratione [h] ſophiſtarũ captionib. vinci: quia omne quod alteri attribuitur, ita accipimus, quaſi hoc aliquid, vnamque numero naturam ſignificet. [i] Hęc enim ſunt, quę ſubſtantiã, & id quod vnum eſt, maximè conſequuntur, ſignificare hoc aliquid, & vnam quandam numero naturam. [m] Vnde etiã fit, vt hic captionis modus inter eos numeretur, qui ſunt in verbis. Primùm, quòd per huiuſmodi captionem in errorem potiùs inducimur, [n] dum aliquid cum altero tractamus, quàm cùm animo eandem ipſam rem apud nos exagitamus. [o] Atqui verbis abſoluitur omnis ſermo, qui cum altero cõfertur: quod verò apud nos taciti cogitatione tractamus, non tam ad verba, quàm ad rem ipſam pertinet. Deinde verò, quando euenit quenquã hac captione falli, dum tacitus apud ſe rem exquirit, ex eo ſemper oritur error, quòd ex verbis rem conſideret. [p] Poſtremò harum captionũ omnis error ex ſimilitudine naſcitur, quæ profectò ſimilitudo nuſquam eſt niſi in verbo. Captiones autem ex accidente eò nos in errorem inducũt, quòd dijudicare & diſtinguere rectè nõ poſsimus, [q] quę ſint eadem, quę diuerſa: quæ vnum ſint, quæ multa: quibus attributis conuenire oportet quæ rei inſunt, & quibus minimè. Quod idem in captionibus ex conſequenti dicendum eſt: quandoquidem conſequens pars quędam accidentis eſt. His accedit, [r] quòd quoniam in multis verum eſſe videtur, ſi hoc eſt illius ita conſequens, vt ſeorſum ab illo eſſe non poſsit, & viciſsim illud

Differimꝰ aut cum alijs, aut no biſcũ ipſi.

Similitudo fallit.

lud ex hoc perpetua quadam coniunctione consequi: idcirco quasi reuera ac semper ita esset, suam argumentationem tractant qui his captionibus vtuntur. Fallimur autem captionibus, quę ex omissa aliqua parte definitionis, quęque ex eo quòd aliquid omnino dicitur, & quadam ex parte, oriuntur, [a] eo nomine, quòd res parum inter se distantes non rectè distinguimus. Nam quasi nil plus significet, esse quidpiam, aut quadã ex parte, quàm esse omnino, aut verò esse quodam modo, aut hoc tantùm tempore: ita in toto genere ac simpliciter cõcedimus. Nec diuersa est in ijs ratio, quæ aut illud ipsum de quo est quæstio, assumunt, aut non causam pro causa ponũt, aut vnam faciunt interrogationẽ quæ multę sunt. Nam in ijs etiam erroris causa est, paruum admodum rerum inter se discrimen, quia scilicet non satis subtiliter & accuratè perspicimus propositionis aut ratiocinationis definitionem, ob eam, quam suprà diximus, causam.

Sic & ὃ παρ μικρόν.

IN CAPVT QVARTVM,

ANNOTATIONES.

a Aut igitur illa & tot.) *Quas certis generibus distinctas sigillatim hactenus exposuit, tum rerũ, tum uerborũ captiones, eas omnes accuratioris doctrinæ causa, ad unam ignoratæ reprehensionis normam, tanq; ad fontem atq; initium omnium aliarũ, hoc loco reuocat. Ac quod ad eas quidem attinet, quæ in uerborum genere uersantur, ferè in cõtradictionis legem peccant, quẽadmodum quæ uersantur in genere rerum, propriè in ratiocinationem delinquunt. Quæ duo (contradictionem & ratiocinationem dico) illa sunt, quæ simul obseruata & copulata ueram Reprehensionem efficiunt, quemadmodum & antè aliquoties significatum est, & in sequentibus luculentiùs deinde ostendetur.*

Omnes captiones reuocantur ad ignorãtiam Elenchi.

b Primùm si infirma est conclus.) *Hoc genus τοὺς ἀσυλλογίστους ἐλέγχους uocat, cuiusmodi sunt, qui in rerum genere maximè cernuntur, uti diximus, nisi fortè eos, qui ex loco accidentis desumuntur, præcipuè tales intelligi placeat. Sic enim paulo pòst ipse hæc intelligere Aristoteles uidetur.*

ἀσυλλογίστους ἐλέγχους.

c Deinde verò, si singulas.) *Si ad accidentis locum priora referas, hæc ad omnes alias captionum formas transferri debent. Atq; sic nunc deinceps se ipse exponit.*

d Et dictionis forma.) *Quod antè ὃ χῆμα τῆς λέξεως uocauit, hoc loco uno uerbo τὸν ὁμοιοσχημοσύνην appellat, ut & capite sequenti.*

ὁμοιοσχημοσύνη.

e Quòd non eadem semper.) *De hoc uide infrà cap. 13.*

f Atque ita eadem, vt si de.) *Amplificat, quod de uerborum atq; orationis identitate (ut sic Græcorum ταυτότητα Latinè dicam) modò admonuit. Videtur paulo esse durius, ne dicam superstitiosius, id quod hic de ijsdem omnino retinẽdis, non cõmutandis*

Præceptio durior.

ulla ratione uerbis, in concludenda argumentatione præcipit. Verùm non quid doctorum consuetudo atq; usus ferat, sed quid exacta ratio artis postulet ac requirat, hoc loco docet.

Sed tamẽ in scholis obseruatu necessaria.

Vt ad hanc tam arctam ac circumscriptam loquendi legem astringi non fuerit utile, maximè iam Scholas egressis: ita illis quidem certè qui in Scholis etiamnum docentur, hæc minuta, aut si libet etiam frigida, concludendarum rationum præcepta, nequaquam negligẽda, aut omittenda esse facilè iudicabit, qui quàm diligens & accurata in omnibus reb. per sequendis & perdiscendis exercitatio omnium iudicio adhibenda sit, secum in animo expenderit. Verùm de hoc alibi fusiùs à nobis tractatum est. Si quis uolet, in hunc locũ adhibeat, ea, quæ à Fabio de Scholastica simul ac oratoria seu ciuilis disputationis atque argumentationis discrimine differuntur, partim lib. 5. cap. 14. partim lib. 7. cap. 4.

g Non quò illud in altero.) Ratio tam exactæ & circumscriptæ præceptionis.

h Quòd autem captiones.) Transit ad captiones, quæ ex rerum genere existũt, in quibus primùm de accidente docet, quotquot ab illo ducuntur reprehensiones, in Syllogismi definitionẽ peccare. ὅτι δὲ παρὰ τὸ συμβεβηκός, ait, ὁρισθέντος τοῦ συλλογισμοῦ, φανεροὶ γίνονται. Hoc in loco quid reprehensio à ratiocinatione distet, animaduerte. Per omnia conueniunt, nisi quòd reprehensio ad ratiocinationem ἀντιφασιν adiungat. Id hoc modo Græcè Aristoteles ait, τὸν αὐτὸν γὰρ ὁρισμὸν δεῖ καὶ τοῦ ἐλέγχου γίνεσθαι, πλὴν προσκεῖσθαι τὴν ἀντίφασιν.

Fallaciæ accidẽtis in syllogismũ peccãt

i Neque enim si ex illo antece.) Vide, num hoc modo exemplum tractetur, si dicas: Homo est animal, animal est album, ergo homõ est albus. Quæ cõclusio in primo schemate fuerit ex utraq; sumptione speciali per se ἀσυλλόγιστος.

k Sed nec illud necessariò conclud.) Maximè ad demõstratoris institutum accommodatè. Nam etsi in tertia figura non ineptè ad hunc modum concludi posse uidetur: Triangulum habet tres angulos duob. rectis pares. Triangulum autem omne est figura. Ergo quædam figura habet tres angulos duob. rectis pares: non tamen ad Apodictici instituti aptè illud colligitur, cùm & uniuersæ Apodicticorum conclusiones sint, & tales, quibus uniuersi generis proprietas subiectæ rei conuenire doceatur.

Demõstratoris conclusiones Vniuersæ, & cæt.

l Quare si omnis reprehensio.) Concludit, subiungens nunc inde, quàm latè ante dictæ captionis usus pateat, quo etiam οἱ τεχνῖται καὶ ὅλως οἱ ἐπιστήμονες non rarò ab imperitis circumueniantur.

m Quæ quoniam docti alio.) Caussa, cur docti hoc captionis genere implicentur, quia non satis exercitati sint, nec rectè distinguenda internoscant, ὅτι δ' οὐ διαιροῦνται, inquit, διαιρεῖν, ἢ ἐρωτῶμενοι, διὰ ὅσα, ἢ οὐ διὰ ὄντες οἷονται διαιρεῖσθαι.

Cur hîc docti fallantur.

n Quòd in ijs affirmatio.) Affirmationem & negationem, partes contradictionis dicit, quarum dissimilis explicatio ne uerè cõtradicant, efficit. Ita huius captionis exempla primũ in cõtradictionem peccant, qua uiolata, deinde in reprehensionẽ incurrũt.

o Iam

o Iam autem apertissimè.) *Loquitur de ijs, quæ ex ignoratione reprehensionis peculiariter dicuntur, propter antè nominatarum particularum rationem intermissam.*

p Quòd verò huc reuocentur.) *Quæ sequuntur captiones, earũ altera nihil diuersum à propositionib. colligit, ut ea quæ principij petitionem admittit: altera etsi colligit quippiam, nõ tamen ui antepositæ sumptionis id facit, ut quæ δ' ἀναίτιον pro causa sumit. Itaq; ambæ in naturam cùm Syllogismi, tum reprehensionis apertè peccant.* Duplex harum captionum vitium.

q Quæ verò ex consequẽtibus.) *Huius loci superiore capite meminimus. Quia fallaciæ accidentis in reprehensionem peccãt, ut quæ magna ex parte sunt ἀσυλλόγιστοι: non possunt non & quæ ex consequentibus sunt, in eandem peccare: præsertim cùm & cõsequens accidentis quædam pars sit, uti hîc ait, et pars non diuersam à toto rationem habeat, ut lib. 1. de Cœlo dicitur: ὁ γὰρ αὐδὲς λόγος περὶ τοῦ ὅλου καὶ μέρους.* Totius & partiũ eadem ratio.

r Illud tamen differt.) *Discernit consequens ab accidente, quòd huius tractatio simplex sit, quæ in uno solo dicitur: illius non simplex, quæ in pluribus necessariò uersatur, propter adhibitam conuersionem, de qua suprà diximus. Sic enim in pluribus uersari, in præsens Alexander accipit, quemadmodum, in uno solo dici, non explicari conuersione. διαφέρει δὲ, Græcè Aristoteles ait, τοῦ συμβεβηκότος, ὅτι δ' μὲν συμβεβηκός, ἐστιν ἐφ' ἑνὸς μόνου λαβεῖν, δ' δὲ πρὰ τὸ ἑπόμενον ἀεὶ ἐν πλείοσι. Exempla quæ afferuntur, non tam ad explicandas captiones huc adhibita esse uidentur, quàm ut quid sit in uno solo, quid in pluribus dici, ex ijs intelligi poßit. Ita nihil est, quòd in eorum tractatione in præsentia occupati simus.* Cõsequẽs ab accidẽte vt distet.

s Nam si quæ sint.) *Græcè est, τὰ γὰρ ἑνὶ καὐτῷ ταυτὰ, καὶ ἀλλήλοις ἀξιοῦμεν εἶναι ταυτά. Quod axioma non uerè dicitur, nisi in ijs, quæ per se, non autem fortè, temerè, in eodem tertio conueniunt, sicut ipse subijcit, de quo & lib. 3. de Principijs, cap. 3. in eandem sententiam scribit: οὐ γὰρ τὰ αὐτὰ πάντα ὑπάρχει τοῖς ὁπωσοῦν ταυτοῖς, ἀλλὰ μόνον οἷς δ' εἶναι ταυτόν.* Quæ in tertio conueniunt, bipartita.

t Aut si aliud exemplum.) *De hoc exemplo proximo capite abunde dictum est. Hic tantùm causam, qua ad simplicem aientis pronunciati, eiusq; uniuersalis conuersionẽ instituẽdam inductus Melissus fuit, ob oculos proponit. Ea autem non alia fuit, nisi quòd ultro citroq; inter se conuerti & reciprocari, quæ non idem planè ualerent, uerba existimauit. de quo & suprà meminimus.* Melissus conuerti credit τὰ ἄνισα.

u Perinde quasi idem valeant ista duo.) *Cùm alterũ altero latiùs pateat. Principium enim habere, quàm ortum esse, latiùs patet, cùm non solum de principio temporis id dicatur, sed & magnitudinis. Ita & æqualia esse, fusiùs patet, quàm eandem magnitudinem habere: id quod alterum hoc loco exemplum adducit, rei clariùs ob oculos subijciendæ causa: quia cùm posterius ad cõiunctam tantummodò quantitatem pertineat, prius illud non ad coniunctam modò, sed & deiunctam æquali modo accommodatur.* Principiũ habere, & æqualia esse, latiùs patent.

x Quoniam ergo ad reprehensio.) Concludit, & alio modo comprobari posse admonens, consequentis fallaciam in Reprehensionis definitionem peccare: Nimirũ propterea, quòd non eodem, sed alio atq; alio (id quod Syllogismi natura non patitur) utatur medio, teste Alexandro.

Alexãdri ratio.

y Reliquæ sunt captiones.) Vult postremi generis captiones in reprehensionem propterea peccare, quòd cùm ex multiplicibus rogatis progrediuntur, non constant ueris ac legitimis propositionibus: quod genus propositionum unicè ac singulariter requirit Syllogismorum natura. Syllogismus enim non nisi ex uniusmodi, atq; simplicibus propositionibus, (quæ sunt, quæ unum de uno declarant & enunciant) modò non captiosus & fallax, efficitur. Ita cùm primùm in Syllogismũ peccent, à cuius natura remotas atq; abhorrẽtes propositiones assumũt, deinde secundo quasi loco peccant et in reprehensionẽ.

Syllogis. ex quibus propositionibus confletur.

z Est enim propositionis.) Græcè est, ἡ ἀπόρασις ὄστιν ἓν καθ' ἑνός. Quod quia minus adhuc confessum ac certum uidetur, eius probationem subijcit, quæ talis est: Vna propositio definitur, ista, qua unum de uno seu affirmando, seu negando profertur. Atqui unius cuiuspiam rei per se separatim consideratæ eadem finitio est, quæ rei simpliciter & absolutè in se spectatæ. Ergo ut una propositio est, qua unum de uno simpliciter enunciatur, sic & propositio omnino. Atqui tales sunt, ex quib. syllogismi construũtur. Ergo. Propositio superioris ratiocinationis his uerbis ab Aristotele effertur: ὁ γὰρ αὐτὸς ὅρος ἑνὸς μόνου καὶ ἁπλῶς τοῦ πράγματος. Assumptio cum complexione ad hunc modum: εἰ οὖν μία πρότασις ἡ ἓν καθ' ἑνὸς ἀξιοῦσα, καὶ ἁπλῶς ἔσται πρότασις ἡ τοιαύτη ἐρώτησις.

Vnius propositiõis, & propositionis omnino, definitio eadẽ

a Si ergo ea est vna.) In hunc locum uide lib. περὶ ἑρμηνείας, cap. 3. & lib. 1. de Ratiocinatione, cap. 1.

b Et quoniam ex propositionibus.) Iam dictis scilicet, quæ unum de uno enũciant. Hoc loco propositum colligit, docens eandem reprehensionis naturam esse, quæ sit ratiocinationis, argumento à genere ducto.

c Sed videatur modò respondere.) Id quod fit, si uel taceat, (nã taciturnitas cõfessionẽ imitari uidetur) uel respondeat, sed dubitanter, dicens fortasse, esto, & cõsimilia.

d Quare omnes fallacium.) Concludit superiorem enumerationem, docens uerborum captiones præteritione ueræ contradictionis, in reprehensionem incurrere: rerum autem, neglecta aut prætermissa finitione ratiocinationis. Quod tamen an in secundo loco, à dicto secundum quid, omnino uerum sit, dubitari potest. ὥστε πάντες, inquit, οἱ πρόποι πίπτουσιν εἰς τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν. οἱ μὲν οὖν πρὰ τὴν λέξιν, ὅτι φαινομένη ἀντίφασις, ὅπερ ἦν ἴδιον τοῦ ἐλέγχειν. οἱ δὲ ἄλλοι πρὰ ἀν τοῦ συλλογισμοῦ ὅρον.

Rerum & verborum captiones in quo peccent.

e Causa autem cur nos.) Nunc porrò causam fallaciæ in singulis antegressis locis specia-

specialim explicat, quæ est, quòd non exactè satis ac diligenter ea quæ ubiq; secernenda sunt, distinguere in oratione possumus.

f Cuiusmodi sunt ens, vnum.) *De horum uerborum explicatione uide Aristotelem cùm alibi, tum lib. 4. Metaphysicorum.*

g Sicut in plurimis.) *De hoc Grammaticorum constructiones uideantur, quæ etsi plurimùm inter se ordine uerborum traiecto sæpe distant, eandem tamen sine captione nobis sententiam exhibent.*

h Aut certè in plurimis.) *Imo uerò pauciſſima talia sunt, in quibus accentus differentia nullam diuersitatem pariat. Sic* θάλως ἢ θαλῶς *pro eodem ponũtur, teste Alexandro. De dictionibus, quæ accentu significatum uariant, extat Cyrilli* συναγωγὴ *in peruulgatis Græcorum Lexicis.* θάλως καὶ θαλῶς.

i Nam qui hoc præsta.) *Accuratè scilicet omnia distinguere, ubi quid multiplex ac diuersum incidit. Græcè est,* οὐδὲν γὰρ ὅτι τοῦτο δυνάμενον ποιεῖ ἐγγύς ἐστι τοῦ θεωρῆσαι τἀληθές. *Hæc sententia discernendi ac distinguendi ea quæ ambiguè ac perplexè dicuntur, diligentiam commendat.* Ambiguorum distinctio perutilis.

k Sophistarum captionibus.) *Non quibusuis, sed illis, quas* οὐτιδανὰς *Stoici uocarũt: Cuius generis exempla nonnulla superiùs in explicandis captionib.* ταῖς πρὸς τὸν ὁμοιοσχημοσύνην *cap. 2. adduximus, ut: Quod ego sum, tu non es. & cæt. De talibus enim loquitur. Meminit uerò captionum* τῶν οὐτιδανῶν *Diogen. lib. 7. in uita Xenonis.* οὐτιδανὰς captiones.

l Hæc enim sunt, quę substantiam.) *De hoc uide Aristotelem libello Categor. cap. 2. in tertia propriętate Substantiæ, ubi inquit:* πᾶσα δὲ οὐσία δοκεῖ δηλοῦν τόδε τι σημαίνειν, *& cæt.*

m Vnde etiam fit, vt hic.) *Alexander, & post hunc plerique alij, antegressum captionum genus, ubi propter figuram ac similitudinem appellationis, uniuersale pro singulari re usurpatur, inter fallacias & captiones Accidentis recensęt. Verùm, quia similitudo & figura appellationis in causa est, cur ista captione irretiamur, potiùs in locis ac captionibus uerborum reponi debet, quemadmodum in præsens Aristoteles demonstrat.* Vniuersale pro singulari, quę referatur.

n Dum aliquid cum altero.) *Hoc loco duplicẽ differendi, & exquirendi seu ueri, seu falsi, rationem nota. Altera est, cùm ipsi tacitè nobiscum rem expendimus: altera, cùm sermonem cum aduersario miscemus. In hunc locum uide lib. 1. Topicor. cap. 2. & de re, lib. 8. cap. 1. Item* προλεγόμενα *nostra, cap. 12.* Bifariam disseritur.

o Atqui verbis absoluitur.) *Græcè est,* ἡ μὲν γὰρ μετ' ἄλλου σκέψις διαλόγου. ἡ δὲ καθ' αὑτοὺς οὐχ ἧττον διὰ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα.

p Postremò harum captio.) ἔτι ἡ μὲν, *inquit,* ἀπάτη ἐκ τῆς ὁμοιότητος, ἡ δὲ ὁμοιότης ἐκ τῆς λέξεως.

q Quę sint eadem, quę.) *Hoc in loco uide, quàm latè pateat captionum genus, id quod*

τὰ κατηγορήματα. quod ab accidente ducitur. Quæ attributa hîc Interpres uertit, Græcè τὰ κατηγορήματα dicuntur, qua uoce pari modo & lib. περὶ ἑρμηνείας, cap. 6. Aristoteles usus est, in quo loco & his non dissimilia differuntur.

r Quòd quoniam in multis.) Nempe in ijs, quæ retro uicissim commeant & reciprocantur.

ἐν τῷ παρὰ μικρὸν ἀπάτη. s Eo nomine, quòd res parum.) Græcè est, ᾧ τὸ παρὰ μικρὸν ἡ ἀπάτη, Sic et paulo infrà eodem sensu dicitur. ᾧ ἅπασι τὰ ἡ ἀπάτη διὰ τὸ παρὰ μικρόν. Huc pertinet id quod lib. 5. de Repub. Aristoteles ait, ὃς ἔγγιον ἡ μηθὲν διαφέρον τοιοῦτος μικρόν. In hunc locum uide lib. 1. de Ratiocinat. cap. 19.

SOPHISTICARVM ET FALSARVM REPREHENSIONVM LOCOS CVM SVPERIORIBVS EOSDEM ESSE, & hos non nisi cõmunes in hac disciplina esse constituendos.

Caput 5.

CAP. 7. QVoniam [a] autem ex quot, quibusque locis ducuntur vitiosæ ratiocinationes, quæq; videntur modò, nec sunt, iã tenemus: illud quoque simul confectum est, qui & quot loci sunt, ex quibus eruũtur sophisticæ omnino ratiocinationes & reprehensiones. [b] Ego verò sophisticas ratiocinationes & reprehensiones hoc loco ita accipio, vt non modò cõplectantur eas quæ inani quadã & falsa specie veras ratiocinationes aut reprehensiones præ se ferunt: [c] sed etiam eas quæ reuera sunt ratiocinatiões, habent tamen falsam quandam hac ex parte speciem, qua ad eam rem, quam efficiunt, propriè accommodatæ esse videntur, nec sunt tamen. [d] cuius generis sunt, quæ illud non præstãt, in quo potissimùm munus piraſtices, hoc est, quasi rationis examinãdi, ([e] quæ pars quædam est dialecticæ) positum est: quia scilicet non verè coarguunt aduersarium, nec manifestam faciunt eius imperitiã. Atque illa quidem piraſtice falsum aliquid suis argumentis nonnunquam efficit: sed illud euenit [f] propter imperitiam eius, qui in re de qua agitur, tales potiùs rationes admittit. Sophisticæ autem reprehensiones, licet etiam necessariò concludant disparata, non tamen manifestò [g] alterius imperitiam coarguunt: [h] quin etiam eis qui sciunt, tenebras offundunt. [i] Sed quòd eadem via & ratione locos vtriusque generis reprehensionum complexi sumus, hinc fit manifestum. Nam quot, quibusq; de causis solet videri auditoribus, ex ijs quæ interrogata sunt, bene ac necessariò rem confici: ijsdem & tot respondenti idem illud videri consentaneum est. Ex illis igitur quos exposuimus locis, aut omnibus, aut certè nonnullis, eruuntur falsæ ratiocinationes.

Sophisticæ reprehẽsiones quæ.

Distinctio piraſticæ & sophisticæ argumẽtatiõis.

nationes. Quod enim se [k] non interrogatus quispiã admisisse existimat, idem profectò interrogatus non diuersa erit sententia. Verùm enimuerò inter has ratiocinationes nonnullæ sunt, in quibus simulac interrogãtur ea quæ ad perfectam conclusionem deerant, confestim falsitas appareat: cuius generis captiones ferè sunt, quæ ex verbis ducuntur, & quæ ad soloecismum perducere aduersarium conantur. [l] Si igitur paralogismi, quibus disparata concluduntur, omnes ad reprehensionem ita pertinent, vt eò peccent, quòd speciem modò inanem reprehensionum præ se ferant: illud profectò negari non potest, quin falsæ ratiocinationes ex ijsdem & tot locis ducantur, ex quibus reprehensiones oriuntur, quę fallaci specie veras imitantur. [m] Atqui fallaces istæ & fucatæ reprehensiones ex eo nascuntur, quòd aliquam partem ex ijs quæ sunt in natura veræ reprehensionis prætermittunt. Vt enim quæque ex singulis partib. omittitur, ita fallax & fucata fit reprehensio. verbi gratia, [n] quando id q̃ concluditur, non sequitur ex ijs quæ antè posita sunt, oritur illa captio, quam maximè in argumenta cadere diximus, quæ ad incõmodum ducunt. Quæ verò multas interrogationes accipit pro vna, eò peccat, [o] q̃ propositionis natura non rectè accipitur. Quæ ex accidente ducitur, & altera, quę huius pars est, ex consequenti, hoc habent vitij, [p] quòd pro eo quod per se debeat esse, illa accipiunt. Peccant etiam illæ manifestò contra definitionem, [q] quarum conclusio non ad rem eandem, sed ad verba tantùm eadem pertinet. Prętereà aduersus id quod diximus, oportere cõtradictionem in toto genere ac simpliciter accipi, & in re eadem, & ad idem, & eodem modo, omnes captiones peccant, quæ id quod ex parte modò aliqua dicitur, sumũt, aut huius generis aliquid, [r] contrà quàm singulæ illæ particulę significant. Denique in eam partem definitionis, nõ accepto eo inter sumptiones, quod à principio positum est in disputatione, incurrũt omnes, quibus petitio principij cõmittitur. Quare ex quot, quibus q́; locis paralogismi eruantur, eadem hac via perspici poterit. Nã & ijs plures esse nequeunt, & in eos omnes quos enumerauimus, incurrere possunt. [s] Illud autem hîc intelligendum est, sophisticam reprehensionem, & syllogismum, non omnino, nec apud omnes esse reprehensionem, aut syllogismum: sed apud hunc modò, vel illum. Ac si quidem ab eo qui respondet, alius non accipiat, verbum multiplex vnam habere significationem, & quod simili forma verbi profertur, rem declarare, quæ sit hoc aliquid, vnumq́ue numero, eodemq́; modo in alijs: illæ nul-

Ex ijsdem locis falsę, ex quib. apparẽtes, reprehẽsiones

Sophistica reprehensio, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρός τινα.

lo modo aut reprehensiones, aut ratiocinationes erunt: hoc est, nec apud omnes, nec apud eum quidem qui interrogatur. Si illud ab aduersario concessum habeat, erit illa quidem, quod attinet ad respondentem, reprehensio, & syllogismus: omnino autem, & apud omnes, non erit: quá doquidem nõ sumptum sit, id quod reuera vnum significaret, sed quod

CAP. 8. videretur modò, & ab eo acceptũ, qui talis, hoc est imperitus esset. [t] Neque verò nobis hoc loco laborandum est, vt ex quot, & quibus locis omnes veræ reprehensiones ducuntur, complectamur: quando illud sine omnium rerum scientia cognosci non possit. Nulla autem ars est, [u] quę hoc præstare vna queat. Sunt enim scientiæ propemodũ infinitę. [x] vnde etiam planum est, demonstrationes esse infinitas: quæ eædem, veræ sunt reprehensiones. Nil enim demonstratione concluditur, quod idem reprehensione confici non possit, qua eum coarguas, qui contradictionis eam partem posuerit quæ falsa est. [y] Exẽpli causa, si quis dixerit, diametrum esse comparabilem cum latere: is coarguetur demõstratione, qua non esse comparabilem diametrum ostenditur. Itaque omnium rerum scientiam habeat necesse est, qui omnes omnium reprehẽsionum locos sit animo comprehensurus. Aliæ enim reprehensiones ex geometriæ, aliæ ex medicinæ, aliæ ex aliarum cuiusque generis scientiarum initijs & conclusionibus ducuntur. [z] At verò falsæ etiam reprehensiones non minus infinitæ sunt, quàm illæ: quandoquidem nulla sit ars, quæ suos non habeat falsos syllogismos: veluti in geometria geometrici, in medicina medici. Quod autem dixi in quaque arte falsos esse syllogismos, sic accipi volo, vt eò tantùm artis esse dicantur, quòd principia accipiunt ipsius artis. [a] Perspicuum igitur est, non esse nobis hoc loco explicandos omnes omnium reprehensionum locos: sed eos modò, ex quibus dialecticæ reprehensiones eruuntur. Sunt enim illi communes omnibus artibus & facultatibus. [b] Ac debet quidem quisq; artifex, omnes quæ ad suã artem pertinent, reprehensiones considerare, siue sint illæ veræ reprehẽsiones, siue speciem tantùm habeant verarũ: et quamobrem talis sit vnaquæque, explicare. Quæ verò ex communibus, quæq; nullius artis propriæ sunt, constant, hæ dialectico sunt considerandæ. nam si locos tenea mus, vnde ducuntur probabiles ad disputandum de quaque re syllogismi, simul ex quibus reprehensiones eruendæ sint intelligimus: cùm præsertim nil sit aliud reprehensio, quàm syllogismus cõtradictionis: ita vt tum sit reprehensio, quando aut vno syllogismo, aut duobus disparata

Speciales loci singularum reprehensionum explicari non possunt.

Cõmunes possunt ex Dialecticę artis præscripto.

concluſa

concluſa ſunt. [c] Vnde igitur omnes huiuſmodi ex communibus factę reprehenſiones proficiſcantur, ex ſuperioribus intelligi poteſt: [d] ſimulque vnde iſtarum reprehenſionum diſſolutiones accipi poſſunt: quando eas ſoluere nil aliud ſit, quàm exceptione aliqua eas refellere. Quin verò ex ijſdem cognoſcimus, quot, quibuſq; ex locis oriantur fucatæ illæ, [e] quæ non temerè quidem cuiuis, ſed certis quibuſdam hominibus reprehenſiones eſſe videantur. Nam perſequi omnes cauſas, quib. videri poſsint quibuslibet hominibus reprehenſiones, quæ non ſunt, infinitũ eſt. Ex ijs ergo perſpicuum eſt, [f] dialectici eſſe, notatos habere omnes locos, vnde reprehenſiones ex communibus conſtantes ducuntur, cuiuſcunq; generis illæ ſint: [g] hoc eſt, ſiue veræ, ſiue in ſpeciem tantùm reprehenſiones ſint: itemque ſiue dialecticæ reuera ſint, ſiue dialecticæ tantùm eſſe videantur. aut verò ex eo rationum genere, quæ ad examinãdam & excutiendam alterius eruditionem adhibentur.

IN CAPVT QVINTVM, ANNOTATIONES.

[a] Quoniam autem ex quot.) *Quos hactenus apparentium ac uitioſarum cõcluſionum locos tradidit, eoſdem & Sophiſticarum tum concluſionum, tum reprehẽſionum eſſe oſtendit, propterea quòd Sophiſticæ concluſiones & reprehenſiones eædem cum ſimulatis ac fictis ratiocinationibus omnino ſint, quemadmodum ſuprà initio huius commentationis à nobis dictum eſt.* Apparentiũ & ſophiſticarũ reprehenſionũ locꝰ ijdem.

[b] Ego verò ſophiſticas.) *Oſtendit Sophiſticas concluſiones ac reprehenſiones bipartitas eſſe, quòd nunc forma concludendi uitioſa ſit, nunc materia: quarum has τοὺς παρὰ τὴν ὕλην, illas τοὺς παρὰ τὸ σχῆμα, ἢ κατὰ τὸ εἶδος ἡμαρτημένους συλλογισμούς initio libri primi Topicorum Alexander uocat. Atq; ſic & infrà cap. 7. de ijſdem Ariſtoteles loquitur.* Sophiſticę reprehenſ. bipartitæ.

[c] Sed eas etiam, quæ reuera.) *Hæ ſunt, quæ in materia peccant, ut quæ ex falſis, & à propoſitare abhorrentibus, etſi ueriſimilibus propoſitionibus conficiuntur. Paulo infrà οἱ ψευδῆς, καὶ οἱ πρὸς ψευδῶν συλλογισμοὶ uocantur. Hoc loco φαινόμενον δὲ ὀνομα τοῦ πράγματος, Græcè eſt: in quo nota, numerum ab Interprete commutatũ. Ponitur enim pluralis pro ſingulari.* In materia quæ peccent.

[e] Cuius generis ſunt, quæ illud.) *Græcè eſt,* ἔστι δ' οὗτοι οἱ μὴ κατὰ τὸ πρᾶγμα ἐλέγχοντες καὶ δεικνύντες ἀγνοοῦντας, ὅπερ ἦν τῶν σοφιστικῶν, *& cæt. Quod* τὸ μὴ κατὰ τὸ πρᾶγμα ἐλέγχειν *Ariſtoteles ait, Interpres nõ uerè coarguere reddit, id quod propriũ eſt reprehenſionis. Nota uerò ut hoc loco* σοφιστικοὺς ἐλέγχους cũ παραλογισμοῖς, *ijs qui dante aduerſario falſum conficiunt, conferat. Re ſubiecta ijdem eſſe uidentur,* τὸ μὴ κατὰ τὸ πρᾶγμα ἐλέγχειν.

Vt pirastæ à sophistis distent.

dentur, at hoc distant, quòd πειρασικοὶ re confecta, aduersarij inscitiam prodant: Sophistici autem, quib. studio est ἐν προσδιαλεγόμενον occultè quocunq; modo fallere, nõ item. Gaudet enim Sophista aduersarij ignorantia abuti, ut pro ueris sententijs atq; opinionibus falsas atq; ementitas sententias in eius animum inserat.

e Quæ pars quædam est.) De hoc infrà copiosiùs cap. 7.

f Propter imperitiam eius.) Græcè est, δι' ἄγνοιαν τῶν διδόντος ἐν λόγον.

Sophista alios impedire gaudet.

g Alterius imperitiam coarg.) Vt qua libenter abutuntur, ut eum in errore detineant: cuius erroris propagandi & confirmandi causa, etiam peritiores hoc stropharũ genere circumuenire nituntur, ut continenter sequitur: καὶ γὰρ τὴν εἰδότα ἐμποδίζουσι τούτοις τοῖς λόγοις.

h Quin etiam ijs qui sciunt.) A comparatis argumentum est. Tantum abest, ut imperiti ignorantiam detegere uelit Sophista, ut uel eiusdem tenebris inuolutum sapientiorum animum esse cupiat: Cui rei unicè operam nauat.

Sophistici loci cũ apparentib. ijdem.

i Sed quòd eadem via.) Confirmat anteposita, sumpto argumento ab ijs qui tum audiunt, tum respondent, idq; ut uidetur, hoc modo: Iisdem locis ac modis capiuntur in disserendo, tum ij qui audiunt, tum ij qui respondent. At quibus modis audientes in disserendo capiuntur, ij apparentes sunt: quibus respondentes, isti Sophistici. Ergo Sophistici & apparentes modi ijdem sunt, ijsdemq; ex causis & locis omnes promanant. Propositio conclusioq; ipsius Aristotelis uerbis proponuntur, Assumptio ab Aristotele prætermissa, à nobis, ut præfertur, adiuncta est.

k Non interrogatus quispiam.) Non interrogatum, ἐν μὴ ἐρωτηθέντα, auditorem intelligit: Interrogatum, ἐν ἐρωτηθέντα, respondentem.

παραλογισμοί.

ὁι ψευδεῖς συλλογισ.

l Si igitur paralogismi.) Connexa argumentatio, qua conclusionem superiorem de integro probat. Paralogismi, quibus disparata concluduntur, græcè ὁι παραλογισμοὶ τῶν ἀντιφάσεως dicuntur, qui propriè apparentes sunt reprehensiones: Falsæ ratiocinationes ὁι τῶν ψευδῶν συλλογισμοὶ paulo infrà dicuntur, quæ propriè Sophistarum reprehensiones in præsens sunt habendæ.

m Atqui fallaces istæ.) Assumptio, ὁ δὲ φαινόμενος πρὰ τὰ μόρια τῶν ἀληθινοῦ ἑκάστου γὰρ ἐκλείποντος φανείη ἂν ἔλεγχος. Probat hanc assumptionem deinde per Inductionem.

n Quando id quod concluditur.) Græcè, τὸ μὴ συμβαῖνον διὰ ἐν λόγον, breuissimè dicitur. Loquitur autem de captione τῇ πρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον.

o Propositionis natura non rectè.) Perinde ut in Syllogismo decet, de quo proximo capite dictum est, ἐν τῷ μὴ διαρθροῦν ἡμᾶς ἢ μὴ διαιρεῖν ἐν λόγον τῆς προτάσεως.

p Quòd pro eo quod per se.) Græcè est, καὶ ἀντὶ τῶν καθ' αὑτὸ, in quo deest id

quo

quod per ἀντίθεσιν intelligitur, nempe alienum quid, & ascititium accipi: ex quo Syllogismi non progrediantur. Etenim uerus syllogismus constat his quæ insunt per se, & non his quæ per accidens, ut Alexander ait.

q Quarum conclusio non ad rem.) Græcè est, ἔτι δὲ μὴ ἐπὶ τοῦ πράγματος, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ λόγου συμβαίνειν, quæ altera superioris ratio est.

r Contrà quàm singulæ.) Contrà quàm, pro contrà atq; Interpres dicit. Ita Cic. ad Qu. Fratrem: Factum est cum mea culpa, contrà quàm tu mecum egeras. Idem & con trà ac, seu atq; dicit, ut pro Cornel. Balbo: Si deniq; non aliquid contrà ac liceret, factum diceretur, sed contrà atq; oporteret. Græcè est, ἢ παρ' ἕκαστον τούτων. Contrà q.

s Illud autem hîc intelligend.) Cùm multa de Sophistica tum ratiocinatione, tum reprehensione hactenus disseruerit, ostendit quatenus utraq; uel ratiocinatio, uel reprehensio sit habenda. Neq; enim simpliciter & absolutè sic dici possunt, ne ad illum quidem, quicum disputatur, nisi is quæ à Sophista ambiguè & insidiosè rogata sunt, aliquo modo dedisse & concessisse uideatur. Progreditur enim ut ratiocinatio, sic & reprehensio omnis ex positis & concessis. Atq; ita οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρός τινα, καὶ μὴ πρὸς τὸ ἐρωτώμενον, ἐὰν μὲλλόωσι τὰ ἐρωτηθέντα, futuram esse tum ratiocinationem, tum reprehensionem hîc ait. Sophistica nõ omnino, sed quãmodo reprehensio

t Neque verò hoc loco.) Ostendit antegressum locorum præceptionem undique perfectam, absolutam, & accuratam esse, ut quæ iuxta Dialecticæ artis præscriptum instituta, in omnes omniũ artium ac facultatum professiones facilè conueniat: Ita, ut nulla alia præter istam ex alijs artibus huc adferenda aut constituenda sit, ad quã singulæ quæq; reliquarum disciplinarum reprehensiones seu captiones referendæ esse uideantur. Hæc disciplina communis est omnium facultatum, & quarumq; captionum si non speciales ac proprios, communes saltem ac generales locos continet. Proprij loci singularum captionum ac reprehensionum qui sint, ut explicatu id minus necessarium est, ita perdifficile sanè, atq; adeò impossibile est, in tanta præsertim artium ac disciplinarum (ad quarum unam quamq; specialis cuiusque reprehensionis explicatio & efformatio pertinent) uarietate, quẽadmodum iam nunc κατὰ πρόληψιν obiectioni occurrẽs idipsum Aristoteles docet. Prægressa locorum ratio perfecta, & cõmunis. Proprij loci explicatu difficiles.

u Quæ hoc præstare queat.) Vt omnium rerum scientiam & cognitionem habeat. Sunt enim sui quiq; artium singularum ac scientiarum fines ac limites, quibus istæ circumscribuntur.

x Vnde etiam planum est.) Docet reprehensiones in tanta artium uarietate ac multitudine, quodãmodò infinitas esse: ideoq; istarum proprios ac speciales locos uix tradi posse. Neq; id in ueris tantum reprehensionib. locum habere, sed & in falsis, quæ ueris in quaq; scientia è regione opponuntur. Quòd autem uerè reprehensiones quodammodò infinitæ sint, docet quia in tanta artium diuersitate ἀποδείξεις infinitæ sunt, quibus Reprehensiones, ut ἀποδείξεις, infinitæ.

reprehensiones in quoq; genere numero exæquantur, ut deinceps confirmat.

x Exempli causa, si quis diamet.) *De hoc exẽplo sæpe in Analyticis diximus.*

y At verò falsæ etiam.) *Ostendit falsarum reprehensionum eandem esse cum ueris rationem, idq; in quaq; scientia. Id quod fit propter diuersam initiorum cuiusq; scientiæ, atq; adeò contrariam inter se istorum sumptionem & explicationem.*

z Perspicuum est igitur.) *Concludit generales communesq; singularum reprehensionum locos, secundum Dialecticæ artis præscriptum, singularibus ac proprijs locis reiectis, tantum sumendos hic esse.* δῆλον οὖν ὅτι, *inquit,* οὐ πάντων τῶν ἐλέγχων, ἀλλὰ τῶν παρὰ τὴν διαλεκτικὴν ληπτέον τοὺς τόπους. οὗτοι κοινοὶ πρὸς ἅπασαν τέχνην καὶ δύναμιν.

Generales loci capiẽdi.

a Ac debet quidem quisque.) *Confert hoc loco Dialecticum cum omnium aliarum artium ac scientiarum professoribus: quorum hi singuli quiq;, quæ in sua arte ac scientia priuatim occurrunt, reprehensiones persequuntur: iste quæ omnium communes, ac nullius artis propriæ sunt, pro suo officio indagat. Est enim communis artifex, Dialecticus, qui in omni re uerisimilitudinem ac probabilitatem consectatur. In hunc locum uide Rodolphum Agricolã, lib. 2. cap. 7. ut ea loca, quæ ex Aristotele Hauichhorstius annotauit, prætermittam.* καὶ δὴ μὲν, *inquit Græcè hoc loco Aristoteles,* καθ' ἑκάστην ἐπιστήμην ἔλεγχον τοῦ ἐπιστήμονός ἐστι θεωρεῖν: δὴ δὲ ἐκ τῶν κοινῶν καὶ ὑπ' οὐδεμίαν τέχνην, τοῦ διαλεκτικοῦ.

Dialectico cõmunis artifex.

b Vnde igitur omnes huius.) *Ostendit ex prædictis sophisticarum & apparẽtium reprehensionum rationem abunde constare, non modò quod ad confectionem istarum, sed etiam quod ad dissolutionem, ac refutationem attinet. Ac primùm quidem de Sophisticis, deinde de ijs quæ apparent & uidentur, separatim docet. Interpres quidem paulo aliter hunc locum conuerterat, sed nos Alexandri sententia freti, quæ in Græcis inuenimus, simpliciter restituenda putauimus.*

Versio paulũ mutata

c Simulq; vnde istarum.) *Quid ita? Nempe quia ijsdem soluitur argumentatio, quibus struitur modis, ut Rodolphus lib. 2. cap. 21. ait. Huc pertinet, quod infrà Aristoteles ait, cap. 11.* ἀποκρινομένοις δέ πως ἀπαντητέον πρὸς τοὺς τοιούτους λόγους φανερόν, εἴπερ ὀρθῶς εἰρήκαμεν πρότερον ἐξ ὧν εἰσὶν οἱ παραλογισμοί, *& cæt. Quã hic rationẽ subiungit,* αἱ γὰρ τούτων ἐνστάσεις, λύσεις εἰσίν, *eãdem lib. 1. de Cœlo, cap. 10. his uerbis Aristoteles effert:* αἱ γὰρ τῶν ἐναντίων ἀποδείξεις, ἀπορίαι περὶ τῶν ἐναντίων εἰσί. *Qua arte nodus texitur, eadem & dissoluitur.*

Eodẽ modo & struitur, & soluitur captio.

d Quæ non temerè quidem cuiuis.) *Vult doctorum & peritiorũ iudicio apparentes iudicari, nõ temerè quorumuis.* φαινομένους δὲ οὐχ, *inquit,* ὁτωοῦν, ἀλλὰ τοῖς τοιοῖσδε. ἀόριστα γάρ ἐστιν, ἐάν τις σκοπῇ παρ' ὅσα φαίνονται τοῖς τυχοῦσιν.

e Dialectici esse notatos.) *Nota Dialectico communium rerũ notionem esse propositam.*

positam. φανερὸν, *inquit*. ὅτι τοῦ διαλεκτικοῦ ἐστι τὸ δύνασθαι λαβεῖν παρ' ὁπόσα γίνεται διὰ τῶν κοινῶν ἢ ὧν ἔλεγχος ἢ φαινόμενος ἔλεγχος, *&c.*

f Hoc est, siue veræ.) *Hîc multiplicem* τοῦ ἐλέγχου *diuisionem nota.*

VETERES NON RECTE' CAPTIONES IN EAS, QVAE AD NOMEN, ET QVAE AD SENTENTIAM referuntur, diuisisse. Cap. 6.

CAP. 9.

NOn[a] est vera illa argumentorum distributio, qua vtuntur aliqui, dicentes, alia ad nomen, alia ad sententiam pertinere.[b] nam existimare diuersa esse argumenta, quæ ad nomen & quæ ad sententiam pertinent, ac non potiùs eadem esse quę vtroq; genere continentur, magna est amentia. Quid enim aliud est, non argumentari ad sentẽtiam, quàm non vti eum qui se rectè putat interrogare, aliquo vocabulo[c] in ea significatione, in qua est concessum à respondente? Quid verò, nónne etiam[d] hoc est de nomine contendere?[e] Iam verò quid est conferre argumentum ad sententiam, nisi cùm intellexeris, quod dixit respondens, ad id argumentum dirigere.[f] Quòd si plura significet aliquod verbũ, putent autem qui interrogat & qui respõdet, vno modo dici (veluti ens & vnũ multiplicia sunt:[g] existimabat tamen Zeno qui interrogabat, & is quoque qui illi respondebat, vno tantùm modo dici. ex quo factum est à Zenone argumentum, quo omnia esse vnum concluderet) illam certè eandem argumentationem, siue ad nomen pertinere dicas, siue ad sententiam eius qui respondet, vtroque modo non malè dixeris. Sin plura significare putent, non dubium est, quin ad sententiam illa non possit pertinere.[h] Primùm igitur in ijs argumentis quæ multiplicitatem aliquã habent, illud vsuuenit, vt quæ sunt ad nomen, eadem ad sententiam pertinere cernantur. Deinde verò nulla omnino argumentatio est, in quam illud, esse ad sententiam, cadere non possit:[i] quandoquidem esse ad sententiam et mentem alterius, non sit in ipsa argumẽtatione positum, sed in eo, quòd respondens hoc vel illo modo affectus est ad ea quæ concessit. Tum verò nulla est contrà, cui non possit accidere vt sit ad nomen,[k] præsertim cùm hoc loco esse ad nomen idem valeat, quod nõ esse ad mẽtem alterius. Nam si non omnes illuc referri possint,[l] erunt profectò aliquæ reprehensiones, quæ neq; ad nomen, neq; ad sententiam erunt. Illi autem altero horum generum omnes contineri dicunt: atq; ita diuidunt, vt omnis generis reprehensiones aut ad verba, aut ad sententiam pertinere

Eædẽ captiones & ad nomẽ, & ad sentẽtiam referri possunt.

Ad sententiam, & ad nomen referri qdẽ.

nere fateantur. [m] Atqui ex ijs quidem syllogismis, in quib. quædam inest multiplicitas, [n] nonnulli sunt qui ad nomen pertinent, (nam illud absurdum est, velle omnes captiones [o] quæ ex verbis ducuntur, pertinere ad nomen) sed illud certè negari etiam nõ potest, quin aliquæ sint in eodem illo genere captiosæ & fallaces ratiocinationes, [p] quæ non ex eo vim habent, quia sit hoc vel illo modo affectus respondens: sed quoniam ipsa per se argumenratio continet aliquam interrogationem, *quæ* multis modis dicatur. [q] Iam verò illud omnino absurdum est, *habere illos* qui sic diuidunt, priùs rationem reprehensionis, quàm syllogismi: & de illa priùs quàm de hoc differere. Cùm enim reprehensio syllogismus quidam sit, necesse est vt priùs respiciamus quid in syllogismo positum sit, quàm quid in falsa reprehensione: [r] quæ aliud nihil est, quàm non vera, sed fallax & fucata ratiocinatio, adhibita ad cõcludendum dissimulanter. [s] Vnde etiam fit, vt omnis captiõis vitium vel *sit in syllogismo*, vel in contradictione (nam ad syllogismum oportet contradictionẽ accedere, vt fit reprehensio) vel in vtroque. [t] Vt autem singulorum exempla subijciam, illa captio qua concluditur, σιγῶντα proloqui, vitium habet, non in syllogismo, sed in cõtradicendo: illa verò, qua dare aliquem posse quod non habet, conficitur, vtroque modo vitiosa est. Illa *postremò* qua efficitur, Homeri poëma esse figurã, *quia circulus quidam sit*, in syllogismo vitium habet. Quòd *si qua erit argumentatio*, quę neutro modo vitiosa sit, vera ratiocinatio censebitur. [u] *Sed vt eò* redeamus vnde digressi sumus, illud hîc rogo, an *captiones quæ in disciplinis* versantur, ad sententiam pertineant, nécne? Et si *in ea quisquam opinione* sit, vt triangulum putet esse verbum multiplex, isque interrogatus [x] *in alia* significatione concedat, quàm in qua de triangulo conclusit alius, habere tres angulos pares duobus rectis, erit ne illa ad mentem & sententiam alterius disputatio, an potiùs non erit? Præterea si multis modis dicatur verbum aliquod, eamq; multiplicationem nec intelligat alius, nec vllã omnino esse suspicetur: hîc, quæso, quónam pacto ad mentem & sententiam alterius collata est disputatio? [y] Aut quo tãdem modo, vt sit ad sententiam disputatio, interrogare alius debet? nisi fortè adhibita *simulam* bigui distinctione interrogandum sit, vt sit huiusmodi, verbi *gratia*, interrogatio: sit ne verum σιγῶντα proloqui, an falsum: [z] an *potiùs* vno modo verũ, et altero falsum? At enim si nihilominus hîc ita *respondeas*, vt nullo modo fieri illud posse dicas, contrà autẽ alius disputet, nunquid erit

[o] Non oẽs verborũ captiones ad nomen pertinere.

De syllogismo priùs quã de reprehensione agendũ

Captiões in disciplinis quales

erit ad sententiam tuam disputatum? Atqui ad nomẽ etiam quin huiusmodi argumentatio pertineat, negari non potest. [a] Non est igitur vnum quoddam captionum genus ad mentem & sententiam pertinẽtium: sed illud modò verum est, nonnullas esse quæ ad nomen sunt: nec huius generis omnes esse possunt, non dico quæ veræ sunt reprehẽsiones, sed ne illæ quidem quæ falsa specie veras reprehensiones præ se ferunt: quandoquidem multæ sint captiones, [b] quæ ne ex verbis quidem ducuntur: quales sunt, quæ ex accidẽte eruuntur, & aliæ nonnullæ. [c] Quòd si quis existimet, oportere eum qui interrogat, simul interrogando multiplicitatem verbi indicare, & distinguere hunc in modũ: quum dico σιγῶντα proloqui, volo intelligas, posse hoc vel illo modo accipi: [d] illa quidẽ certè primùm erit valde absurda & iniqua postulatio, [e] præsertim cùm illud sæpè vsuuenire videatur, vt qui interrogat, nesciat omnino multis modis dici posse quod rogat. Quod verò multiplex esse non putes, illud vt distinguas fieri non potest. [f] Deinde verò quid, quæso, hoc aliud erit, quã docere? Hoc enim modo res, vt est, illi explicatur & declaratur, qui nec animaduertit, nec scit, nec omnino suspicatur, posse id de quo interrogatur, alio atq; alio modo accipi. [g] Nam quid vetat, quo minus huiusmodi distinctio etiam in ijs argumentis locum habeat, in quibus nulla est ambiguitas? exempli causa, nõne quatuor vnitates sunt pares duob. binarijs, qui sunt in quaternario? ita tamẽ, vt diuerso modo in quatuor insint duo binarij, & quatuor vnitates. [h] Item q; illa, est ne cõrariorum eadem scientia? sed ita tamen, vt alia sint cognita, alia incognita. [i] Quapropter qui ista distinctione vtendum esse cẽsent, ignorare videntur, aliud esse docere, aliud disputare: & quòd oporteat [k] docentem non interrogare, sed manifestum facere id de quo agitur: disputantem verò, eum modò, qui cum disputat, interrogare.

An verbò rum multiplicitas inter ogãti distinguenda.

Docere & disputare diuersa.

IN CAPVT SEXTVM,

ANNOTATIONES.

a Non est vera illa argu.) *Quò præcedens expositarum reprehensionum δίχοτομία, hoc est, bipartitio, firmiùs cõstare uideatur: digreditur hoc capite ad refellendum Veterum illam diuisionem, superiori quidem ut uidetur, finitimam, sed tamen uitiosam: nempe qua argumentationum alias ad nomen, alias ad sententiam pertinere statuerunt: eo modo, quo Rhetores ferè figuras diuiserunt, quum alias* κατὰ διάνοιαν, *hoc est, mentis & sententiarum: alias* κατὰ λέξεως, *hoc est, uerborum seu dictionis, esse professi sunt, de quo uide apud Fabium lib. 9. cap. 1.* ὅτι δὲ διαφορὰ τῶν λόγων, *inquit hic Aristoteles,*

Veterum diuisio vitiosa.

Rhetorũ figuræ vt diuidant.

teles, ἣν λέγουσί τινες δὲ εἶναι τοὺς μὲν πρὸς τοὔνομα, τοὺς δὲ πρὸς τὴν διάνοιαν.

b Nam existimare diuer.) Complures rationes affert, cur Veterum distributio improbanda uideatur. Hoc loco docet membra diuisionis in idē recidere, propterea quòd nulla captio sit, quæ non simul & ad nomen referri, & ad sententiam poßit. Quod cùm sit, per eiusmodi membra nequaquàm Veterum diuisio explicari potuit, ut quæ differentias repugnantes habere debuit, de quo uide Rodolphum lib. 1. cap. 5.

Membra diuisionis qualia esse oporteat.

c In ea significatione, in qua est.) Id est, ad sententiam respondentis accommodatè. ἐφ' ᾧ ἐρωτώμενος ἔδωκε, græcè est.

d Nónne etiam hoc est.) Ita in diuersis uerborum significationibus ludere.

e Iam verò quid est.) Græcè simpliciter, τὸ δὲ πρὸς τὴν διάνοιαν, inquit, ὅταν ἐφ' ᾧ ἔδωκεν διανοηθείς.

f Quòd si plura significet.) Dum ambigua proponuntur, in differentibus situm est, ut uel ad nomen, uel ad sententiam oratio referatur. Si enim eódem uterq; mentē refert, ad sententiam: sin ad diuersa, ad nomen oratio dirigitur. Ita eadem oratio ad utrumque genus pertinet, pro diuersa differentium intelligentia, authore Fabro.

Eadē oratio ad mētē nomēq; refertur.

g Existimabat tamen Zeno.) Hic Zeno Eleates fuit, Parmenidis Eleatis auditor, de quo uide Laërtium lib. 9. & Platonem in Parmenide. Hic primus Dialecticæ inuentor fuit, quēadmodum Rhetoricæ Empedocles, ut Aristot. ait, authore Diogene. Alius Zeno fuit, Stoicæ sectæ princeps, patria Citticus ex Cypro, teste Diog. initio li. 7. de Vitis.

Zeno Eleates.

Citticus.

h Primùm igitur in ijs.) Transit ab ambiguis ad alia quæuis, in quibus pro differentium arbitrio ostendit eandem orationem, nunc ad nomen, nunc ad sententiam quodam modo transferri.

i Quandoquidem esse ad sententiā.) Græcè est, οὐ τὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐστὶ δὲ πρὸς τὴν διάνοιαν εἶναι, ἀλλ' ἐν τῷ ἂν ἀποκρινόμενον ἔχειν πῶς πρὸς τὰ δεδομένα.

k Præsertim cùm hoc loco.) Ostendit, quid sit ad nomen orationem dirigi. δὲ γὰρ πρὸς τοὔνομα, inquit, τὸ μὴ πρὸς τὴν διάνοιαν εἶναί ἐστιν ἐνταῦθα.

Ad nomē dirigi qd.

l Erunt profectò aliquæ.) Præsertim cùm iam positum sit & demonstratum, omnia ad nomen simul & ad intelligentiam referri, ut Alexander exponit.

m Atqui ex ijs quidem syllogismis.) Ostendit imperfectam esse Veterum diuisionem, quia pleræq; captiones, etiam ex ambiguo, αἱ πρὰ τὸ πλεοναχῶς, ad nomen referri nequeant: Siquidem propriè ad nomen referri uidētur, quæ ex duobus primis locis τῶν πρὰ τὴν λέξιν oriuntur, ut ex homonymia & amphibolia. Cæteras enim, quotquot ex alijs locis, non modò τῶν ἔξω τῶν λέξεως, sed etiam τῶν πρὰ τὴν λέξιν, ortum habent, absurdè ait ad nomen referri. Sed quomodo hinc mancam & imperfectam Veterū esse diuisionem, coargui potest? Potest id quidem facilè, si eas quæ tum ad nomen referuntur, tū ad sentētiam, inter se idem ualere, quomodo anteà dictū est, memoria repetiueris.

Nō omnes captiones ad nomen referūtur.

Ideoq; imperfecta diuisio.

n Nonnulli

n Nonnulli sunt, qui ad no.) *Nempe ij soli, qui ex homonymia & amphibolia ducuntur, ut Alexander ait.*

o Quæ ex verbis ducuntur.) *Quòd si hoc absurdum est, quid de istis, quæ ex rebus ducuntur, sentiendum erit? Vtiq; hæ multo minus ad nomen referri poterunt.*

p Quæ non ex eo vim habent.) *Græcè est,* ἀλλ' οὗμ εἰσί τινες παραλογισμοὶ, οὐ τοῦ ὀμ ἀποκρινόμενον πρός τοῦτ' ἔχειν πῶς, ἀλλὰ τοῦ τοιόνδε ἐρώτημα ὀμ λόγον ἔχειν, ὃ πλείω σημαίνει. *Quæ uerba quorsum ad id quod agitur, pertineant, nõ satis prima fronte uidetur.*

q Iam verò illud.) *Hoc loco quæstione relicta, in Veteres inuehitur, quòd non recta uia ac methodo ad tractandum de captiosis & fucatis reprehensionibus sint ingressi. Antequàm enim ad Reprehensiones accederent, priùs de ratiocinatione (cui reprehensio uera tanquàm pars subest) omnino tractandum ijs fuit: cùm ab uniuersis & generalibus methodi ratiõe obseruata, ad specialia & ea quæ singula sunt, proficisci oporteat, ut his uerbis lib. 1. de Natura, cap. 1. Aristoteles ait:* διὸ ἐκ τῶν καθόλου ἐπὶ τὰ καθέκαστα δεῖ προιέναι. *Vide in hunc locum lib. 1. de Ratiocinat. cap. 2. sub finem.* Priùs de ratiocinatione, quã de reprehensione, agi oportuit.

r Quæ aliud nihil est.) *Græcè est,* ἔστι γὰρ ὁ τοιοῦτος ἔλεγχος, φαινόμενος συλλογισμὸς ἀντιφάσεως.

s Vnde etiam fit, vt omnis.) *De hoc suprà dictum est cap. 4.* διὸ ἢ μὲν τοῦ συλλογισμῷ δεῖ δ' αἴτιον, ἢ μὲν τῇ ἀντιφάσει, (προσκεῖσθαι γὰρ δεῖ τῷ ἀντιφάσιν) ὅτε δ' ἀμφοῖν, ἂν ᾖ φαινόμενος ἔλεγχος. Causa captionũ.

t Vt autem singulorum.) *Exemplis singula explicat. Primũ, de quo suprà cap. 2. meminit, sumptum est ex loco amphibologiæ, ut & tertium. Secundum sumitur ex* ὁμοιοχημοσύνῃ, *de quo infrà copiosè agit cap. 13. Quod Homeri poëma, circulũ, & per consequens figuram esse dicit, id intelligendum est fortè, quòd instar circuli aptè congruenterq; & uerbis & sententijs conciunatum est poëma. Neq; enim eo modo intelligi poterit, quo Philoponus in primum Posteriorum. circulum carminis genus interpretatur, de quo uide lib. 1. de Demonstratione, cap. 6.* Homeri poema cur circulus dicatur.

u Sed vt eò redeamus.) *A digressione ad propositum redit, docens nihil interesse, siue ad nomen, siue ad sentẽtiam captiones pertinere uelis. Vtroq; enim iuxtà pertinẽt, ut antè dictũ est. Græcè oratio hoc loco elliptica est,* ἀλλὰ δ' ἢ ὅθεν ὁ λόγος ἦλθε. *Captiones quæ in disciplinis uersantur, Græcè* οἱ ἐν μαθήμασι λόγοι *appellantur.* Oratio elliptica.

x In alia significatione.) *Vt si pro deltoto signo cœlesti, aut pro numero, seu ternario, seu senario, (qui apud Arithmeticos trianguli sunt) id uerbi accipiat.*

y Aut quo tandem modo.) *Nempe si prædictis illis ad sententiam proprie, ut alij opinati sunt, captiones non referuntur. Vult nil interesse, siue priore modo simpliciter, siue alio per distinctionem, prædicti generis captiones rogentur, quia eõdem pertineant,* Nil refert vtro modo rogetur.

neant, quò suprà.

z An potiùs vno modo verum.) *Græcè est,* ἢ ἔστι μὲν ὡς οὐ, ἔστι δ' ὡς ναί.

a Non est igitur vnum.) *Concludit non esse distinctas, quæ ad sententiam referãtur, & quæ ad nomen, captiones.*

b Quæ ne ex verbis quidem.) *Quanquam nec illæ omnes huc pertinent, ut suprà dictum est. Græcè est,* εἰσὶ γὰρ καὶ μὴ πρὰ τὴν λέξιν φαινόμενοι ἔλεγχοι.

c Quòd si quis existimet.) *Non esse disserenti, dum interrogat, ambigua distinguenda docet: quia nec semper idipsum præstari ab eo poßit, et si poßit, non sit cum illius officio coniunctum, ut deinceps patebit.*

d Illa quidem certè.) *Græcè est,* ἀλλὰ τοῦτόν γ' ἐστὶ πρῶτον ἄτοπον, δ' ἀξιοῦν.

e Præsertim cùm illud.) *Hæc prior ratio est, qua nõ posse ab illo idipsum præstari docet, quippe qui ipse* τὸ ἐρωτώμενον πολλαχῶς ἔχειν *quandoq; ignorat.*

Docentis officium quod.

f Deinde verò quid quæso.) *Altera ratio, qua docet ab eiusdem officio idipsum alienum esse: quia docentis sit ita rem explicare, apud eos, qui rogata multis modis dici ignorant: non disserentis aut disceptantis. Siquidem horum diuersa inter se sunt officia ac munera.*

g Nam quid vetat, quò minus.) *Atqui id planè ridiculum foret,* ἐν τοῖς μὴ διπλοῖς διαιρεῖν. *Hæc tertia ratio esse potest, à ridiculo sumpta.*

h Itemq; illa, est ne contrar.) *De hoc uide Aristotel. lib. 8. Metaphys. cap. 2.*

Docere & disserere distant.

i Quàpropter qui ista.) *Concludit locum, per secundæ rationis repetitionem.* ὥστ' ἔοικεν, *inquit,* ἀγνοεῖν ὁ τοῦτο ἀξιῶν, ὅτι ἕτερον τὸ διδάσκειν τοῦ διαλέγεσθαι, καὶ ὅτι δεῖ δὴ μὲν διδάσκοντα μὴ ἐρωτᾶν, ἀλλ' αὐδὴ δῆλα ποιεῖν, δὴ δ' ἐρωτᾶν.

k Docentem non interrogare.) *Eo modo, quo Dialecticus istud atq; disputator facit, nempe ut liberum relinquas discipulo, quocunq; ipsi uideatur, modo respõdere. In hunc locum uide lib. 1. de Demonstrat. cap. 6.*

DE RATIONE TENTANDI, ET QVID INTER CONTENTIOSVM ET SOPHISTAM INTERSIT: ITEM Dialecticum & Pirasticum nullo certo in rerum genere versari. Cap. 7.

CAP. 19.

Certã responsionẽ vrgere, pirastæ proprium.

IAm [a] verò postulare, vt is qui cum disputatur, aut dicat, aut neget, nõ est docentis ac demõstrantis rem, sed eius qui te probare ac veluti examinare velit. [b] Est enim tentandi & examinandi ratio, pars quædam dialecticæ: [c] ob eamque causam tota in eo posita est, vt quid de quaq; resentiant, non illi qui verè docti sunt, sed qui rerum sibi arrogant cognitionem, cùm sint illarum imperiti, obseruet atque exquirat. [d] Atque ille quidem, qui non in speciem modò, sed reuera communia peruestigat & exqui-

exquirit, dialecticᵉ est: qui verò id facere videtur, nec facit, sophista. [e] Ac ratiocinationum quidem contentiosarum & sophisticarum vnum genus est, quo omnes continentur, quæ, cùm ex ijs rebus constent, in quibus versatur tentandi ratio, speciem habent syllogismorum, nil tamen necessariò concludunt, etiamsi id verum sit quod concluditur. Istarum enim vitium est in verbo medio, in quo vis consecutionis posita est. [f] Alterum genus est eorum paralogismorum, qui cùm propriè ad aliquam artem accommodati esse videantur, ad certam tamen quandam artē reuera non pertinent. [g] Neque enim illi qui pseudographi appellantur, (quandoquidem illi sunt paralogismi de aliqua re facti, quæ cuiusdam artis propria sit) contentiosi sunt existimandi, ne si illi quidem pseudographi verum aliquid concludant: [h] qualis erat Hippocratis ratio, qua circulum quadrare per lunulas conabatur. Sed erit certè contentiosa ratio, [i] si talis sit qualis erat Brysonis quadratura: qua quidem ratione tametsi quadratum circulo æquale dari concluderetur, tamen eo nomine sophistica est appellanda, quòd non propriè est ad illam rem accommodata. Quare quæcunq; ratiocinatio accōmodata ad rem videbitur, quæ non erit accommodata, etiamsi necessarium habeat conclusionem, [k] sophistica tamen & contētiosa erit appellanda: propterea quòd ea saltem ex parte, qua ad istam rem videtur accommodata, fallacem habet quandam speciem, per quam decipimur, ac veluti iniuria quadam afficimur. [l] Quemadmodum enim inter certandum, quas aduersario facimus iniurias, speciem quandam æquitatis præ se ferunt, & tamen reuera est iniqua certandi ratio: sic in disputatione iniquum certamen est, vbi ad nimiam contentionem res progreditur. [m] Nam vt in certaminibus, qui quauis ratione victores esse volunt, nil non mouent, nil non aggrediuntur: ita hîc in disputatione idem faciūt, qui sunt supra modum litigiosi. [n] Atque ex ijs quidem, qui tantam adhibent contentionem, quicunque sibi victoriam proponunt, illi sunt qui propriè litigiosi & contentionis amatores censentur: qui verò gloriam, ex qua quæstum faciant, aucupātur, sophistæ. [o] Est enim sophistice, quemadmodum suprà diximus, ratio quæstus faciendi ex sapientiæ simulatione. Quò fit, vt demonstrationes etiam quæ specie quadam veras imitentur, potissimùm expetant sophistæ. [p] Et rationes quidem non sunt diuersæ, quib. litigiosi homines, & quibus sophistæ vtuntur, sed fine distinguuntur: & vna eadem q; probatio sophistica erit, & contentiosa: verùm non eadem ratione. Nā qua

Cōtentiosa & Sophistica ratiocinatio duplex.

Quid sophista à cōtentioso distet.

ad opinionem victoriæ adhibetur, contentiosa est: qua verò ad opinionem sapientiæ confertur, sophistica. Etenim sophistice est sapientia quædam simulata, non vera. [a] Ferè autem contentiosę argumentationes eodem modo affectæ sunt ad dialecticas, quo modo pseudographi ad geometricas demõstrationes. Vt enim illæ sunt captiosæ conclusiones, quæ in ijsdem rebus cernuntur, in quibus versatur dialectica: ita pseudographi ijsdem de rebus fiunt, de quibus geometra suas facit demonstrationes. Verùm huiusmodi quidem certè pseudographi nõ sunt contentiosi, [r] quoniam ex principijs & conclusionibus alicuius artis proprijs consiciuntur. Quæ verò ex ijs rebus constant, in quibus versatur dialectica, si quasi accommodatæ ad aliam rem demonstrationes accipiantur, erunt contentiosæ, quemadmodũ his exemplis perspici potest: [s] *Illa ratio, qua per lunulas quadrari posse circulũ demonstrabatur, non est contẽtiosa: Brysonis autem ratio, est contentiosa.* Atq; illa quidem prior ratio, cùm ex proprijs geometriæ principijs cõficiatur, ad nullam aliam artẽ quàm ad geometriam transferri potest: hæc posterior apud eos etiam vsurpari poterit, qui illius artis imperiti, omnino quid in quaque re fieri possit, et quid non possit, ignorant: atque ita vsurpari, [t] vt ad singula, ad quæ adhibetur, accommodata sit. Est etiam in hoc eodem genere ratio, [u] qua Antiphon quadraturã circuli ostendere conabatur. Itemq; si *quis*, [x] *adhibita ratione Zenonis, vellet ostendere,* [y] *non esse bonum post cœnam inambulare, non adferret propriam medicinæ rationem, quandoquidẽ illa sit communis maximè ratio.* [z] *Si igitur eodem planè modo affectus est litigiosus homo ad dialecticum, quo ad geometram is qui pseudographos facit: non poterit profectò ex ijs quæ propria sunt, constare contentiosa argumentatio.* [a] Nunc autem dialecticus nullum certum genus habet, in quo quasi in subiecto sibi proprio versetur: [b] nec vlla in re demõstrationes adhibet: neque talis est artifex, qui omnium rerum considerationem suscipiat. [c] neque enim possunt res omnes sub vnum genus cadere: nec si possent, verè illud dici posset, [d] omniũ eadem esse principia. [e] Vnde etiam fit, vt nulla earum artiũ quæ in tractanda certa quadã natura demonstrationibus vtitur, percontando differat, & suas probationes ex interrogatione accipiat. Cùm enim non possit ex vtraque cõtradictionis parte accommodata ad rem docendam fieri ratiocinatio, non debet liberum esse, vtramuis partẽ admittere. Dialectica autem percontatrix est, & totam vim habet ab interrogatione. Atqui si demõstrationes

Pseudographi syllogismi à contentiosis quid distent.

CAP. II. Dialectica nullo certo in genere versat.

tiones in differendo adhiberet dialectica, illã certè oporteret, si non omnia, at certè prima pronunciata, & propria sua principia citra vllam interrogationem accipere: [f] alioqui si illa non admitteret alius, nil iam superesset, vnde id euerteret quod esset ab altero oppositum. [g] Planè autẽ generis eiusdem est piraſtice cum dialectica. neq; enim hæc tentandi & examinandi ratio talis quædã ars est, qualis est geometria: sed cuius munus præstare etiam indoctus aliquis possit. Quid enim est cur non possit, qui rei alicuius non habet scientiam, quasi tentandi causa cum eo disputare, qui etiam sit illius rei imperitus? præsertim cùm eò conferatur disputatio, vt nõ ex ijs cõstet, quæ illi qui doctus sit perspecta sunt, quęq; sunt rei propria: sed ex consentaneis quibusdam, & consequentibus rei: [h] quæ consequentia huiusmodi ferè sunt, vt tametsi illa scias, nil tamen vetet te artem nescire: at si nescias, omnino artis cognitionẽ assequi non possis. Ex ijs ergo planum est, piraſticen non esse scientiam, quæ in certo quodam genere subiecto versetur, ideoq; de omnibus disputationem suscipere. [i] Habent enim omnes scientiæ communia quædam, quibus vtuntur: ob eamq; causam fit, vt omnes homines, etiam idiotæ, quodam modo vtantur arte dialectica, & piraſtica: [k] quãdoquidem nemo sit, qui ad aliquem modum non velit iudicium ferre de ijs qui aliquid profitentur. Porrò autem ipſa communia omnibus sunt, & apud omnes eadem: quandoquidem non sint illa minus idiotis cognita, quàm alijs: [l] etiamsi minus aptè, & citra vllam artem tractare illa videantur. Quò fit, vt nemo sit qui refellere & reprehendere argumentis alterum non conetur. [m] Omnes enim nulla arte adiuti, sed duce tantùm natura illius sunt muneris capaces: quod arte perfectum & expolitum, dialecticæ propriũ est: illiusque dialectici, qui adhibita diligenti differendi ratione ad tentandum & examinandum alterum suas disputationes confert. [n] Quoniam autem hæc communia sunt permulta, & tam latè diffusa, vt nusquã non reperiantur: quæ tamen nõ sunt talia, [o] vt vnam quandam communem naturam faciant, & ad vnum genus reuocentur, sed vaga semper, & incertæ naturæ, perinde vt sunt negationes: præter hæc autẽ alia sunt, quæ non vaga, sicut ista, sed propria sunt: ex ijs profectò planum est nullam esse rem, cuius disputationem ex talibus quibusdam suscipere ac periclitari non possimus. Illud quoq; perspicuum est, quandam esse in earum rerum tractatione artem, quę nil habeat simile cum scientijs demonstratiuis. Quamobrem contentionis studiosi homines, multum dissimiles

Sic & Piraſtice, cuius & imperiti consortes sunt.

Omnes artes cõmunia quædã habent.

Duplex cõmuniã genus.

sunt

sunt ijs qui pseudographos faciunt: [p] vt qui non ex principijs, quæ alicuius generis propria sint, fallaces conclusiones efficiant, sed latè vagantes in omni rerum genere versentur. [q] Ac modi quidem illi sunt, quos exposuimus, quibus sophistarum omnes reprehensiones conficiuntur. Quòd verò sit dialectici hæc considerare omnia, quodq; istarum rerum facultate valere debeat, hinc perspici potest, [r] quòd quæ ars in propositionum, hoc est, communiũ locorum explicatione versatur, eadem sibi vniuersam istam considerationem vendicat. Atque illa quidem sufficiant de reprehensionibus fallacibus.

Sophisticarũ reprehensionũ doctrina Dialectica

IN CAPVT SEPTIMVM,

ANNOTATIONES.

a Iam verò postulare.) *Hoc capite de piraſta, & piraſtico cõcludendi genere diſſerit, uolens piraſtam cum Dialectico & Sophiſta quodãmodo cõuenire, propterea quòd cùm nulla in re certa, definitaq; ij uerſentur, communium ſibi tractationẽ æqualiter propoſitam habeant. Tractant enim de omnibus ijs quæ ſunt, idq; non proprijs & accuratis rerum ſingularum, ſed communibus & de medio ſumptis probationibus utentes. Quanquã hoc inter probationes intereſt, quòd Dialecticus reuera communes & probabiles rationes aſſumit: piraſtes uerò atq; Sophiſta, non reuera communes, hoc eſt, probabiles rationes aſſumunt, ſed eas modò, quæ tales uidentur, quemadmodum deinceps patebit. Quod Interpres hîc ait, Iam uerò poſtulare, ut is quicum diſputatur, & cæt.* Græcè eſt, ἔτι δ' φᾶναι ἢ ἀποφᾶναι ἀξιοῦν οὐ δεικνύντος ὅλην, ἀλλὰ πεῖραν λαμβάνοντος.

Piraſta cũ Dialectico & Sophiſta confertur.

b Eſt enim tentandi ratio.) *Græcè eſt,* ἡ γὰρ πειραστικὴ ὅλη διαλεκτική τις. *Eſt enim piraſtice, dialectica quædam. In hunc locum uide ſupra cap. 5.* ἔστι δὲ ἡ πειραστικὴ μέρος τι διαλεκτικῆς.

πειραστικὴ, διαλεκτική τις.

c Ob eamque cauſam.) *Nempe quia Dialecticæ pars quædam eſt.* διὸ καὶ περὶ πάντων, *inquit Græcè,* ἐπισκοπεῖ, καὶ θεωρεῖ οὐ τὸν τυχόντα, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀγνοούντων καὶ προσποιούμενον. *Hunc locum paulo infrà clariùs explicaturus eſt.*

d Atq; ille quidem, qui.) *Diſtinguit Dialecticum à Sophiſta et piraſta, quòd iſte reuera communia & probabilia conſectatur: hi non item.* ὁ μὲν οὖν, *inquit,* κατὰ τὸ πρᾶγμα θεωρῶν τὰ κοινὰ, διαλεκτικός ἐστι, ὁ δὲ τοῦτο φαινομένως ποιῶν, σοφιστικός. *Alexander* τὰ κοινὰ, *probabilia* καὶ ἔνδοξα *in præſens interpretatur.*

τὰ κοινὰ, ἔνδοξα.

e Ac ratiocinationum quidem.) *Sophiſticam ratiocinationem in duo genera partitur, quorum hoc in forma, illud in materia peccat, quemadmodum cap. 5. ſuperiùs diximus. Quæ in forma peccatum admittit ratiocinatio, in præſens* ὁ φαινόμενος συλλογισμός, καὶ τοῦ διατὶ ἀπατητικὸς *appellatur.*

Sophiſtica argumẽt. duplex.

f Alterum genus eſt eorum.) *Hoc genus in materia peccare dicitur, propterea quòd*

quòd communia principia tanquam propria adhibeat, ex quibus in quaq; disciplina propositum conficit.

g Neque enim illi qui pseudo.) Confert ψευδογραφήματα cum posteriore genere Sophisticarum ratiocinationum. Illa sunt, quæ ex proprijs cuiusq; disciplinæ principijs conficiuntur: hæ uidentur quidem confici ex ijsdem, sed reuera ex talibus non progrediuntur. Quæ in præsens τὰ ψευδογραφήματα uocat, paulo infrà τοὺς ψευδογράφους συλλογισμοὺς, initio pri. Topic. τοὺς ψευδογραφοῦντας eodẽ sensu uocat. ψευδογραφήματα q. vtiq; alias vocentur.

h Qualis erat Hippocratis.) Tres sunt, quorũ diuersas sententias de circuli quadratura Aristoteles refellit hoc capite: nimirum Hippocrates, Bryson, & Antiphon: quorum Antiphontis meminit & lib. 1. de Natura, cap. 2. Brysonis lib. 1. de Demonstratio. cap. 5. Hippocratis lib. 2. de Ratiocinat. cap. 13. In uniuersum de circuli quadratura uide Georgium Vallam lib. 2. Geometriæ, cap. 8. & Raphaelem Volaterranum lib. 35. Philologiæ, de partibus Geometriæ. Tres de circuli quadratura apud Aristotelẽ disserunt.

i Si talis sit, qualis erat.) Hoc est, si ex communibus progrediatur, non uerò proprijs, perinde ut τὰ ψευδογραφήματα. Quo modo ex communibus ratio Brysonis progressa sit, uide cap. 5. lib. 1. de Demonstrat.

k Sophistica tamen & contenti.) Sophisticam & contentiosam hic pro eodem ait. Paulo infrà ratione finium inter se illa distinguuntur. Græcè uno uerbo ἐριστικὸς λόγος hic utraq; ratiocinatio appellatur. ἐριστικὸς λόγος.

l Quemadmodũ enim inter.) Similitudo à forensibus controuersijs ducta. ὥσπερ ἡ ἐν ἀγῶνι (inquit) ἀδικία εἰδόστι ἔχει, καὶ ἔστιν ἀδικομαχιατὶς, οὕτως ἡ ἐναντιλογία ἐριστική ἐστιν. Victorinus in lib. 1. de Inuentio. ἀν ἀγῶνα, causam, hoc est, litẽ cum certa persona definit, cũ inquit: Oĩs res argumentando cõfirmatur, sed quæ in τῷ ἀγῶνι est, quæ causa dicitur, cuius causæ ista definitio est, Lis cũ certa persona, &c. ἀγών quid.

m Nam vt in certaminibus.) Græcè est, ἐκεῖτε γὰρ οἱ πάντας νικᾶν προαιρούμενοι, πάντων ἅπτονται, καὶ ἐνταῦθα οἱ ἐριστικοί.

n Atq; ex ijs quidem, qui.) Nunc deinceps Sophistam à contentioso discernit ratione finis. Sophista propriè dicitur, qui gloriæ & lucri causa, prædicto modo philosophatur: Contentiosus, qui causa uictoriæ. οἱ μὲν οὖν, inquit, τὴν νίκης αὐτῆς χάριν τοι οὗτοι, ἐριστικοὶ ἄνθρωποι καὶ φιλέριδες δοκοῦσιν εἶναι, οἱ δὲ δόξης χάριν τὴν εἰς χρηματισμὸν, σοφιστικοὶ. Meminimus huius loci lib. 8. Topicor. cap. 3. Sophista à cõtẽtioso, qd distet.

o Est enim Sophistice.) A definitione Sophistices probat. ἡ γὰρ σοφιστικὴ, inquit, ἔστιν ὥσπερ εἴπομεν, χρηματιστικήτις ἀπὸ σοφίας φαινομένης. Alludit ad suprà dictam Sophistæ definitionem, de qua cap. 1. dictum est. Sophista, χρηματιστὴς est ἀπὸ φαινομένης σοφίας. Ergo Sophistice, χρηματιστικήτις ἀπὸ σοφίας φαινομένης, argumento ducto à coniugatis. In hunc locũ uide Isocratẽ in Helenæ encomio, ubi his σοφιστικὴ quid.

uerbis Sophistarum studium ad Aristotelis sententiã accommodatè describit: ἀλλὰ γὰρ οὐδενὸς αὐτοῖς ἄλλου μέλει, πλὴν τοῦ χρηματίζεσθαι πρὰ τῶν νεωτέρων, &c cæt.

p Et rationes quidem non sunt.) Clarius prædicta explicat. καὶ τῶν λόγων τῶν αὐτῶν, inquit, μέν ἐισι οἱ φιλέριδες καὶ σοφισαί, ἀλλ' οὐ τῶν αὐτῶν ἐνεκεν καὶ λόγος ὁ ἀνὴς μὲν ἔσαι σοφισικὸς καὶ ἐρισικός, ἀλλ' οὐ κατ' αὐτό, ἀλλ' ἡ μὲν φαινομένης, ἐρισικός, ἡ δὲ σοφίας, σοφισικός.

φιλέριδες καὶ σοφισαὶ ut distent

q Ferè autem contentiosæ.) Ostendit re subiecta & contentiosas ratiocinationes cum Dialecticis, & ψευδογράφους cum Geometricis conuenire. Verùm cùm Dialecticæ probabilitatem persequantur, & Geometricæ ueritatem, quæ è regione his opponuntur, speciem tantum & probabilitatis, & ueritatis præ se ferunt. ὁ δὲ ἐρισικὸς, inquit, ἐστὶ πως οὕτως ἔχων πρὸς τὴν διαλεκτικὴν, ὡς ὁ ψευδογράφος πρὸς τὴν γεωμετρικὴν. Vide autem, num γεωμετρικὰ hìc generatim & uniuersim pro omni matheſi accipiat. Neq; enim in Geometria solùm οἱ ψευδογράφοι syllogiſmi sunt, sed & in arithmetica, musica, & cæt. Ita ucrò generatim pro tota matheſi Geometriam Fabius accipit, lib. 1. cap. 17. sic scribens: Nam cùm sit Geometria diuisa in numeros, atq; formas, numerorum quidem notitia, & cæt. In hunc locum uide Aristotelem lib. 3. Metaphys. cap. 2.

Cõtentiosa & pseudographa quò referantur.

γεωμετρικὰ pro tota matheſi hìc poni.

r Quoniam ex principijs.) ὅτι ἐκ τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν συμπερασμάτων τῶν ὑπὸ τοῦτων τέχνην ψευδογραφῶν. Duplex hoc loco genus propoſitionum demonſtratiuarum obiter nota: alterum superiorum scientiarũ, quod propriè τὰς ἀρχὰς: alterũ inferiorũ, quod propriè τὰ συμπεράσματα adhibet, ut in libris de Demonstrat. patuit.

Propoſitiones demonstratiuæ duplices.

s Illa ratio, qua per lunulas.) Græcè est, οἷον ὁ τετραγωνισμὸς, ὁ μὲν διὰ τῶν μηνίσκων, οὐκ ἐρισικὸς, ὁ δὲ ὑπὸ Βρύσωνος, ἐρισικός.

t Vt ad singula, ad quæ.) De hoc uide lib. 1. de Demonstrat. cap. 5.

u Qua Antiphon quadrat.) De Antiphontis probatione uide Fabrum Stapulẽſem in annotationibus in hunc locum.

x Adhibita ratione Zenonis.) Qua motum localem subuertebat, nempe quia spatium quodlibet infinitum esset, cuius partes decurri non possent. Sæpe in antegreſſis huius Zenonis rationis meminit, ut lib. 8. Topicor. cap. 3. & lib. 2. de Ratiocinat. cap. 8. Ex profeſſo autem de ea agitur lib. 6. de motu, cap. 8.

Zeno motũ tollit.

y Non esse bonum post cœnam deamb.) Id quod Medici asserunt. De hoc uide lib. 2. de Demonstrat. cap. 5.

z Si igitur eodem planè.) Concludit contentioſas ratiocinationes Dialecticarum instar è communibus cohærere.

a Nunc autem Dialecticus.) Superiorum occaſione differit, nullum certum rerum genus Dialectico propoſitum esse, in quo uersetur: quia omnes res ex æquo ei propoſita habet, sitæ sunt, perinde ut & Metaphysico, ut lib. 3. primæ Philoſophiæ, cap. 2. Aristoteles docet.

Dialectico oia ppoſita habet,

docet. In hunc locum uide, quæ in cap. 6. lib. 1. de Demonstratione annotauimus.

b Nec vlla in re demonstrat.) *Hoc interest inter Metaphysicũ & Dialecticum, quòd Metaphysicus demonstrationes, hoc est, necessarias rationes, in disserendo adhibet: Dialecticus non nisi uerisimiles & fidei consentaneas probationes. Metaphysicum, hîc uniuersalem artificẽ Aristoteles appellat. Sic enim inquit:* νῦν δ' οὐκ ἔστιν ὁ διαλεκτικὸς περὶ γένος τι ὡρισμένον, οὐδὲ δεικτικὸς οὐδενός, οὐδὲ τοιοῦτος οἷος ὁ καθόλου.

Dialecti & Metaphysici distinctio.

Metaphy. ὁ καθόλου.

c Neq; enim possunt res omnes.) *Hæc ratio est, cur nullum certũ genus Dialectico sit propositũ: Nempe quia in omnib. uersetur, quæ omnia ad certũ nullum genus referri poßũt, de quo Porphyrius ca. 2. Græcè est,* οὔτε γάρ ἐστιν ἅπαντα ἐν ἑνίτινι γένει.

d Omnium eadem esse principia.) *De hoc uide lib. 1. de Demonstrat. cap. 13.*

e Vnde etiam fit, vt nulla.) *Græcè est,* ὥστε οὐδὲ μία τέχνη τῶν δεικνυουσῶν τινα φύσιν ἐρωτηματική ἐστιν. οὐ γὰρ ἔξεστιν ὁποτερονοῦν τῶν μορίων δοῦναι, συλλογισμὸς γὰρ οὐ γίνεται ἐξ ἀμφοῖν, ἡ δὲ διαλεκτικὴ ἐρωτηματική ἐστιν. *Vide cap. 6. lib. 1. de Demonstratione.*

Nulla sciẽtia interrogat, vt Dialectica

f Alioqui si illa non admitteret.) *Facta sibi per interrogationẽ negandi & inficiandi copia. Ex incõmodo argumentũ ducit. Græcè est,* μὴ διδόντος γὰρ, οὐκ ἂν ἔτι εἶχεν ἐξ ὧν ἔτι διαλέξεται πρὸς τὴν ἔνστασιν. *Hîc phrasim obserua,* διαλέγεσθαι πρὸς τὴν ἔνστασιν.

διαλέγεσθαι πρὸς ἔνστασιν.

g Planè autem generis eiusdem.) *Ostendit parem Pirasticæ cum Dialectica rationem esse: quia perinde ut illa, ex communib. non uerò, ut Geometria, ex proprijs progreditur. Quò fit, ut hæc ratio etiam imperitis rectè conueniat, quemadmodum deinceps ostendit.* ἡ δ' αὐτὴ καὶ πειρασικὴ, οὐδὲ γὰρ ἡ πειρασικὴ τοιαύτη ἐστὶν οἵα ἡ γεωμετρία, ἀλλ' ἣν ἂν ἔχοι καὶ μὴ εἰδώς τις.

Pirastice cõmunis omniũ, etiam rudiũ.

h Quæ consequentia huius.) *Consequentia,* τὰ ἑπόμενα, *cõmunia sunt, quorum ignoratio ut inscientem quidem coarguit, ita cognitio scientem demonstrare nõ potest. Græcè est,* ὅσα τοιαῦτά ἐστιν, ἃ εἰδότα μὲν οὐθὲν κωλύει μὴ εἰδέναι τὴν τέχνην, μὴ εἰδότα δὲ, ἀνάγκη ἀγνοεῖν. *Huc pertinet, quod initio huius Capitis dixit,* τὰ θεωρεῖ οὐ ἂν εἰδότα, ἀλλὰ τὸν ἀγνοοῦντα καὶ προσποιούμενον.

Cõmunia scire & ignorare, quid.

i Habent enim omnes scientiæ.) *Græcè est,* πᾶσαι γὰρ αἱ τέχναι χρῶνται καὶ κοινοῖς τισι, διὸ πάντες καὶ οἱ ἰδιῶται τρόπον τινὰ χρῶνται τῇ διαλεκτικῇ καὶ πειρασικῇ. *In hunc locum uide Rodolphum Agricolam, lib. 2. cap. 7. & Aristotelem initio lib. 1. Rhetoricorum.*

Omnes artes cõmunibus vtũtur.

k Quandoquidem nemo.) πάντες γὰρ μέχρι τινὸς, *ait Græcè,* ἐγχειροῦσιν ἀνακρίνειν τοὺς ἐπαγγελλομένους.

l Etiamsi minus aptè.) *Græcè est,* κἂν δοκῶσι λίαν ἔξω λέγειν. *De hoc meminit Rodolphus lib, 2. cap. 7. ut suprà dixi.*

Veteres sine arte, q̃ artis erãt fecerunt.

m Omnes enim nulla arte.) ἀτέχνως γὰρ μετέχουσι τούτου, οὗ ἐντέχνως ἡ διαλεκτικὴ ἐστι. Qui priores ergo fuerunt artib. (inquit Rodolphus) similia his ipsis, quæ nunc præcipiuntur, (si quando rectè fecerunt) sequuti sunt. Sicut hodie pleriq; faciunt quod artis est, sed non ex arte, (quippe quam nullam habent) sed uel longa obseruatione, uel ingenij quodam præstanti uigore. Quanto rectiùs tamen, quantoq; meliùs expedirent illa, si certa artium ratione ducerentur? Et cæt.

Cõmunia duplicia.

n Quoniam autem hæc con.) Ostendit communia diuersi generis esse, alia omnium communia, alia rerum certarum: quorum quæ omnium communia sunt, ad hanc facultatem quæ in tentando sita est, propriè uult pertinere.

o Vt vnam quandam naturam.) ὥστε φύσιν τινὰ εἶναι καὶ γένος.

p Vt qui non ex principijs.) Græcè est, οὐ γάρ ἐστι πραλογιστικὸς ἐξ ὡρισμένου τινὸς γένους ἀρχῶν, ἀλλὰ περὶ πᾶν γένος ἔσται ἐριστικός.

q Ac modi quidem.) Concludit de Sophisticis reprehensionibus, docens hanc tractationem Dialectici instituti esse propriam, eo quòd Dialecticus profitetur doctrinã uniuersam explicandarũm propositionum, cui doctrinæ subiecta est hæc commentatio.

Dialectica μέθοδος περὶ προτάσεις

r Quòd quæ ars in propos.) Dialecticæ περίφρασις est, aut sanè descriptio quædam à materia sumpta: ἡ γὰρ περὶ τὰς προτάσεις μέθοδος, ἅπασαν ἔχει ταύτην τὴν θεωρίαν. Vide in hunc locum Προλεγόμενα nostra cap. 5.

QVIBVS MODIS AD FALSVM, ET AD PARADOXON ASSERENDVM, IN DISPVTATIONE QVIS impellatur. Cap. 8.

CAP. 12.

Transit ad locos falsi & inopinati.

NVnc [a] de eo dicamus, quem secundum finem sophistæ appellauimus, quibus scilicet modis falsum aliquid sophistæ conficiant, & qua ratione eò inducunt disputationem, vt incredibile aliquid & præter omnium opinionem sequi videatur. [b] Ac prima quidem ratio, ex percõtandi quodam certo genere sumitur, in primisq́ue ad illud efficiendum valet ratio interrogandi. Qui enim ita aduersarium interrogant, quasi nulla certa re proposita, de qua disseratur, nil profectò aliud præter hoc inuestigant. [c] Nam qui temerè respondent, & parum accurant quid dicant, faciliùs labuntur. Cùm verò nil videmus esse propositum, de quo suscepta sit disputatio, tum minus cogitare solemus quid dicamus. [d] Altera ratio est, quæ plurimum valet ad deducendum eò aduersarium, vt admirabile aliquid aut falsum admittere videatur: nempe cùm multitudine interrogationum eum oneramus, etiam cùm est aliquid propositũ de quo disputetur: simulq́ue postulamus, vt proferat, quid de singulis

Cõmunes vtriusq; loci qui.

ipse

ipse sentiat: [f] atque ita, siue aliquid ex ijs affirmet, siue neget, eò loci eum perducimus, vbi argumentorum nobis copia suppetit. [g] Verùm enimuerò hoc tempore minus huic rationi fallendi locus datur, quàm olim: nimirum quòd illud statim rogari solet hoc tempore, quorsum hæc, & quid ad id de quo instituta est disputatio pertineãt. [h] Est autem communis locus ad eruendum tandem falsum aut incredibile aliquid, nullum à principio constituere propositum, de quo differatur, sed profiteri se discendi studio interrogare: dabit enim tandem occasionem argumento huiusmodi dissimulata rei consideratio. [i] Vt autẽ falsum tu aliquid tandem concludas, proprius est hic sophisticus locus, eò scilicet perducere aduersarium, vbi argumentorum tibi sit copia. Sed illud certè interdum rectè, interdum vitiosè fieri potest, [k] quẽadmodum nos suprà diximus. [l] Iam verò vt admirabile quippiam & contra omniũ opinionem elicias ab aduersario, videndum est tibi, quam sectam philosophorum sequatur is qui cum disputas, vt illum interroges quidpiam ex ijs quæ contra omnium opinionem dicunt huius sectæ philosophi. [m] Habent enim singulæ sectæ suas quasdam huiusmodi sentẽtias. [n] Est autem ad eam rem primum veluti elementum, vt singularum sectarum admirabiles sententias inter propositiones accipias. Verùm in promptu etiã est istarum captionũ satis apta solutio, [o] vt ad extremum neges ex tuis verbis sequi admirabilem illam conclusionem, quam colligit aduersarius. [p] Atque hoc ipsum genus dissoluendi argumenti, non isto tantùm loco accommodatum est: sed quicunque disputando altercationes modò & contentiones sibi proponit, eodem isto modo conatur aduersarij rationes eludere. [q] Alius locus est ex hominum voluntate, & sermonibus. Aliud enim ferè est tacitum hominum iudicium, aliud palàm loquuntur. [r] & sermones quidem sunt quàm honestissimi: voluntas autem & tacitum animi iudicium id semper spectat, quod maximè vtile videtur. Veluti nemo ferè est qui non ita loquatur, [s] longè præstantiorem esse mortem gloriosam, quàm vitam voluptatib. affluentem: [t] &, melius esse, iustè per inopiam viuere, quàm in magna opum copia turpiter: at nemo etiã est qui non sequatur cõtraria. [u] Ergo si defendat is qui cum disputas, quod homines potissimùm sequuntur & volunt, oppones contrà vsitatas vulgo sententias. Sin has vulgatas sententias proferat, adferenda contrà erunt, quæ interim tacitè homines volunt & sequuntur. Vtrimq; enim vt admirabile aliquid efficiatur, necesse est: [x] quandoquidem futurum est, vt

Qui proprij singulorum.

Hominũ volũtates & sermones ferè contrarij.

contradicat respondens, aut peruulgatis omnium sermone sententijs, aut tacito hominum iudicio. [x] Alius locus est latissimè patēs, per quem cogimus aduersarium dicere aliquid admirabile, (id quod Callicles in Gorgia commemorat, quodq; omnes veteres captionum vnicā ferè causam existimabant) ex ijs quæ natura & quæ lege sunt cōstituta. naturam enim legi contrariam esse: & iustitiam quidem lege esse honestam, natura verò non honestam. [y] Si igitur oppugnandus est, qui, quod *naturæ* consentaneū sit, proferat, vt legem illi obijciamus: sin legem *teneat*, contrà quæ sunt ex natura, proferenda erūt. Hic enim effugere non potest, quin vtrinque admirabile aliquid dicat. [z] Vocabant autem illi naturam, id quod in quaque re verum est. legem verò, quod in multitudinis opinione positum est. Vnde perspicuū est, illius ætatis homines idem quod qui hodie sunt fuisse conatos, vt respondentē aut reprehenderent, aut cogerent tandem aliquid dicere contra omnium opinionem. [a] Porrò aūt interrogationes quædam sunt sua sponte tales, quib. respondere nō possis, quin vtranq; in partem dicas admirabile quippiam: cuiusmodi sunt hæc, Sitne sapientibus potiùs parendum, an patri? Sint ne honesta potiùs facienda, an quæ vtilia sint? Vtrum optabilius, iniuriam pati, an facere? [b] Iam verò perducendus aduersarius ad ea, de quibus *contraria* est sapientum ac multitudinis opinio. Ac si ille quidem cum sapientibus sentiat, opponenda vulgi opinio: sin vulgus sequatur, quid sentiant sapientes, contrà adferendum. Hi enim eos qui beati sint, necessariò iustos esse existimant: at multitudini incredibile videtur, [c] *regem non esse beatum*. [d] Verùm enim *locus hic* ab eo non est diuersus, qui ex *legis* & naturæ repugnantia dictus est. nihil enim aliud lex est, quàm multitudinis opinio: sapientes verò quod in rei natura positum est, & veritatem sequūtur. Ac de locis quidem ex quibus eruuntur paradoxa, hactenus.

Vulgus sapientum iudicijs repugnat.

IN CAPVT OCTAVVM,

ANNOTATIONES.

[a] Nunc de eo dicamus.) *Hactenus de fallaci reprehensione egit, quæ prima sophistici instituti meta fuit: Sequitur, ut nunc de cæteris pari modo agat. Hoc autem capite de falso simul atq; inopinato disserit, partim communes utriusq; locos tradēs, partim separatos ac proprios singulorum.* πρὸς δὲ τὸν ψευδόμενόντι (inquit) δόξαι, καὶ ἐν λόγοις εἰς ἄδοξον ἀγαγεῖν. τοῦτο γὰρ ἦν δεύτερον φιλοσοφιστικῆς προαιρέσεως. *Nota hoc loco δ' ἄδοξον dici, quod suprà cap. 2. παράδοξον appellauit. De ἀδόξοις thesibus uide lib. 8. Topicorum, cap. 3.*

Transit ad locos falsi & inopinati.

ἄδοξον.

b Ac

b Ac prima quidem ratio.) *Primus locus est, ut propositũ cæles: quod fit, si nulla certa re proposita aduersarium roges.* τὸ γὰρ πρὸς μηδὲν ὁρίσαντα κείμενον ἐρωτᾶν, θηρευτικόν ἐστι τούτων. *Quod ad hunc locum attinet, aliosq; nonnullos insequentes, de ijs uide Aristotelem lib. 8. Topicor. cap. 1.* Propositũ vt cæles.

c Nam qui temerè respondent.) εἰκεῖ γὰρ λέγοντες, *inquit*, ἁμαρτάνουσι, μᾶλλον. εἰκεῖ δὲ λέγουσιν, ὅταν μηδὲν ᾖ προκείμενον.

d Altera ratio est, quæ.) *Alter locus, ut proposito de quo agatur, per se cõspicuo, rogatorum turba aduersarium obruas, petasq; ad ea ipsa sigillatim quæ uideantur, tibi responderi.* τότε ἐρωτᾶν πολλὰ, *inquit*, κἂν ὡρισμένον ᾖ πρὸς ὃ διαλέγονται, καὶ τὰ δοκοῦντα λέγειν ἀξιοῦν, ποιεῖ τινὰ εὐπορίαν τοῦ εἰς τὸ ἄδοξον ἀγαγεῖν ἢ φεῦδος. *Pertinet ad huius loci explicationem, id quod ab Hebræorum Sapiente Prouerbiorum 10. dicitur, In multiloquio non deesse, quod peccetur.* Turba obruẽdus aduersarius.

e Atque ita, siue aliquid.) *Hunc locum superioris partem Interpres facit. Alij per se locum cõstituunt, estq; is, ut aduersarij respõsione accepta, aliò sermonem diuertas, ubi maior argumentorum copia ad id quod uelis, efficiendum tibi suppetat. Græcè locus effertur,* ἐάντε ἐρωτώμενος φῇ ἢ ἀφῇ τούτων τι, ἄγειν πρὸς ἃ ἐπιχειρήματος εὐπορεῖ. *Meminit eiusdem huius loci Aristoteles & lib. 2. Topicor. cap. 3. ubi et paulo fusiùs eundem enarrat, præsertim quod ad usum eius demonstrandum pertinet.* A ꝓposito digredi infertiliorẽ materiam.

f Verùm enimuerò hoc tempore.) *Ostendit minus præsidij ex antegresso loco nũc haberi, quòd aduersarij calliditate ei obuiam eatur, dum quorsum ea quæ adducta sunt, spectent, disceptantem rogat. Græcè est,* δύναται δὲ νῦν ἧττον κἀκουργεῖν διὰ τούτων, ἢ πρότερον. ἀπαιτοῦνται γάρ τι τοῦτο πρὸς τὸ ἐν ἀρχῇ.

g Est autem communis.) *Hic locus ordine quartus est, ut dissimulata aliquanti sper quæstione, te discendi causa ea quæ proponis, interrogare profitearis. Sic enim faciliùs quod tu uoles, daturus tibi aduersarius uidebitur. Quod communem locum hîc Interpres dicit, Græcè* τὸ στοιχεῖον *est, qua uoce metaphoricõs interim pro loco, seu præceptione quadam, ut hîc, ita alibi Aristoteles utitur:* στοιχεῖον δὲ τοῦ τυχεῖν, *inquit*, ἢ ψεύδους τινὸς ἢ ἀδόξου, τὸ μηδεμίαν εὐθὺς ἐρωτᾶν θέσιν, ἀλλὰ φάσκειν ἐρωτᾶν μαθεῖν βουλόμενον. χώραν τοῦ ἐγχειρήματος ἢ σκέψις ποιεῖ. *In quo nota* χώραν τοῦ ἐγχειρήματος, *pro copia & facultate argumenti hîc collocari.* Quasi discendi causa interrogare. τὸ στοιχεῖον.

h Vt autem falsum tu.) *Sequuntur loci proprij, quorum unus ad efficiendum falsum, cæteri ad id quod contra multorum opinionem dicitur, astruẽdum adhibentur. Qui ad falsi demonstrationẽ affertur, is locus paulo antè expositus est, de egressione à re proposita in eum locum, ubi maior argumentorum uis suppeditatura uideatur.* πρὸς δὲ τὸ ψευδόμενον δεῖξαι, *inquit*, ἴδιος τόπος ὁ σοφιστικός, τὸ ἄγειν πρὸς τὰ τοιαῦτα, πρὸς ἃ εὐπορεῖ λέγων. Locus falsi, vt à proposito digrediaris.

i Quemad-

i Quemadmodum nos supra dixi.) Videtur locus esse lib. 2. Topicorum, cap. 3. ubi tria in tempora sophisticum illum digressionis à proposito locum dispertit, ostendens quando rectè iste in disserendo adhibeatur, quando non rectè.

k Iam verò vt admirab.) Primus locus, quo ad inopinatæ rei assertionē aduersarium impellas, est, ut quippiam eorum, quæ ab ipsius professionis hominib. cōtra communem aliorum sententiam dicta sunt, roges. Cùm enim non temerè ab eisdem discedere audeat, ut qui cōmunia sectæ suæ placita approbare cogatur, faciliùs in sententiā tuam eum adduxeris. Ita Cicero lib. 1. de Finibus, ex Epicuri sententia, cum L. Torquato de uoluptate agit, et hic item ex eiusdem sententia eam defendit, cùm ita initio disputationis præfatur: Primùm igitur, inquit, sic agā, ut ipsi authori huius disciplinæ placet. πάλιν πρὸς τὸ παράδοξα λέγειν, inquit Aristoteles, σκοπεῖν ἔκτινος γένους ὁ διαλεγόμενος, εἶτα ἐρωτᾶν ὅ τοῖς πολλοῖς οὗτοι λέγουσι παράδοξον. Quam sectā Philosophorum Interpres uertit, Græcè est, τὸ γένος. Cicero nunc sectam, nunc familiam, nūc disciplinam, nunc hæresin, nunc genus Philosophorum dicit eodem sensu.

Quisq; sectæ suę placita tuef.

Genus Philosophorū

l Habent enim singulæ sectæ.) Has sectas Ammonius præfatione in Categorias numero septem: Diogenes Laërtius lib. 1. numero decem recenset, Academicam, Cyrenaicam, Eliacam, Megaricam, Cynicam, Eretricam, Dialecticam, Peripateticam, Stoicam & Epicuream. Præcipuè tamen sunt tres, quæ crebris Philosophantium sermonibus ferūtur, ut Academica, Peripatetica, & Stoica. Quæ singularum propriæ sententiæ sint, de eo uide Diogenem in uitis. Græcè hîc Aristoteles ait, ἔστι γὰρ ἑκάστοις τὶ τοιοῦτον.

Sectæ Philosophorū in vniuersum quot.

m Est autem ad eam rem.) Explicatio superioris loci. στοιχεῖον δὲ τούτων, Græcè est, τὸ τὰς ἑκάστων εἰληφέναι θέσεις ἐν ταῖς προτάσεσι. Hîc nota aliter θέσιν dici, quàm paulo suprà. Hîc admirabilis & inopinata philosophi alicuius sententia est: paulo antè pro thesi, hoc est, quæstione disceptāda ponebatur. Hoc modo lib. 1. Topicorum, cap. 5. Aristoteles eam describit: superiore lib. 8. Topicorum diuersis in locis usurpat.

θέσις bifariā sumit.

n Vt ad extremū neges.) Græcè est, τὸ ἐμφανίζειν, ὅτι οὐ διὰ τὸν λόγον συμβαίνει τὸ ἄδοξον.

o Atque hoc ipsum genus.) Græcè tribus uerbis, sed obscuriùs dicitur: ἀεὶ δὲ τοῦτο καὶ βούλεται ὁ ἀγωνιζόμενος. Sed de hac re posteriùs ex professo disseretur.

p Alius locus est ex hominum.) Alter locus est, iisq; bipartitus. Nam aut tacitæ hominum uoluntates & sententiæ apertis testimonijs opponuntur, aut contrà, prout illud, de quo agitur, postulare uideatur. Græcè ἐκ τῶν βουλήσεων καὶ τῶν φανερῶν δοξῶν locus uocatur. Cicero lib. 4. Tuscula. βούλησιν, à Stoicis appetitionem & uoluntatem appellari author est, eam quæ cum ratione quid desiderat. Atq; ita laudis nomen est. At hoc loco in uitio id poni ab Aristotele uidetur.

Volūtas testimonio contraria.

βούλησις.

q Et sermones quidem sunt.) Græcè est, ἀλλὰ λέγουσι μὲν τοὺς εὐσχημονεστάτους

σάτως τῶν λόγων: βέλονται δὲ τὰ φαινόμενα λυσιτελῆ.

r Longè præstantiorem esse mortem.) Græcè est, τεθνᾶναι καλῶς μᾶλλον ἢ ζῆν ἡδέως δῆμ.

s Et melius esse, iustè.) ἢ πένεσθαι δικαίως μᾶλλον. ἢ πλουτεῖν ἀδίκως, Græcè est: cui conuenit illud Isocraticum in Panegyri, μᾶλλον ἀποδέχου δικαίαν πενίαν ἢ πλοῦτον ἄδικον. Iusta paupertas opibus præstat.

t Ergo si defendat is qui.) Ostendit usum antegressi loci, eumq; reciprocum. Vt enim uoluntas ad sententiæ oppugnationem adhibetur: ita sententia contrà ad uoluntatis. ὃν μὲν οὖν λέγοντα, inquit, κατὰ τὰς βουλήσεις, ἐπὶ τὰς φαινομένας δόξας ἀκτέον, τὸν δὲ κατὰ ταύτας, ἐπὶ τὰς ἀποκεκρυμμένας. ἀμφοτέρως γὰρ ἀναγκαῖον πρὸς δόξαν λέγειν. Locus sententiæ & voluntatis reciprocus.

u Quandoquidem futurum est.) ἢ γὰρ πρὸς τὰς φανερὰς, Græcè est, ἢ πρὸς τὰς ἀφανεῖς δόξας ἐρώτησιν ἐναντία. Quas hîc ἀφανεῖς δόξας appellat, eas paulo suprà τὰς βουλήσεις nominauit. ἀφανεῖς δόξαι.

x Alius locus est.) Hic locus superiori affinis est, quem πρὸς τὸν κατὰ φύσιν καὶ κατὰ τὸν νόμον appellat. Hîc legem naturæ Sophistarum iudicio opponit. Neq; enim reuera Lex naturæ aduersatur, cùm ab ipsa ea primũ ducta sit & quasi orta. Est enim lex nihil aliud, quàm ratio profecta à rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & à delicto auocans, ut lib. 2. de Legib. Cicero ait. Hic locus ex Gorgia Platonis sumptus est, in quo Callicles legem timidorum hominum inuentum cauillatur, id quod naturæ (quã è bestiarum ingenijs ac moribus dijudicandam statuit) quasi ex diametro opponatur. Latissimè patens locus, Græcè πλεῖστον δὲ τόπον dicitur. Cõuenit cum hoc loco id quod lib. 10. Metamorphoseωn apud Ouidium Myrrha ait: An lex Naturæ aduersetur.

Humana malignas
Cura dedit leges, & quod natura remittit,
Inuida iura negant.

y Sic igitur oppugnandus est.) Vsum huius loci docet, ut suprà. δεῖ δὲ πρὸς μὲν τὸν ἐπόντα, ait, κατὰ φύσιν, κατὰ νόμον ἅπαντα: πρὸς δὲ τὸν κατὰ νόμον, ἐπὶ τὸν φύσιν ἄγειν. ἀμφοτέρως γὰρ εἶναι πρὸς δόξαν λέγειν.

z Vocabant autẽ illi.) Rectè, illi, inquit. Neq; enim omnino ac simpliciter, quod naturæ congruebat ipsorum iudicio, uerum erat. Nam in re turpi, honesto uocabulo abutebantur, & inde quasi istam uitam, quam ante leges inuentas in agris quondam bestiarum more uagantes homines ferimo uictu (ut initio 1. de Inuentione Cicero loquitur) propagabant, nil ratione animi, sed corporis uiribus cuncta administrantes, naturæ consentaneam aliquis appellet. Id quod nulla ratione uera fieri potest. Græcè est, ἢν δὲ τὸν μὲν κατὰ φύσιν ἀυτοῖς, τὸν ἀληθῆ: τὸν δὲ κατὰ νόμον, τὸν τοῖς πολλοῖς δοκοῦν. Lex Sophistarum iudicio Naturæ opponitur.

a Porrò autem interrogatio.) *Postremus hic locus est, quo id genus exempla reponuntur, quæ utranq; in partem æquè sunt admirabilia. Qualia sunt, quæ in Paradoxis ex Stoicorum sententia ferè disputat Cicero, ut, solum bonum esse honestum: omnia peccata esse æqualia, omnes stultos insanire, & cæt. Græcè est,* ἔνια δὲ τῶν ἐρωτημάτων ἔχει τὸ ἀμφοτέρως ἄδοξον εἶναι τὴν ἀπόκρισιν.

Ciceronis paradoxa.

b Iam verò perducendus.) *Vsum ostendit, ut suprà. Hic propter uulgi & sapientum diuersa iudicia, superiorem locum utrinq; ἄδοξον esse declarat. Græcè est,* δεῖ δὲ ἄγειν εἰς τὰ τοῖς πολλοῖς καὶ σοφοῖς ἐναντία. ἐὰν μὲν λέγῃ τὶς ὡς οἱ περὶ τοὺς λόγους, εἰς τὰ τοῖς πολλοῖς, ἐὰν δὲ ὡς οἱ πολλοὶ, ἐπὶ τὰ τοῖς σοφοῖς. *In quo nota* τοὺς περὶ τοὺς λόγους, *eosdem, quos sapientes,* τοὺς σοφούς, *hic appellari.*

Sapientũ & vulgi iudicia repugnant.

c Regem non esse beatum.) *Propter honores scilicet, atq; omnium rerum ad uitam suauiter degendam necessariarum circunfluentem uim ac copiam. In istis enim rebus* εὐδαιμονίαν *ferè uulgus positam existimat, de quo uide Aristotelem lib. 1. Ethicorum.*

d Verùm enim locus hic.) *Confert hũc locum cum eo qui anteceßit, qui legis ac naturæ repugnantia nitebatur, eò quòd sapientium iudicium, naturæ: uulgi autem sententia legi cõgruere uideatur. At sic legis uerbũ, nõ quemadmodũ paulo suprà, ut ad naturæ præscriptum lex conformata sit, accipi debebit.* ἔστι δὲ δ' οὕτω, *inquit,* τὰ ἄδοξα συνάγειν, δ' αὐδ' ᾧ εἰς τὴν κατὰ φύσιν καὶ κατὰ δὴ νόμον ὑπεναντίωσιν ἄγειν, ὁ μὲν τὸν νόμος, δόξα τῶν πολλῶν, οἱ δὲ σοφοὶ κατὰ φύσιν καὶ κατὰ ἀλήθειαν λέγουσι.

Lex hic aliter sumi videtur.

QVOMODO AD NVGATIONEM, ET SOLOECISMVM QVISPIAM IMPELLATVR. Cap. 9.

CAP. 13.

SEquitur, [a] vt quomodo ad nugationem perducunt sophistæ, dicamus. Ac primùm quidẽ, quid illud sit quod appellamus nugari, suprà diximus: modò exempla subijciamus, quæ sunt huiusmodi: [b] Si nihil referat, nomen dicas an orationem. duplum ergo idem valet, quod simpli duplum: si quando igitur simpli duplum dicas, hoc dicis simpli simpli duplum: & si iterum pro hoc verbo duplum, accipias simpli duplum, ter idem erit repetitum, simpli simpli simpli duplum. Eodem etiã pertinet hæc captio: Nunquid voluptatis est cupiditas? definitur autem hæc, appetitio voluptatis: est igitur cupiditas, appetitio voluptatis voluptatis. [c] Cernuntur aũt omnes istæ captiones, aut in ijs quę non per sua tantũ genera, sed etiam per se ipsa ad aliquid dicuntur, cùm interim vna eademq; res sit, cum qua vtraq; comparantur. veluti, appetitio est alicuius appetitio, & cupiditas alicuius cupiditas: itemq; duplum alicuius duplum dicitur, & illud totum, simpli duplum, alicuius etiã dicitur. [d] Aut verò in ijs

Duobus modis omnino nugationẽ in disserendo cõmitti.

quæ

quæ cùm ex genere eorũ quæ cum altero conferuntur, non sint, ita sunt affecta ad substantiam, omninoq; ad sua subiecta, quorum ipsa sunt aut habitus, aut affectiones, aut simile aliquid, vt in definitione, qua quid illa sunt explicatur, ipsa subiecta accipiãtur. vt, impar definitur numerus medium habens. At enim semper in ipso impari ineſt numerus: cùm igitur illud dicis, numerum dicis habentem medium numerum. Et hoc: Si simitas est nasi concauitas, simum autẽ intelligi non possit quin nasum simul intelligas, profectò cùm illud dicis, nasum, nasum concauum dicis. [e] Porrò autem interdum videntur nugationem efficere istæ captiones, cùm nil tale reuera concludant: propterea quòd prætermittitur ab eo qui interrogat, necessaria ad eam rem interrogatio, [f] nẽpe an duplũ per se dictum significet aliquid, an nihil: & si quid significet, vtrũ idem quod coniunctum cum altero, an aliquid aliud: quia inquam ijs interrogationibus omissis, statim ad conclusionem acceditur, propterea nil reuera, sed in speciem tantùm his captionib. conficitur: atque in eo captionis causa est posita, quòd idem verbum cùm sit illud ipsum quod oratio, per se tamẽ vnum quippiam significat. [g] Solœcismus quid sit, paulo antè dictum est: reliqua igitur dicamus. Sanè vsuuenire potest, vt solœcismum facias, nec videare: & vt videare, cùm non facias. Veluti si verum est quod Protagoras dicebat, masculini generis esse hęc verba μῆνις & πλῆξ, is certè sententia illius solœcismum committit, [h] qui dicit μῆνιν οὐλομένην: at opinione aliorum non videtur committere: qui verò οὐλόμενον dicet, videbitur ille quidem in hoc vitium incidisse, [i] reuera autem non incidit. [k] Perspicuum igitur est, artis sophisticæ partem aliquam ad illud conficiendum posse conferri: ob eamq; causam multæ sunt captiones, quibus videtur quasi syllogismo concludi aliquis solœcismus, cùm reuera nil tale necessariò conficiatur, non secus atque in reprehensionibus accidere solet. [l] Ducuntur autem omnes ferè fallaces conclusiones, quæ ad solœcismum pertinent, ex neutro articulo, hoc: & quando casus aliquis nominis, nec masculinũ genus, nec fœmininum significat, [m] sed quod est inter ista quoddam veluti medium. Nam hic masculinum declarat, hæc fœmininum: hoc autem propriam quidem habet significationem, vt neutrum genus declaret, sed tamen sæpe ad illud vtrunq; genus transfertur. vt ad istam interrogationem, Quid est hoc? tria ista aptè respondeas, Calliope, lignum, Coriscus. Ac masculini quidem articuli & fœminini omnes casus sunt diuersi: neutrius autem [n] partim ijdem,

Bifariã solœcismũ admitti.

Qua re ad solœcismũ maximè inducamur.

partium diuersi. Quò fit, vt sæpenumerò quod in nominatiuo neutri articuli concessum est, ad masculini accusatiuum id alius transferat, aut alia quadam similiratione casum pro casu accipiat: fallax autem conclusio ex eo oritur, quòd articulus neutri multis casibus communis est: interdum enim nominatiuum, interdum accusatiuum significat. [a] At verò si istos casus dignoscere velis, verbum variè accipiendum est: vt cum nominatiuo, Est coniungas, cum accusatiuo, Esse: [p] veluti, est Hipponicus, esse Hipponicum. Nec diuersa est in fœmininis nominibus ratio, [q] & in omnibus quę sub communi nomine τῶν σκευῶν à Græcis comprehensa, (nos vasa appellemus) masculinorum aut fœminorũ inflexionem habent: [r] sola enim ea quæ desinunt in ον, inflexionem sequuntur τῶν σκευῶν, hoc est, neutrî generis sunt: vt ξύλον, χοινίον: quæ verò non habent illam terminationem, masculina sunt, aut fœminina: & illa tamen nonnunquam traducuntur ad genus neutrum, [s] & sub nomine τῶν σκευῶν interrogantur: vt ἄσκος masculinum est, κλίνη fœmininum. Itaque in ijs eodem modo quo in superioribus verbum Est, & Esse, casuum inter se discrimina indicabit. [t] Est etiam solœcismus nõ valdè absimilis ijs reprehensionibus, quæ ex eo ducuntur, quòd vt similia accipiuntur, quæ non sunt similia, aut si ita vocare malis, quæ ex simili verborum specie oriuntur. Vt enim illæ captiones sunt in reb. quidam veluti solœcismi, ita hæ sunt in verbis veri solœcismi. homo enim & albũ, & verba sunt, & res. Ex ijs igitur quæ dicta sunt planum est, si quando solœcismũ velis concludere, ex illis casibus, quos exposuimus, sumendum tibi esse argumentum.

Casuum discrimen è verborũ cõstructione notandum.

Collatio solœcismi cũ figura dictionis.

IN CAPVT NONVM,

ANNOTATIONES.

[a] Sequitur vt quo modo.) *Hoc capite de nugatione, ac solœcismo, (quæ duæ partes adhuc reliquæ sunt τῆς σοφιστικῆς παρ' αἱρέσεως) eò pauciorib. uerbis disserit, quòd istarum natura, non perinde atq; antegressæ partes, latè in oratione patet. Ac quod ad nugationem quidem attinet, eam partim in ijs quæ cum alio conferuntur, locum habere: partim in ijs quæ absolutè de re subiecta dicũtur, et quidem in secundo genere τῶν καθ' αὑτὰ, locum habere ostendit.*

Nugatio bifariam explicatur

[b] Si nihil referat, nomen di.) *Hæc exempla de genere τῶν πρός τι sunt, ut deinceps patebit. Vide autem, ut hîc ex hypothesi progrediatur, εἰ μηδὲν διαφέρει δύο μᾶλλον ἢ ἓν λόγον εἰπεῖν, quam hypothesin propterea assumit, quia nisi ista posita & cõcessa, reuera nugatio cõcludi non potest, ut paulo pòst perspicuum euadet. Infrà uerò*

Hypothesis necessaria.

cap. 16. ostendit istam hypothesin nequaquam admittendam esse.

c Cernuntur autem omnes.) *Hic locum in duo genera distinguit, ut antè diximus. Nota hoc loco, ut relata dispertiantur in alia, quæ per se: alia, quæ per sua genera ad aliud referantur, quorũ hæc κατὰ τὸ γένος: illa καθ' αὑτὰ τὰ πρόστι lib 6. Topicor. cap. 3. dicuntur Græca in præsens sic habent:* εἰσὶ δὲ πάντες οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων ἐν τοῖς πρόστι, ὅσα μὴ μόνον τὰ γένη, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ πρόστι λέγονται, *& cæt.* Relata duplicia.

d Aut verò in ijs quæ.) *Hoc alterum genus est, id quod proprias affectiones rerum subiectarum,* καὶ τὰ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα, *(de quibus in secundo genere* τῶν καθ' αὑτὰ, *lib. 1. de Demonstrat. cap. 3. disseritur) continet: Græcè est,* τὸ ὅσων ἡ οὐσία οὐκ ὄντων πρός τι ὅλως, ὧν εἰσὶν ἕξεις ἢ πάθη ἤτι τοιοῦτον ἐν τῷ λόγῳ αὐτῶν προσδηλοῦνται κατηγορουμένων ἐπὶ τούτοις. Proprię rerum affectiones.

e Porrò autem interdum viden.) *Hoc est, quod paulo antè monuimus, nisi supradicta hypothesis admittatur, nullam ueram nugationem effici.*

f Nempe an duplum per se.) *In hunc locum uide infrà cap. 16.*

g Solœcismus quid sit.) *Subijcit de Solœcismo, quem nunc reuera committi ait, ut non uideatur: nunc uideri quidem committi, cùm reipsa non committatur. Id quod fit ratione hominum dißimiliter de eadem oratione iudicantium, ut exemplo* μήνιδος τὸ πήληκος *declarat, quorum hoc galeam, illud iram Græcè significat.* Solœcismus vt cõmittatur.

h Qui dicit μῆνιν οὐλομένην.) *Cum Homero, idq; fœminino genere, quod est, irã pernitiosam. Hauichhorstius Homeri uersiculũ ex primo Iliad. citauit,* μῆνιν ἄειδε θεά.

i Reuera autem non incidit.) *Scilicet ex sententia Protagoræ, qui id masculini generis esse statuit, cùm sit fœmininum, quemadmodum &* πήληξ.

k Perspicuum igitur est, artis.) *Græcè est,* δῆλον οὖν ὅτι καὶ τέχνητις δύναται τοῦτο ποιεῖν. *Vult & syllogismo solœcismum concludi posse, teste Alexandro.*

l Ducuntur autem omnes.) *Ostendit unde potißimùm Solœcismus in oratione existat: Nempe ex neutro genere, quod ipse* πρὰ δὲ τόδε *ait. Nam cùm neutrum genus nonnullos casus similes habeat, eodemq; nonnunquam & marem, & fœminam significemus, fit, re ut non accuratè perpensa, & casus nonnunquam in dicendo mutentur, & ea quæ de neutro genere rectè concessa erant, uitiose uel ad masculinum, uel ad fœmininum genus à Sophista detorqueantur.* Neutrũ genus plurimùm solœcismi efficiens.

m Sed quod est inter ista.) ἀλλὰ τὸ μεταξὺ *Græcè est, quo uerbo neutrum genus intelligit, id quod remotione extremorum, tum masculini, tum fœminini generis describitur, perinde ut in contrarijs* τοῖς ἀνὰ μέσον, *illa quæ interiecta sunt, maximè sine ullo certo nomine, ut in Categorijs patet cap. 7.* Neutrũ genus τὸ μεταξὺ.

n Partim ijdem, partim.) *Iidem sunt, casus nominatiuus, accusatiuus & uocatiuus. Diuersi, reliqui obliqui.*

o At verò si istos casus.) Ostendit unde casuum diuersitas dignosci queat: nempe ex uerborum constructione. At hæc rès Grammaticis nota est.

Hipponici plures.

p Veluti est Hipponicus.) Plures Hipponici fuêre: Meminit unius Plato in Protagora: alterius Isocrates in oratione ad Demonicũ. Hic Demonici pater fuit, iste Calliæ, ut Plato scribit.

q Et in omnibus quæ commu.) Locus paulo inuolutior est. Vult neutri generis nomina significare, in quibus pari modo, ut in masculinis & fœmininis, ex uerbi constructione casuum discrimina petenda esse significat. Vocat autem neutra, nomina τῶν σκευῶν, hoc est, uasorum, seu supellectilium, propterea quòd plurimùm ista neutri sunt generis, eò quòd res inanimatas significant, ut Alexander ait. Quanquam tamen nonnulla ex ijsdem etiam masculino & fœminino genere reperiuntur, ut ἄσκος ἡ κλίνη. quorum hoc lecticam, illud utrem Latini dicunt.

Neutra, τῶν σκευῶν

r Sola enim ea quæ desinunt.) Græcè est, ὅσα γὰρ εἰς ὃ ἢ ὃ μ τελευτᾷ, ταῦτα μόνα σκεύους ἔχει κλῖσιν. Quid sit σκεύους ἔχειν κλῖσιν, Interpres exponit, neutri generis esse, idq; ex sententia Alexandri, qui superiorem illum locum ἐπὶ τῶν λεγομένων σκευῶν, hoc est, in ijs, quæ supellectilia uocantur, sic interpretatur. Id est, neutris. Siquidem supellectilia hæc inquit esse, quia inanimata sunt. ξύλον, lignum est, σχοινίον funem ualet.

σκεύους κλῖσιν ἔχειν

s Et sub nomine τῶν σκευῶν.) Hoc idem cum præcedente ualet. Græcè tantũ est, ὧν ἕνια φέρομεν ἐπὶ τὰ σκεύη.

t Est etiam Solœcismus.) Confert hunc locum cum captionibus ταῖς πρὸ τούτου ὁμοιοσχημοσύνην, quòd ut hîc in uerbis, ita illic in reb. quasi solœcismus admitti uideatur. ὥσπερ γὰρ ἐκείνοις, inquit, ἐπὶ τῶν πραγμάτων, τούτοις ἐστὶ τῶν ὀνομάτων συμπίπτειν σολοικίζειν.

Solœcism. duplex.

u Homo enim & albũ, & uerba sunt.) Verba, ut signa: res, ut ea quæ signis denotantur. In hunc locum uide initium lib. περὶ ἑρμηνείας.

DE RATIONE COLLOCANDI, EA QVAE PERTINENT AD CAELANDVM, ET AD CONVINCENDVM EVM, qui in differendo proteruus est. Cap. 10.

CAP. 14.

AC[a] de generibus quidem contentiosarum argumentationum, & partibus singulorum generum, & modis omnib. hactenus. Quoniam autem in collocatione eorum quæ interrogantur, non parum est momenti, vt possis (quemadmodum de dialecticis disputationib.[b] paulò antè diximus) cælare conclusionem: propterea absoluta illa disputatione, primùm omnium de ijs quæ ad dispositionem pertinent agendũ

Quib. modis

est.[c] Ac primùm ad reprehensionem plurimùm valet longitudo oratio

nis,

nis, quandoquidem multa simul prouidere difficile est. Loci autem vn- dis cõclu-
de amplificandarum argumentationum rationes depromes, ex superio- sio celetur
ribus sunt repetendi. [d] Alter locus est, vt celeritatẽ in interrogando ad-
hibeas. Nam qui aliquanto tardiores te festinantem sequi non possunt,
minus prouidere possint quid dicant. [e] Tum illud iuuat plurimùm, vt
aduersarium ad iram & altercationem prouoces. Qui enim sunt in per-
turbatione, minus sunt cauti ad omnia. Rationes autẽ quibus ad iracun-
diam impelles, hæ sunt: [f] si palam profitearis te iniquum alteri aduersa-
rium, & si impudentiam maximam prẽte feras. [g] Alius locus est, pertur
batè interrogationes collocare, siue ad rem multas rationes adhibeas, si-
ue in vtramq; partem argumenta adferas. Fit enim hac ratione, vt vno
tempore des aduersario [h] aut multa, aut etiam contraria cogitanda. [i] At-
que vt rem in pauca conferam, omnes loci quos ad celandam conclusio
nem suprà posuimus, sunt etiam ad disputationem contentiosam accõ-
modati. Pertinet enim eò occultatio, vt lateas: latere autem vis, vt fal-
las. [k] Quod autem attinet ad eos qui nil admittere solent quod ad rem fa Loci, quí-
cere existiment, illa nobis aduersus eos cautione vtendum est, vt aut per bus aduer
disparatum interrogemus, quasi contrariam partẽ velimus efficere: aut sus proter
verò ex æquo vtramque partem interrogando complectamur. [l] Quãdo uos in dis-
enim non vident huiusmodi homines, quid potissimùm tibi concedi ve ferendo
lis, minus difficiles ac proterui sunt. [m] Iam verò postquàm alius tibi sin- vtendum.
gulatim totius alicuius generis partes interrogãti, in singulis ita esse cõ-
cessit, vt vniuersum genus ad extremum inductione colligas, non est ip-
sum totum genus interrogandum, sed eo vt concesso vtendum est. Ita
enim ferè euenit, vt cùm respondens [n] se admisisse vniuersum genus pu
tet, tum ita etiam auditoribus videatur, quia adhuc meminerunt indu-
ctionis paulo antè factæ, nec illas interrogatiões fruſtrà fuisse existimãt.
[o] Et si quando generi vniuerso nomen non est impositum, ipsa vtẽdum
est similitudine, prout commodum videbitur: nam sæpè similitudo ob-
scurior est. [p] Ad sumendam autem propositionem plurimùm prodest,
simul aduersa, vt illa quasi inter se conferantur, interrogare. Verbi gra-
tia, si velis tibi concedi, omnibus in rebus parentibus esse obtemperan-
dum, hunc in modum interrogabis: Quid? putás ne parentibus esse pa-
rendum in omnibus, an potiùs in omnibus repugnandum? Aut verò si
sæpiùs, parendum esse, sumere ab aduersario velis, sic interrogãdum: v-
trum multa sint parentibus concedenda, an pauca? Hîc enim multò po-
tiùs

Rerũ comparatio rẽ illustrat.

tiùs (si modò parentibus obsequi necesse est) multa esse concedenda vi-
debitur, quàm pauca: [q] præsertim cùm rerum aduersarũ compositio &
collatio efficiat, vt res maiores & magnæ hominibus videantur, itemq;
deteriores & meliores. [r] Est porrò insignis & frequens, vt quis reprehẽ-
sus videatur, sophistarum hæc impostura, postquam nonnullas interro
gationes proposueris, licet ex ijs nil possis necessariò conficere, ita extre
mum argumẽtationis subijcere, vt illud non interroges, sed in modum
complexionis ita proferas, sicut fieri solet in veris ratiocinationibus, nõ
igitur hoc & hoc. [s] Est etiam hoc verè sophisticum, quando paradoxon
aliquid accipis, vrgere respondentem, vt quid sibi videatur proferat, cũ
sit illud quod à principio positum est in quæstione, probabile: & hac for
ma interrogare, vtrum tibi videtur? Necesse enim est, si talis sit interro-
gatio, vt ad conficiendam rem valeat, inde nasci aut reprehensionẽ, aut
admirabile aliquid, & contra hominum opinionem. [t] Nam si admittat,
reprehensio sequitur: si neget, & sibi non ita videri dicat, incredibile ali
quid dicere videbitur: at si non planè cõcedat, videri tamẽ sibi fateatur,
si non verè conuictus, aliquo certè modo reprehensus videbitur. [u] Alius
locus est, vt quod in disceptatione oratoria magno studio faciunt orato-
res, idem nos in reprehensionibus nostris facere contendamus: vt scili-
cet diligenter exquiramus, dicát ne is qui cum disputamus, aliquid repu

Repugnãtia dictorũ cauenda.

gnans, aut ijs quæ à se dicta sunt, aut eorum sententiæ quorum orationẽ
& actiones maximè probet & sequatur: adde etiã, an aduersetur opinio-
ni eorum qui reuera tales, hoc est sapientes sunt: aut verò qui non sint hu
iusmodi, similes tamen talibus sunt hominibus: postremò an contrà di-
cat, quàm sentit hominum pars maxima, aut etiam quàm omnes homi-
nes. [x] Iam autem sicut respondentes solent sæpenumerò cùm vrgentur,
& vident se elabi vix posse quin coarguantur, fingere nescio quam mul
tiplicitatem, cuius distinctione euadant: ita etiam nobis interrogantib.
eodem illo præsidio interdum vtendum erit, maximè aduersus eos qui
fortiter nobis resistunt: ita vt si quid vno modo verum sit, altero non ve-
rum, illo nos modo accepisse, non hoc dicamus. Qualiter fecit [y] Cleo-

Aliò transferre disputationem.

phon in Mandrobulo. [z] Oportet etiam traducta disputatiõe ad alia, quæ
reliqua erant argumenta præcidere. Quo in loco hæ erunt partes respõ-
dentis, vt si hoc præsentiat velle aduersarium, iam antè illi occurrat, &
prædicat, ne rem propositam deserat. Interdum etiam ad aliud sunt ar-
gumenta dirigenda, quàm quod à principio positum est in quæstione:

sed

ſed illud ita accipiendum eſt, [a] ſi modò nil habeas quod contra rem propoſitam obijcere poſsis. Quo præſidio [b] vſus eſt Lycophron, cùm iuſſus eſſet laudare lyram. [c] Quod verò attinet ad eos qui probari ſibi aliquam propoſitionem, quam acceperis, poſtulant: quoniam ęquum videtur, vt ſubiecta probatione illius reddas rationem, acceptis quibuſdam reb. ſingulis, tutius eſt, etiamſi de toto genere concludi poſsit, in ipſis ſingularibus aduerſariũ ita reprehendere, vt quod affirmauerit, negare: aut quod negauerit, dicere oſtendamus, quàm ſi vniuerſum genus concluderemus, quale eſt illud: Rerum aduerſarum eadem eſt diſciplina, aut nõ eadem. [d] Neque verò propoſitionis in modum interroganda eſt complexio: & quædam ſunt, quæ ne interrogari quidem debent, ſed vt perſpicua & ab omnibus recepta ſumi. [e] Ac de locis quidem vnde eruuntur argumenta in contentioſis diſputationibus, & de ratione interrogandi, hactenus.

Concluſio non interroganda.

IN CAPVT DECIMVM,

ANNOTATIONES.

a Ac de generibus quidem.) *Hactenus quinq; partes, & tanquam metæ Sophiſtici inſtituti explicatæ ſunt: Sequuntur nunc communia quædam præcepta, quæ cùm ad omnes antegreſſas præceptiones, & ſcopos Sophiſtarum non malè accommodari poſſe uidentur, tum in primis tamen ad Sophiſticam reprehenſionem pertinent, quibus importunitati eius qui reſpondet, à Sophiſta præcipuè obuiatur. Suntq; in collocatione ac diſpoſitione Sophiſticorum argumentorũ (quod ad cælandum attinet) ea maximè poſita, quẽ admodum non obſcurè Ariſtoteles ſignificat. Quæ genera contentioſarum argumentationum Interpres uertit, Ariſtoteles τὰ εἴδη τῶν ἀγωνιστικῶν λόγων appellat, atq; iſta quidem ſunt, quinq; iſta propoſita, ut mihi uidetur, quæ illi qui certandi uincendiq; ſtudio tenentur, ſibi in diſſerendo proponunt, et aſſequi nituntur, de quibus initio capitis 2. dictum eſt, tametſi Alexandro ſecus uidetur.*

Cõmunia præcepta de collocatione argumẽtorum Sophiſticorum.

τὰ εἴδη ἀγωνιστικῶν λόγων.

b Paulo antè diximus.) *Nempe lib. 8. Topicorum. cap. cap. 1.*

c Ac primùm ad reprehenſio.) *Primus locus eſt, ut copia dicendi aduerſarium obruas, quod fit rogando, proponendo, ornando, & cæt. de quibus modis lib. 8. Topicor. cap. 1. & 2. dictum eſt. Græcè eſt,* ἔστι δὲ πρὸς τὸν ἐλέγχειν ἐν μὲν μῆκος, χαλεπὸν τὸν ἅμα πολλὰ συνορᾶν. *Sic 8. lib. Topicor. cap. 1.* πολλῶν γὰρ ὄντων ἄδηλον ἐν ὁποίῳ τὸν ψεῦδος.

Copia obruẽdus aduerſarius.

d Alter locus eſt, vt celer.) *Alter locus, ut parum ſpacij ad cogitandum aduerſario relinquas: quod fiet, ſi multa celeriter interroges. Græcè eſt,* ἓν δὲ τάχος, ὑστερίζοντες γὰρ ἧττον προορῶσιν.

Multa celeriter quęrenda.

e Tum illud plurimùm.) *Tertius locus, ut affectu quopiam atq; ira respondentis animum conturbes. Conturbatus enim animus nõ est probè affectus ad exequendum munus suum, ut 3. Tuscula. Cicero scribit. Græcè est,* ἔτι δὲ ὀργὴ καὶ φιλονεικία, ταραττόμενοι γὰρ ἧττον δύνανται φυλάττεσθαι πάντα.

Ira animũ perturbat.

f Si palam profitearis te.) *Græcè est,* τό τε φανερὸν ποιεῖν ἑαυτὸν βουλόμενον ἀδικεῖν, καὶ τὸ παράπαν ἀναισχυντεῖν.

g Alius locus est, perturbatè.) *Hic locus non longè discrepat à primo, nisi quòd hic nullo certo ordine rogationes proponi iubet. Græcè est,* ἔτι τὸ ἐναλλὰξ τὰ ἐρωτήματα τιθέναι, ἐάν τε πρὸς αὐτὸ πλείους τις ἔχῃ λόγους, ἐάν τε καὶ ὅτι οὕτως, καὶ ὅτι οὐχ οὕτως. *De perturbata sumptionum collocatione uide & lib. 8. Topicor. cap. 1.*

τὸ ἐναλλὰξ ἐρωτᾶν.

h Aut multa, aut etiam contra.) *Quò fiet, ut ad omnia minus accuratè respondere poßit, iuxta id quod uulgò dici solet, Pluribus intẽtum minus ad singula accuratum esse sensum. Græcè est,* ἅμα γὰρ συμβαίνει ἢ πρὸς πλείω, ἢ πρὸς τἀναντία ποιεῖσθαι τὴν φυλακήν.

Pluribus intenti.

i Atque vt rem in pauca.) *Docet præcepta* περὶ τῆς κρύψεως *lib. 8. Topicorum tradita, huc omnia facere, propterea quòd* κρύψις *ad fallendum cumprimis apta & accõmodata esse uideatur, iuxta id quod ait:* ἡ γὰρ κρύψις ἐστὶ τοῦ λαθεῖν χάριν, τὸ δὲ λαθεῖν τῆς ἀπάτης.

κρύψις ad fallendum apta.

k Quod autem attinet.) *Si cum proteruis ac lasciuientibus tibi res sit, qui nihil eorum, quæ ad propositum pertinere iudicent, facilè concedant, docet quo pacto cum ijs agendum sit, ut ne tua causa cadas. Ac uult primùm dißimulatione aduersum eos utendũ esse, ut non directò ad id quod uelis, sed obliquè argumenta tua dirigas. Quod futurũ est, si uel totam contradictionem eos roges, uel eius, quod per te effectum cupias, afferas contrarium.* πρὸς δὲ τοὺς ἀνανεύοντας *(inquit)* ἅττ' ἂν οἰηθῶσιν εἶναι πρὸς τὸν λόγον, ἐξ ἀποφάσεως ἐρωτητέον, ὡς τοὐναντίον βουλόμενον, ἢ καὶ ἐξ ἴσου ποιοῦντα τὴν ἐρώτησιν. ἐξ ἀποφάσεως ἐρωτᾶν, *contrarium interrogare est:* ἐξ ἴσου, *totam contradictionẽ. Conuenit cum hac præceptione istud lib. 8. Topic. cap. 1.* ἁπλῶς δὲ εἰπεῖν, ὅτι μάλιστα ποιεῖ ἄδηλον πότερον τὸ προτεινόμενον ἢ τὸ ἀντικείμενον βούλεται λαβεῖν.

Vel cõtradictio, uel contrariũ rei efficiẽdæ rogandum.

ἐξ ἀποφάσεως καὶ ἐξ ἴσου ἐρωτᾶν.

l Quando enim non vident.) *Græcè est,* ἀδήλου γὰρ ὄντος τί βούλεται λαβεῖν, ἧττον δυσκολαίνουσι. *Cum quo conuenit illud lib. 8. Topicor. cap. 1.* ἀδήλου γὰρ ὄντος τοῦ πρὸς τὴν θέσιν χρησίμου, μᾶλλον τὸ δοκοῦν αὐτοῖς τιθέασι.

m Iam verò postquàm.) *Hic locus in Inductionibus locum habet, in quibus partibus datis & conceßis, ne contrà dicendi occasio* προσδιαλεγομένῳ *offeratur, uult totum non interrogari, sed tanquam ipsum per se consequens, mox inferri. Atq; sic & 8. li. Topicor. in Syllogismo non quærendam esse conclusionẽ præcipit, idq; his uerbis, cap. 2.* οὐ δεῖ δὲ τὸ συμπέρασμα ἐρώτημα ποιεῖν, εἰ δὲ μὴ, ἀνανεύσαντος οὐ δοκεῖ γεγονέναι

Conclusio nunquam roganda.

γον ἔνδει συλλογισμός. *Ostendit usum huius loci, perquàm frequentem & commodũ Sophistarum instituto paulo infrà.*

n Se admisisse vniuer.) *In singularum nimirum partium concessione, præsertim cùm partes cum toto idem ualere non ignoret.*

o Et si quando generi vni.) *Hoc loco nota uniuersum genus quandoq; suo nomine exprimi, quandoq; non suo, sed alieno.* Hoc δ' ἀνώνυμον, *illud* δ' ὠνομασμένον *Aristoteli uocatur, de quo uide lib. 2. de Demonstrat. cap. 7. Cùm proprium nomen uniuerso generi deest, uult ad similitudinem confugiendum, quæ cùm tectiùs idipsum exprimat, magis ad fallendum accommodata uidebitur. Finitima sunt huic loco, illa, quæ lib. 8. Topicor. cap. 1. Aristoteles tradit in hæc uerba:* ἔτι δὲ διὰ τὴν ὁμοιότητος πυνθάνεσθαι· καὶ γὰρ πιθανὸν καὶ λανθάνει μᾶλλον δ' καθόλου. *Item,* Εἰ δὲ ὡς ἐν πράσει ἐρωτᾶν· τοτεινόμενον, καὶ μὴ δι' ἄλλο δ' χρήσιμον τιθέασι μᾶλλον. *Græca in præsens sic habent:* ὧν ὅσοις τὸ ὀνόματι μὴ σημαίνεται δ' καθόλου, ἀλλὰ τῇ ὁμοιότητι χρησέον πρὸς δ' συμφέρον, λανθάνει γὰρ ἡ ὁμοιότης πολλάκις. Genus dupliciter effertur. Per similitudinem interrogare.

p Ad sumendam autem proposit.) *Vide, num hæc conueniant cum ijs, quæ antè dixit, in cõtrarias partes ea quæ effecta uelis, interrogari oportere.* Græcè est, πρόσται τὸ λαβεῖν τῷ πρότασιν τὸ ναντίον παραλαβόντα χρὴ πυνθάνεσθαι.

q Præsertim cùm rerum ad.) *Hoc loco nota, quem usum rerum comparationes & cõtentiones in disserendo afferant. Rem clariùs ob oculos proponunt, et illustrant id, quod sine contrariorum appositione alioqui lentiùs disputandum erat.* Græcè est: πράτιθεμένων γὰρ ἐγγὺς τὸν ναντίων, καὶ μεῖζον καὶ μᾶλλον φαίνεται, καὶ χείρων καὶ βελτίων τοῖς ἀνθρώποις. *Sententia hæc uulgò peruagata & trita est admodum, cõuenitq; cum illa, id quod de uirtutib. Pompeij, pro lege Manilia Cicero ait: Summa enim omnia sunt Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione, quàm ipsa per seipsa cognosci atq; intelligi possunt.* Comparatio rerum amplificationi seruit.

r Est porrò insignis & fre.) *Huius loci paulo suprà meminimus, quum de concludendis inductionibus nobis sermo erat.* Græcè ait, σφόδρα δὲ καὶ πολλάκις δοκεῖ ποιεῖ ἐλεγχέσθαι δ' μάλιστα σοφιστικὸν συκοφάντημα τῶν ἐρωτώντων, δ' μηδὲν συλλογισαμένους μὴ ἐρώτημα ποιεῖν δ' τελευταῖον, ἀλλὰ συμπερασικῶς ἐιπεῖν ὡς συλλελογισμένους, οὐκ ἄρα δὲ καὶ τό. *In quo nota,* δ' ἐρώτημα ποιεῖν, καὶ δ' συμπερασικῶς ἐιπεῖν, ἀντὶ τοῦ ἐρωτᾶν, Εἰ ἀντὶ τοῦ συμπεραίνεσθαι *ab eo dici. Ac quod hîc* δ' τελευταῖον *ait, in antegressis partim* δ' συμπέρασμα, *partim* δ' συμβαῖνον, *partim alijs quibusdam modis nuncupatur. Infrà cap. 10.* δ' τέλος *dicitur.* συκοφάντημα τῶν ἐρωτώντων. δ' τελευταῖον.

s Est etiã hoc verè.) *Vultre inopinata posita, urgendum aduersariũ, ut suamde ea sententiã dicat: quòd id faciens, cauere non potest, quin aut reprehẽsionem incurrat, aut aliquid admirabile cæteris effari uideatur. Quod nos re inopinata posita dicimus, græcè*

τοῦ κειμένου παραδόξου est. Interpres, quando paradoxon aliquid accipis, reddit.

Trium collatio inter se.

t Nam si admittat.) Hoc loco tria confert inter se. Nempe ἔλεγχον, παράδοξον, καὶ ἐλεγχόμενον. Quorum primum positum est in eo, si id quod rogatur, omnino concedas: secundum, si omnino neges: tertium, si ita uideri tibi asseras, etsi non planè nec neges, nec concedas.

Repugnãtia dictorũ notãda.

u Alius locus est, vt.) Monet repugnantium dictorum ac sententiarum diligenter inquirendam, non modò, si quid ipse repugnans sibi dicat, sed & si quid ijs, quorũ uel sententias aut facta ipse probet, uel quorum opinio alijs certè admiranda esse uideatur. Omnibus enim hisce modis eum reprehensionem incursurum esse. Atq; ut hic locus Sophistarum reprehensionibus mirificè confert, sic & Oratoribus in causarum disceptatione non inutilem esse demonstrat, cùm inquit: ἔτι καθάπερ ἐν τοῖς ἐκτοπικοῖς καὶ τοῖς ἐλεγκτικοῖς ὁμοίως τὰ ἐναντιώματα θεωρητέον, ἢ πρὸς τὰ ὑφ' αὑτῶν λεγόμενα, ἢ πρὸς οὓς ὁμολογῶ καλῶς λέγειν ἢ πράττειν, ἔτι πρὸς τοὺς δοκοῦντας τοιοῦτους, etc.

Et oratori locus vtilis.

x Iam autem sicut respondentes.) Monet aduersarij distinctioni occurrendum, ut non quomodo iste dedisse se ait, id quod interrogatum fuit, sic & te concelusisse propositum præ te feras. Conuenit cum hoc loco, quod ad utriusq; dissentium conatum in præsens explicandum facit, id quod lib. 1. de Inuentione Cicero scribit, his uerbis: Ambiguum si concesseris ex ea parte, quam ipse intellexeris, eam partem si aduersarius ad aliam partem per complexionem uelit accommodare, demonstrare oportebit, non ex eo quod ipse concesseris, sed ex eo quod ille sumpserit, confici complexionem.

Aduersarij distinctiõi occurrendum.

y Cleophon in Mandrobulo.) Mandrobulus, Cleophontis Tragici fabula quædam est, ut Actæon, Amphiaraus, Achilles, Telephus, & cæt. de quibus Suidas meminit. Vide, num iste Mandrobulus sit, de quo Prouerbium iactatur, Mandrabuli more res succedit, de ijs, quæ indies in peius prolabũtur. Verũ istud per α, nõ per ο in medio scribitur.

Mandrobulo Cleophõtis fabula.

z Oportet etiam traducta.) Cùm uel aduersarius ad respondendum uidebitur esse paratior, uel tu ad oppugnandum minus ab argumentis instructus: uult istis casibus, thesi relicta aliò sermonem transferri, ubi maior argumentorum se copia offerat. Meminit huius loci & suprà, cap. 8. Quanquam hîc adijcit, quo modo, cùm tale quid moliri respondens aduersarium senserit, ei in tempore obuiare debeat, ne à propositare quoquam aberret. Itaq; utrumq; dissentium hoc loco pariter instruit. Verba Græcè sic habent: δεῖ δὲ καὶ ἀφισαμένους τοὺς λόγους τὰ λοιπὰ αὐτῶν ἐπιχειρήματων ἐπιτέμνειν, καὶ ἀποκρινόμενον ὅταν προαισθάνηται, προενίσασθαι καὶ προαγορεύειν. ἐπιχειρητέον δὲ ἐνίοτε καὶ πρὸς ἄλλο, ἐκεῖνο λαμβάνοντας ἐὰν μὴ πρὸς ὃ προκείμενον ἔχῃ τις ἐπιχειρεῖν.

Alio transferre disputationẽ, idemq; impedire.

a Si modò nil habeas.) Hoc est, si quæstio est sterilior, quàm facilè à te oppugnari argumentis possit.

Lycophrõ.

b Vsus est Lycophron.) Incertũ, Sophista hic sit, an Poëta Tragicus, cuius præter

cæteros

cæteros Diogenes Laërtius meminit lib. 2. in Menedemo. Alexander Sophistam appellat. Meminit eiusdem Aristoteles lib. 1. de Natura, cap. 2.

c Quod verò attinet.) *Hic locus explicatu paulò difficilior est, propterea quòd Græca lectio non satis integra est. Quædam enim in ea tum deesse, tum redundare Alexandro uidentur. Vult autem, si adductarum à te propositionum probationem aduersarius requirat, non in genere, sed in specie eas tibi declarandas esse, quòd hoc modo refutationi aduersarij minus loci reliquum fore uideatur. Exemplum ex Alexandro Hauichhorstius adducit.* Locus Græcè inuolutior.

d Neque verò propositionis.) *De hoc in antegressis aliquoties monuimus. Græcè est,* οὐ δεῖ δὲ τὸ συμπέρασμα προτατικῶς ἐρωτᾶν, ἔνια δὲ οὐδὲ ἐρωτητέον, ἀλλ' ὡς ὁμολογουμένως χρηστέον. Cōplexio non rogāda.

e Ac de locis quidem vnde.) *Concludit de priore parte huius libri, in qua* τὸν ἐρωτῶντα, *hoc est, interrogantem, seu opponentem hactenus uariè instruxit. Sequitur, ut nunc ad alteram partem accedat, in qua* ἐν ἀποκρινόμενον, *hoc est, respondentem pari modo informare aggrediatur. In has enim duas partes uniuersam hanc commentationem diuisam esse suprà admonuimus. Græcè est,* ἐξ ὧν μὲν οὖν αἱ ἐρωτήσεις, καὶ πῶς ἐρωτητέον ἐν ταῖς ἀγωνιστικαῖς διατριβαῖς εἴρηται, περὶ δὲ ἀποκρίσεως, *&c cæt.* Transit ad alteram libri partē περὶ ἀποκρίσεως.

DE TRIPLICI VTILITATE, QVAM PRAESENS CAPTIONVM COGNITIO AFFERAT, ET IN HAC DOCTRINA diligentem exercitationem requiri. Cap. II.

Lib. 2. cap. 1.

SEquitur [a] nunc, vt de responsione agamus, & vt quo modo dissoluēdæ sint captiones, & ad quam potissimùm rem conferendæ solutiones, & quem ad vsum valeat huiusmodi captionum sophisticarum tractatio, doceamus. [b] Ac primùm quidem vtilis est duab. de causis ad philosophiam. Vna est, quia cùm maxima pars istarum captionum [c] ex verbis ducatur, hoc nobis præstat earum consideratio, vt verborum ambiguitatem [d] faciliùs animaduertamus: [e] & vt quæ sint ea, in quib. rerum similitudo cum nominum similitudine conueniat, quæq; illa in quibus verborum similitudinem res non imitantur, intelligamus. [f] Altera est, quia ad res per nos ipsos animo tractandas, veriusq; exquirendas plurimùm valet. Nam qui facilè ab altero captiosa ratione decipitur, neq; id percipit: idem si per se aliquid consideret, frequenter se ipse fallaci conclusione impediet. [g] Est autem & tertia præter illas duas vtilitas ad gloriam consequendam: nempe quòd hinc fiat, vt videare omnibus in reb. exercitatus, & nullius esse imperitus. [h] Qui enim cum altero sermonem

Tripartita huius doctrinæ vtilitas.

confert, eiusq; qui cum disputat, rationes aspernatur ac vituperat, cùm vitium ipse indicare non possit, suspicionem is præbet, difficilem se & iniquum alteri præstare non propter veritatem, sed propter imperitiam. [j] Quomodo autē respondens huiusmodi captionibus occurrere debeat, minimo negotio perspici potest, si quidem omnes locos, vnde fallaces conclusiones eruuntur, suprà rectè exposuimus: & [k] si omnia commēta, omnes fraudes, quas in interrogando solent adhibere sophistæ, *satis explicatè docuimus.* [l] Neque verò idem est, sumpta aliqua *captione, illius* vim perspicere, & vitium vbi sit indicare, quod celeriter posse ei occurrere, qui te interrogat. [m] Sæpe enim accidit, vt quod scimus, mutatis & traiectis verbis ignoremus. [n] Porrò quemad modū alijs in rebus omnib. celeritas & tarditas tota pendet ab exercitatione, ita planè in disputationibus vsuuenit. Vnde efficitur, vt, tametsi res nobis *cognita* sit, sæpe tamen quia desit meditatio exercitatioq; differendi, expedire nos in tempore, & vt decet, non possimus. [o] Sanè idem hîc propemodum euenit, q in mathematicorum descriptionibus. Sicut enim plerunq; in conficiendis demonstrationibus accidit, vt postquā dissoluta res est, & ad sua principia reuocata, componere eam rursus non possimus: ita in reprehensionibus vsuuenit, vt sciamus quidem vnde ducatur captio, eam tamen in partes digerere non valeamus.

Vt celeriter captioni occurras, exercitatione opus est.

IN CAPVT VNDECIMVM,

ANNOTATIONES.

a Sequitur nunc, vt de responsio.) *Priusquàm ad respondentis officium* explicandum *accedat, antè quæ præsentis huius doctrinæ ac tractationis sit utilitas, ante oculos ponit. Ac uult primùm quidem ad rerum considerationem hanc tractationem facere, ut siue per nos ipsi res quasq; considceremus, & expendamus, siue id cum alio quopiam qui contrà disserat, facere conemur, sine omni captione atq; errore in Philosophia idipsum præstare queamus. Deinde si hæc utilitas parum fortasse nos moueat, etiam ad gloriam parandam, & opinionem quandam dextrè in rebus quibusq; agendi ac uersandi, eandem doctrinam ualere declarat.*

Duplex huius doctrinæ vtilitas.

b Ac primùm quidem vtilis.) *Tres utilitates affert, si quæ primo loco de Philosophiæ commoditate refert, in duo genera distribui placuerit. Alioqui si simplicem hanc commoditatem esse uelis, quæ in eo posita sit, ut siue per te ipse rem expendas, siue cum alio quopiam id tentes, sine ullo errore idipsum consequi possis, duæ tantummodò huius doctrinæ utilitates sunt, quas exponit. Conuenit cum hoc loco, quod author Herennianus lib. 2, Rhetoric. de usu cognitionis uitiosarum argumentationū scribit in hæc uerba:*

Prius genus in duo tribui potest.

Hæc

Hæc cognitio uitiosarum argumentationum duplicem utilitatem afferet. Nam & uitare in argumentatione uitium admonebit, & ab alijs non uitatum commodè reprehendere docebit. χρήσιμοι μὲν οὖν, *inquit,* (τῶν λόγων οἱ τοιοῦτοι) εἰσὶ πρὸς φιλοσοφίαν διὰ δύο. Cognitio vitiosarũ argumẽtationum.

c Ex verbis ducatur,) *Vt suprà cap. 1. huius libri dictum est,* οἱ δὲ τοῦτο ποιοῦσι μὲν οὐ, δοκοῦσι δὲ διὰ πολλὰς αἰτίας, ὧν εἷς τόπος εὐφυέστατος καὶ δημοσιώτατος, ὁ διὰ τῶν ὀνομάτων. Captio ex verbis.

d Faciliùs animaduertamus.) *Atq; ita, dum cum alijs ueri inquirendi causa disserimus, minus eadem fallamur & capiamur. Possumus enim agnitam faciliùs explicare & dissoluere.*

e Et vt quæ sint ea.) *Græcè est,* καὶ ποῖα ὁμοίως καὶ ποῖα ἑτέρως ἐπὶ τῶν πραγμάτων συμβαίνει, ἐπὶ τῶν ὀνομάτων. *Loquitur autẽ de captione formæ dictionis.*

f Altera est, quia ad res.) *Græcè est,* δεύτερον δὲ, πρὸς τὰς καθ' ἑαυτὰς ζητήσεις. *De hac ratione tacitè res expendendi & inquirendi suprà dictum est, cap. 4.*

g Est autem & tertia.) *Si superiorem utilitatem pro causarũ distinctione in duo genera distribuas, hæc utilitas est tertia, quæ ad gloriam, & sapientiæ opinionem quandam comparandam ualet, dum ea quæ à Sophista proponuntur, captiosa argumenta dextrè nos dissoluere & explicare uidemur.* τρίτον δὲ καὶ τὸ λοιπὸν ἔτι, *inquit,* πρὸς δόξαν, τῷ περὶ πάντα γεγυμνᾶσθαι δοκεῖν, καὶ μηδενὸς ἀπείρως ἔχειν. Ad gloriæ cõparationem hæc ars valet.

h Qui enim cum altero.) *Græcè est,* τὸ γὰρ κοινωνοῦντα λόγων, ψέγειν λόγους μηδὲν ἔχοντα διορίζειν περὶ τῆς φαυλότητος αὐτῶν, ὑποψίαν δίδωσι τοῦ δοκεῖν δυσχεραίνειν, οὐ διὰ τἀληθὲς, ἀλλὰ δι' ἀπειρίαν. *Ratio è contrario explicari uidetur.* Proteruiẽdi suspicio vnde gignatur.

i Quo modo autem respondens.) *Ostendit, etsi ex antegressa præceptione facile sit quarumq; captionum uitia cognoscere: propterea quòd contrariorum est eadẽ disciplina, eademq; norma & recta & curua discernuntur et dijudicantur: nõ tamen superuacaneam idcirco insequentem hanc tractationem æstimari oportere. Siquidem hæc tractatio eò pertinet, ut quod superiorum præceptorum monitu per te ipse utcunq; assequi poteras, idipsum longè commodiùs, feliciùs, ac celeriùs hac doctrina fretus expedias.* Hæc tractatio ad qd pertineat.

k Et si omnia commenta.) *Græcè* τὰς ἐν τῷ πυνθάνεσθαι πλεονεξίας *uocat.*

l Neque verò idem est.) *Græcè est,* οὐ ταὐτὸν δὲ ἐστι λαβόντα τὸν λόγον ἰδεῖν καὶ λῦσαι τὴν μοχθηρίαν, καὶ ἐρωτώμενον ἁπαντᾶν δύνασθαι ταχέως. *Hunc locum diligenter attendant, qui satis esse existimant, paucis præceptis disserendi artem cõplexum esse, prætermissa accuratiore & fusiore explicatione, & disceptatione, quæ cùm ad pleniorem artis perceptionem facit, tum & habilitatem, facilitatemq; in disserẽdo non mediocrem parat.* Videre vitiũ, & mox illud explicare, diuersa.

m Sæpe

m Sæpe enim accidit.) *Græcè est, ὃ γὰρ ἴσμεν πολλάκις μετατιθέμενον ἀγνοοῦμεν.*

n Pendet ab exercitatione.) *Vel adhibita, uel omissa & neglecta. Ita eadem res dissimili comparatione contrariorum est efficiens, de quo uide Aristotelem lib. 2. de Principijs, cap. 3. Insignis hic locus est, quo exercitatio frequens diligensq; in omni re nobis commendatur.* ἔτι δὲ ὥσπερ, *inquit,* ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ θᾶττον καὶ βραδύτερον ἐκ τοῦ γεγυμνᾶσθαι γίνεται μᾶλλον, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν λόγων ἔχει. ὥστε ἂν δῆλον μὲν ἡμῖν ᾖ, ἀμελέτητοι δ' ὦμεν, ὑστεροῦμεν τῶν καιρῶν πολλάκις. *Huc pertinet, quod Aristoteles 8. Topicorum, lib. extremo, exercitationem facultatis gratia suscipi fatetur his uerbis:* τὸ δὲ γυμνάζεσθαι δυνάμεως χάριν.

Exercitatio commendatur

o Sanè idem hîc propemod.) *A simili confirmat, quod tamen simile per contrarium explicatur. Vt difficile est, inquit, dissolutas Mathematicorũ demonstrationes quãdoque iterum conficere: ita confectas conclusiones Sophistarũ difficile est ex aduerso dissoluere & explicare.* συμβαίνει δέ ποτε, *inquit,* καθάπερ ἐν τοῖς διαγράμμασι. τὰ γὰρ ἐκεῖ ἀναλύσαντες ἐνίοτε συνθεῖναι πάλιν ἀδυνατοῦμεν, οὕτω καὶ ἐν τοῖς ἐλέγχοις. εἰδότες γὰρ παρ' ὃ ὁ λόγος συμβαίνει, συνεῖραι ἂν λόγον ἀποροῦμεν.

Similitudo per contrariũ explicata.

DE VERISIMILI SOLVTIONE, ET QVAE MODÒ AD OPINIONEM CONFERTVR. Cap. 12.

CAP. 2.

AC [a] primùm quidem, sicut probabiles nonnunquam rationes ad rem probandam potiùs quàm veræ adhibendæ sunt: ita in respondendo, interdum ad opinionem potiùs quàm ad veritatem conferendæ nobis sunt argumentorum dissolutiones. [b] Contentiosis enim cum hominibus planè nobis pugnãdum est, quasi cum ijs qui videantur modò coarguere, ac non verè coarguant. Nam cùm istorum hominum rationibus nullam tribuamus concludendi necessitatem, [c] non debet profectò aliò pertinere nostra solutio, quàm vt ne conuinci coarguiq; videamur. [d] Etenim si reprehensio est contradictio citra vllam multiplicitatẽ, quæ necessariò ex quibusdam sumptionibus efficitur: nulla certè necessitas est, cur te oporteat captionem ex multiplici nomine, aut oratione ambigua ductam, distinguere: quandoquidem nil possit necessariò concludere. [e] Sed hac tantùm ratione vtimur distinctione, quia speciẽ quandam conclusionum, quæ ad conuincendum alterum valeant, huiusmodi captiones præ se ferant. Nobis igitur cauendum non est, ne coarguamur, sed ne videamur reprehendi: [f] quandoquidem interrogationes multiplices, & ambiguæ, & huius generis aliæ captiones, veram reprehensionem

Cõtentiosis vt occurrẽdum, ne reprehẽsus fuisse videaris.

Reprehen

nem obscurant, & sit ne tandem conuictus aliquis, an non conuictus, in certum reddunt. [8] Quia enim hîc licet ad extremum facta conclusione dicere aduersario, non eum conclusisse negationem eius quod affirmaueras, sed in multiplici aliquo nomine, aut ambigua oratione versari argumẽtum illius, [h] etiamsi quàm maximè fieri potuit, ad id ipsum, quod dixeras, pertinuerit argumẽtatio: quia inquam, id semper huiusmodi captionibus opponi potest, profectò necesse est, vt hac de causa semper incertum sit, reprehensus sit nécne is qui cum disputatur. Nam verum dicat, nécne, qui illud dicit, intelligi planè non potest. [i] Quòd si adhibita antè multiplicis verbi, aut ambiguæ orationis distinctione, tum interrogaret, ad extremum non dubium esset, quin tu esses reprehensus: atq; etiam illud fieret, quod his quidem temporibus postulari minus solet, superioribus autem [k] exigi sedulò solebat, nempe vt respondens ad interrogatum, aut etiam, aut non, & nil amplius responderet. [l] At his temporibus propter vitiosam, qua omnes ferè vtuntur, interrogãdi rationem, necesse est, vt qui respondent, aliquid amplius addant, quo vitium interrogationis corrigant. Nam si ipsi satis multiplicitatẽ interrogando distinguerent, necesse esset, vt aut etiam, aut non, responderetur. [m] Porrò autem si quis veram esse reprehensionem existimet, qua sub multiplici nomine aliquid cõcluditur, is nullam respondenti rationem relinquet, qua reprehensionem effugiat: [n] cùm præsertim in ijs etiam quæ sub oculos subiecta sunt, necesse aliquando sit, quantum quidem ad nomen attinet, quod affirmaueris negare, & quod negaueris affirmare. [o] Nam & ijs captionibus dissoluendis & quasi emendandis, adferre solent aliqui, nil planè adiuuat. Aiunt enim non esse Coriscum musicum & non musicum: sed hunc quidem Coriscum esse musicum, illum verò Coriscum esse non musicum. Quasi verò non eadem sit oratio, siue hoc modo dicas, [p] non adiecto articulo, Coriscum esse musicum, siue illo, hunc Coriscum esse musicum: quod illi tamen affirmare simul & negare cogun tur. [q] At non idem fortasse semper pars vtraq; significat, quando ne nomen quidem ex quo constant, Coriscus scilicet, idem semper significet. Quare ad hanc captionem eludendam, nil omnino illud habet momenti. [r] Quòd si quis vim captionis in eo ponat, quòd primum omnino Coriscum aduersarius diceret, deinde adiecto articulo, hunc Coriscum dixerit, is absurdè faciet. Nam quid causæ est, cur id vni potiùs quàm alteri conueniat? præsertim cùm vtriuis addiderit articulũ, non minus pro-

sio ya ambiguo obscuratur.

Veteres certam responsionẽ vrgebant.

Interrogationes ambiguę nunquã citra distinctionẽ admittendæ.

cedat captio. [s] At verò quoniam qui non distinxit ambiguitatem, efficit vt ad extremum auditoribus dubium sit, an sit conuictus, an non: [t] cùm præsertim concessum sit, in medio cursu argumentationis multiplex distinguere, si quod subsit: [u] hinc profectò planum est, culpa eum non carere, qui multiplicem interrogationem simpliciter & citra vllam distinctionem admittit. Hinc enim efficitur, si minus ipse reprehensus sit, at certè vt illius oratio pro conuicta & refutata habeatur. [x] Fit autem plerunque, vt qui ambiguitatem perspiciunt, eam tamen distinguere propterea minus curent, quòd frequenter huius generis interrogationes ab aduersario proponantur: [y] ne scilicet videantur se ad omnia molestos & iniquos aduersario præbere: aut certè, quia non existimãt ex eo posse captionem vim vllam accipere. [z] Sæpe autem ad extremũ nescio quid præter illorum opinionem occurrit. Itaque quoniam ita licet, nunquam tardi aut negligentes esse debemus in distinguendo: quemadmodum paulò antè diximus. [a] Quòd si quæ multæ sunt interrogationes, non quasi vna acciperentur, nunquam fallax & captiosa ratiocinatio ex homonymia aut amphibolia nasceretur: sed aut vera semper, aut nulla omnino fieret reprehensio. Quid enim interest, sub duobus nominibus diuersis hoc modo interroges, sunt ne Callias & Themistocles musici, an sub vno nomine rebus diuersis communi? Nam si plura verbum significet, qui illud interrogabit, [b] plura interroget, non vnum, necesse est. [c] Sic igitur haud rectè is facit, qui ad duas interrogationes vnam poscit, simplicemque responsionem: dubium profectò esse non potest, quin ad ambiguam interrogationem nunquam oporteat simplicem dare responsionem: [d] ne si vera quidem sit in omnibus significatis interrogatio, quemadmodum aliqui existimant. [e] Illud enim idem valet, ac si interrogaretur, vtrum domi sint, an nõ sint, Callias & Coriscus? qui siue ambo sint domi, siue non sint, non minus fiunt vtroque modo plures propositiones. Neque enim par est vnam propterea fieri interrogationem, quòd vtrumq; verum sit: [f] quandoquidem vsuuenire possit, vt vel sexcentas huius generis interrogationes coniungas, ad quas omnes verum sit dicere etiam, aut non: veruntamen non est ad illas omnes vna danda responsio, [g] quippe cùm id aliud nihil sit quàm disputationis leges tollere, & omnem differendi rationem euertere. [h] Atqui istæ multæ interrogationes perinde sunt, ac si multis reb. diuersis vnum nomen esset impositũ. [i] Vt igitur ad duas interrogationes nõ est danda vna responsio: ita ad interroga-

Sic neque multis interrogationib. simpliciter respondẽdũ.

terrogatum ambiguum nunquam est simpliciter dicēdum, aut etiã, aut non. nam qui secùs fecerit, [k] is dixerit quidem aliquid, at certè non respōderit. In disputationibus tamen quodãmodò id probari solet, quia quid inde sequatur incertum sit. [l] Quemadmodum igitur (quod etiam nos paulo antè diximus) reprehēsiones quædam videntur quæ nõ sunt: ita solutiònes nonnullæ erunt, quæ in speciē modò, nõ etiam veræ solutiones erunt: [m] quas scilicet diximus interdum potiùs adhibendas esse quàm veras, in disputatione contentiosa, & cùm occurrere volumus interrogatis multiplicibus. [n] Porrò autem in respondendo adhibenda nobis est hæc cautio, vt ad ea quæ vera nobis esse videbũtur, dicamus. Esto. sic enim fiet, vt minimè nos conuincere alius videatur. Quòd si cogere nos velit admirabile aliquid dicere, tum maximè vti debemus verbo, vt deri. Hac enim ratione fiet, vt nec reprehensio, nec admirabilis cõclusio confecta esse videatur. [o] Iam verò cùm perspicuum illud sit, quomodo fiat petitio principij: tum omnes ita existimant, respondenti negandum esse quicquid proximè ad id accedit, de quo quæritur: nec vllam ex eo genere interrogationem esse admittendam, quasi illo modo id ipsum, de quo instituta est disputatio, petatur. [p] Cùm verò tale aliquid sibi concedi postulat alius, quod incredibile quidem aut falsum sit, ex re tamen proposita consequatur: tum idem illud esse cum eo de quo agitur dicendum est. [q] Nam quę necessariò ex re proposita consequuntur, pro ipso proposito sunt habenda. [r] Prętereà quando genus vniuersum sub nomine proprio non est sumptum ab aduersario, sed sub similitudine, dicēdum est, non rectè eum accipere, quando non ita sumit, quemadmodum concessum est, nec quo modo interrogando sumebatur. Hinc enim plerunque nascitur reprehensio. [s] Quòd si inde exclusus, illis cautionibus vti non possis, proximum est vt recurras ad id, vt non rectè rem demõstrasse aduersarium contendas. In quo vtendum est tibi definitione reprehensionis, quam posuimus, vt eam argumentis aduersarij opponas. [t] Ac si proprijs quidem nominibus & apertè interrogauerit, necesse est, vt aut simpliciter respondeas, aut adhibita distinctione. Quæ verò suppressis quibusdam verbis breuiter admittimus, qualia sunt quę nõ apertè, [u] sed trũcatim & imperfecta locutione interrogantur, ea maximè dant reprehensioni occasionem: exempli gratia, Nónne quod est Athenienſium, id est eorum possessio? certè. nec dissimilis est in alijs ratio. At enim nónne τῶν ζώων homo esse dicitur? certè. Est igitur homo animaliũ possessio.

Probabiles solutiones, quib. aduersarij reprehensionē eludamus.

Trũcatim interrogare captiosum.

Sanè hominem dicimus esse τῶν ζώων, [x] quia sit animal: & Lysandrum τῶν λακώνων, quia Lacedæmonius sit. Planum igitur est, non oportere, vbi obscurum est & inuolutum quod ab aduersario proponitur, simpliciter rem concedere. [y] Quando verò sic sunt affecta duo inter se, vt vno posito alterum esse necesse sit, nec contrà, si hoc sit, illud esse oportet: videndum est ei qui respõdet, vt cùm rogabitur, vtrum eorum esse putet, illud potiùs ponat quod minus latè patet. [z] nam ex multis singulis difficilius est aliquid tandem necessariò cõcludere. [a] Quòd si ad aliquid probandum ex eo ducat argumentum, quòd huic nil sit contrarium, illi aliquid aduersetur: & si hoc verum dicat, nos tamen contrà aliquid illi esse contrarium dicere debemus, sed nullum esse illi nomen impositum. [b] Sunt autem ex ijs quæ vulgò feruntur quædam, quæ si non concedas, falsum dicere videbere: alia verò, quæ vt non admittas, falli tamen te nemo putabit. [c] cuius generis sunt dubiæ & in vtramque partem probabiles sententiæ. Nam sit mortalis an immortalis animantium anima, non est apud vulgus constitutum. [d] In quibus igitur manifestum non est, vtrum potiùs asserendum sit eorum quæ alius interrogat: cuiusmodi sunt quæ sententiæ appellantur ([e] nam & veræ de singulis rebus opiniones, & vniuersæ negationes, vt diameter non est cõparabilis cum latere, sententiarum nomine appellari solent) [f] & prætereà in quib. vera ex æquo pars vtraq; esse videtur: in illis inquam vtriusque generis interrogationibus, si respondendo ad vsum nostrum verba interrogationum cõmutauerimus in alia, commẽtum nostrum minimè apparebit. [g] Nam quia incertum est, vtrum verum sit, sophisticè nil agere videbimur: & quia vtramque in partem ex æquo probabile est, falli nos nemo existimabit: at interim illa nostra verborum commutatio efficiet, vt reprehendere nos nullo modo possit aduersarius. [h] Iam verò vt singulas tu interrogationes præsenseris, ita illæ tibi sunt anteuertẽdæ, & multò antè oratione refutandæ. Ista enim ratione aduersarium tuum maximè impedies, ne ad extremum quod vult efficiat.

Sentẽtiæ, ꝓbabiles opiniones

IN CAPVT DVODECIMVM,

ANNOTATIONES.

Solutio duplex.

a Ac primùm quidem, sicut.) *De usu hactenus præfatus, nunc rem aggreditur, docens solutionem, argumentorũ instar, aliam ueram esse, aliam probabilem: Quarum ea quæ probabilis est, pro re nata, melius sit interim, quàm recta, uti.* πρῶτον μὲν οὖν, inquit, ὥσπερ συλλογίζεσθαι φαμὲν ἐνδόξως ποτὲ ἢ μᾶλλον, ἀληθῶς προαρεῖσθαι

ρεῖσθαι δεῖν, οὕτως καὶ λυτέον πρὸς ἔνια πρὸς τὸ μᾶλλον, καὶ οὐκ ἀληθῆ. *Quod uerò ait, præstare interim probabiles rationes pro ueris in disserendo assumere, id intelligendum est, cùm aut ueræ rationes præ se obscuritatem præferunt, aut cùm de re minus stabili & fixa disputatur, quæ tam exactam firmamq; probationem non desideret. Sunt enim argumenta quæstionibus accommodanda, ut Aristoteles lib. 1. de Ratiocinat. cap. 15. docet, & ante hunc Plato in Timæo, cuius uerba Interprete Cicerone, si placet, require lib. 1. de Ratiocinat. cap. 1. Quòd si res postulet, & falsæ rationes pro ueris, modò ueri aliquam similitudinem præferant, in disceptando adhiberi possunt, de quo uide Aristotelem lib. 8. Topicorum, cap. 4.*

Rationes & probabiles, & falsæ interim assumuntur.

b Contentiosis enim cum hominib.) *Ostendit, quando locus prædictæ solutioni non ueræ suppetat: nempe tum, cùm res nobis cum Sophistis & litigiosis hominib. est, qui non tam uerè nos coarguunt, quàm id studeant, ut coarguisse uideantur.* ὅλως γὰρ πρὸς τοὺς ἐριστικοὺς μαχητέον, inquit, οὐχ ὡς ἐλέγχοντας, ἀλλ' ὡς φαινομένους ἐλέγχειν. *Cum uerè coarguimur, uult ueram solutionem adhiberi: cùm in speciem, nõ uerè, probabilem & apparentem.*

Quando simulatæ solutioni fit locus.

c Non debet profectò alió.) Græcè est, ὥσπερ πρὸς δ' μὴ δοκεῖν διορθωτέον.

d Etenim si reprehensio est.) *Docet non uerè nos coargui, quoties ambiguis & homonymis contra nos aduersarius utitur, ideoq; nec illa tam accuratè distinguenda esse. Reprehensio uera, legitimo syllogismo constat. Talis autem syllogismus, cùm medium uerbum adhibetur ambiguum, confici non potest. Ergo.* εἰ γάρ ὅτιμ ὁ ἔλεγχος, inquit, ἀνατίφασις μὴ ὁμώνυμόν τινων, οὐδὲν δεῖ διαιρεῖσθαι πρὸς τὰ ἀμφίβολα καὶ τῶν ὁμωνυμίαν. οὐ γὰρ ποιεῖ συλλογισμόν.

Ambiguitas reprehensionē, vt syllogismū, impedit.

e Sed hac tantùm ratione.) *Ad quid ergo distinctio adhibeatur, docet, nempe ad id, ut ne imperitis coarguti esse uideamur.* ἀλλ' οὐδενὸς ἕνεκα χάριν προδιαιρετέον, ἀλλ' ἵνα μὴ δόξωμεν συμπερασμάτων τοιαῦτα πράγματα λαμβάνειν. ὅτι δ' οὐκ ἔλεγχθῆναι, ἀλλὰ δόξαι δοκεῖ ἐνίοις ἀφανίζειν. ἐὰν δ' ἐλεγχόμενον μὴ μὴ ἐλεγχόμενον ἀεὶ λέγῃ ποιεῖ.

Distinctio cur adhibeatur.

f Quandoquidem interrogatio.) *Nota hìc ambiguitatē tenebras orationi offundere, ut à falsis uera non satis internosci possint.* τόγε ἐρωτᾶν, inquit, ἀμφίβολα τὰ πρὸς τῶν ὁμωνυμίαν, ὅσαι τε ἄλλαι τοιαῦται πράγματα ἐστὶν ἀληθινὸν ἔλεγχον ἀφανίζει. ἐὰν δ' ἐλεγχόμενον μὴ μὴ ἐλεγχόμενον ἀεὶ λέγῃ ποιεῖ.

Ambiguitas rē obscurat.

g Quia enim hìc licet.) *Attendē, quemadmodum & re confecta aduersario in litigioso syllogismo occurratur. Nõ licet in ueris syllogismis id, ut re iam conclusa, argumentationi resistas. Quod ad extremum facta conclusione, interpresait,* Græcè est, ὧν ληπτέον συμπερασμένων.

Et conclusa re quomodo aduersario occurrēdū

h Etiam si quàm maximè fieri potuit.) Græcè est, εἰ καὶ μάλιστα ἔτυχεν ἐπὶ ταὐτὸν φέρων.

i Quòd si adhibita antè.) *Quod supra capite sexto dixit, non necessariò fieri, neq; usq; adeò commodè posse, ut is qui rogat, multiplicem orationem distinguat: idipsum si fiat, ueræ reprehensioni locum daturum esse ostendit. Cùm enim ad istum modũ in hanc illámue partem certò respondere aduersarium oporteat, fieri non potest, quin suapte responsione is uerè tandem illaqueetur, & circumueniatur.*

Prædistincta ambiguitate, reprehẽsioni locus.

k Exigi sedulò solebat.) *Nimirum à Sophistis & contentiosis hominibus. Græcè enim est, ὅτ' ἐπιχεῖσθαι νῦν μᾶλλον ἦν, πρότερον δὲ μᾶλλον διὰ ἐριστικοί, διὰ ταῦτ' ἦν. Meminit huius Sophistarum instituti A. Gellius, lib. 16. cap. 2. quo in loco sic scribit: Legem esse aiunt disciplinæ Dialecticæ, si de quapiã re quæratur disputeturq;, atq; ibi quod rogere ut respõdeas: tum ne amplius quid dicas, quàm id solum quod es rogatus, aut aias, aut neges. & cæt.*

Lex disciplinæ Dialecticæ.

l At his temporibus propter.) *Sic Gellius loco iam indicato: Hoc quidem quod dicunt, in plerisq; disputationibus procul dubio fieri oportet. Indefinitus namq; inexplicabilisq; sermo fiet, nisi interrogationibus responsionibusq; simplicibus fuerit determinatus. Sed enim esse quædam uidentur, in quibus si breuiter, & ad id quod rogatus fueris respondeas, capiare. & cæt. Græcè est, νῦν δὲ διὰ μὴ καλῶς ἐρωτᾶν τοὺς πυνθανομένους ἀνάγκη προσαποκρίνεσθαί τι διορθοῦντα τὴν μοχθηρίαν τῆς ἐρωτήσεως.*

Non semp respõdere breuiter potest.

m Porrò autem si quis veram.) *Docet τὴν καθ' ὁμωνυμίαν reprehensionem non esse ueram, quòd ad eum modum nunquam ne sciens quidem aduersarius elenchũ effugere possit, ut exemplo τοῦ ἐπὶ τῶν ὁρατῶν demonstrat.*

n Cùm præsertim in ijs etiam.) *In quibus alioqui fraus minus extimescenda uidebatur. Loquitur de rebus singulis & affectabilibus, ut si dicas Coriscum nouũ & notũ esse, & non notum: & musicum & nõ musicum: si hîc diuersos esse Coriscos, illic eundem, sed non eodem modo affectum intelligas. Vt enim conspicuum uerbi gratia, Coriscum nouerimus, non conspicuum, sed latentem & opertum aliquo certè modo ignorare possumus. Quo modo quod ad nomen attinet, idem & affirmamus & negamus.*

Captio ἐπὶ τῶν ἑρατῶν, explicatur.

o Nam quod ijs captionib.) *Reprehendit Veterum distinctionem, qui per articuli adiectionem superiori difficultati occurrebant. Sequens locus paulo uolutior esse uidetur, ὡς γὰρ διορθοῦνταί, inquit, τινες, οὐδὲν ὄφελος.*

Veterum distinctio

p Non adiecto articulo.) *Græcè ὁ μὴ κορίσκον est: cùm adijcitur articulus, τοῦτον ὁ μὴ κορίσκον dicitur.*

q At non idem fortasse.) *Correctio dicti.*

r Quòd si quis vim.) *Græcè est, εἰ δὲ τῷ μὲν, ἁπλῶς λέγειν ἀποδώσει, τῷ δὲ προσθήσει τινὰ ἢ τόνδε, ἄτοπον. οὐδὲν μᾶλλον θατέρῳ. ὁ πότερον γὰρ οὐδὲν διαφέρει.*

s At verò quoniam qui.) *Vult ambigua semper in orãtione distinguenda esse, ne si distin-*

si distinctionem prætermittas, aliquo modo reprehẽsionem incidisse uidearis. Neq; enim id constat, sis ne reprehensus, nec ne, quum simpliciter ambiguam rogationem admittis, ut his uerbis Aristoteles testatur: οὐ μὴν ἀλλ' ἐπειδὴ ἄδηλος μέν ἐστιν ὁ μὴ διορισάμενος τὴν ἀμφιβολίαν πότερον ἐλήλεγκται, ἢ οὐκ ἐλήλεγκται *& cæt.*

Ambigua semper distinguẽda.

t Cùm præsertim concessum.) *Græcè est,* δέδοται γὰρ ἐν τοῖς λόγοις τὸ διελεῖν. *Sic & paulo infrà,* ὥστε ἐπεὶ δέδοται διαιρεῖν, ἐκ ὀκνητέον, καθάπερ ἐλέχθη πρότερον.

u Hinc profectò planum est.) φανερὸν ὅτι τὸ μὴ διορίσαντα δοῦναι τὴν ἐρώτησιν, ἀλλὰ ἁπλῶς, ἁμάρτημά ἐστι.

x Fit autem plerunque.) *Ostendit, tametsi & odiosum interim sit, & quandoq; minus necessarium uideatur, tam diligẽter semper in ambiguorum distinctionẽ incumbere: minimè tamen idipsum prætermittendum esse, propterea quòd eo neglecto præter expectationem persæpe incommoda eueniant.* προκατάληψις *obiectionis uidetur, Et ingratum id est, & minus interim necessarium apparet.* συμβαίνει μέντοι (inquit) πολλάκις ὁρῶντας τὴν ἀμφιβολίαν ὀκνεῖν διαιρεῖσθαι διὰ τὴν πυκνότητα τῶν τὰ τοι αὐτὰ προτεινόντων, ὅπως μὴ πρὸς ἅπαν δοκῶσι δυσκολαίνειν. *& cæt. Meminimus huius loci lib. 8. Topicor. cap. 3.*

Etsi minus gratum, tamen semp distinguẽdum est.

y Ne scilicet videantur ad omni.) *Sic author ad Herennium lib. 2. Omnes enim illi amphibologias aucupantur, eas etiam quæ ex altera parte sententiam nullam possunt interpretari. Itaq; & alieni sermonis molesti interpellatores, et scripti tũ odiosi, tũ obscuri interpretes sunt, & dum cautè & expeditè loqui uolũt, infantißimi reperiuntur, &c.*

Alieni sermonis molesti interpellatores.

z Sępe autem ad extremum.) πολλάκις δὲ ἀπήντησε, *inquit,* πράδοξον. *Hæc ratio est, quare etsi molestiores alieni sermõis interpellatores futuri esse uideamur, nihilo minus tamẽ, quoties licet, incõmodi subterfugiẽdi causa,* τὸ ἀμφίβολον *distinguamus.*

a Quòd si quæ multæ sunt.) *A simili docet. Vt ad multas rogationes per distinctionem respondetur, non uno modo: ita ad ambigua non simpliciter respondendum, sed per distinctionem, ut reprehensionem effugias.*

Simile.

b Plura interroget.) *Tot nimirum, quot uerbum multiplex significat.*

c Si igitur haud rectè.) *Hic similitudinem explicat.* εἰ οὖν μὴ ὀρθὸν, *inquit,* πρὸς δύο ἐρωτήσεις μίαν ἀπόκρισιν ἀξιοῦν λαμβαίνειν ἁπλῶς, φανερὸν ὅτι οὐδὲν προσήκει τῶν ὁμωνύμων ἀποκρίνεσθαι ἁπλῶς.

d Ne si vera quidem sit.) *Diligenter hoc nota. Ne si uerè quidem ad ambiguè rogata, simplex responsio dari poßit, ea danda est, ne si in una re idipsum succedat, in omnibus alijs id ualiturum existimemus. Quanto minus ergo promiscuè in omnibus ad ambiguè rogata simpliciter responderi debet? Græcè est,* οὐδ' εἰ κατὰ πάντων ἀληθὲς, ὥσπερ ἀξιοῦσί τινες.

Ne si verè quidẽ possis, simplex ad ambigua danda respõsio.

Illud

e Illud enim idem valet.) *Probationem sumit à pluribus rogationibus, (quibus τὰ ὁμώνυμα καὶ ἀμφίβολα respondent) quibus omnino simpliciter responderi non posse, hîc quasi pro comperto assumit.*

Ad plura rogata simul respõdere ridiculum.

f Quandoquidem vsuuenire.) *Ab incommodo idipsum probat. Si ad duas interrogationes simpliciter responderi posset, posset uel ad sexcentas, eandẽ ob causam. Verùm ad tam multas simul respondere ridiculum est. Ergo. Græcè est,* ἐγχωρεῖ γὰρ καὶ μυρία ἕτερα ἐρωτηθέντα ἐρωτήματα, ἅπαντα ναὶ ἢ οὐ ἀληθὲς εἶναι λέγειν: ἀλλ' ὅμως οὐκ ἀποκριτέον μιᾷ ἀποκρίσει.

g Quippe cùm id aliud nihil sit.) *Græcè est,* ἀναιρεῖται γὰρ τὸ διαλέγεσθαι.

h Atqui istæ multæ interrog.) *Hîc multas interrogationes ambiguis æquiparari sumit. Græcè est,* τοῦτο δ' ὅμοιον ὡς εἰ καὶ δ' αὐδ' ὄνομα τεθείη τοῖς ἑτέροις.

i Vt igitur ad duas inter.) *Concludit hunc locum de responsione ad ambiguè rogata danda.* εἰ οὖν μὴ δεῖ, *inquit,* πρὸς δύο ἐρωτήσεις μίαν ἀπόκρισιν διδόναι, φανερὸν ὅτι οὐδὲ ἐπὶ τῶν ὁμωνύμων δ' ναὶ, ἢ οὐ λεκτέον.

Dicere. Respondere.

k Is dixerit quidem aliquid.) *Hîc inter dicere aliquid, & respondere distinctionem facit. Nempe respondere, uult esse certi aliquid ad rogatum subijcere: Dicere, quomodocunq; ad rogatum respondere.*

Fucatæ vt reprehensiones, sic & solutiones.

l Quemadmodum igitur.) *De quo initio huius capitis meminit, esse nonnullas simulatas & fucatas sophisticarum captionum dissolutiones, & easdem interim ueris dissolutionibus præstare, hoc loco concludit. Quo modo fallaces quædam & ementitæ reprehensiones sint, de eo dictum est suprà, cap. 1. Græcè est,* ὥσπερ οὖν εἴπομεν, ἐπειδήπερ οὐδ' ἔλεγχοί τινες ὄντες δοκοῦσιν εἶναι, κατὰ δὴ αὐδὴ τρόπον τὰ λύσεις δοξοῦσιν εἶναι οὐκ οὖσαι λύσεις.

m Quas scilicet diximus.) ἃς δὴ, *inquit,* φαμὲν ἐνίοτε μᾶλλον δεῖν φέρειν ἢ τὰς ἀληθεῖς ἐν τοῖς ἀγωνιστικοῖς λόγοις, καὶ τῇ πρὸς τὸ διττὸν ἀπαντήσει. *Nota in quibus probabiles demum solutiones ueris anteponendæ sunt: nempe in rixosis & sophisticis argutationibus.*

Dicendũ, esto, aut ita sibi videri.

n Porrò autem in respondendo.) *Præfatus hactenus de probabili & fucata solutione, quam in contentiosis disputationib. adhiberi uoluit: nunc deinceps modos quosdam illius subijcit: estq; primus modus, ut in ijs, quæ probabilia uideantur, (in quib. fraudem metuas) non constanter & absolutè, sed quasi hæsitanter dubieq; respondeas, dicendo ita tibi uideri, uel, esto, aut quid simile. Quanquam hæc responsio non tam soluendæ captionis modus ullus est, quantumuis apparens & fictus: sed ratio tantum quædam est impediendi & prohibendi, ne ulla ex nostra responsione captio à Sophista construatur.* ἀποκριτέον δὲ, *inquit,* ἐπὶ μὲν τῶν δοκούντων, δ' ἔσω λέγοντα, καὶ γὰρ οὕτως ἥκιστα γένοιτ' ἂν παρεξέλεγχος. ἂν δέ τι παράδοξον ἀναγκάζηται λέγειν, ἐνταῦθα

μάλιστα

μάλιστα προσθετέον τὸ δοκεῖν. οὕτω γὰρ οὔτε ἔλεγχος, οὔτε πρᾶδοξον ἂν γίνεσθαι δόξειεν. *Aristoteles duos separatos locos his uerbis complecti uidetur, sed nil obstat in unum locum propter affinitatem contrahere, ut nos fecimus. Nota hoc loco, Sophistarum reprehensionem ἐν παρεξέλεγχον Aristoteli dici, quo uerbo aliquoties & in sequentibus locis utitur.* Duo loci coniuncti. παρεξέλεγχος.

• Iam verò cùm persp.) *Hic modus locum habet in generali principij petitione, uultq; cùm aliquid propinquum rei probandæ ab aduersario sumitur, idipsum statim negari, non admitti, idq; communi Veterum omnium sententia & iudicio. Namq; ait,* ὅιον ται δὲ πάντες ἂν ᾖ σύνεγγυς, ἀναιρετέον, καὶ μὴ συγχωρητέον εἶναι ἔνια ὡς τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτοῦντος. *De generali ista principij petitione uide Aristotelem partim lib. 8. Topicor. cap. 5. partim lib. 2. de Ratiocinat. cap. 7.* Locus in principij petitione generali.

p Cùm verò tale aliquid.) *Cùm falsa aut inopinata sententia, quæ ex re proposita sit consequens, admitti postulatur, occurrendum est postulationi, tanquã principij petitioni affini:* ὅταν δὲ τοιοῦτον, *inquit,* ἀξιοῖ τις, ὃ ἀναγκαῖον μὲν συμβαίνει ἐκ τῆς θέσεως, ᾖ δὲ ψεῦδος ἢ ἄδοξον, τὰ δὲ λεκτέον. *Verba nonnullam obscuritatem præferunt. Alexander paulo aliter, atq; noster Interpres, locum exposuit.* Locus obscurior.

q Nam quæ necessariò ex.) *Græcè est,* τὰ γὰρ ἐξ ἀνάγκης συμβαίνοντα τῆς αὐτῆς εἶναι θέσεως δοκεῖ. *Alexander* τὰ ἐξ ἀνάγκης συμβαίνοντα, *conclusiones intelligit:* τὰς θέσεις, *propositiones: uultq; his uerbis significari idem, quod lib. 1. de Ratiocinatione, cap. 15. his uerbis Aristoteles ait:* ὅμοιον γὰρ ἑκάστου τὸ συμπέρασμα ταῖς ἀρχαῖς. *Nam quales sunt propositiones, inquit, tales etiam sunt conclusiones. Quare si quidem inopinata conclusio erit, dicendum quòd etiam propositiones sint inopinabiles.* τὰ ἐξ ἀνάγκης συμβαίνοντα. αὐ θέσεις.

r Præterea quando genus vni.) *De hoc suprà meminit, cap. 10.* ἔτι ὅταν, *inquit,* τὸ καθόλου μὴ ὀνόματι ληφθῇ, ἀλλὰ πραβολῇ λεκτέον, ὅτι οὐχ ὡς ἐδόθη, οὐδ' ὡς προὔτεινε λαμβάνει.

s Quòd si inde exclusus.) *Græcè est,* ἐξειργόμενον δὲ τούτων ἐπὶ τὸ μὴ καλῶς δεδεῖχθαι, πορευτέον, ἀπαντῶντα κατὰ τὸν εἰρημένον διορισμόν. *Vide, ut nihil prætermittendum ducat, quò Sophistæ importunitati obuietur.*

t Ac si proprijs quidem nominib.) *Hoc loco apertas & absolutas interrogationes cum obscuris, perplexis, atq; mutilatis comparat, docens in illis simpliciter ac planè respondendum esse: in his non item.* ἐν μὲν οὖν τοῖς κυρίως λεγομένοις ὀνόμασιν, ἀνάγκη ἀποκρίνεσθαι ἢ ἁπλῶς, ἢ διαιρούμενον. ἃ δὲ συνυπονοῦντες τίθεμεν, ὅιον ὅσα μὴ σαφῶς, ἀλλὰ κολοβῶς ἐρωτᾶται, πρὰ τοῦτο συμβαίνει ὁ συλλογισμός. *Et paulo infrà:* δῆλον οὖν ὡς ἐν οἷς ἀσαφὲς τὸ προτεινόμενον, οὐ συγχωρητέον ἁπλῶς. *In hunc locum uide nonnulla lib. 8. Topicor. cap. 3.* Absolutæ interrogationes à mutilatis vt distent

u Sed truncatim & imperfecta.) *Eiusmodi multa & nostra, & patrum memoria ab*

ria ab hæreticis in Scripturarum interpretatione committi ignorare nõ debemus. Quod reprehensionem præsenti loco Interpres uertit, græcè ὁ συλλογισμός dicitur.

x Quia animal sit.) *Id est, quia animalium sit unum, non uerò quia animalium sit possessio, siue ab animalibus possideatur. De Lysandro Lacedæmoniorum principe, præter Plutarchum, uide & Aemilium Probum in Vitis.*

Lysander.

y Quando verò sic sunt affecta.) *Alludit ad ea, quæ superiùs de fallacia consequentium dicta sunt: uultq; si plura interrogentur, quorum alia cõmuniora sint, alia specialiora, specialia communibus negatis concedenda esse, eo quòd ista minus ad concludendum aduersario profutura sint.* ὅταν δὲ δυοῖν ὄντοιν, θατέρου μὲν ὄντος ἐξ ἀνάγκης θάτερον εἶναι δοκῇ, θατέρου δὲ τοῦτο μὴ ἐξ ἀνάγκης, ἐρωτώμενον πρότερον δεῖ δ' ἔλαττον διδόναι. δ' ἔλαττον, *minus communia, & specialiora intelligit.*

Specialia præ cõmunibus concedenda.

z Nam ex multis singulis.) *Græcè est,* χαλεπώτερον γὰρ συλλογίσασθαι ἐκ πλειόνων. *Vbi* τὰ πλείονα, *seu* τὰ πλείω, *id est, plura, singularia dicit, ꝓpterea quòd rebus singulis longè plura, quàm uniuersis conuenire & inesse reipsa uideantur. Cùm enim animali insit, substantia, corpus, animatum, sentiens: homini, & post hunc seu Socrati, seu Platoni, plura insunt, nempe rationis compos, ridens, philosophum esse, & cæt. Atque sic Alexander.*

τὰ πλείω, specialia.

a Quod si ad aliquid probandum.) *Vt harmoniam non esse genus animi, eo quòd harmoniæ sit aliquid contrarium, animo uerò non sit, ut inquit Alexander. Alludit ad ea, quæ lib. 4. Topicor. cap. 3. tradidit, quoties generi aliquid contrarium est, & speciei contrarium aliquid fore.*

An animꝰ harmonia.

b Sunt autem ex ijs quæ vulgò.) *Ostendit, quid faciendum, quum dubiæ & in utramq; partem ancipites sententiæ proferuntur, ut ne reprehensionem incurras. Græcè oratio planè elliptica est. Alexander subaudiendum putat, quoties ambiguæ istæ sententiæ afferuntur, non simpliciter respondendum esse.*

Oratio elliptica.

c Cuius generis sunt.) *Græcè est,* οἷον ὅσα ἀμφιδοξοῦσι. *Cuius generis exemplum ponit, sit ne anima mortalis an immortalis. Etsi de brutorum anima, utrum sit ea mortalis nec ne, non adeò magna quæstio fuit, de hominis certè animo plurimæ, eæq; diuersæ ac dissentientes Veterum opiniones fuerunt. De hoc nonnihil uide lib. 2. Topicor. cap. 2.*

Quæstio de animi mortalitate.

d In quibus igitur manifestum.) *Hîc ellipsin orationis Alexãder notat. Græcè est,* ἐν οἷς οὖν δῆλον ποτέρως εἰώθε λέγεσθαι δ' προτεινόμενον, πότερον ὡς αἱ γνῶμαι, *& cæt.*

e Nam & veræ de singulis.) *Hoc loco* καταχρηστικῶς *sententiæ,* καὶ γνώμης, *uoce abutitur. Nam cùm propriè sententia sit, oratio sumpta de uita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in uita breuiter ostendit, ut Cicero lib. 4. Rhetoric. definit: hîc generatim.*

Sententia propriè quid.

ratim quæuis sententiæ, atq; opiniones probabiles de re quacunq; ita uocentur, siue uitam attingant, easq; res quæ in uita seu expetendæ, seu fugiendæ sunt, siue non attingant. καλοῦσι γὰρ γνώμας, inquit, καὶ τὰς ἀληθεῖς δόξας, καὶ τὰς ὅλας ἀποφάσεις, ὡς ἡ διάμετρος ἀσύμμετρος. In hunc locum de duplici notione uerbi sententiæ, uide Fabium lib. 8. cap. 5. Sententiam ueteres, ait, quod animo sensissent, uocauerunt. Id cùm est apud Oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet. & cæt. Propriè τὸ γνώμην, hoc est, Sententiam Aristoteles describit lib. 2. Rhetoric. in hæc uerba: ἔστι δὲ γνώμη, ἀπόφανσις μὲν οὐ μέντοι περὶ τῶν καθέκαστον, ἀλλὰ καθόλου, οὐτε ἐπὶ πάντων καθόλου, ἀλλὰ περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσί. & cæt. γνώμη.

Hic improprie sumit

f Ét præterea in quib.) Græcè est, ἔτι οὖ τἀληθὲς ἀμφισβήτησις μάλιστα.

g Nam quia incertum est.) Ostendit prædicta uerborum cõmutatione, seu trãslatione, quia aliquo modo res ipsa inuoluatur, reprehẽsionis suspicionem declinari. διὰ μὲν γὰρ τὸ ἄδηλον εἶναι ποτέρως ἔχει τὸ ἀληθὲς, οὐ δόξει σοφίζεσθαι, διὰ δὲ τὸ ἀμφίδοξον, οὐ δόξει ψεύδεσθαι. ἡ δὲ μεταφορὰ ποιήσει τὸν λόγον ἀνεξέλεγκτον. De metaphorarum seu translationum usu in differendo, uide Aristotelem lib. 6. cap. 1. πᾶν γὰρ ἀσαφὲς, inquit, τὸ κατὰ μεταφορὰν λεγόμενον.

Trãslatio rem quodã modo inuoluit.

h Iam verò vt singulas.) Postrema monitio, ut ea quæ aduersum te factura præuideris, in tempore ὡσατικῶς refutes. ἔτι ὅσα ἄν τις προαιθάνηται τῶν ἐρωτημάτων, προενισατέον, καὶ προαγορευτέον. οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα ἂν πυνθανόμενον κωλύσειεν. In hunc locum uide lib. 8. Topicor. cap. 4.

DE VERA SOLVTIONE QVINQVE PRIORVM GENERVM, QVAE IN VERBIS CAPTIONEM struunt. Cap. 13.

CAP. 3.

QVoniam [a] autem illa est vera solutio, falsitatem syllogismi indicare, docendo ex qua potissimùm interrogatione pendeat falsa conclusio: [b] fallaces autẽ syllogismi duobus modis dicuntur: vno, si falsum aliquid conclusum est: altero, si necessaria consecutio esse videatur, reuera autem syllogismus nõ sit: hinc sanè perspicuum est, præter illam quã modò dixi solutionem, esse etiam alteram, [c] quæ propriè accommodata est ad eos qui speciem syllogismorum præ se ferunt, cùm reuera nil necessariò concludant: quæ solutio est interrogationum correctio, ad docẽdum cur ex ijs non sequatur, sed modò videatur sequi. [d] Vnde illud efficitur, captiones, quarum non est vitiosus concludendi modus, soluẽdas esse negando: in quib. vitiosa est conclusio, in ijs distinctionem esse adhibendam. Rursus inter eas rationes, quarum est necessaria conclusio, aliæ sunt, quæ veram, aliæ quæ falsam habent complexionem. [e] Atque illæ

Vera solutio, eaq; duplex.

quidem, quibus falsa est conclusio, dupliciter dissolui possunt, refutando scilicet, ac negando vnam aut alteram sumptionum: & indicando talem, hoc est, falsam esse conclusionem. [f] Quę verò propositiones modò falsas habent, non etiam conclusionem, hac tantùm ratione dissoluentur, si quam sumptionũ falsam esse cõspicies, eam respuas, quippe cùm vera sit conclusio. [g] Itaq; argumenta qui volet rectè dissoluere, *hoc primùm spectabit*, habeánt ne vim concludendi necessariam, *an minus ne* cessariam: tum deinde, vtrum vera an falsa sit complexio: *idque eò faciet*, vt ea dissoluat vel distinguendo, vel negando: & negãdo quidem aut hoc, aut illo quo paulò antè diximus, modo. [h] Multum autem interest, vtrum dissoluatur argumentum, cùm tibi ab alio obijciatur: an cùm per se, nulloq; interrogãte, vis illius exquiritur. Nam statim & in promptu occurrere captioni difficile est: per otium autem & cùm datur tibi cogitandi spacium, facile. [i] Reprehensionum quæ aut ex verbi *multiplicitate*, aut ex orationis ambiguitate ducuntur, duo sunt genera. Vnum, earum quę in altera sumptionum eam habent ambiguitatem, vnde oritur captio. alterum, earum quibus in conclusione inest multiplicitas. Exempli causa, captio qua σιγῶντα proloqui concluditur, ambiguam habet cõclusionem: illa autem, qua efficitur, [k] eum qui sciat, nescire tamen, quæ est huiusmodi: Quod quisq; scit dicere aut facere, *id ipsum ille scit, atq;* intelligit: atqui iste scit dicere, hoc est, recitare, carmina iambica: iste igitur intelligit scitq; iambica: illa inquam captio habet in altera sumptionum ambiguitatem. [l] Ac duplex quidem verbum in ijs captionibus interdum inest reuera ac per se: interdum verò non est reuera duplex, sed ipsa modò oratio est, quæ dupliciter accipi potest, & partim vera, partim falsa est. [m] In quibus igitur est in conclusione multiplicitas, in ijs nulla omnino est reprehensio, nisi iam antè qui interrogat, ab aduersario acceperit contradicentem eius quam concludit. veluti in ea captiõe, [n] qua cæcum videre concluditur, quid quæso, nisi contrarium huius dixerit respondens, concludi possit, quod ad reprehensionem valeat? Quæ verò ambiguas habent interrogationes, in ijs non necesse est ipsius multiplicis disparatum antè acceptum esse: [o] quandoquidem non ad multiplex efficiendum pertineat argumẽtatio, sed ex ipso multiplici ducitur. [p] Est igitur iam inde à principio multiplici aut nomini aut orationi ita occurrendum, vt partim id verum esse quod interrogatur, partim falsum respondeamus: veluti σιγῶντα proloqui, vno quidem modo sumptum, ve-

Quid primùm solnere cupienti spectandum.

Ex homonymia & amphibolia captiones bipartitæ.

Quo modo per ambigui distinctionẽ

rum

rum est, altero non verum. Itemq́; id faciendum esse quod facere oportet, vna significatione verũ est, altera falsum. Oportere enim multiplex est. Quòd si id nos à principio latuerit, hæc nobis ratio erit reliqua, vt ad extremum argumentationis, cõclusioni ab aduersario factæ præter simplicem responsionem aliquid addamus, quo vitiũ captionis indicemus. Verbi gratia, concludit aduersarius, Accidit igitur σιγῶντα proloqui: [q] tu cõtrà dicito, accidit verò τὰ σιγῶντα proloqui, sed τόνδε σιγῶντα nõ accidit. [r] Quod idem erit in ijs faciendum, quæ multiplicitatem habent in sumptionibus. exempli causa, cùm ad extremum concludetur: Non igitur intelligimus quod scimus: certè, respondebis: veruntamen nõ cõclusisti, [s] quæ nos hoc modo scimus, eo nos non intelligere. neque enim idem valet dicere, non intelligere omnino scientem, quod intelligere eum qui hoc modo scit. [t] Vtq́ue ego vnam quandam generalem rationẽ eludendi istas captiones subijciam, illud semper nos contendere debemus, etiam si reuera cõcluserit aduersarius, quod oportuit: illum tamen non eam rem, quam asserimus, sed verba modò refutasse. [u] Ex ijs verò quæ modò exposuimus, iam propemodum perspicuum est, quæ sit ratio soluendarum captionum, quæ ex coniunctione & distinctione ducuntur. Cùm enim aliud coniuncta, aliud distincta oratio significet, ad extremum quando vnum concludet aduersarius, contrarium tibi erit subijciendum. Sunt autem omnes istæ captiones ex compositione & distinctione: [x] Nunquid quo tu illum percussum vidisti, eo ille percussus est? & nunquid quo is percussus est, id ipsum tu vidisti? Atque istæ quidem captiones habent nescio quid ambiguitatis, sed tamen ad locum ex coniunctione referendæ sunt. [y] Neque enim duplex appellari potest, quod modò coniunctam, modò diuisam habet sententiã: quandoquidem oratio non maneat eadem, cùm distincta accipitur, quæ antè erat cõiuncta. [z] Nisi fortè dicamus ὄρος & ὅρος, cùm sic accentibus distincta proferũtur, adhuc retinere multiplicitatem: quæ tamen, quod attinet ad scripturam, sunt vnum idemq́; vocabulum, cùm & elementis eisdem, & eodem modo scribantur: [a] cæterùm notæ accentuum illic appositæ efficiunt, ne cùm pronunciantur, eadem sint. Quocirca multiplex oratio non erit, quæ modò coniunctim, modò diuisim accipi potest. [b] Vnde etiam planum est, non verum esse, quod aliqui voluerunt, omnes reprehensiones pertinere posse ad locum ex multiplici. [c] Est igitur ad soluendas istas captiones respondenti adhibenda distinctio, non idem scilicet valere si di-

eisdem occurrendũ.

Ex coniunctione, & distinctione captiones vt soluendæ.

Augustinus hîc δίπτον capi memineris.

cas, vidisse te oculis, percussum: ac si diceres vidisse te, oculis percussum. [d] Quod idem in captione Euthydemi faciendum, quæ est huiusmodi: Nunquid triremes, qui in Piræeo sunt, nunc scis, cùm in Sicilia sis? itẽq; in hac, [e] Putás ne malum sutorem bonum esse? atqui fieri potest, vt quis malus sit, & bonus sutor sit: quidam igitur malus sutor, bonus erit. Item in hac: Nonne quorum bonæ sunt scientiæ, ea sunt bona μαθήματα? malorum autem bonæ sunt scientiæ, mala igitur sunt bona μαθήματα: atqui mala & μαθήματα sunt, & sunt mala: [f] quare necesse est, vt sint mala μαθήματα. Et, putás ne verum esse dicere, modò te natum esse? tu igitur modò natus es. An aliud coniuncta, aliud distincta significat hæc oratio? Certè: verum enim est nunc, te natum esse: sed falsum est, te nũc natũ esse. Quæ tu facere potes, & vti potes, ea nonne tu & eo modo reddere effecta possis? [g] tu verò non pulsans citharam, pulsare illam potes: tu igitur hoc efficere poteris, vt non pulsans citharam pulses tamen. At enim quod posse se alius dicit, non sic accipiendũ est, quasi non pulsans possit pulsare: sed quasi possit, cùm desinet vnum facere, alterum statim effectum reddere. [h] Porrò autem aliter hanc captionem dissoluere aliqui conantur, dicentes, quãquam id concessum sit, posse me quomodo possum aliquid, eo modo illud effectum reddere, non tamen rectè concludi, posse me non pulsando citharam pulsare: quia non sit concessum, omni modo quo possum, sed incertè quomodo possum, ita me facturũ. [i] nunc autem certum est, idem non valere, quomodo possum, ita faciam: & quocunq; modo possum, illo omni modo faciam. [k] Verùm quàm illi malè soluant, hinc potest facilè intelligi, quòd cùm necesse sit omnes captiones ex eodem loco ductas vno eodemque modo dissolui, ista dissolutio non possit ad omnes huius generis accõmodari: quin etiam illo modo occurri non possit omnibus, qui eandem istam captionem alio quouis modo proponerent: [l] sed ad eum modò qui ita proponit hanc captionem, non etiam ad ipsam argumentationem, est accommodata hæc solutio. [m] Ab accentu captiones nullæ sunt, nec in scripto, nec in voce: aut certè admodum paucę sunt, qualis est ista: Nonne οὐ habitas, domus est? certè. at nõne illud, οὐ habitas, est negatio huius verbi habitas? dixisti autem, οὐ habitas domum esse: domus igitur negatio quædam est. Quæ captio quomodo sit dissoluenda, non est difficile videre. Non enim idem significat illud οὐ tono acuto prolatum οὔ, & circumflexo οὖ.

Veterũ solutionis reprehensio.

Ex accẽtu captiones vt soluantur.

IN

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM,

ANNOTATIONES.

a Quoniam autem illa est.) *Hactenus de apparenti ac uerisimili solutione: quæ non tam solutio uerè dici, quàm quasi impedimentum ac prohibitio futuræ conclusionis dici debet, quemadmodum in Topicis, lib. 8. cap. 4. eiusmodi Aristoteles appellat, cùm inquit:* ἁι δὲ λοιπαὶ, κωλύσεις τινὲς καὶ ἐμποδισμοὶ τῶν συμπερασμάτων. *Explicata uerò hac, seu impediendæ, seu dissoluendæ uerisimiliter Sophistarum argumentationis ratione ac uia, pergit nunc deinceps ueram ac rectam Sophisticarum captionum dissolutionem subijcere, quam in duo membra distribuit, prout uitia (quibus indicandis & aperiendis in aduersarij argumentatione illa adhibetur) duplicia sunt, sicut ipse in initio huius Capitis ostendit. Orditur uerò à rectæ ac legitimæ sophisticorum argumentorum dissolutionis finitione, ad hunc modum:* ἐπεὶ δέ ἐστιν ἡ μὲν ὀρθὴ λύσις, ἐμφάνισις ψευδοῦς συλλογισμοῦ, παρ' ὁποῖαν ἐρώτησιν συμβαίνει τὸ ψεῦδος, *& cæt.*

Solutio apparens, conclusionis impedimẽtum.

Vera solutio duplex.

b Fallaces autem syllogis.) *Fallacem,* τὸν ψευδῆ, *syllogismum in duo genera tribuit, ut hinc bipartita antegressa dissolutio esse uideatur. Quod ad istam fallacis syllogismi diuisionem attinet, de ea in superioribus aliquoties dictum est, uti cap. 5. & 7.*

ψευδὴς συλλογισμὸς duplex.

c Quæ propriè accommodata est.) *Græcè est,* καὶ ἡ τοῦ φαινομένου συλλογισμοῦ, παρά τι φαίνεται τῶν ἐρωτημάτων διόρθωσις.

d Vnde illud efficitur.) *Hîc nota, qui duo ueræ solutionis modi sint. Alter est, qui ad falsi negationem adhibetur: alter qui ad multiplicis distinctionem. Huc pertinet id, quod Rodolphus lib. 2. cap. 21. ait: Id est autem quod dici solet, omnem argumentationem solui, aut negando eo quod propositum est, aut multiplici distinguẽdo. Græcè Aristoteles ait:* ὥστε συμβαίνει τῶν λόγων τοὺς μὲν συλλελογισμένους ἀνελόντα, τοὺς δὲ φαινομένους διελόντα, λύειν.

Duo veræ solutionis modi.

e Atq; illæ quidem quibus.) *Distinguit falsas ratiocinationes in duo genera, quorum alterum est, quod ex propositionib. falsis ueram conclusionẽ colligit: alterum, quod ex falsis falsam. Hoc duplici ratione confutari potest, pro falsi geminatione: illud simplici tantum.* τοὺς μὲν κατὰ τὸ συμπέρασμα, *inquit,* ψευδεῖς, διχῶς ἐνδέχεται λύειν, καὶ γὰρ τοῦ ἀνελεῖν τι τῶν ἠρωτημένων, καὶ τοῦ δεῖξαι τὸ συμπέρασμα ἔχον οὕτως. τοὺς δὲ κατὰ τὰς προτάσεις, τοῦ ἀνελεῖν τὶ μόνον. τὸ γὰρ συμπέρασμα ἀληθές. *Quod autem* ἔχον οὕτως *hîc legitur, uide an* ἔχον οὐχ οὕτως *legendum est, quomodo uertit Boëtius.*

Fallacium ratiocinationum distinctio.

f Quæ autem propositiones.) *De istis uide lib. 2. de Ratiocinat. cap. 2.*

g Itaque argumenta qui.) *Quæ primùm in Sophistæ argumentatione attendenda indicat.* ὥστε τοῖς βουλομένοις, *ait,* λύειν λόγον, πρῶτον μὲν σκεπτέον εἰ συλλελόγισται ἢ ἀσυλλόγιστος: εἶτα πότερον ἀληθὲς τὸ συμπέρασμα, ἢ ψευδές, *& cæt.*

Quæ primũ spectãda in Sophistæ oratione.

In-

In hunc locum similia quædam uide lib. 8. Topicor. cap. 4.

Rem se in otio rem explicare facilius.

h Multum autem interest.) *Significat difficiliùs argumentationem explicari, lum cum altero tibi res est, quàm dum ipse per te eam exquiris. Quia dum hîc meditationi locus relinquitur: illic subitò & derepente res explicanda est.* διαφέρει δὲ πολλῶν, *Græcè est,* ἐρωτώμενόν τε καὶ μὴ λύειν λόγον. τὸ μὲν γὰρ πρὸς ἡμῶν χαλεπόν, τὸ δὲ κατὰ σχολὴν ἐν ἡμῖν ῥᾴδιον.

i Reprehensionum quæ aut.) *Quæ de multiplici ratione uerè dissolutionis hactenus disseruit, nunc porrò ad rem accommodat. Ac cùm primum de captionibus ijs disserat, quæ in uerbis cernuntur, ante omnia homonymiæ atq; amphiboliæ lococo meminit, docens quæ ex utroq; isto captionum genere oriuntur, duplicia esse, propterea quòd* δι' ἀμφοῖν, *hoc est, ambiguum, nunc in propositionibus inest, nunc in conclusione. Quæ duo quid inter se distent, paulo infrà demonstrabit.*

ἀμφοῖν in homonymia & amphibolia duplex.

m Eum qui sciat, nescire.) ἆρ' ἐπισάμενον μὴ σύνεπίσασθαι.

l Ac duplex quidem verb.) *Græcè est,* καὶ διπλοῦν ὅτε μέν ἐστι, ὅτε δὲ οὐκ ἔστι, ἀλλὰ σημαίνει τὸ διπλοῦν, τὸ μὲν ὄν, τὸ δὲ οὐκ ὄν.

m In quibus igitur est in.) *Hîc quid inter prædicta duo ambiguorum genera intersit, declarat. Cùm in conclusione ambiguum inest, reprehensio nõ fit, nisi sumpta iam antè contradictione: Cùm in propositionibus, non attinet antè contradictionem ponere.* ὅσοις μὲν οὖν, *inquit,* ὡς τέλει πλεοναχῶς, ἂν μὴ προσλάβῃ τῶν ἀντιφασιν, οὐ γίνεται ἔλεγχος. ὅσοις δὲ ὡς τοῖς ἐρωτήμασιν, οὐκ ἀνάγκη προαποφῆσαι τὸ διπλοῦν. *In hoc loco nota conclusionem,* τὸ τέλος *Aristoteli appellari, Capite decimo* τὸ τελευταῖον *dicebatur.*

Prædictorum generum distinctio.

τέλος.

n Quæ cæcum videre concluditur.) *Alexander ita explicat, Nónne est cæcum uidere? non. At cùm cæcũ uides, nónne cæcum uides? Vtiq;. Est ergo cæcũ uidere: Id quod est ambiguum. Vel enim, quia cæcus uidet, intelligi potest, uel quia uidens cæcum uidet.*

Cæcum videre, duplex.

o Quandoquidem non ad multiplex.) *Græcè est,* οὐ γὰρ πρὸς τοῦτο, ἀλλὰ διὰ τοῦτο ὁ λόγος.

p Est igitur iam inde à princip.) *Vult initio statim ambiguitatẽ, si animaduertas, distinguendo explicari. Alioqui si minus id præsentias, re iam conclusa id faciendum monet. Quanquam melius est initio idipsum fieri, uti lib. 8. Topicor. cap. 3. de eadem hac re agens Aristoteles declarat.* ἐν ἀρχῇ μὲν οὖν, *inquit,* τὸ διπλοῦν καὶ ὄνομα καὶ λόγον ὄντως ἀποκριτέον, ὅτι ἔστιν ὡς ναί, ἔστι δ' ὡς οὔ. ἐὰν δὲ λάθῃ, ἐπὶ τέλει προστιθέναι τῇ ἐρωτήσει διορθωτέον.

Ambiguitas initio optimè explicatur.

q Tu contrà dicito.) *Articulorum appositione per distinctionem ambiguitatis occurrens.* τὰ σιγῶντα proloqui, *est de rebus mutis & tacentibus sermonem habere. Sic Dionysodorus apud Platonem in Euthydemo Ctesippum rogat,* ὅταν οὖν λίθος λέγῃς, καὶ

τὰ σιγῶντα proloqui, quid.

καὶ ξύλα καὶ σιδήρια, οὐ σιγῶντα λέγῃς; Quid cùm de lapidibus inferis sermonem, de lignis & ferro, nónne σιγῶντα dicis?

r Quod idem erit in ijs.) καὶ ἐν τοῖς ἔχουσι, inquit, δὲ δ' πλεοναχῶς ἐν ταῖς προτάσεσιν, ὁμοίως.

s Quæ nos hoc modo scimus.) Nempe quia rectè pronunciamus & recitamus. Alludit ad suprà dictum exemplum de Iambicorum recitatione & cognitione.

t Vtq; ego vnam quandam.) Concludit de prioribus duabus captionibus, transiens nunc inde ad coniunctionem & diuisionem. Vult autem, si ex duobus antegredientibus locis ueri similiter propositum aduersarius conficere uideatur, ei hoc modo obstrependum esse, ut non tam ad rem cum disputationem conferre, quàm ab nomen tantùm accommodare dicamus. Sic enim futurum, ut minimè reprehensi esse uideamur. Re in ꝓdictis locis confecta, quid dicẽdum.

ὅλως τὲ μαχητέον κἂν ἁπλῶς συλλογίζηται, ὅτι οὐχ ὃ ἔφησεν ἀπέφησε πρᾶγμα, ἀλλὰ ὄνομα. ὥστε τοῦτο οὐκ ἔλεγχος.

u Ex ijs verò quæ modò expos.) De compositione & diuisione cõiunctim agit, docens postquam uno sensu aduersarius rem confecit, alterum atq; adeò contrariũ illi sensum obijciendum esse, ut non uerè nos refutasse uideatur. Ita quæ ille sensu composito concludit, nos diuiso exponemus: & quæ ille diuiso, nos cõposito. Id quod his uerbis ipse Aristoteles declarat: ἐὰν γὰρ διαιρεθὲν καὶ συντιθέμενον ὁ λόγος ἕτερον σημαίνῃ, συμπεραινομένου τοὐναντίον λεκτέον. Diuisiõis & coniunctionis loci contrariè explicantur.

x Nunquid quo tu illum.) Diuersa hæc exempla sunt, in quibus propositio sola ponitur, cui si assumptionem, complexionemq; adiunxeris, captiones constituentur hoc modo: Quocunq; tu illum percussum uidisti, illo ipso percussus est. Atq; oculo uidisti illum percussum, Ergo oculo percussus est. Itẽ, Quare ille percussus est, eadem tu uidisti. Atqui uirgi percussus est, Ergo uirga tu uidisti. Verùm tum, quod in altero exemplo legitur, id ipsum tu uidisti, auferendi casu legẽdum est, eo ipso uidisti, quemadmodum cum Boëtio legit & Faber Stapulensis. Est tamen Græcè τοῦτο σὺ εἶδες, id quod Interpres, idipsum reddidit. Exempla inchoata perficiunt. Diuersa lectio.

y Neq; enim duplex appell.) Hoc loco duplex, δίτροπον, propriè sumitur, pro eo quod actu & reuera tale est. Nam alioqui quædam & potestate, καὶ τῇ φαντασίᾳ duplicia sunt: Quorum genere reliqui loci omnes captionum τὴν πρᾶτλῶ λέξιν continentur. Coniunctio quidem, & diuisio, & accentus, sub eo, quod τῇ δυνάμει, hoc est, potestate continetur: Forma autem orationis, sub eo, quod τῇ φαντασίᾳ, ut Alexandro in superioribus placet. Græcè est, οὐ γὰρ ὅτι δίτροπον δ' πρᾶτλῶ διαίρεσιν. δίτροπον, multis modis dicitur

z Nisi fortè dicamus ὅρος & ὄρος.) Probat exemplo φιλοσοφίας, quæ nec ipsa complexu τῷ δίτροπῷ propriè continetur. ὅρος mons est, ὅρος terminus, siue finis. Aristoteles lib. 1. Topicor. ἀντὶ τοῦ ὁρισμοῦ, hoc est, pro definitione, accipit cap. 3. ὅρος. ὄρος.

a Cæterùm

a Cæterùm notæ accentuum.) Græcè est, κἀκεῖ δὴ τὰ παράσημα ποιοῦντες, τὰ δὲ φθεγγόμενα, οὐ ταυτά..

An oēs captiōes παρὰ τὸ διττόν

b Vnde etiam planum.) Hoc loco τὸ διττὸν propriè sumendum, ut suprà. Reprehendit eos, qui captiones ex genere uerborum, omnes παρὰ τὸ διττὸν fieri existimabant. Græcè est, φανερὸν δὲ καὶ ὅτι οὐ πάντες οἱ ἔλεγχοι παρὰ τὸ διττὸν, καθάπερ τινές φασι.

c Est igitur ad soluendas.) Ostendit distinctione hoc genus captionum soluendā esse. Si uiua uoce enuncies, mora ac respiratione dissolui possunt, authore Fabio, lib. 7. cap. 10. Græcè est, διαιρετέον οὖν τῷ ἀποκρινομένῳ, οὐ γὰρ ταὐτὸν εἰπεῖν, &c.

d Quod idem in captio.) Pluribus exemplis locum explicat. De Euthydemo, Piræeo, & Sicilia Hauichhorstius annotauit. Impossibile est ex Sicilia triremes in Piræeo Atticæ portu contemplari. Si quis id posset, uel Lynceo esset uisu perspicacior.

τὸ μοχθηρὸν ἀγαθόν.

e Putásne malum furorem.) Græcè est, ἆρ' ἐστὶν ἀγαθὸν τινὰ σκυτέα μοχθηρὸν εἶναι; τὸ μοχθηρὸν ad artem: τὸ ἀγαθὸν ad uitam & mores pertinet. De hoc exemplo & sequentibus uide annotationes Hauichhorstij.

f Quare necesse est.) Cùm ea quæ separatim dicta sunt, inter se connectantur, de quo genere attributionum uide lib. περὶ ἑρμηνείας, cap. 6.

g Tu verò non pulsans.) Hoc simile est illi, quod suprà dicebatur, non scribentē posse scribere, cap. 2.

h Porrò autem aliter.) Refellit Veterum sententiam, qui alio modo, quàm per cōiunctæ orationis distinctionem, superiori captioni occurrendum putabant.

i Nunc autem certum est.) Græcè οὐ ταὐτὸν δ' εἶναι τὸ ὡς δύναται, πάντως ὡς δύναται ποιεῖν.

k Verùm quàm illi malè.) Ratio, quur Veterum solutionem improbet, est ista, quòd non in omne genus talium reprehensionum ista solutio ualeat. ἀλλὰ φανερόν, inquit, ὅτι οὐ καλῶς λύουσι. τῶν γὰρ παρὰ ταὐτὸν λόγων ἡ αὐτὴ λύσις. ἡ δ' οὐχ ἁρμόσει ἐπὶ πάντας.

l Sed ad eum modò.) Græcè est, ἀλλ' ἔστι πρὸς τὸν ἐρωτῶντα, οὐ πρὸς τὸν λόγον. In quo nota duplex solutionis genus nobis indicari: alterum rei, alterum personæ accommodatum. Libro 8. de Natura, cap. 8. eiusdem illius diuisionis meminit, sed quod hîc πρὸς τὸν λόγον uocat, id isto loco πρὸς τὸ πρᾶγμα καὶ ἀλήθειαν appellat. ἀλλ' αὐτὴ ἡ λύσις, inquit, πρὸς μὲν τὸν ἐρωτῶντα ἱκανῶς ἔχει, πρὸς δὲ τὸ πρᾶγμα καὶ ἀλήθειαν οὐχ ἱκανῶς. Paulo infrà ad hunc locum alludens, πρὸς τὸν λόγον καὶ τὸν ἄνθρωπον prædictas solutiones uocat. De illis uide Rodolphum Agricolam lib. 2. cap. 21. quo loco in hæc uerba scribit: Et hæ quidem solutionum differentiæ, quas diximus, ueræ sunt, & ad rem ipsam feruntur, idq; solum etiam uulgò uocantur. Sunt aliæ soluendi, uel (si

Duplex solutio, alia rei, alia homini accōmodata

magis

magis proprium uolumus eis nomen dare) elabendi rationes, quæ uulgò dicuntur solutiones ad hominem. Ad eas refugimus, quando ex re parum speramus auxilij, & cæt.

m Ab accentu captiones.) *De usu huius generis captionum suprà dictum est capite 2. Quod ait, nónne ȣ habitas, si ȣ illud circumflexum aspires, ubi, ualet. Ita ὀῦ pro ὅπȣ ponitur teste Hesychio. Sin leuigatum acuas, negandi particula est, ut ὀύ, non. Hoc modo in propositione usurpatur: illo in assumptione. Græcè exemplum sic proponitur:* ἆρά γέ ἐστι τὸ οὖ καταλύεις ὀικία; ναὶ. οὐκοῦν τὸ οὐ καταλύεις, τῶν καταλύεις ἀπόφασις; ἡ ὀικία ἄρα ἀπόφασις. *Syllogismus explicatur in tertio dispositionis genere, propositionum ordine commutato. Præcedit enim sumptio, & propositio sequitur. Hoc loco non indignum est, quod à philologiæ studiosis notetur,* ἆρα προπερισπώμενον, *dubitandi & interrogandi esse particulam:* ἄρα uerò προπαροξύτονον, *esse particulam colligendi & concludendi.*

ὀῦ, ꝑ ὅπȣ. ὀύ, non.

ἆρα ἡ, ἄρα vt distent

DE CAPTIONIBVS, QVAE EX FORMA DICTIONIS EXISTVNT, QVEMADMODVM SINT EXPLICANDÆ. Cap. 14.

CAP. 3.

Captiões ex forma dicendi multiplices, ob Categoriarũ cõfusionẽ.

NOsse [a] etiam rationem occurrendi captionibus, quæ ducuntur ex eo quòd verborum specie falsi pro ijsdem accipimus quæ nõ sunt eadem, non est difficile, quando genera categoriarum quot & quæ sint intelligimus. [b] Nã quod iste interrogatus negauit in verbo quid est, substantiam q́; significante, id alius vt affirmet, traducit ad id quod in genere quantorum continetur, aut eorum quæ ad aliquid dicuntur: quæ tamen, si formam verborum spectes, speciem quandam præ se ferunt eorum quæ quid, hoc est substantiam, significant. veluti in hac captione: [c] Putásne fieri posse, vt tu eandem rem simul facias, & feceris? At videre tu idem potes & vidisse, idq́ue eadem ratione. [d] Et illa: Putás ne fieri posse, vt aliquid sit actio & passio? Quid verò? nunquid secari, cremari, operari, genere dicendi conueniunt, & pati omnia significant? illa verò, dicere, currere, videre, nunquid eodem modo dicuntur? Atqui videre, est operari. quare pati significat, quod tu tamen idem actionem significare dixisti. [e] Quòd si quis fieri non posse dixerit, vt idem simul facias et feceris, idq́ue posteà admittat, posse euenire, vt idem videas & videris: nondum erit hac ratione reprehensus, modò non dixerit, videre, actionem significare, sed potiùs pati. Nam vt reprehensio fieret, id quoq; fuit præter illa interrogandum. [f] Illud tamen videtur auditorib. iam esse concessum, quia admissum est, secare, esse agere, & secuisse, egisse, & huius generis alia, quæ genere dicendi illis sunt similia. Nam quod deest

argumento, ipse per se auditor supplet: quasi dicēdi genere hoc non differat ab illis. [g] Reuera autem hæc eodem genere dicendi non continentur, sed propter verbi similitudinem ita secùs quàm est videtur. [h] Atque ita in ijs captionibus idem vsuuenit, quod in ijs quæ ducuntur ex homonymia: in quibus si quis verborum vim ignorat, putat respondentē non modò in nomine, sed etiam in re eadem quod affirmauerat negare: cùm tamen ei qui contrà disputat, necesse sit vt aduersarium coarguat, interrogare prætereà, [i] an eadem semper significatione accipiat, *quod dicit*: quo certè concesso, vera sequitur reprehensio. [k] Sunt autem, & quæ sequuntur captiones superioribus similes, ex eodemq; loco ductæ: Si quis quod habuit, iam non habet, nōne illud amisit? At enim qui vnum modò ex decem calculis amisit, iam non habet *decem calculos*. An verū est eum amisisse, qui non habet quod habuit: illud autem non verum, sit tantum non habet, quantum priùs, aut tot quot antè *habuit*, propterea tantum aut tot amisisse? [l] Ergo quod primùm in substantia interrogauerat, id transfert in conclusione ad numerum: decem enim non substantiam, sed numerum significant. [m] Quòd si initiò ita interrogauisset: *Si quis modò non habet tot calculos quot antè habuit, nónne tot omnino amisit quot habuit?* nemo id concessisset: sed dixisset, *vel ex ijs aliquot, vel* la omnia amisisse. [n] Huius quoque generis *est captio*, qua concludi*cur* dare aliquem quod non habet: quia cùm *non habeat* vnum solum calculum, vnum solum det alteri. Atqui *hoc non est dare quod* nō habes, sed quatenus tu vnum solum non habes. [o] *Nam hoc verbum, Solum*, non substantiam aut qualitatem aut *quantitatem significat*, sed *in comparatione* ad alterum cernitur, vt *significet* non habere te *illud* cū alio. [p] Habet igitur illa captio eandem vim, ac si quispiam ita interrogaret, nunquid dare quispiam potest quod non habet: idque negante altero, subijceret: Quid verò, nunquid dare citò potest, quod citò nō habuit? quo ab aduersario concesso, concluderet: Potest igitur dare quispiam quod nō habet. Nam quid apertius est, quàm eum qui ita sit argumētatus, nil necessariò confecisse? [q] Etenim citò dare, non est quippiam dare, sed hoc modo. Illud verò nemo negauerit fieri posse, vt alio modo des quippiā quàm habeas: veluti quod cum voluptate habes, id ęgrè & cum molestia dederis. [r] Ad hunc eundem locum istæ quoque superioribus persimiles captiones pertinent: Potéstne aliquis ferire alterum manu, quam non habet? aut videre oculo, quem non habet? neque enim vnū tantùm ocu-

lum

Collatio harū captionum cū ijs q̄ sunt ex homonymia.

Solum, & μόνον, comparatè dicitur.

lum habet. [s] Huiusmodi autem captionibus ita occurrunt quidam, [t] vt eum dicant vnum modò aut oculum, aut aliud quiduis habere, qui plura habet. [u] Alij verò dicunt, id ipsum omnino hunc accipere, quod alius dat: quippe cùm vnum modò det iste calculum, aliusq; non plusquàm vnum ab altero accipiat. [x] Alij item aiunt fieri posse, vt quis id habeat q̃ non accepit. Veluti si quis dulce vinum accipiat, eo inter accipiendum corrupto, acetum quod nõ accepit habere. [y] At illi quidem certè omnes illo modo captionem non dissoluunt, sed (quod etiam paulò antè diximus) homini, non argumento occurrunt. [z] Nam si esset hæc vera solutio, qui contrarium eius quod illi volunt faceret, non posset omnino istas captiones (quod idem profectò in alijs omnib. vsuuenit) dissoluere. [a] Vt si vera solutio est in distinctione multiplicis, dicendo in vna quidẽ significatione verum esse, in altera non verum, quicunq; simpliciter dici concesserit, is necessariò conuincetur, eritq́ue id necessariò cõfectum quod voluit aduersarius. Sin qui hoc fecerit, non cõuincatur necessaria conclusione, non erat profectò vera illa solutio. Atqui in ijs de quib. agitur captionibus, concessis omnibus contrà quàm illi volunt, nil necessariò concluditur. [b] Præter illas autem, quas proposuimus, istę etiam quas modò subijciam, ex eodem loco ducuntur. Nónne quod scriptum est, id scripsit aliquis? scripta autem est hæc oratio, quæ te ait sedere, nũc falsa, quæ tamen erat vera, quando scribebatur: ergo simul & vera & falsa scribebatur. Etenim veram & falsam dicere orationem aut opinionem, nõ hoc, id est substantiam, sed tale aliquid, id est, qualitatem declarat. Dixi autem opinionem, quia eadem est ratio illius, atque orationis. Ad hoc etiam genus ista pertinent: [c] Nónne quod quisque discit, illud verum est esse quod discit? discit autem quispiam celeriùs, quod tardius est. Hîc enim non assumptum est, quod discit quispiam, sed quo modo discit. Itẽ ista. [d] Quod quisque perambulat, nónne id pedibus calcat? perambulat autem aliquis totum diem. Profectò hîc non assumptum est, quod quis perambulat, sed tempus in quo ambulat. [e] Itemq́; cùm calicem bibisse alterum dicimus, hoc ipsum quod bibit nõ dicimus, sed vnde bibit. Est etiam in hoc genere ista: Nõne quod scit quisque, [f] id aut ab altero didicit, aut ipse per se inuenit? At duobus sumptis, quorum vnum d̃ diceris, alterum inueneris, [g] in illa ambo neutrum eorum cadere potest. [h] Nam quod singulatim sumptis rebus priùs interrogabatur, id paulò post coniunctis simul multis accipitur. Illa etiam, qua ostenditur esse aliquem

Reijcit solutiones veterum, vt minus aptas.

Alia exẽpla de relĩquis categorijs affert.

Hoc genus

captionũ ex imperita Verbi expositione exsistit.

tertium hominem, [l] præter ideam, & præter singulos homines. homo enim, & omne vniuersale, non hoc aliquid, sed tale aliquid, aut comparationem quandam ad aliud, aut affectionem quandam & modum, aut aliud huius generis significat. Eadem autem est huius ratio atque illius, qua quæritur, an Coriscus, & Coriscus musicus, idẽ sint, an verò diuersi. [m] nam ille hoc aliquid, hic quale aliquid significat. Itaque non est eadem vnius atque alterius expositio. [n] Neq; verò ab expositione vim habet ista captio, qua esse aliquem tertium hominem concluditur: sed ex eo *quod* conceditur, esse id ipsum quod illud, idem valere, quod esse hoc aliquid. [m] Neque enim esse id ipsum quod Callias, aut id ipsum quod homo, idẽ semper significabit, quod esse hoc aliquid. [n] Quòd si in exponẽdo dicas, non significari hoc esse id ipsum quod illud, sed potiùs esse tale quippiã, omnino nil intererit: quandoquidem vt hoc dixeris, nihilominus relinquatur vniuersale quoddam, non illud quidem separatum, sed in singulis rebus cohærens, quale est homo. [o] Perspicuum igitur est, non esse admittendum, verba quæ de multis dicuntur, hoc aliquid significare, sed aut quantum, aut quale, aut relatum quippiam, aut aliud quiduis huius generis.

Captiões quę in Verbis sunt, omnes per contrariũ explicantẽ.

[p] Omnibus autem captionibus, quæ in verbo sunt (vt rẽ semel complectar) hoc commune est, vt per contrarium eius, vnde ducitur captio, semper dissoluantur. [q] Verbi gratia, si ex coniunctione captio existat, dissoluetur per diuisionem: sin ex distinctione, per coniunctionem. Rursum si in accentu acuto posita sit captio, per grauem dissoluitur: sin ex graui orta sit, per acutum. Si verò multiplex nomen eam effecerit, ita dissoluitur, si contrarium illius nominis, quod concludit alius, ponas: veluti si ita eueniat, vt tu interrogatus, de animato dixeris, ille contrà negationem concludere conetur: tibi ad extremum dicendum erit, de animato te intellexisse. Sin dederis, esse inanimatum aliquid: contrà autem ille animatum aliquid concludat, tibi dicendum erit, in re inanimata te intellexisse. Eadem q; est ratio in amphibolia. Si autem ducta sit ex verborum simili forma, à contrario petenda est solutio. Veluti ad illam captionem. [r] Nõne dare quispiam potest quod non habet? dicendum est, non dare quidem eum quod non habet, sed alio modo quàm habet: nempe quia non habet vnum solum calculum. Ad istam quoque: Nunquid quod scit quisque, id didicit, aut per se ipse excogitauit? respondendum est, verum quidem esse, quod scit, horũ altero modo id accepisse: sed non esse necesse, multis simul iunctis, quæ sit, ea altero modo assecutũ fuisse.

Huic

Huic quoque: Nónne quod perambulas, id pedibus calcas? sic occurrendum, id quidem quod perambulo, me calcare, sed non tempus quo perambulo, & sic alia.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM, ANNOTATIONES.

a Nosse etiam rationem.) *Hucusq; de quinq; prioribus generibus captionum τῶν παρὰ λέξιν, quemadmodum soluendæ sint, explicatum est. Sequitur nunc, ut quemadmodum captiones quæ ex dicendi forma oriũtur, (quæ adhuc reliquæ sunt) explicari debeãt, ostendamus. Sunt quidem istæ captiones perquàm diuersæ ac uariæ, quarum explicationem tamen perfacilem fore dicit, si genera Categoriarum probè cognita fuerint. Nam istorum generum confusione quàm maximè istæ existunt, quemadmodum nunc deinceps patebit. Ea quæ hîc genera, τὰ γένη τῶν κατηγοριῶν uocat, in Metaphysicis ferè τὰ σχήματα τῶν κατηγοριῶν uocat eodem sensu, ut lib. 4. cap. 6. & 7. & lib. 8. cap. 21. & alibi.*

Captiões ex ὁμοιοσχημοσύνη. Vnde maximè existãt

τὰ γένη καὶ τὰ σχήματα τῶν κατηγοριῶν.

b Nam quod iste interrogatus neg.) *Huius loci exempla aliquot cap. 2. superiùs adduximus ex A. Gellio. Græcè est, ὁ μὲν γὰρ ἐρωτηθεὶς μὴ ὑπάρχειν τι τῶν ὅσα τί ἐστι σημαίνει, ὁ δὲ ἐρόμενος ὑπάρχειν τι τῶν πρός τι ἢ ποσῶν, ἢ οκόθεν ἢ δὲ τί ἐστι σημαίνειν, διὰ τὴν λέξιν.*

c Putás ne fieri posse.) *Hoc loco uult docere, quia eandem rem simul & uidere, et uidisse quis possit, etiam facere & fecisse simul eandem rem quempiam posse. Idq; ratione ὁμοιοσχημοσύνης, quæ in uerbis uidere & uidisse, facere & fecisse, per sese patet.*

d Et illa, putás ne fieri.) *Hoc exemplo docet fieri posse, ut idem quippiam simul & agat & patiatur. Ita δρᾶν uult simul utrumq; significare: & agere, quia eodem modo dicatur, quo δρᾶν καὶ τρέχειν, quæ actiuæ significationis uerba sunt: & pati, quia idipsum sit ἀιδιάνεσθαί τι, id quod passionem sine controuersia significat. Interpres pro eo quod Græcè est, δρᾶν ἀιδιάνεσθαι, hoc est, sentire, operari cũ Boëtio uertit, idq; gratia retinendi eiusdem finis & terminationis, quæ terminatio fallaciæ hîc locũ præbet.*

δρᾶν ἀιδιάνεσθαι operari sentit

e Quòd si quis fieri.) *Quod ad primum huius loci exemplum attinet, ostendit nõ consectarium esse, quia & uidere & uidisse idem quippiam fortè liceat, etiam & facere & fecisse idem quempiam dici posse. Quia etsi terminatione uerba inter se conueniunt, minimè tamen conueniunt inter se significatione, nisi tu idipsum fortè præ ignorãtia aduersario dederis. Quod si est, ex tua concessione, non ob similem terminationem uerè idipsum consequens erit.*

Non quia videre & vidisse idẽ liceat, etiã facere & fecisse licebit.

f Illud tamen videtur.) *Ostendit tametsi reuera rogari oportuit, utrum δρᾶν actionem significaret, aliquo tamen modo, etsi fasso, idipsum propter similem aliorũ uerborum terminationem ita uideri. προσδεῖ δὲ τοῦτο τοῦ ἐρωτήματος, inquit, ἀλλ' ὑπὸ*

τῶν

τῶ ἀκόντ ϑ ὑπολαμβάνεται ἐσωκέναι, &c. τὸ γὰρ λοιπὸν ἀυτὸς πρόσ-
ϑησιμ ὁ ἀκόντων, ὡς ὁμοίως λεγόμενον.

z Reuera autem hæc.) Græcè est, τὸ δὲ λέγεται μὴν ὀυχ ὁμοίως, φαίνεται δὲ
διὰ τὴν λέξιν.

h Atq; ita in ijs captionib.) Ostendit parem rationem esse captionum τῶν παρ'
ὁμωνυμίαν, quia etsi nomine tenus quis in illis reprehendi à Sophista uideatur, tamen
quandiu rogatus non est, utrum eadem significatione istud nomen usurpet, non uerè re-
darguetur.

i An eadem semper signi.) Græcè est, εἰ ἐφ' ἓν βλέπων λέγοι τὸ ὁμώνυμον.

k Sunt autem & quæ sequuntur.) Antegressa exempla in actionis & passio-
nis commutatione posita sunt: quæ deinceps sequuntur, in illis substantia cum accidente
commutatur, ut substantia cum quantitate, & relatione. Cùm de substantia primùm quæ-
ritur, utrum quis ea, quæ iam non habens, antè habuerit, amiserit: subijcitur dein de quan-
titate & numero, utrum decem amiserit, quia uno ex decem amisso, non habeat eum nu-
merum integrum, perinde ut antè.

Exēplorū distinctio in hoc loco.

l Ergo quod primùm.) Græcè est, ἐξωτήσας οὖν ὃ ἔχει, συνάγει ἐπὶ τῶ ὅσα.
τὰ γὰρ δέκα, ποσά.

m Quòd si initio ita.) Ostendit, quo modo in eadem Categoria rogandum erat, ut
quis datis interrogationibus, reipsa illa inquiri uideatur. Hîc non ὃ ἔχει, sed ὅσα τις ἔχει,
proponendo percuntatur.

n Huius quoq; generis est.) Alterum exemplum affert, in quo relatio cum sub-
stantia commutatur. Id tale est, Potest quis dare unum teruncium, quem solum non ha-
bet. Ergo potest quis dare, quod non habet. ψεῦδος γάρ, inquit, ὃ μὴ ἔχει. οὐ γὰρ
ἔχει μόνον ἕνα ἀσσάριον. Hîc unum solum dare, aut habere, comparatè dicitur: quod
habet aut non habet dare, substantiam significat.

Substātia cum relatione com mutatur.

o Nam hoc verbum, Solum.) Græcè est, τὸ γὰρ μόνον, οὐ τόδε σημαίνει,
οὐδὲ τοιόνδε, οὐδὲ τοσόνδε, ἀλλ' ὡς ἔχει πρός τι, οἷον ὅτι οὐ μετὰ ἄλλων.

Μόνον, quid.

p Habet igitur illa captio.) Rei clariùs exprimēdæ causa, paulo secùs exemplum
informat. Dare quispiam potest, ut non habet, ut si inuitus, molestéq; det, quod libenter
possideat: si citò impertiat, quod ægrè comparatum possidet. Et sic de alijs. At hinc non
efficitur, ut quis det id quod non habet. Nam quæ nec habet aliquis, inquit Plato in con-
uiuio, nec nosci, alteri dare uel monstrare non potest. Hoc δὸς τόδε διδόναι, illud δὸς
διδόναι ὡς μὴ ἔχει τὶς, Græcè dicitur.

Dare q̄d habet, & vt habet, diuersa.

q Etenim citò dare.) Quod de citò dare ait, id de omnibus alijs similibus intelligē
dum est, ut dare libenter, ægrè, cum uoluptate, molestia, & cæt. Hæc omnia enim οὐ τόδε
δὸς διδόναι declarant, sed ὡς δὸς διδόναι, ut ipse Græcè loquitur. τὸ δὲ ταχέως, inquit,
οὐ τόδε

Τάχεως.

δυ τόδε δι δόναι ἐσίμ, ἀλλ' ὧδε δι δόναι.

r Ad hunc eundem locum.) *Plura exempla huius loci subijcit, ut, una manu quẽpiam percuti, & uno oculo uideri quempiam posse ab eo, qui nec unam manum, nec unum oculum habeat.*

s Huiusmodi autem captionib.) *Veterum solutiones subijcit, et redarguit, quæ non tam ad rem pertinere, quam ad hominem modò accommodatæ esse uideantur, uti posteà dicit,* οὗτοι πάντες οὐ πρὸς τὸν λόγον, ἀλλὰ πρὸς ἄνθρωπον λύουσι. Veterũ solutiões ad hominem pertinent

t Vt eum dicant unum modò.) *Ita assumptioni prædictorum sophismatum occurrunt: Non habet unum oculum, aut manum tantum.*

u Alij verò dicunt.) *Quorsum hoc ad propositum faciat, non liquet, præsertim cũ in antegressis talis sophismatis non meminerit.*

x Alij item aiunt fieri.) *Hoc ad superiores captiones pertinet, nisi quòd paululũ exemplum commutatur. Verùm à simili prædictorum sophismatum propositionem explicare uidetur, hoc modo: Habere potes, quod non accepisti. Nam cùm dulce uinum acceperis, habes nunc uinum in acetum conuersum. Ergo & dare licet id quod non habuisti. Græcè est,* οἱ δὲ εὐθὺς τῷ ἐρώτησιν ἀναιροῦντες. Explicatio à simili.

y At illi quidem certè.) *Docet prædictas solutiones ad hominem spectare, non rei satisfacere. Meminimus huius loci paulo suprà.* ἀλλ' ὅπερ ἐλέχθη, *inquit,* ἢ πρότερον, οὗτοι πάντες οὐ πρὸς τὸν λόγον, ἀλλὰ πρὸς ἄνθρωπον λύουσι. *Videtur hunc locum imitatus esse Rodolphus Agricola lib. 2. cap. 21. ubi duplicis solutionis meminit, quarũ altera ad rem fertur, altera ad hominem, ut suprà diximus.* Solutio ad rem, & hominem

z Nam si esset hæc vera.) *Hoc loco rationem ueræ solutionis notat. Græcè est,* εἰ γὰρ ἦν αὕτη λύσις, ὃ ὀντα ἀντικείμενον, οὐχ οἷόν τε λύειν, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων. *Philosophatur multa de solutione τῶν ἀντικειμένων hoc loco Alexander.* Ratio veræ solutionis.

a Vt si vera solutio.) *Græcè est,* οἷον εἰ ἔστι μὲν ὁ, ἔστι δὲ ὃ οὐ, ἡ λύσις ἂν ἁπλῶς τῷ λέγειν, συμπεραίνηται. ἐὰν δὲ μὴ συμπεραίνηται, οὐκ ἂν εἴη λύσις. *Locus aliquanto uidetur esse imuolutior.*

b Præter illas autem, quas.) *Subijcit plura exempla, in quibus transitione facta ab una Categoria in aliam, fit captio. Primum agit de transitione Substantiæ, seu (ut Alexandro uidetur) quantitatis in qualitatem. Nam quod ait,* ἆρα ὃ γέγραπται, *Alexander illud* ὃ, *ad literas, syllabas, & orationem refert, quæ sunt Categoriæ quantitatis. Verũ & falsum, nemini dubium est, quin ad qualitatem pertineant.* τὸ γὰρ ψευδῆ ἢ ἀληθῆ λέγειν λόγον ἢ δόξαν εἶναι, *inquit Aristoteles,* οὐ τόδε ἀλλὰ τοιόνδε σημαίνει. ὃ γέγραπται quid signet. Verum & falsum.

c Nónne quod quisque discit.) *Hic item, quod,* τὸ ὅ, *in qualitatẽ commutatur. Nam qui ait,* μανθάνει δέ τις τὸ θρασύ, ταχύ *non quod, sed ut discere aliquem profitetur.* μανθάνειν enim ταχύ, *celeriter discere est,* τὸ θρασύ, *id quod tardè præcipitur,* μανθάνειν ταχύ.

intelligi potest.

τὸ in ὅτε transit.

d Quod quisq; perambulat.) Vt pauimentum, spacium, & locum. Hic τὸ ὅ, in tempus ηχὴ τὸ ὅτε commutatur. Nam qui dicit, βαδίζει δὲ τὴν ἡμέραν ὅλην, οὐχ ὅ, ἀλλ' ὅτε βαδίζει εἴρηκε, inquit Aristoteles.

Calix pro vino.

c Itemq; cùm calicem bibisse.) Hic calix, μετωνυμικῶς pro uino, seu liquore, qui in calice inest, accipitur. οὐδ' ὅταν τὴν κύλικα, ait, πίνῃ, ὃ πίνῃ, ἀλλ' ὃ ἔχει ὄν.

Cognitio bifariam cõparatur

f Id aut ab altero didicit.) Hic duos modos adipiscendæ cognitionis obserua. Alter est, cùm proprio marte quærendo & indagando quippiam inuenimus: alter, cùm ab alio discendo ullius rei notitiam nobis comparamus. De utroq; genere uide Philoponum, & Themistium in cap. 1. lib. 1. de Demonstrat. Græcè est, ηχὴ ἄρα ὅ τις οἶδε, ἤτοι εὑρὼν ἢ μαθὼν οἶδεν;

g In illa ambo neutrum eorum.) Nempe ut utraq; uel discendo, uel inquirendo & inueniendo percepisse dicaris.

h Nam quod singulatim.) Ratio, qua uitium captionis explicat. Græcè est, ἢ μὴν οὐχ ἅπαν, ὅδε ἅπαν.

τὸ κοινὸν, quid signi ficet.

i Præter ideam, & præter sing.) Græcè est, παρ' αὐτὴν ηχὴ τοὺς καθέκαστον. τὸ γὰρ ἄνθρωπος, ηχὴ ἕκαστον τὸ κοινὸν, οὐ τὸ δέτι, ἀλλὰ τοιόνδε τι ἢ πρός τι, ἢ πῶς, ἢ τῶν τοιούτων τι σημαίνει. Quid sit τὸ δέτι, ηχὴ τοιόνδε τι, seu ποιόντι significare, de eo uide Aristotelem in Categor. cap. 2. in tertia proprietate Substantiæ.

τὸ μὲν. τόδε τι.

k Nam ille hoc aliquid.) Græcè est, τὸ μὲν γὰρ τόδε, τοῦτο δὲ τοιόνδε σημαίνει. τὸ μὲν, Coriscum musicum dicere uidetur: τοῦτο δὲ, Coriscum omnino. Nam cùm huius significatio latiùs pateat, ut quæ & musicis, & ἀμούσοις simul accommodari potest, certè illud τοιόνδε Coriscum potiùs, quàm Coriscum musicum significarit.

l Neque verò ab expositio.) Græcè est, οὐ τὸ ἐκτίθεσθαι δὲ ποιεῖ τὸν τρίτον ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ὅπερ τόδε, τὸ δέτι εἶναι συγχωρεῖν. Quod ad captionem attinet, qua tertiũ quendam hominẽ esse concludimus, de ea uide suprà cap. 3. in fallacia accidẽtis.

m Neque enim esse idipsum.) Græcè est, οὐ γὰρ ἔσαι τὸ δέτι εἶναι ὅπερ καλλίας ηχὴ ὅπερ ἄνθρωπος.

Vnus homo præter multos.

n Quòd si in exponendo dicas.) Græcè est, οὐδ' ἔστις τὸ ἐκτιθέμενον μὴ ὅπερ τὸ δέτι εἶναι, ἀλλ' ὅπερ ποιὸν, οὐδὲν διοίσει. ἔσαι δ' παρὰ τοὺς πολλοὺς ἕνα τινὰ οἷον ὁ ἄνθρωπος. Quo modo præter multos homines unus quidam homo sit, de eo uide Porphyrium, cap. 2. & B. Thomam libello de Natura & Essentia rerum.

o Perspicuum est igitur.) φανερὸν οὖν, inquit, ὅτι οὐ δοτέον τὸ δέτι εἶναι τὸ κοινῇ κατηγορούμενον ἐπὶ πᾶσιν, ἀλλ' ἤτοι ποσόν, ἢ ποιόν, ἢ πρός τι, ἢ τῶν τοιούτων σημαίνει.

P Omnibus aũt captionib.) Concludit superiorem locum de dissolutione captionum

num τῶν παρὰ τὴν λέξιν, generatim ostendens, quo tandem modo omnibus istis captionibus simul occurri poßit. Nempe per contrarium rei à Sophista confectæ, ut his uerbis Græcè significat: ὅλως δὲ ἐν τοῖς παρὰ τὴν λέξιν λόγοις, ἀεὶ κατὰ τὸ ἀντικείμενον ἔσται ἡ λύσις, ἢ παρ' ὃ ὄστιν ὁ λόγος.

Cõmunis solutio omnium ἡ κατ' ἀντικείμενον.

q Verbi gratia, si ex.) *Sigillatim per Inductionem probat.*

r Nónne dare quispiam.) *De his exemplis omnibus paulo suprà demonstratum est. Sed hîc breuiùs quónam modo explicanda ea sint, ob oculos proponit.*

DE EXPLICATIONE CAPTIONVM LOCI ACCIDENTIS. Cap. 15.

CAP. 4.

CAptiones [a] autem accidentis, omnes vna ratione dissolui possunt. Quia enim incertum est, [b] quando rei attribuenda sunt quę accidẽtibus cõueniunt, atq; illud quidem in quibusdam verum videtur: [c] idq́; ita fieri interdum necessarium esse aiunt, in alijs verò negant id esse necessarium: illud profectò nobis statuendum est, atq; ita debemus aduersus huius generis omnes captiones esse confirmati, vt omnino illas vllã habere necessitatem negemus. [d] In quo videndum est, vt paratã nos semper habeamus apertè captiosam ex hoc genere conclusionem, cui similem esse dicamus eam quam adfert aduersarius. [e] Sunt autem ex accidẽte omnes quæ sequuntur captiones: Scísne quid ego te rogaturus sum? Nostin eum qui huc ad nos venit, aut eum qui hîc absconsus est? Est ne hæc statua opus tuum, aut hic canis tuus pater? Nũquid haud multoties pauca, sunt pauca? [f] Perspicuum enim est in ijs omnibus non esse necesse, vt eadem quę accidentibus conueniunt, rebus subiectis attribuantur. Nam in ijs solis quæ natura & substantia non differunt, sed vnum quippiam sunt, id vsuuenit, vt quę vni attribuuntur, eadem alteri omnia conueniant: [g] Iam autem non idem est bonum esse bonum, & esse id quod ego te volo interrogare: neque idem valet, venientem aut absconsum, esse venientem aut absconsum, atque esse Coriscum. Itaque non rectè efficitur, si Coriscum nouerim, aduenientem autem non nouerim, eundẽ me nosse, & non nosse. Neque valet conclusio: Hoc opus quoddam est, idq́ue meum est, [h] hoc igitur est meum opus. sed concludendum est, meam esse hanc possessionem, aut rem, aut aliud quippiã huiusmodi. Nec dissimilis est in alijs ratio. [i] Cęterùm istas captiones dissoluere nonnulli conantur, adhibita distinctione ad postremam interrogationem. Aiunt enim fieri posse, vt idẽ nos cognoscamus, & non cognoscamus, sed non

Generalis solutio captionũ accidentis quæ.

Duplex genus attributorum.

Veterũ solutionẽ proponit & refellit,

eadem ratione. Eum igitur qui venit, se fatentur non nosse, Coriscũ autem se nosse aiunt: & conclusionem, qua efficitur eundem illos nosse, & non nosse, ad extremũ concedunt, sed tamen non eadem ratione. [k] Atque illud primum vt vera sit dissolutio, necesse est (quod etiam nos paulò antè diximus) vt ad omnes eiusdem generis captiones diluendas sit accommodata, quod in hanc cadere non potest: quandoquidem si non ex verbo nosse, sed ex verbo esse, aut certo quodam modo affectum esse, pronunciatum illud constaret, non haberet locũ illa solutio. Verbi gratia, in illa captione: Hic pater est, & est tuus: quid quæso loci habeat illa solutio? Vt enim in quibusdam id verum sit, fieri posse vt idem tu scias & nescias: at certè hæc captio nil habet cum illa commune. [l] Porrò autem nil vetat, quo minus multis modis sit vitiosa & fallax eadem captio: attamen non omnis vitij explicatio est vera captionis illius solutio: quippe cùm fieri possit, vt falsum esse, id quod concluditur, dicas: & tamen vnde oriatur falsa illa conclusio, non ostendas. Qualiter vsuuenire potest in argumentatione Zenonis, qua nil posse moueri ostendere conabatur. [m] Quapropter si quis respondẽs contrà argumentari conetur, vt id absurdum esse doceat, quod alius conclusit, absurdè faciet, tametsi verè ac necessariò id conficiat. Neq; enim hoc est argumentum dissoluere, [n] præsertim cùm veram solutionem appellauerimus, talem falsi syllogismi explicationem, vt quare sit vitiosus ostendatur. Itaq; si quando argumentum nil necessariò concludit, huius ipsius rei declaratio erit solutio: idq; dico, siue verum, siue falsum aliquid illud argumentum concludat. [o] His accedit, quòd possit illa quidem fortasse solutio ad quasdam captiones valere: at in ijs certè ad quas modò adhibetur, vix locum habere posse videatur. Nouit enim ille Coriscum hoc ipso quòd Coriscus, & venientem hoc ipso quòd venit: at nosse idem & non nosse, est tale aliquid, quale vsuueniret, si tu quòd albus quidem sit quispiam, nosses, eundem autem musicum esse ignorares: sic enim tu idem scires & ignorares, [p] sed non habita ratione eiusdem rei. Hic verò vtrumq; nouit, & Coriscum quòd sit Coriscus, & venientem quòd veniat. [q] In eodem errore, in quo ij quos modò diximus, versantur, qui concedendo omnem numerum esse multum & paucum, captionem se putant dissoluisse. Cùm enim nil necessariò ista captio concludat, hoc prætermisso, ad id se conferunt, vt veram esse conclusionem dicant. omnem enim numerum & multum & paucum esse, magno suo errore fatẽtur. [r] Sunt etiam, qui dicentes

Consimilium eadem solutio.

Absurdũ allegare, non est soluere.

Alias Veterũ opiniones subijcit & refellit.

tes multiplicitatem ineſſe in ijs verbis, Eſt pater tuus, aut filius, aut ſeruus, captioſas illas concluſiones diſſoluunt. [t] Atqui vt dicatur ad multiplicitatem pertinere reprehenſio, perſpicuum eſt oportere, vt aut nomẽ aut oratio, multa propriè ſignificet: hunc verò huius eſſe filium, propriè dici nemo affirmare audeat, ſi hac oratione ſignificetur, hunc eſſe dominum huius qui alicuius eſt filius: [u] ſed fortè temerè & (vt ſic dicam) per accidens factum eſt, vt iſta ad extremum coniuncta ſumerẽtur, in hunc modum: Nónne hic tuus eſt? etiam. At iſte eſt filius: eſt igitur hic filius tuus. quia ſcilicet ita fortè accidit, vt idem & tuus eſſet, & filius, non quidem tuus, ſed alicuius. [x] Quod idem dicendum de captione qua è genere τῶν κακῶν eſſe aliquod bonum concluditur, quia prudentia ſit malorum ſcientia. Nam aliquid eſſe aliquorũ, non dicitur multipliciter: [y] ſed poſſeſsionẽ modò hoc ſignificat: [z] aut ſi fortè multipliciter dicatur, (vt certè videtur dici, quandoquidem homo τῶν ζώων eſſe dicitur, nec tamẽ hîc poſſeſsio vlla ſignificatur) nil tamen ad iſtam captionem pertinet. Etenim ſi ita aliquid ad mala affectum ſit, vt illa affectio in genitiuo caſu exprimatur, dicetur quidem illud [a] cum aliqua adiectione, & ex hac parte eſſe τῶν κακῶν: omnino autem & ſimpliciter nõ dicetur eſſe τῶν κακῶν. [b] Vnde efficitur, vt potiùs illa captio ſit referenda ad locum ex eo q̃ quadam ex parte & ſimpliciter dicitur, quàm ad locum ex multiplici. [c] Quanquam illud fortaſſe poſsit accidere, vt illa oratio, aliquod bonum eſſe τῶν κακῶν, dupliciter accipiatur, licet in ea de qua agitur captiõe nõ ſit multiplex. Verbi gratia, ſi ſeruus aliquis bonus, ſit mali domini. Niſi fortè ne hac quidem ratione poſsit illa multiplex appellari. [d] Neque enim ſi ſeparatim verum ſit, hoc eſſe bonum, idq; eſſe illius, rectè coniunctim efficietur, hoc eſſe bonum illius. Quin ne illud quidem, hominem eſſe τῶν ζώων, multiplex eſt: [e] quando ne alibi quidẽ, ſi quid dicamus ſuppreſſa aliqua particula, quæ ad plenam ſententiam deſideretur, rectè diximus multiplicem eſſe orationem: [f] quippe cùm rectè ac ſine vlla multiplicitate dari mihi Iliadem iuſſero, ſi pronunciato dimidio verſu ita dixerim, da mihi, μῆνιν ἄειδε θεά.

IN CAPVT DECIMVM QVINTVM, ANNOTATIONES.

[a] Captiones autem accidentis.) *Hactenus de captionib. uerborum dictum eſt. Sequuntur nunc quæ rerum ſunt, inter quas primum locum obtinent eæ quæ ſunt accidẽtis, quarum omnium unam quandam ſimilemq; diſſolutionẽ eſſe ait: Nempe ut negemus* Locus accidẽtis nil

Aliquid alicuius eſſe, ambiguè dicitur.

necessario concludit. consequi id, quod datis propositionibus colligit aduersarius. Sunt enim omnes huius generis captiones ἀσυλλόγιστοι, quẽadmodum suprà cap. 4. ostensum est. Græcè est, πρὸς δὲ τοὺς πρὰ τὸ συμβεβηκὸς μία μὲν ἐν αὐτοῖς λύσις πρὸς ἅπαντας. Et paulo infrà: ῥητέον οὖν συμβιβασθέντας ὁμοίως πρὸς ἅπαντας, ὅτι οὐκ ἀναγκαῖον.

Res. Accidens. b Quando rei attribuenda.) Rem, hîc subiectũ intellige: accidentia, ea quæ subiecto attribuuntur, prædicata. Græcè est, ἐπεὶ γὰρ ἀδιόριστόν ἐστι τὸ πότε λεκτέον ἐπὶ τοῦ πράγματος, ὅταν ἐπὶ τοῦ συμβεβηκότος ὑπάρχῃ.

c Idq; ita fieri interdum.) Nempe in essentialibus attributis: In accidentalib. nõ item. In hunc locum uide suprà cap. 3.

d In quo videndum est.) Græcè est, ἔχειν δὲ δεῖ προφέρειν τὸ οἷον.

e Sunt autem ex accidente.) Quæ sequuntur exempla, mutilata sunt, quorũ tractatio ex ijs quæ dein sequuntur, aliquo modo intelligi potest.

Attributa duplicia. f Perspicuum enim est.) φανερὸν γὰρ ἐν ἅπασι τούτοις, inquit Græcè, ὡς οὐκ ἀνάγκη τὸ κατὰ τοῦ συμβεβηκότος, καὶ κατὰ τοῦ πράγματος ἀληθεύεσθαι. μόνοις γὰρ τοῖς κατὰ τὴν οὐσίαν ἀδιαφόροις καὶ ἓν οὖσιν, ἅπαντα ὑπάρχειν. In hunc locum de distinctione attributorum uide cap. 10. lib. 1. de Demonstratione.

g Iam autem non idem.) Accedit ad prægressorum exemplorum dissolutionem, & explicationem.

h Hoc igitur est meum opus.) Græcè est, ἐμόν ἐστιν ἔργον, ἀλλ' ἢ κτῆμα, ἢ πρᾶγμα, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν.

i Cæterùm istas captiones.) Subijcit Veterum solutionẽ à superiore diuersam, quam deinde uarijs argumentis refellit. Græcè est, λύουσι δέ τινες διαιροῦντες τὴν ἐρώτησιν.

k Atq; illud primum.) Refellit prægressam solutionem, quòd non omnibus eiusdem generis exemplis accommodatur. Id quod necesse fuerit, si quis bonam eam esse uelit contendere. Est enim præceptorum ratio communis, & uniusmodi in omnib. ut in lib. περὶ ἑρμηνείας, cap. 8. ostendimus. Græcè est, καίτοι πρῶτον μὲν καθάπερ ἤδη εἴπομεν δὴ τὴν πρὰ ταὐτὰ λόγων τὴν αὐτὴν εἶναι διόρθωσιν. Hîc nota solutionem διόρθωσις, solutio. καὶ διορθώσεως nomine appellari, ut suprà cap. 13. τὴν ἐρωτημάτων διόρθωσις. Locus ad quem alludit, est cap. 13. sub finem: τὴν γὰρ πρὰ ταὐτὰν λόγων ἡ αὐτὴ λύσις.

Ratio p̃ceptorũ vniusmodi.

l Porrò autem nil vetat.) Altera ratio, quia causam falsi non aperiat, id quod ueræ solutionis proprium est, ut suprà cap. 13. ostensum est. Græcè est, οὐδὲν δὲ κωλύει τὰν αὐτὰν λόγον πλείους μοχθηρίας ἔχειν, ἀλλ' οὐχ ἡ πάσης ἁμαρτίας ἐμφάνισις, λύσις ἐστίν. ἐγχωρεῖ γὰρ δεῖξαί τινα ὅτι ψεῦδος μὲν συλλελόγισται, παρ' ὃ δὲ, μὴ δεῖξαι. De Zenonis argumentatione meminit suprà cap. 7. Consequens est illius, ut dicas nec rem ullam mobilem esse, nec diem esse, nec noctem. Quia ut hæc ex Cœli conuersione

Non oĩs vitij explicatio, solutio.

Zenõis argumẽtat.

sione pendent, ita mobile nihil, nisi ratione ipsius motus appellatur.

m Quapropter si quis respondens.) *Græcè est,* ὥστε καὶ εἴτις ἐπιχειρεῖ συνάγειν ὡς εἰς ἀδύνατον, ἁμαρτάνει, κἂν μυριάκις ᾖ συλλελογισμένον, ἀλλ' οὐκ ἔστιν αὐτὴ λύσις. *Sumitur ex hoc loco peruulgatum axioma, Multiplicare inconueniẽs, & contrà argumentari, non est soluere. Quod contrà argumentari hîc dicitur, Aristoteles lib. 8. Topic. cap. 3.* ἀντεπιχειρεῖν *uocat, cùm inquit:* ἔτι δὲ εἰ μὴ δ' ἀντεπιχειρεῖν ἔχει ὅτι οὐκ ἀληθὲς, μᾶλλον ἂν δόξειε δυσκολαίνειν. Contrà argumẽtari. ἀντεπιχειρεῖν.

n Præsertim cùm veram.) *Locus est suprà cap. 13. Græcè dicitur,* ἦν γὰρ ἡ λύσις, ἐμφάνισις ψευδοῦς συλλογισμοῦ παρ' ὃ ψευδής. εἰ οὖν μὴ συλλελόγισται, ἢ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος ἐπιχειρεῖ συνάγειν, ἡ ἐκείνου δήλωσις, λύσις ἐστίν. Vera solutio quæ.

o Hic accedit, quòd.) *Hæc ratio primæ non dissimilis est.*

p Sed non habita ratione.) *Græcè est,* ἀλλ' οὐ κατὰ ταὐτό.

q In eodem errore.) *Antegressæ Veterum solutioni duas alias adiungit, quas similiter reprehendit & coarguit. Quod omnem numerum & multum & paucum esse concedunt, ex comparatione pendet. Sic decem centenario numero collata, pauca sunt: eadẽ ternario aut quaternario collata, multa. Et sic de alijs. De hoc nonnihil uide in Categorijs cap. 3. de Quantitate.* An omnis numerus multus & rarus.

r Sunt etiam, qui dicentes.) *Græcè est,* ἔνιοι δὲ ἐν τῷ διττῷ λύουσι τοὺς συλλογισμούς.

s Atqui vt dicatur ad.) *Refellit. Græcè est,* καίτοι φανερὸν ὡς εἰ πρὰ δὲ πολλὰ χῶς φαίνεται λέγεσθαι ὁ ἔλεγχος, δεῖ τοὔνομα ἢ δὲν λόγον κύριον εἶναι πλείονων. δὲ πολλὰ χῶς quid requirat.

t Sed fortè temerè, &.) ἀλλὰ παρὰ δὲ συμβεβηκὸς ἡ σύνθεσίς ἐστιν.

u Quod idem dicendum.) *Aliud exemplum affert.* καὶ τὸ εἶναί τι τῶν κακῶν ἀγαθόν, ἡ γὰρ φρόνησις ἐπιστήμη ἐστὶν τῶν κακῶν. *Prudentia non simpliciter malorũ dicitur, sed cum adiunctione scientia malorum, Nimirum quia uirtus est locata in delectu bonorum & malorum, ut lib. 3. Officiorum Cicero ait.* Prudentia vt malorũ dicatur.

x Sed possessionem modò signi.) *Quo modo dicimus agrum esse Atheniensiũ. imperium Romanorum, librum Ciceronis, & cæt.*

y Aut si fortè multipl.) *Concessio per correctionem, qua docet nihil ad prædictũ exemplum istam rationem ualere.*

z Cum aliqua adiectione.) *Vt Prudentia, scientia malorum, uelut diximus.*

a Vnde efficitur, vt potiùs.) *Græcè est,* πρὰ τὸ πῆ οὖν καὶ ἁπλῶς φαίνεται.

b Quanquam illud fortasse.) *Mirum in modum se torquet in superioris exempli expositione.*

c Neq; enim si separatim.) *Vide in lib.* περὶ ἑρμηνείας, *non omnia quæ separatim rectè dicuntur, etiam coniunctè uerè dici posse.*

d Quando

d Quando ne alibi quidem.) Græcè est, οὐ γὰρ εἴποτέ τι σημαίνομεν ἁφῆ λόντες, τοῦτο λέγεται πολλαχῶς. *Vult hominem animalium dici, imperfecta & trũcata oratione: Siquidem uel pars, uel genus, animalium intelligitur.*

e Quippe cùm rectè ac sine.) *A simili & exẽplo confirmat. Ilias dimidiato uersiculo tota intelligitur, idq; citra ambiguitatem. Ergo non ubicunq; aliquid desideratur, ut in antegresso exemplo, homo est animalium, aut prudentia est malorũ, multiplex statim inesse iudicabitur.* Μῆνιν ἄειδε θεά, *primum hemistichium est, à quo Homerus Iliadem orditur. Ponitur autem illud materialiter pars pro toto* μετωνυμικῶς.

Μῆνιν ἄειδε θεά, totam Iliadem significat.

SOLVTIO CAPTIONVM, QVAE E' SEX VLTIMIS RERVM LOCIS ERVVNTVR. CAP. 5. Cap. 16.

Captiões ex eo q̃ circũstantijs finit, vt explicandæ.

CAptiones [a] etiam quæ ducuntur ex eo quod quasi omnino ac simpliciter verum sit, (tale quippiam esse dicitur, aut ex aliqua parte, aut alicubi, aut quodammodo, aut facta ad aliquid collatione, nõ autem simpliciter ac citra vllam adiectionem) captiones inquam illæ hac demum ratione rectè dissoluentur, si ad cõclusionem diligenter aduertas, num contradictio horum aliquod vitium habeat. [b] Aduersa enim, omninoq; contraria, & aientia & negantia, omnino quidem ac simpliciter in re vna dici non possunt: at quadam ex parte, aut facta ad aliquid comparatione, aut quodammodo, [c] si pars vtraq; sumatur, in re vna dici possunt: aut etiam, si pars vna citra vllam adiectionem, altera cum adiectione alicuius partis sumatur. [d] Itaque si pars vna simpliciter dicat, pars altera quadam ex parte neget, non poterit esse ista ratione reprehensa: id quod in contradictione, quæ ad extremum quasi reprehensionis causa concluditur, nobis est spectandum. [e] Ad hoc autem genus captionũ omnes pertinent quæ sequuntur: Fieríne potest vt sit aliquid quod non est? at verũ est dicere, rem quæ non est, [f] tale aliquid esse. Nec dissimili modo, non esse aliquid quod est, ostendetur: quia de re quæ sit, verum sit dicere non esse hoc vel illud: Fieríne potest, [g] vt sanctè iuret quispiam simul, & peieret? Fieríne potest, vt idem eidem simul credat, & nõ credat? At illæ certè eò sunt captiosæ, quia plurimum interest inter esse omnino, & esse hoc vel illud: quò fit, vt malè efficiatur, si res aliqua quæ non sit, est hoc vel illud, omnino illam ac simpliciter esse. Itemq;, licet hanc quidem rem, & illa ex parte, sanctè iuret quispiam: non tamen rectè cõcluditur, omni ex parte sanctè iurare. Nam qui se peieraturum iurauit, & peierat, is sanctè quidẽ [h] quod ad hoc pertinet, & hac modò ex parte,

Exempla huius loci diuersa, exq; nõ insuauia omnia.

Sanctè iurare, non omnino

iurauit:

iurauit: omnino autem ac simpliciter non rectè. Is quoque qui non credit alteri, non simul illi omnino credit, sed quædam credit. [i] Similis etiã ijs est illa captio, qua simul aliquem posse mentiri & verum dicere ostẽditur. Verùm, quia difficile est statuere, vtrum ei quod est veracem esse, tribuendum sit illud simpliciter, an ei quod est esse mendacem, propterea difficilis videtur huius captionis explicatio. [k] Atqui nil incommodi est, si dicamus eundem hominem simpliciter quidem mentiri, ex aliqua tamen parte verum dicere: aut ex parte aliqua verum dicere, qui omnino tamen mentiatur. [l] Nec secùs profectò iudicandum est de ijs, in quibus quod dicitur, facta modò ad aliquid comparatione verum sit, aut ex aliqua parte insit, aut ad certum quoddam tempus. Nam ex hac eadem causa omnes huiusmodi captiones proficiscuntur. Nonne sanitas bona, aut diuitiæ bonæ? At ijs qui parum prudentes sunt, quiq; ijs vti rectè nõ possunt, non sunt bonæ: sunt igitur hæc bona, & non bona. Nunquid bene valere, aut in sua ciuitate potentem esse, bonum est? atqui euenire tempus potest, cùm id non sit bonum: idem igitur eidem bonum, & nõ bonum. At hoc certè non est incommodum, quod omnino ac simpliciter bonum est, huic aut illi id non esse bonum. Nónne id malũ est, quod non vult sibi vir prudens? bonum autem vir prudens non vult amittere: bonum igitur est malum, non rectè efficitur. Plurimum enim interest dicas, bonum esse malum, an bonum amittere esse malum. Huic simi lis est captio, quæ de fure fieri solet. Neque enim si fur est malus, propterea oportet, vt eum capere sit malum: nõ igitur qui eum vult capere, malum vult, sed potiùs bonum, quippe cùm bonum sit illum capere. Nam morbus quoque malum est: sed eo liberari non est malum. Nónne iusta iniustis, & quæ iure fiunt, ijs quæ iniuria, optabiliora sunt? at optabilius est [m] iniuriâ mori, quàm iure. Nónne æquum est sua quemque habere? quæ verò tibi adiudicata sunt falso iudicio, sed tamen vt putauit iudex est æquissimum, ea legib. rata esse debent. est igitur idem æquum & iniquum. Est ne is condemnandus qui æqua profert in iudicio, an qui iniqua? atqui æquum est, eum cui facta est iniuria, [n] omnia proferre, quæ suo cum damno pertulit: erant autẽ illa iniusta. Hæc omnia sunt captiosa & fallacia argumenta. Neq; enim si iniuriâ pati aliquid optabile est, statim existimandum est, omnino id magis expetendum esse quod cum iniuria coniunctum est, quàm quod iuri consentaneũ. Sed omnino quidem ac simpliciter ius est iniuria optabilius: nil tamen vetat, quo minus

verum iurare cit.

Opes, sanitas, &c. abutenti mala.

Fur malus, non furẽ capere.

Iniuriâ pati, aut mori optabile.

iniuria, quod ad hoc vel illud attinet, sit magis expetenda. Itemque sua quemque habere æquum est, aliena iniquum: & tamen iudicium hoc iustum esse nil prohibet, nimirum quia vt ęquissimum esse existimauit iudex, ita iudicauit. neq; enim oportet, si quid quod ad hanc quidem rem attinet, aut hoc modo iustum est, omnino esse iustum. Simili modo, vt sint aliqua per se iniusta, fieri tamen potest, vt illa recitare [o] & in iudicio edere iustum sit. neque enim rectè efficies, iustum esse quippiam, si illud exponere iustum sit: sicuti non est necesse, id esse vtile, cuius narratio vtilis est. quod idem de rebus iustis sentiendum est. Illud itaque non rectè concludebatur, quia iniqua erant quæ edidit is qui passus est iniuriam, propterea eum vincere qui iniqua in iudicio protulit: nam illa protulit quæ edere quidem æquum erat, simpliciter autem, & ad ferendum, iniqua. [p] Captionibus autem quæ ex definitione reprehẽsionis existunt, ea ratione occurrendum est, quam in superiore loco subiecimus, exquirendo, an contradictio quæ ad extremum in cõclusione proponitur, iisdem omnino verbis rebusq; constet, an in eadem re pars vtraque sumatur, & ad idem, & eodem modo, & in eodem tempore. Quòd si iam inde à principio disparata interroget alius, non est fatendum, fieri non posse vt idẽ sit duplũ & non duplum: quin potiùs concedendum est fieri posse, [q] nõ eadem tamen ratione. Id enim esset, sine vlla controuersia reprehẽdi & conuinci. Ducuntur autem omnes istæ captiones ex hoc loco: Nũquid quamque rem nouit aut ignorat, qui nouit aut ignorat quænam & qualis sit res quæque? At qui idem qui nouit Coriscum quòd Coriscus sit, eundem quòd sit musicus ignorat: eandem itaque rem scit quispiam, & ignorat. Et rursus, nónne maius est ꝙ quatuor cubitorum magnitudinẽ habet, quàm quod trium? At fieri potest, vt ex tricubito fiat magnitudo quatuor cubitos in longum producta. Et necesse est vt omne quod maius est, minore sit maius: potest igitur fieri, [r] vt idẽ seipso sit maius & minus. [s] His verò quæ ducuntur ex eo quod idipsum, de quo à principio suscepta est disputatio, sumitur, ita occurrendum est, vt ille quidem qui respondet, si talia sumere aduersarium perspiciat, [t] nil eorum admittat, ne si illa quidẽ sunt probabilia: ita tamen, vt interim vera esse dicat illa quæ non admittit. Sin ille non perspiciat à principio talia esse quæ sumit aduersarius, [u] ignorationem suam in aduersarium propter huiusmodi argumentorum vitium reijciet: dicens nil eum tandem confecisse, nec bene disputasse. Debet enim, vt sit reprehensio, abesse petitio principij.

Captiões ex ignorãtia reprehensionis.

Ex repetitione principij.

[x] Deinde

[x] Deinde verò dicet respondens, se illa admisisse, non vt ijs aduersarius contra se vteretur: sed vt aduersus illa disputaret, eiusq; contrarium concluderet, quod captiosa sua reprehensione confecit. [y] Quod verò attinet ad eas quæ ex consequentibus eruũtur, in eo ipso vnde vim habere argumentũ videtur, vitium indicãdum est. Cùm enim duplex sit argumentũ à consequentibus: vnum, in quo ex parte [z] vniuersum genus concluditur, vt ex homine animal. alterum, [a] in quo inter contraria tractatur consecutio: [b] in priore genere dicendum nobis est, eò aduersarium peccare, quia velit, vt ex hoc illud sequitur, ita vicissim ex illo hoc concludi. quod minimè necesse est: in posteriore autem, quia velit, si ex hoc antecedente illud consequens efficitur, [c] ex contrario antecedentis omnino ac sem per confici contrarium consequentis. Cuius generis est argumentatio *Melissi*. Nam si quod generatum est, principium habet: ex eo confici rectè existimat, quod non est generatum, non habere principium: itaque [d] si ingenitum est cœlum, nõ habere principium, adeoq; esse infinitum. Atqui non ita res habet: [e] quandoquidem inter disparata consecutio cõuerso ordine tractanda sit. [f] In ijs autem captionibus quę oriuntur ex eo, quòd amplius aliquid adiectum est, quàm ex quo ducendum fuit argumentum ad conuincẽdum alterum, videndum est, si eo quod dixisti sublato, nihilominus sequatur idem incommodum. quod vbi ita esse compereris, tum id tibi est planum faciendum, dicendumq;, [g] omnes propositiones te non eò admisisse, quòd veras illas esse putares, sed vt videres quid tandem ad rem facerent: iam autem omnino ad rem nil pertinere, quæ ipse sumpserat. [h] Captionib. verò, quę plures interrogationes quasi vnam accipiunt, iam inde ab initio occurrendum est, idque adhibita distinctione. Est enim vna interrogatio, ad quã simplex rectè adhibetur responsio. [i] Itaq; nec plura de vno, nec vnũ de plurib. sed vnũ de vno affirmãdum est, aut negandum. [k] Porrò aũt, sicut in homonymis interdũ euenit vt vtraque, interdum vt neutra significatione verum sit quod interrogatur, eoq; accidit, vt qui quasi ad simplicem interrogationẽ vnã dedit responsionem, nullo inde possit vrgeri incommodo: ita in ijs de quibus agitur vsuenit, vt quando plura de vno, aut vnum de pluribus verè affirmatur, aut negatur, qui simplicem ad illa dederit responsionẽ, [l] quanquam in eo, vitio non careat, nulla tamen hinc ducta ratione conuinci reprehendiq; possit. Quando verò illa partim verè, partim falsò dicuntur, aut etiam quãdo plura de plurib. ita enunciantur, vt vno quo-

Ex vitioso consequente, cuius duo sunt genera.

Ex nõ causa vt causa.

Ex multiplici interrogatiõe.

Plures interrogationes di-

uersi generis. dam modo vtraque vtrisque conueniant, alio quodam modo non conueniant, [m] tum verò maximè nobis cauendum est. Exempli causa: Acceptis duobus, quorum vnum bonum sit, alterum malum, nónne illa verũ est vno modo dicere esse bona & mala, & rursus altero nec bona nec mala? neque enim vtraque attributa vtrisque subiectis inesse possunt: idem igitur bonũ & malum est: & rursus nec bonum nec malum. [n] Item si quæque res secum est eadem, & ab alijs diuersa, sumptis duobus diuersis, in hunc modum fiet captio. Hęc ad se comparata, nõ ad alia, sunt eadem: hæc eadem ad se comparata sunt diuersa: sunt igitur eędem res à se inuicem diuersæ, & eædem tamen. Item, si bonus quispiam malus fiat, & malus quispiam bonus, hîc etiam ex simplici responsione efficietur, vnum ex ijs duob. simul duo contraria, effici. Item acceptis duobus inter se inæqualibus, verum est dicere illa ad seipsa cõparata esse æqualia: erunt igitur eadem aliqua inter se æqualia & inæqualia. [o] Neque verò ego illud negauerim, posse in has captiones aliam solutionẽ cadere: prę-sertim cùm illud verbum Vtraque, itemq́ue illud Omnia, [p] multis modis dicantur. Vnde fit, vt non idem affirmetur & negetur nisi nomine tenus: quam veram esse reprehensionem suprà negauimus. Cæterùm illud planum est, nunquam illa incommoda sequi potuisse, nisi ex multis interrogationibus vna facta esset: etsi vnum vni attributum fuisset affirmando aut negando.

Concedit & aliter prædictas captiones solui posse

IN CAPVT DECIMVM SEXTVM,

ANNOTATIONES.

In captiõe à dicto secundum quid, quid spectãdũ?

[a] Captiones etiam.) *Post accidentis captiones explicatas, sequitur de cæteris, & primùm de ijs, quæ à dicto secundum quid ad dictum simpliciter appellantur: In quibus conclusa argumentatione uult spectandum esse ad contradictionem, simplicitérne illa efferatur, an ad aliquã huius loci particularũ sit adstricta. Si enim ad ullam harum partium adstricta sit, nec purè atq; absolutè efferatur, nihil illa conficit, à quo magnoperè tibi metuendum uideatur. Vult enim contradictio purè utrinq; efferri, quæ inconstantiæ alterum & repugnantiæ accusabit. Poterit igitur in hoc genere captionum itidem conclusio negari, ut loco antegresso. Vbi enim nulla uera est contradictio, ibi nec reprehensio, quẽadmodum ex superioribus notum est. Græca in hunc locum sic habent:* τοὺς δὲ πρὰ τὸ κυρίως τόδε ἢ πῇ, ἢ πῦ, ἢ πῶς, ἢ πρός τι λέγεσθαι τὰ μὴ ἁπλῶς, λυτέον σκοποῦντι τὸ συμπέρασμα πρὸς τὴν ἀντίφασιν, εἰ ἐνδέχεται τούτων τι πεπονθέναι. *Hoc loco nota* τὸ κυρίως καὶ τὸ ἁπλῶς λέγεσθαι *idem Aristoteli ualere. Quod enim hîc* παρὰ τὸ κυρίως *ait, suprà cap. 3.* πρὰ τὸ ἁπλῶς λέγεσθαι *dicebatur.*

τὸ κυρίως, καὶ τὸ ἁπλῶς. idem.

[b] Aduersa

b Aduersa enim omninoq; contra.) *Scilicet ex quibus contradictio & reprehensio reuera constant.*

c Si pars vtraq; sumatur.) *Tale est, si quem facie album, & capillo nigrum esse dicas. Altera pars omnino, altera cum adiunctione profertur, si Aethiopem omnino atrũ, dentibus uerò candidum esse dicamus.*

d Itaq; si pars vna.) *Non interest, utra ea pars sit, antecedens, an consequens. Potest enim utraq; uel simpliciter, uel cum adiunctione proferri, ut suprà ca. 3. indicauimus.*

e Ad hoc autem genus.) *Exemplis locum explicat ut uarijs, ita non iniucundis plerisque & insuauibus.*

f Tale aliquid esse.) *Scilicet opinabile, fictum, extinctum: quomodo Chimæra, Cẽtaurus, & cætera, ficta quidem & opinabilia: Carthago uerò, Ilium, Hector, Achilles, & cæt. euersa quidem iã & extincta esse dicuntur, cùm nullum interim reuera propricq; ex illis esse dici poßit.*

g Vt sanctè quispiam.) *Quo modo hoc fiat, paulo pòst ipse explicabit. Sanctè iurare, τὸ ἐνορκεῖν dicitur: peierare, τὸ ἐπιορκεῖν.*

h Quod ad hoc pertinet.) *Nempe quia ueritatem iureiurando profitetur, dum id quod facit, se facere religiose attestatur. At non omnino id bene aut sanctè iurare est, quẽadmodum nec iurare falsum, peierare est, ut lib. 3. de Officijs Cicero ait. Vt rectè quis iuret, non satis est, ueritatem astruere, oportet & iustè fieri idipsum, & non fallendi studio. Ita tres comites sancti iuramenti Theologi ponunt, ueritatem, iustitiam & iudiciũ, de quo uide B. Hierony. cap. 4. in Hieremiam, & post hunc Magistrum Sententiarum, lib. 3. distinctione 39.* Ad sanctè iurandum quid requiratur.

i Similis etiam ijs est illa capt.) *Meminit huius captionis Cicero 4. Academicarum quæstionum, his uerbis: Si te mentiri dicis, idq; uerum dicis, mentiri uerum dicis. Et: Si dicis te mentiri, uerumq; dicis, mentiris. Dicis autem te mentiri, uerumq; dicis. mentiris igitur. Chrysippus & eius astipulatores Stoici, hoc genus argutiarum inexplicabile dicebant, de quo eodem loco Cicero his uerbis scribit: Hæc scilicet inexplicabilia esse dicitis, quod est odiosius, quàm illa quæ nos incomprehensa & non percepta dicimus. Et: Hæc Chrysippæa sunt, ne ab ipso quidem dissoluta. & cæt. Aristoteles tamen non omnino inexplicabilia eiusmodi sophismata esse ait, sed ad soluendum paulò difficiliora.* Inexplicabile Stoicorum Sophisma.

k Atqui nil incommodi.) *Ostendit dissoluendi modum.*

l Nec secus profectò.) *Plura exempla subijcit, idq; de cæteris modis, quæ paulo suauiora sunt, & in uulgus magis peruulgata. Sanitas, opulentia, principatus, & cætera id genus, bona media sunt, quorum usus anceps est. Vel enim bene, uel malè eis uti possumus, ut Terentianus Chremes ostendit. Sanitate & opulentia ad nequitiam abuti possumus: principatu ad uim & iniuriã alijs inferendã. De medijs bonis uide tabulam Cebetis.* Mediorũ bonorum vsus anceps.

m Iniuriâ

m Iniuriâ mori, quàm iure.) *Sic Apostolus 1. Petri 4 Nemo autem uestrum patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. Græcè est,* ἀποθανεῖν ἀδίκως αἱρετώτερον. *Sic & paulo infrà,* παθεῖν τι ἀδίκως αἱρετόν.

Iniustè affligi optabile.

n Omnia proferre.) *Ad augendum & demonstrandum aduersarij crimen, ut is dignam pœnam subeat.*

o Et in iudicio edere.) *Quò sic tandem à Iudice puniantur, & castigentur.*

p Captionibus autem quæ.) *Hactenus de secundo genere captionum, quæ in rebus uersantur: sequitur nunc tertium genus* τὸ πρὰ τὸν ὁρισμὸν, *seu ut superius appellauit,* τὸ πρὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου. *In hoc eadem consideratio adhibenda in conclusione, quæ suprà: nempe an legitima sit contradictio, quæ in obseruatione cõsequentium particularum,* κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ πρὸς τὸ αὐτὸ, καὶ ὡσαύτως, ἐν ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, *(quemadmodum ex superioribus patuit) sita est.*

Captio ex ignorãtia reprehensionis.

q Non eadem tamen ratione.) *Ita sex, uerbi causa, duplum sunt trium, quatuor non duplum. Et sic de alijs.*

r Vt idem seipso sit.) *Saltem diuerso, non eodem tempore.*

s His verò quæ ducuntur.) *Sequitur de captionibus,* ταῖς παρὰ τὸ αἰτεῖσθαι ἐν λαμβάνειν τὸ ἐν ἀρχῇ, *in quibus duplicem respondendi uiam præscribit, prout uel antè interrogatoris astum perspexeris, uel postmodum re confecta eum agnoscere cœperis.*

Captio ex petitione principij.

t Nil eorum admittat.) *Propterea quòd cum disputationis principio conueniãt, & propterea idipsum per illa demonstrari non possit.*

u Ignorationem suam.) *Græcè est,* τὴν ἄγνοιαν διὰ τὴν μοχθηρίαν τῶν τοιούτων λόγων εἰς τὸν ἐρωτῶντα μεταστρεπτέον.

x Deinde verò dicet.) *Nota scitum ignorantiæ tegumentum, ut propterea nõ negasse te rogata simules, quò aduersum ea posteà disserendi locus daretur. Græcè est,* εἶθ' ὅτι ἐδόθη, οὐχ ὡς τούτῳ χρησομένου, ἀλλ' ὡς πρὸς τοῦτο συλλογιουμένου τὸ ἐναντίον, ἢ ἐπὶ τῶν παρεξελέγχων. *In quo nota,* τὸν παρεξέλεγχον *hîc altera uice ab Aristotele dici eodem significatu, quo suprà cap. 12.*

Ignorãtiæ tegumentum.

παρεξέλεγχος.

y Quod verò attinet.) *Sequitur de loco consequentium, quem bipartitum esse ostendit, propter duplicem* τῶν ἑπομένων *consequutionem. Vel enim simpliciter uerba conuertuntur, uel* ἀνάπαλιν, *seu* κατὰ τὰς ἀντιθέσεις, *ut hîc Aristoteles uocat. Græcè est,* ἐν τοὺς διὰ τοῦ παρεπομένου συμβιβάζοντας, ἐπ' αὐτοῦ τοῦ λόγου δεικτέον ὅστιν, ὡς διττὴ τῶν ἑπομένων ἡ ἀκολούθησις, ἢ γὰρ ὡς τῷ ἐν μέρει τὸ καθόλου, ἢ κατὰ τὰς ἀντιθέσεις, *& cæt.*

Consequẽtiũ locus duplex.

z Vniuersum genus concluditur.) *Idq; simplici uerborum ordine conuerso, ut homo est animal, ergo animal est homo: Mel est flauum, ergo flauum est mel. & cæt.*

a In

a In quo inter contraria.) *Idq; non legitimo ordine obseruato, de quo pòst patebit. Græcè κατὰ τὰς ἀντιθέσεις dicitur.*

b In priore genere.) *Ostendit, quo modo in quoq; genere separatim peccetur.*

c Ex contrario antecedentis.) *Cùm potiùs contrà ex contrario consequentis, eius quod antecedit contrarium sequatur, ut si homo est animal, nõ animal est non homo, de quo lib. 2. Topicor. cap. 4. dictum est.*

d Si ingenitum est cœlum.) *Hic Cœlum, ὃν οὐρανὸν uocat, quod suprà cap. 3. τὸ ἅπαν, hoc est, Vniuersum dicebat.*

e Quandoquidem inter dispar.) *Græcè est, ἀνάπαλιν γὰρ ἡ ἀκολούθησις. De hoc genere suprà dictum est, cap. 3.*

f In ijs autem captionibus.) *Loquitur de ijs captionibus, quæ non causam pro causa ponunt, in quibus quia à Sophista extrinsecus aliquid adhibetur, unde falsa conclusio consequatur, ipse hoc genus captionum in præsens τὸ παρὰ τὸ προστιθέναι τι appellat, dum inquit: ὅσοι τὲ παρὰ τὸ προστιθέναι τὶ συλλογίζονται, σκοπεῖν εἰ ἀφαιρουμένου συμβαίνει μηδὲν ἧττον τὸ ἀδύνατον, & cæt.* Captio ex non causa, vt aliter dicatur.

g Omnes propositiones.) *ὡς ἔδωκεν, οὐχ ὡς δοκοῦν, ἀλλ' ὡς πρὸς ἂν λόγον.*

h Captionibus verò quæ.) *Hic ultimus locus est, cuius generis captionibus initio per distinctionem occurrendum monet, dum inquit: πρὸς δὲ τοὺς τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιοῦντας, εὐθὺς ἐν ἀρχῇ διοριστέον. ἐρώτησις γὰρ μία πρὸς μίαν ἀπόκρισιν.* Captio de multiplici interrogatione.

i Itaque nec plura de vno.) *In hunc locum uide suprà cap. 12. ὥστε οὔτε, inquit, πλείω καθ' ἑνὸς, οὔτε ἓν κατὰ πολλῶν, ἀλλ' ἓν καθ' ἑνὸς ἢ φατέον ἢ ἀποφατέον.*

k Porrò autem, sicut.) *Distinguit hunc locum de pluribus rogationibus, quia interdum uerè ad eas simpliciter responderi licet, interdum non licet: quemadmodum et in homonymis contingit, quorum exemplum initio καθ' ὁμοίωσιν allegat.* Plures interrogationes diuersæ.

l Quanquam in eo, vitio non careat.) *Propterea quòd isto modo omnis ratio disputationis sustolli & euerti uideatur, de quo suprà cap. 12. dictum est, ἀναιρεῖται γὰρ τὸ διαλέγεσθαι. Græcè est, τῷ ἁπλῶς δόντι καὶ ἁμαρτόντι ταύτην τὴν ἁμαρτίαν, οὐδὲν ὑπεναντίωμα συμβαίνει.* Disputatio vt tollatur.

m Tum verò maximè.) *Græcè est, ὥστε εὐλαβητέον ἐν τοῖσδε τοῖς λόγοις. Monet in hoc genere diligenter circumspiciendum esse, eò quòd istud ad fallendum cum primis accommodatum est. Vtcunq; enim ad illud responderis, maximè simpliciter, fieri non potest, quin uel hac, uel illa parte illaqueeris.*

n Item si quæq; res secum.) *Græcè est, καὶ εἰ ἕκαστον αὐτὸ αὐτῷ ταυτόν.*

o Neque verò ego illud.) *πρόληψις obiectionis est, qua docet prægressas captiones alia quoq; uia per ambigui distinctionem explicari posse: etsi eo modo prædicta incõmoda* Alia solutionis via

moda nequaquam ex illis consequi possunt, propterea quòd reprehensio uerborum ambiguitate impeditur, ut superiùs assertum est. Græcè est, ἐμπίπτουσι μὲν οὖν οὗτοι διὰ πολλὰ γοῦν μὲν εἰς ἄπλας λύσεις.

[p] Multis modis dicantur.) Eò *quòd nunc collectiuè, nunc distributiuè apud Grammaticos sumuntur.* Græcè est, πολλὰ γὰρ δ' ἄμφω, πολλὰ δ' ἅπαντα πλείω σημαίνει.

DE REFVTATIONE CAPTIONVM, QVIBVS NVGATIO CONCLVDITVR, ET SOLOECISMVS: ITEM DE distinctione captionum, quod ad solutionis tum facilitatem, tum difficultatem attinet. Cap. 17.

CAP. 6.

Attributa πρός τι, quid seorsum se declarent.

QVod [a] verò attinet ad eas captiones, quæ eò spectãt, vt ad ineptam eiusdem verbi repetitionem aduersarium perducant, hac ratione perspicuum est omnes dissolui posse, si negemus [b] attributa quæ ad aliquid sunt, seorsum sumpta, præter se quicquam significare. Exempli causa, si solum ac per se duplum dicas, sine adiectione simpli: [c] tametsi verum sit in duplo simplum quodammodo appellari. Etenim in hac oratione, Vno minus decem, verbum illud Decem acceptum est, nec decem tamen illa oratione significantur. Item q; in hac negatione, *Non facere*, ineſt verbum facere, [d] atq; adeò in omni negatione ineſt affirmatio: neque tamen verum est, eum qui dicit hoc non esse album, significare album esse. [e] Duplum igitur nil quicquam fortasse præter se significat, sicut nec simplũ significat id quod in ipso intelligitur: [f] aut si significat, non eodem certè modo seorsum atq; coniunctum significat. [g] Neque enim scientia in specie sumpta: veluti si medicina est scientia, idipsum significat quod cùm in genere sumitur, quod quidem erat scientia, ad id quod sub scientiam cadit comparata. [h] De ijs autem attributis quę per ea subiecta definiuntur, de quibus ipsa dicuntur, illud primùm nobis dicendum est, non idem significare verbum aliquod seorsum, atque in oratiõe acceptum. [i] Curuum enim si communiter ac per se sumatur, idem significat in simo & in varo: at coniunctum illac cum naso, hac cũ cruribus, nil prohibet aliud atq; aliud significare: præsertim cùm idem sit, nasum curuum & nasum simum appellare. [k] Deinde verò nõ est permittendum aduersario, vt in recto casu subiectum, cùm ista verba definit, accipiat: quandoquidem falsa illo modo fiat oratio. neque enim verum est in recto, *Simum* est nasus curuus: sed in obliquo dicendum, simum est nasi talis affectio. Quocirca nil absurdũ sequitur, si in alio casu

Quid attributa πρὸς καθ' αὑτὰ συμβεβηκότων.

verbum

verbum illud nasus repetatur, dicendo nasum simum esse, nasum habē-
tem nasi curuitatem. [l] Quod autem ad solœcismos attinet, vnde illi qui dem ducantur, suprà exposuimus: quomodo autem ijs occurrēdum sit, ex ipsis captionibus intelligemus. Nam istæ quas subijciam, ad solœcismum efficiendum omnes pertinent. Nónne quod verè dicis, hoc reuera est? dicis autem aliquid esse lapidem: est igitur aliquid lapidem. [m] At enim qui lapidem dicit, non neutrum, sed masculinum: non nominatiuum, sed accusatiuum dicit. Quocirca si hunc in modum interrogasset alius, Nōne [n] quem tu esse verè dicis, est illud? statim apparuisset illum non latinè loqui: [o] quemadmodum ne is quidem latinè loqueretur, qui interrogaret, nónne hic est quam tu esse dicis? [p] Lignū verò, & alia quæuis nomina, quæ nec masculina nec fœminina sunt, an illo modo mutatis casibus interroges, nil refert: vnde etiam fit, vt si illam captionem ad neutrum accommodes, non fiat solœcismus: Nónne quod tu esse dicis, illud est? lignum autem tu esse dicis, lignum igitur est. Lapis autem, & articulus Hic, masculinorum habet inflexionem. At verò si interrogauerit quispiam, sit ne iste illa? tum subiecerit, nōne iste est Coriscus? & ad extremum concluserit, est igitur iste illa: non erit profectò hoc modo [q] cōclusus solœcismus: ne si Coriscus quidem reuera idē significet cum aliqua re quæ est fœminini generis, illud autem ita esse non admiserit respondens. Nam vt aliquid tandem conficiatur, illud præterea ad superiores interrogationes adijci debet. Quòd si neque ita est, neque ita esse admiserit respondens, omnino nulla fiet ratiocinatio, [r] nec reuera, nec quod ad hūc quidem attinet qui interrogatur. Simili igitur modo & hîc quoq; oporteret verbum illud, lapidem, nominatiuū significare. Quòd si nec ita sit, neque ita esse dederit respondens, [s] omnino illi conclusioni nullus est locus: speciem autem aliquam ex eo accipit, quòd qui sunt reipsa dissimiles nominis casus, similes esse videntur. Quid? nōne hæc verè dicetur esse illud ipsum, quod tu eam esse dicis? atqui tu hanc parmam esse dicis: est igitur hæc parmam. An hoc modo nil confectū est? Certè. [t] nam hæc, non parmā, in accusatiuo sibi iungit, sed in nominatiuo parma: hanc autem, parmam indicat, in accusatiuo. In hac quoq; simile vitium est: Nónne hic est illud ipsum quod tu eum esse dicis? tu autē Cleonem esse dicis: est igitur hic Cleonem. Neque enim articulus hic, Cleonem in accusatiuo sibi iungere debuit: quippe cùm in prima interrogatione dictum sit, quem tu esse dicis, hic est, non autem, hunc est. neque

Explicatio captionū, quæ ad solœcismum cōcludēdū pertinent.

enim qui hoc modo dixisset, latinè fuisset locutus, [u] Nónne scis tu illud? est autem illud lapis, scis igitur lapis. An pronomen Illud, nõ eodem modo sumitur in priore propositione, Scís ne illud? atq; in posteriori, Est autem illud lapis? profectò in priore accusatiuus erat, in posteriore nominatiuus: Nónne hoc scis cuius tu habes scientiam? habes autem lapidis scientiam, scis igitur lapidis. Atq; illud, hoc, demonstrat lapidem in accusatiuo, huius autem lapidis in genitiuo? Arqui concessũ est, cuius habes scientiam, hoc te scire, in accusatiuo, non huius in genitiuo. Quare concludendum fuit, Scis igitur lapidem, non lapidis. [x] Quod igitur huiusmodi captionibus non concludatur solœcismus, sed videamus modò concludi, & quomodo ijs occurrendum sit, ex ijs quæ sunt à nobis ex-

CAP. 7. posita, planè intelligi potest. [y] Illud autem hoc loco nobis intelligendũ

Captiões aliæ faciliùs, aliæ difficiliùs explicant. est, non esse vnius generis omnes captiões, sed nonnullas esse in quibus facilè sit causam captionis perspicere, nonnullas in quibus difficile: idq; dico vsuenire etiam in ijs quæ sunt eiusdem generis: [z] Nam eiusdem generis appellandæ sunt, quæ ex eodem loco ducuntur. [a] Ac eadẽ quidem captio alijs ex genere earum esse videtur quæ ex verbis ducuntur, alijs ex alio genere. [b] Id quod propterea fit, quia vt quæq; res variè commutatur, ita non æquè semper solet esse perspicua. [c] Quẽ admodum igi-

Captiões ex homonymia bipartitæ. tur inter eas quæ ex homonymia ducuntur, ([d] qui certè locus est omnium, vnde oriuntur fallaces conclusiones, vulgatissimus) quædam sunt quæ cuiuis etiam imperito sunt apertæ. [e] adeoq; ridiculæ & leues captiones ex verbo propemodum omnes eruuntur, [f] cuiusmodi sunt istæ: Vir ferebat per scalas λίφρον: &, quò properatis? πρὸς τὸν κεφαλαν. Et vtra bovum antè pariet? neutra, sed retrò vtraq;. Nunquid purus est Boreas? nõ, sed impurus, qui mendicos æquè & mercatores interficit. [g] Nũquid ἕνας & ille est? non, sed Apollonides. Eodem planè modo ex alijs locis huiusmodi nonnullæ perfaciles ducuntur conclusiunculæ. [h] Sed etiã sunt

De Verbo rum potestate sæpè docti disceptant. aliæ, quæ vel doctissimos quosque impediunt. Id quod eo argumento intelligi potest, quòd inter se de nominum significationib. sæpè dissentire docti homines conspiciuntur. Verbi gratia, vtrum eodem semper modo accipiantur [i] vnum & ens, an alio atque alio, parum inter doctos conuenit. Quibusdam enim visum est nullam inesse in ijs verbis, vnum & ens, ambiguitatem. Alij ex eo dissoluunt rationes Parmenidis & Zenonis, quòd ens & vnum multipliciter dicũtur. [k] Nec secùs fit in captionibus quę ex accidente alijsq; locis eruuntur: nam in ijs quoq; alię facilè,

aliæ

aliæ difficilè perſpiciuntur. Atque noſſe ex quo genere ſit quæque, & vtrum reprehenſionis vim habeat an minus, non eſt pariter in omnibus manifeſtum. [l] Porrò aũt acuta argutaq́; captio appellari ſolet, quæ multum in animo relinquit dubitationis. Ea enim eſt quæ acriùs pũgit, mordetq́;. [m] Ambigendi autem duplex eſt cauſa: Vna, quæ locũ habet in ijs quæ concludendi vim neceſſariam habent, cùm dubitatur vtra ſumptionum neganda ſit: Altera, quæ propria eſt fallacium contentioſarumq́; concluſionum, cùm de ratione indicandi vitij, eiusq́; quod plus acceptũ eſt quàm oportuit ad neceſſariam concluſionem, ambigitur. [n] Itaq; inter eas quæ neceſſariò cõcludunt, vt quæq; eſt acutiſsima, ita plurimum adfert dubitationis. Eſt autem illa acutiſsima ratiocinatio, quę ex ijs quę ſunt quàm maximè probabilia, aliquid aut probat, aut refutat, quod eſt maximè probabile. Nam cùm illa vna ſit ratiocinatio, [o] accepto diſparato concluſionis cum altera ſumptionum, ſemper neceſſariò quod volet concludet, quandoquidem neceſſe ſit, vt ex æquè probabilibus, hac ratione, ſemper quod æquè probabile eſt, aut confirmetur, aut refutetur: qua ratiõe efficitur, vt ambigere hoc in loco neceſſe ſit. Eſt igitur illa in primis & maximè arguta, [p] quæ pariter à concluſione & à ſumptionib. adfert dubitationem. [q] Secundo loco, quæ ab vtriſq; ſumptionib. æqualem relinquit, vtra neganda ſit, dubitationem. Cùm enim ſit altera neganda, vtra tandem ea ſit, non eſt facilè decernere. [r] Inter eas autem quę fallaces & contentioſæ ſunt, illa primo loco acuta cẽſenda eſt, in qua nõ ſtatim apparet, ſit ne conſecutio neceſſaria nécne: & vtrum ſit ea diſſoluenda negando falſam aliquam quæ ſumpta ſit propoſitionẽ, an diſtinguendo. [s] Secundo loco numerabitur, quę id quidem minimè habet dubium, vtrum ſit negando an diſtinguendo ſoluenda: ſed tamen quęnam ex omnibus interrogationibus ſit neganda, & quæ diſtinguenda, an ſcilicet quæ complexionis loco accipitur, an ex ſumptionibus aliqua, non ſatis intelligitur. [t] Interdum igitur argumentatio forma vitioſa, inepta eſt ac ridicula, nimirum quãdo ſumptiones valde incredibiles ſunt, aut falſæ: interdum minimè contemnenda eſt. [u] Quando enim in argumentatione deſideratur talis aliqua interrogatio, ex qua potiſsimùm argumenti vis duci debuit, qui illam non ſumpſit, rem tamen quaſi ratiocinatione concludit, is ineptam omnino ratiocinationem facit. Sin quod prætermiſſum eſt, ex genere eſt eorum quæ extrinſecus ad rem valent, non continuò illa argumentatio aſpernanda eſt: [x] quin argumentatio

Arguta captio, eaq́; bipartita.

Tũ in ijs, q́ rectè concludunt.

Tũ in ijs, quæ non rectè.

bona est, culpa autem omnis est penes eum qui non rectè interrogauit.

Triplex vt soluendi, sic & cõcludendi argumẽtatio.

[y] Sicut aũt argumenta varijs modis dissoluuntur: vno modo, vt ad ipsam argumentationem pertineat solutio: altero, vt ad interrogantem, atque adeò ad ipsam interrogandi rationem: tertio, [z] vt ad neutrum conferatur: ita etiam tribus modis tractantur interrogationibus argumẽta: vno modo, vt ad id quod propositum est, omnes tuas rationes conferas: altero, vt respondentem persequaris: tertio, vt disputando rationem habeas temporis. quod postremum tum euenit, [a] cùm plus temporis desideratur ad refutandam solutionem, quam dedit aduersarius, quàm patitur spacium temporis, quod ad disputandum concessum est.

IN CAPVT DECIMVM SEPTIMVM, ANNOTATIONES.

Transit ad negationem & solœcismũ.

[a] Quod verò attinet.) *Hactenus de dissolutione Sophisticarum reprehensionum dictum est, tum earum quæ in uerbis cernuntur, tum earum, quæ in rebus. Sequitur nunc, quo pacto tum negationi occurrendum sit, tum solœcismo. Nam quod ad falsi explicationem, & inopinati attinet, quòd ex superioribus illorum uis iam satis cognita & perspecta esse uideatur, nihil ex professo de ijs hìc tradit.*

Nugatio in duplici bus fit attributis.

[b] Attributa quæ ad aliquid sunt.) *Suprà cap. 9. diximus nugationem in duplici attributorum genere uersari. Vel enim posita est in ijs, quæ cum altero conferũtur, uel in ijs, quæ rerum subiectarum proprietates exhibent: quarũ utrarumq; eadem ferè solutio est, quòd negatur attributum per se positum, & cum alio coniunctũ idem planè ualere. Huius loci suprà cap. 9. meminimus. Græcè est,* φανερὸν ὡς οὐ δοτέον τῶν πρός τι λεγομένων σημαίνειν τι χωριζομένας καθ' αὑτὰς τὰς κατηγορίας.

Relata per se posita quid nocent.

[c] Tametsi verum sit.) *Etsi relatorum alterum in altero reuera intelligitur & continetur, cùm tamen utrunq; istorum per se seperatim ponitur, nihil præter seipsum declarat. Id quod similibus exemplis huc accommodatis Aristoteles probat.*

[d] Atq; adeò in omni.) *Græcè est,* καὶ ὅλως ἐν τῇ ἀποφάσει ἡ φάσις.

[e] Duplum igitur nil.) *Concludit prædicta exempla ad duplum applicans.* Τὸ δὲ διπλάσιον, inquit, οὐδὲ σημαίνει οὐδὲ μῖσος, ὥσπερ οὐδὲ τὸ ἐν τοῖς ἡμίσει.

[f] Aut si significat.) *Correctio, qua non eodem modo utraq; idem significare testatur. Græcè est,* εἰ δ' ἄρα καὶ σημαίνει, ἀλλ' οὐ ταὐτὸ καὶ συνηγμένον.

[g] Neq; etiam scientia in spe.) *Scientia cùm in genere sumitur, includit notionem* τοῦ ἐπιστητοῦ: *cùm in specie, non item.*

Quid noĩa Πρός τι ὼν τα δῶμ.

[h] De ijs autem attributis.) *Hoc alterum genus attributorum est, in quo uerbum per se sumptum aliud, quàm cum altero copulatum designare ait.* ἐν δὲ τοῖς, inquit, διὰ ἄλλην κατηγορουμένοις τοῦτο λεκτέον, ὡς οὐ τὸ ἀνὰ χωρὶς καὶ ἐν τῷ λόγῳ ἀλλὰ μέ-

ἁπλόμενον.

i Curuum enim si commu.) *Curuum, τὸ κοῖλον Græcè dicitur, Id quod indifferenter τὸ σιμὸν, hoc est, simum, καὶ τὸ ἀγκὸν, hoc est, uarum seu obliquum sub se complectitur. Curuum in quauis materia intelligi potest: Simum & uarum certam materiam obtinet. Nam hoc de crure, illud de narib. propriè dicitur. Quod hîc τὸ κοῖλον appellat, alibi καμπύλον uocat eodem sensu, ut lib. 2. de Principijs, cap. 2. ἀλλὰ ταῦτα ὥσπερ ἐπὶ σιμοῦ, ἀλλ' οὐχ ὡς καμπύλον λέγεται.*

Curuum, τὸ κοῖλον, de quibus dicatur.

καμπύλον.

k Deinde verò non est.) *Hoc loco nota bipartitò accidētia τὰ καθ' αὑτὰ à Philosophis spectari. Vel enim concretè per modum accidentis spectantur: uel abstractè, per modum substantiæ. Cùm hoc modo considerantur, subiectum in ipsorum finitione adhibetur, pro differentia casu obliquo: cùm illo, tanquam genus, & quidem casu recto. Sic dicimus, Simus est nasus curuus: Simitas uerò, est nasi curuitas. Atq; hoc modo ferè D. Thomas in lib. 6. Metaphysic. cap. 5. Græcè est hoc loco: ἔτι οὐ δ' οὐτέρου τούτου λέξιν κατ' ἐνεργείαν, ψεῦδος γάρ ἐστιν, οὐ γάρ ὅτι τὸ σιμόν ἐστι κοίλη, ἀλλὰ ξυνὸς τόδε τοῦ παθήματος. Memmeris uerò τὸ σιμὸν neutro genere, ἀντὶ τοῦ σιμότητος, abstractè hîc dici. In hūc locum uide D. Thomam libello de Natura & essentia rerum, cap. 13.*

Accidētia τὰ καθ' αὑτὰ bifariā spectata ūniuntur.

τὸ μὲν ἐν τῇ τοῦ σιμοῦ φύσει.

l Quod autem ad Solœcis.) *Transit ad Solœcismos, quorum explicationem ἐπ' αὐτῶν τῶν λόγων manifestam fore ait.*

m Arenim qui lapidem di.) *Græcè est, ἡ δὲ λέγων λίθον οὐκ ἔστι λέγων ὃ, ἀλλ' ὅν, οὐ δὲ τοῦτο, ἀλλὰ τοῦτον. Quia neutra illa ὃν καὶ τοῦτο incerti casus sunt, Aristoteles rei clariùs explicādæ causa, neutra ista ad masculinum genus ὃν καὶ τοῦτον traduxit, quòd in isto genere casuum discrimen luculentiùs appareat. Cùm nominandi casu istud τοῦτο in propositione à respondente datum esset, aduersarius tanquam accusandi casu sit datum, ita concludit. Quia ex re solœcismus efficitur.*

ὃν καὶ τοῦτον.

n Quem tu esse verè dicis, est illud.) *Interpres, illud, neutro genere dixit, quasi Græcè τοῦτο esset. Verùm Græcè masculino genere est, τοῦτον. Sic enim legitur: ἅρα ὃν λέγεις ἀληθῶς ὅτι τοῦτον; Atq; sic transtulit etiam Boëtius cum alijs. Quod dicitur, illum non latinè loqui, pro Latinè loqui, Græcè est δ' ἑλληνίζειν. Verùm Interpres Latinis Latinè hæc trāsferens, ad suam linguam rectè Græcum uerbum accommodat: Maximè cū eadem sit, quod ad hanc rem attinet, in utraq; lingua, constructionis ratio. Boëtius pro Latinè loqui, Romanè loqui eodem modo dixit.*

Diuersa lectio.

δ' ἑλληνίζειν

o Quemadmodum ne is quidem.) *A simili confirmat: Hîc genera confundit, antè casus pro casu ponebatur.*

p Lignum verò & alia.) *Vult in neutris minimè solœcismum admitti, quòd hæc eadem terminatione diuersos casus obtineant, de quo suprà cap. 9. dictum est fusiùs.*

q Conclusus solœcismus.) *Præsertim quod ad casus attinet. Nam in genere quis*

solœcismum committi non uidet?

r Nec reuera, nec quod.) *Græcè est,* οὔτε τῷ ὄντι, οὔτε πρὸς τὸ ἐρωτώμενον. *Nota omnia ex concessione progredi in hoc genere captionum.*

s Omnino illi conclusioni.) *Græcè est,* οὐ λεκτέον δὲ συμπέρασμα. φαίνεται δὲ πρὰ τὸ τὴν ἀνόμοιον πτῶσιν τοῦ ὀνόματος ὁμοίαν φαίνεσθαι.

t Nam hæc non par.) *Vult parmam, articulo, hæc, respondere, qui nominatiuo casu profertur: non hanc, qui accusatiuo. Similiter Cleonem in sequenti exemplo, uult cũ articulo hic nominandi casu proferri, non hunc, accusandi. Parma, scuti genus est, quod Græcè* ἀσπὶς *hoc loco dicitur. Cleon nomen est ducis Atheniensium, qui aduersus Lacedæmonios & Thraces bella gessit, de quo uide lib. 1. de Ratiocinat. cap. 15.*

Parma.

Cleon.

u Nónne scis tu illud.) *Pluribus exemplis locum explicat. Verùm hæc ex Grammaticis sat nota sunt.*

x Quod igitur huiusmodi.) *Concludit locum, transiens nunc inde ad superiorũ captionum omnium distinctionem aperiendam, præsertim quod ad soluendi tum facilitatem, tum difficultatẽ attinet. Neq; enim pari facilitate omnes, ne illæ quidem quæ ex eodem loco existunt, dissoluuntur, quemadmodum posteà patebit.*

Transitus ad captionum collationem.

y Illud autem hoc loco.) *Græcè est,* δεῖ δὲ κατανοεῖν ὅτι πάντων τῶν λόγων οἱ μὲν εἰσι ῥᾴους κατιδεῖν, οἱ δὲ χαλεπώτερον πρᾶτι καὶ ἔν τινι παραλογίζονται δὲν ἀκούοντα, πολλάκις οἱ αὐτοὶ ἐκείνοις ὄντες. *& cæt.*

z Nam eiusdem generis.) *Ita quæ ex homonymia existũt, eiusdem generis sunt, & quæ ex amplibolia, & sic de cæteris. Græcè est,* δὲν αὐδὲν γὰρ λόγον δεῖ καλεῖν δὲν πρὰ τὰ δὲ λεγόμενον.

ἐν αὐτὸ λόγος, τίς.

a Ac eadem quidem captio.) *Ostendit tanta obscuritate hanc rem quandoq; inuolutam esse, ut eadem captio ab alijs atq; alijs ad diuersa genera referatur.*

b Id quod propterea fit.) *Græcè est,* διὰ τὸ μεταφερόμενον ἕκαστον μὴ ὁμοίως εἶναι δῆλον.

c Quemadmodum igitur inter.) *Exemplo docet, ac præcipuè quidem de homonymia, cuius generis captionum pleræq; animaduersu sunt facilimæ, ita ut imperitissimis etiam quibusq; per se statim pateant: pleræq; uerò tantam obscuritatem præferunt, ut uel doctissimi interim illis capiantur.* ἐν τοῖς παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν, (*inquit*) τὰ μὲν καὶ τοῖς τυχοῦσιν ὅτι δῆλα, τὰ δὲ καὶ τοὺς ἐμπειροτάτους φαίνεται λανθάνειν.

Homonymiæ captiones bipartitæ.

d Qui certè locus est omni.) *Conuenit cum hoc, quod suprà cap. 1. dixit,* ὧν εἷς τόπος εὐφυέστατος καὶ δημοσιώτατος ὁ διὰ τῶν ὀνομάτων. *Græcè est,* ὅσπερ δοκεῖ τρόπος συνηθέστατος εἶναι τῶν παραλογισμῶν.

Homonymiæ locus συνηθέστατος

e Adeoq; ridiculæ &c.) *Græcè est,* καὶ οἱ λόγοι σχεδὸν οἱ γελοῖοι πάντες εἰσὶ παρὰ τὴν λέξιν.

f Cuius-

f Cuiusmodi sunt istæ.) *Sequentium exemplorum explicationem ab Hauichhorstio pete.*

g Nunquid ἔυαρχος ille est?) *Loquitur de Tyranno, alludens ad uerborum ἔτυμον. ἔυαρχος bene imperans Latinè sonat: ἀπολλωνίδης à perdendo dicitur. τὸ ἀπολλύειν enim perdere est, Vnde & Apollo, teste Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 17. nomẽ sortitus est.* ἔυαρχος. ἀπολλωνίδης.

h Sed etiam sunt aliæ.) *Hoc alterum prægressæ diuisionis membrum est, id quod ita se habere manifestum facit, quia persæpe de uerborum potestate docti inter se digladientur,* σημεῖον δὲ τούτου, *ait,* ὅτι μάχονται πολλάκις περὶ τῶν ὀνομάτων. De Verbis docti disceptant.

i Vnum & Ens.) *Græcè τὸ ἕν, καὶ τὸ ὄν dicuntur, quarum uocum quæ uis ac potestas sit, cùm alibi id Aristoteles, ut in Metaphysicis lib. 4. demonstrat, tum & lib. 1. de Natura, cap. 2. & 3. conspicuum facit.* Vnũ & ens ambigua.

k Nec secus fit in capt.) *Ostendit parem cæterorum locorum rationem esse cum illis, de quibus dixit.*

l Porrò autem acuta.) *Quod antè de difficultate & obscuritate prægressarum captionum instituit, pergit nunc clariùs explicare, idq; pro diuersitate ac uarietate propositarum argumentationum, in duo genera eam doctrinam dispertiens. Orditur autẽ hanc tractationem à difficilis & obscuræ ad explicandum ratiocinationis definitione, quæ talis est:* ἔστι δὲ δριμὺς λόγος, ὅστις ἀπορεῖν ποιεῖ μάλιστα, δάκνει γὰρ οὗτος μάλιστα. Δριμὺς, *propriè est asper, teter, acutus, & grauis in odore. Dicitur enim* πρὸς τὰς ῥῖνας μύειν, *testibus Grammaticis. Libro 8. Topicor. cap. 1. Aristoteles ad hominem retulit, cùm inquit:* ὁμοίως δὲ καὶ ὅσοι οἴονται δριμεῖς εἶναι ἐν τοῖς ἀποκρίνεσθαι. *Phauorinus,* δριμὺ, *inquit,* ὀξὺ, σφοδρὸν, θερμὸν, ταχὺ. δριμὺς, ὀξὺς, συπτικὸς. Acuta captio quæ. δριμύς.

m Ambigendi autem duplex.) *Partitur in duo genera prædictam captionum* δριμύτητα, *uti diximus. Sumitur autem ista partitio à re subiecta. Nam uel in ijs quæ rectè concludunt, locum habet, uel in ijs quæ non rectè concludunt. Græcè est,* ἀπορία δέ ἐστι διττή, ἡ μὲν ἐν τοῖς συλλελογισμένοις, ὅ, τι ἂν ἕλοι τὶς τῶν ἐρωτημάτων, ἡ δὲ ἐν τοῖς ἐριστικοῖς, πῶς εἴποι τὶς τὸ προστεθέν. δριμύτης bifariam accidit.

n Itaq; inter eas quæ.) *Separatim in quoq; genere exponit, quæ maximè acuta difficilisq; sit argumentatio. Atq; in syllogisticis quidem duas istiusmodi argumentationis species hîc supponit.* διόπερ ἐν τοῖς συλλογιστικοῖς (*inquit*) οἱ δριμύτεροι λόγοι, ζητεῖν μᾶλλον ποιοῦσιν. ἔστι δὲ συλλογιστικὸς μὲν λόγος δριμύτατος, ἂν δὲ ὅτι μάλιστα δοκούντων ἐνδόξων, ὅτι μάλιστα ἔνδοξον ἀναιρῇ τις. In syllogisticis bipartitio.

o Accepto disparato conclusionis.) *Græcè est,* μετατιθεμένης τῆς ἀντιφάσεως.

p Quæ pariter à conclusione.) *Græcè est,* ὃ δὲ ἴσου τὸ συμπέρασμα ποιῶν

τοῖς

τοῖς ἐρώτημασι.

Alter modus.

q Secundo loco quæ ab vtrisq;.) Hæc altera forma est superioris generis τοῦ δριμέος λόγου. Græcè est, δεύτερος δὲ ὁ ἐξ ἁπάντων ὁμοίων, οὕτως γὰρ ὁμοίως ποιήσει ἀπορεῖν, ὁ πότερον τῶν ἐρωτημάτων ἀναιρετέον.

Prior modus ἐν τοῖς ἐριστικοῖς.

r Inter eas autem quæ.) Subijcit de altero genere τῶν ἐριστικῶν, quod item bipartitum est. τῶν δ' ἐριστικῶν, inquit, δριμύτατος μὲν, ὁ πρῶτος εὐθὺς ἄδηλος πότερον συλλελόγισται ἢ οὔ, καὶ πότερον παρὰ τὸ ψεῦδος ἢ διαίρεσιν ἐστὶν ἡ λύσις.

Alter in iisdem.

s Secundo loco numerabitur.) Hæc altera species est. Græcè est, δεύτερος δὲ τῶν ἄλλων, ὁ δῆλος μὲν ὅτι παρὰ διαίρεσιν ἢ ἀναίρεσίν ἐστι, μὴ φανερὸς δὲ ὧν διάτινος τῶν ἠρωτημένων ἀναίρεσιν ἢ διαίρεσιν λυτέος ἐστίν, & cæt. Hoc loco nota duplicem solutionis rationem, ἀναίρεσιν καὶ διαίρεσιν.

Duo genera vitiosarum argumentationum Ciceroni.

t Interdum igitur argu.) Vide num hunc locum Cicero expresserit lib. 2. Rhetoricorum ad Herennium, sic de uitiosis argumentationibus scribens: Genera duo sunt uitiosarum argumentationum: unum quod ab aduersario reprehendi potest, idq; pertinet ad causam: alterum, quod tametsi nugatorium est, tamen non indiget reprehẽsione. Quæ sint quæ reprehensione confutari conueniat, quæ tacitè contemni atq; uitari sine reprehensione, si exempla subiecero, intelligere dilucidè poteris. Græcè est, ἐνίοτε μὲν οὖν ὁ μὴ συλλογισθεὶς λόγος εὐήθης ἐστὶν, ἐὰν ᾖ λίαν ἄδοξα ἢ ψευδῆ τὰ λήμματα, ἐνίοτε δὲ οὐκ ἄξιος καταφρονεῖσθαι. Hoc in loco nota sumptiones, τὰ λήμματα Aristoteli dici, quo uerbo & lib. 8. Topicor. usus est cap. 1.

τὰ λήμματα.

u Quando enim in argu.) Explicatio utriusq; membri, quando & contemnenda, & non contemnenda sit argumentatio.

ὁ ἐπιεικὴς λόγος.

x Quin argumentatio bona est.) Bonam argumentationem, τὸν ἐπιεικῆ λόγον uocat.

Vt soluendi, sic & cõcludendi argumẽti ratio triplex.

y Sicut autem argumenta.) Docet triplicem ut soluendi, sic & proponendi concludendiq; argumenti esse rationem. Vel enim ad rem utraq; conferũtur, uel ad personã, uel ad neutrum istorum, sed ad tempus, quo disputatio peragitur. Græcè est, ἔστι δὲ ὥσπερ λύειν ὁτὲ μὲν πρὸς τὸν λόγον, ὁτὲ δὲ πρὸς τὸν ἐρωτῶντα καὶ τὴν ἐρώτησιν, ὁτὲ δὲ πρὸς οὐδέτερον τούτων: ὁμοίως καὶ ἐρωτᾶν ἐστι καὶ συλλογίζεσθαι, καὶ πρὸς τὴν θέσιν, καὶ πρὸς τὸν ἀποκρινόμενον, καὶ πρὸς τὸν χρόνον, & cæt.

z Vt ad neutrum conferatur.) Prædictorum scilicet, sed ad tempus, ut posteà indicat.

τὸ διαλεχθῆναι πρὸς λύσιν.

a Cùm plus temporis.) Græcè est, ὅταν ᾖ πλείονος χρόνου δεομένη λύσις, ἢ τοῦ παρόντος καιροῦ τὸ διαλεχθῆναι πρὸς τὴν λύσιν. Nota hîc phrasin, τὸ διαλεχθῆναι πρὸς τὴν λύσιν. Sic lib. 8. Topicor. cap. 2. διαλεγῆναι πρὸς τὸ ἀξίωμα καὶ τὴν πρότασιν, καὶ τὴν θέσιν eodem sensu inquit.

GENE-

GENERALIS EPILOGVS, CONSTANS ENVMERATIONE PRAEDICTORVM: ET QVAM DIFFICILIS fuerit huius artis descriptio.

Cap. 18.

CAP. 18.

Repetitio eorũ, quæ hactenus dicta sunt

ATque [a] illa quidem omnia hactenus exposita sunt, ex quot, quibusq; locis ducuntur omnes captiosæ conclusiones, quæ solent interdisputandum incidere: deinde quomodo sit mendacij arguendus aduersarius, & quibus rationibus eò perducendus, vt paradoxa aliqua dicere videatur: tum quibus ex causis potissimùm [b] nascatur soloecismus: mox, quomodo interrogandum esset, quæque esset interrogationũ collocatio: [c] deinde, quisnam esset vsus tractationis huiusmodi sophisticarum captionum: postremò, quæ in vniuersum esset ratio respondendi, & quomodo singulæ rationes & syllogismi dissoluendi essent. [d] Nunc reliquum est, vt postquam à capite repetierimus institutum nostrum, de eoque pauca dixerimus, finem huic disputationi imponamus. [e] Hoc igitur à principio diximus, fuisse nostrum institutum, vt inueniremus facultatem quandam differendi de quacunq; re proposita, ex ijs quæ essẽt in re proposita quàm maximè probabilia. [f] Est enim hoc officium dialectices, tum eius quæ per se dicitur, tum eius quæ in tentando & experiundo cernitur. [g] Sed quoniam par est, sic esse hac arte instructum dialecticum, (ne qua in re hæc ars Sophisticę, cui finitima est, cedat) vt nõ modò experiundi causa probabiliter [h] alterum interrogare possit, sed etiam [i] vt scientiam rei præ se ferat: propterea non tantùm illud quod modò dictum est, posuimus huius artis officium, [k] quod in exigenda ab altero ratione cernitur, sed etiam in eo, vt si quando à nobis exigatur ratio de eo quod defendendum in disputatione suscepimus, cõstantissimè ac sine vlla repugnantia tueamur: idque ex iis quæ sunt quàm maximè probabilia. Cur autem id etiam partem muneris dialectici fecerim, [l] paulò antè rationem subieci: [m] ob quam etiam causam Socrates interrogabat semper, respõdebat nunquam: quia se nil quicquam scire profitebatur. [n] Illud porrò in superioribus libris explicatum est, quæ & quot sint quæstionum genera, in quibus hæc ars versatur, & quæ essent, & in quo numero, ea ex quibus ipsa constaret disputatio: tum, quomodo earum rerũ magna copia nobis suppetere posset: [o] postremò, de ratione interrogandi, omninoq; de collocatione, quæ sit interroganti obseruanda: itemq; de responsione, & ratione dissoluendorum argumentorum diximus:

Quæ summatim in libris Topicorũ tradiderit,

Ro omni-

omninoq; expoſuimus cætera omnia, quæ viſa ſunt ad illam differendi rationem pertinere. [p] Poſt hæc autem docuimus de fallacibus & captioſis concluſionibus, quemadmodum etiam paulò antè dictum eſt. [q] Quę cùm ita ſint, profectò iam dubitari non poteſt, quin ſatis commodè ad exitum à nobis id perductum ſit, quod inſtitueramus. [r] Iam verò ne quis ignoret, quid nobis in explicatione huius artis vſuuenerit, illud intelligendum eſt, eorum omniũ quæ inueniuntur, aliqua eſſe, [s] quę iam antè ab alijs aliqua ex parte comprehenſa, ſubtiliùs poſteà, & quaſi particulatim elaborata, opera tandem eorũ qui illa poſteà accipiunt, longiùs progrediuntur, magnumq; incrementum capiunt. [t] alia autem à primo origine inuenta, non ita multum à principio progrediũtur: ſed tamen multo plus vtilitatis habent illa initia, quàm reliqua omnis quæ ex ijs proficiſcitur acceſsio. [u] Eſt enim (vt dici ſolet) principium maxima pars totius, ideoq; difficillimum. Quanto enim vi & facultate maiore eſt, tanto minore eſt magnitudine: eaque de cauſa difficillimè perſpicitur. [x] eo autem inuento, non eſt difficile conferre & adijcere reliqua. [y] Porrò autem illud quod dixi, cùm in alijs ferè omnibus artibus, tum in arte oratoria vſuueniſſe maximè conſpicitur. [z] Qui enim huius artis principia inuenêre, parum admodum progreſsi ſunt: qui autẽ nunc ſunt in eo genere illuſtres & probati, acceptis ijs quæ à multis tractata quaſi per ſucceſsionem paulatim proceſſerant, in eos fines quos nunc habet, artẽ protulerũt. [a] Tiſias quidem primus addere cœpit ijs initijs, quæ à primis inuentoribus profecta erant. Hunc Thraſymachus ſecutus eſt: cui deinde ſucceſsit Theodorus, alijq; permulti, qui ſinguli ſuas quaſdam particulas adiecerunt: [b] vt iam non ſit mirum, in tantam magnitudinem eã tandem excreuiſſe. [c] At verò huius artis, in cuius explicatiõe verſamur, non pars quædam iam antè inuenta & elaborata erat, pars altera minus explanata: ſed omnino nil in eo genere adhuc ab alijs traditũ extabat. [d] Nã qui adhuc mercede conducti, natam ad contentiones diſſerendi rationẽ docuerunt, idem ferè quod Gorgias ſequuti ſunt in docẽdo inſtitutum. [e] Vt enim hic ad dicendum, ita illi ad diſputandum orationes ediſcẽdas diſcipulis tradebant de ijs rebus, in quas ſæpiùs ſuos vtrique ſermones inducebant. [f] Vnde efficiebatur, vt diſcipuli celeriter illi quidem, ſed citra vllam artem, quæ ab illis tradebãtur, diſcerent. Illi enim ita demum ſe rectè docere exiſtimabãt, ſi omiſſa arte, ipſum artis opus proponerẽt. [g] Vt ſi quis ſe profiteatur artem traditurũ, qua ne pedes poſteà vllus offendat,

CAP. 9.

Oſtendit antegreſſę tractationis difficultatẽ, & nulla re à prioribus adiutus iſta ſcripſerit.

Non vt Rhetorice ſic & hæc ars ab Ariſtotele elaborata.

Veteres exẽpla q̃dã captionũ, nõ artẽ tradiderũt.

fendat, effecturus sit: ac posteà non sutoriam ille quidem doceat, neque vndeparari possint quæ ad eam rem sunt necessaria ostendat, sed magnam calceorum omnis generis multitudinem proferat: sanè qui hoc fecerit, ad vsum quidem profuit, artem autem nõ attigit. [h] Ac de arte quidem rhetorica satis multa à veteribus tradita habuimus: de hac autẽ disserendi ratiõe nil planè habuimus, quod alijs acceptum referamus: [i] sed nos longo vsu singula inquirendo, multum temporis magno cum labore consumpsimus. [k] Si igitur vobis ea considerantibus videatur hæc ars illis, quæ nos tradidimus, initijs satis accuratè explicata, præ alijs disciplinis, quæ ex longa successione in tantam excreuerunt amplitudinem: hæ profectò [l] vestræ sunt, auditorúmue partes, vt si qua prætermissa sint in tractatione huius artis, [m] ea nobis bona cum venia condonetis: & si qua rectè inuenta, [n] magnas eo nomine nobis gratias habeatis. Omissorũ veniã petit, & pro rectè traditis sibi agi gratias.

IN CAPVT DECIMVM OCTAVVM, ANNOTATIONES.

[a] Atq; illa quidem omnia.) *Hoc postremum caput est, in quo generatim repetitis omnibus, quæ tum hoc libro de captiosis reprehensionibus, tum octo præcedentibus libris de uniuersa inueniendi ratione tradita sunt, omni huic tractationi finem imponit, docens quàm operosum fuerit prædicta illa omnia sermone consequi, cùm nihil in ea re à Veteribus adiutus sit, quemadmodum illi qui Rhetoricas præceptiones conscripserunt, quã plurima ab Antiquis in ea re adiumenta perfenserunt. Quam ob rem cùm longo usu, non sine magno labore ac studio hæc exquisierit, eademq; cum alijs amicè ac candidè communicarit, precatur si qua rectè tradita sint, pro eis sibi gratiam haberi: si qua omissa & neglecta, in eo sibi ueniam dari, cùm nemo idem sit eiusdem artis & inuentor & perpolitor.* Summa præsentis Capitis.

[b] Nalcatur Solœcisinus.) *Græcè pro solœcismo syllogismus est. Legitur enim,* ἔτι δ' ἐκ τίνων συμβαίνει ὁ συλλογισμός. *At fieri potest, ut in Græcis mendum sit.* Lectio Græca mẽdosa.

[c] Deinde quísnam esset.) *De superioribus in prima libri parte disseruit: de ijs quæ sequuntur, disseruit in parte posteriore.*

[d] Nunc reliquum est.) *Hactenus de repetitione eorũ, quæ præsenti libro docuit: pergit nunc ad Topicorum epilogum contexendum. Hîc non omnia speciatim recenset octo libris tradita, sed ea quæ lib. 1. & lib. 8. summatim tradidit, paucis ob oculos proponit. Græcè est,* λοιπὸν δὲ περὶ ὅλης ἀρχῆς προθέσεως ἀναμνήσασιν, εἰπεῖν τὶ ἔτι καὶ περὶ αὐτῆς, καὶ τέλος ἐπιθεῖναι τοῖς προειρημένοις. E Topicis quæ repetat.

[e] Hoc igitur à principio.) *Græcè est,* προειλόμεθα οὖν ἔνιά τινα δύναμιν

συλλογιστικὴν περὶ τοῦ προβληθέντος ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἐνδοξότατα. Conuenitq; hic locus cum initio lib. 1. Topicor. quo sic ait: ἡ μὲν πρόθεσις τῶν πραγματείας, μέθοδον εὑρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ πανδὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων. Quod in Topicis μέθοδον ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι ait, hîc breuiter δύναμιν συλλογιστικὴν: quod in Topicis περὶ πανδὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος, hîc uno uerbo, περὶ τοῦ προβληθέντος ait.

Duorum locorum collatio.

f Est enim hoc officium.) De eo uide cap. 2. lib. 1. Topicor. τοῦτο δ' ἴδιον ἢ μάλιστα οἰκεῖον τῶν διαλεκτικῆς ἐστίν. Quod de πειραστικῇ hîc apponit, de eo dictum est in lib. de Reprehensionibus Sophistarum, cap. 7.

Officiũ Dialecticæ.

g Sed quoniam par est.) Hoc loco causam animaduerte, quare in describendo Dialecticæ officio ac fine, lib. 1. Topicorum in initio statim adiunxerit, καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες μηθὲν ἐρῦμεν ὑπεναντίον: nempe quia Dialectici est, non modò rogare, & ex ijs quæ rogata sunt, propositum contra alterum uerisimiliter cõcludere: sed etiam si quis alius quippiam obijciat, id dextrè respondendo dissoluere & explicare. Idq; ne hac parte Sophistæ, qui utrunq; prædictorum scientiæ suæ iactandæ causa, ex ijs quæ uerisimilia apparent, conficiendi sibi potestatem sumit, inferior esse uideatur. Locus prima fronte obscurior uidetur, sed Alexandri explanatione apertior euadit. Græcè est: ἐπεὶ δὲ προκαταχευάζεται πρὸς αὐτὴν διὰ τὴν τῶν σοφιστικῆς γειτνίασιν οὐ μόνον δύναται πειρὰν λαβεῖν διαλεκτικῶς, ἀλλὰ καὶ ὡς εἰδὼς, διὰ τοῦτο οὐ μόνον δ' λεχθὲν ἔργον ὑπεθέμεθα τῶν πραγματείας, δὲν λόγον δύνασθαι λαβεῖν, ἀλλὰ καὶ ὅπως λόγον ὑπέχοντες φυλάξομεν τὴν θέσιν. Initio sumit Dialecticam Sophisticæ affinem esse, & cõtrà, idq; quòd ex uerisimilibus utraq;, et pari ferè modo, progrediatur. Deinde Sophisticen omnium rerum scientiã quodammodò sibi arrogare, perinde ut Gorgias apud Platonem sese iactat, quòd nemo à multis iam annis aliquid noui ab ipso percunctatus esset. Ex quo sequitur, nõ rogare solùm Sophisticæ conuenire, & orationẽ accipere, sed uel in primis respondere, & orationem dare: quòd hoc modo scientia potiùs demonstrari poßit, iuxta id quod Alexander ait: δὲν δὲ λέγοντα πάντα γινώσκειν μᾶλλον προσήκει ἐρωτᾶσθαι καὶ φανερὰ ποιεῖν, ὅπερ ἐπίσταται, ἤπερ ἐρωτᾶν. Hæc cũ ita sint, etiam Dialecticæ munus erit, non solùm rogare, & ex rogatis concludere, sed etiã respondere, & ea quæ obijciantur, arte depellere. Alioqui enim Sophisticæ hoc loco inferior uideatur. Atq; sic ferè Alexander hunc locum explicat.

Dialectici munus & interrogare & respõdere.

Loci obscurioris explicatio

h Alterum interrogare possit.) Ex ijsq; quæ alter dederit, aut nõ dederit, propositum ratiocinando colligere.

i Vt scientiam rei præ se ferat.) Id quod maximè in respondendo situm est, ut iam diximus.

k Quod in exigenda ab altero ratio.) Græcè δὲν λόγον δύνασθαι λαβεῖν id

dicit

dicit. Quid sit λόγον λαβεῖν, ἢ μὴ ὄναι ὑπέχειν, suprà dictum est cap. 1.

l Paulo antè ratione subie.) Nempe ut uel hoc modo Sophisticæ æquipararetur.

m Ob quam etiam causam.) A contrario probat, Socratis factum Sophistarũ instituto opponens. Sophistæ omnia se scire iactabant: Socrates nihil. Itaq; hic interrogabat tantum in differendo: illi non interrogabant solum, sed & respondebant, idq; superbè satis & insolenter. In hunc locum uide Ciceronem lib. 1. Academicarum quæstionum, et in ueteri Rhetorico, lib. 1. ubi sic inquit: Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea quòd nihil ipse afferre ad persuadendum uolebat, sed ex eo quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo quod iam concessisset, necessariò approbare deberet. De Socratis sententia (quam & Arcesilas Academicus amplexus est, qua uterq; nil scire se profitebatur) uide Lactantium lib. 3. de falsa Sapientia, cap. 6. Lactantio ista sententia ἀσύστατον esse uisa est, hoc est, instabilis & inconstans. Vt enim nihil sciri posse sciendum sit, inquit, aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias, idipsum nihil sciri posse tolletur. & cæt. Verum Socrates modestiæ causa, ut Sophistarum contrà sentientium tumorem redargueret, ita loquutus esse uidetur.

Socrates rogabat, non respondebat in differẽdo.

Socratis sententia ἀσύστατος.

n Illud porrò in superioribus.) De his & lib. 1. explicatum est, nisi fortè & locorum præceptionem hic simul comprehensam esse placeat, de qua libris insequentibus disputatur.

o Postremò de ratione inter.) De hac re ex professo lib. 8. Topic. tractatum est.

p Posthæc autem docui.) Redit ad antè explicatam huius libri materiam.

q Quæ cùm ita sint.) Græcè est, ὅτι μὲν οὖν ἔχει τέλεον ἱκανῶς ἃ προελόμεθα, φανερόν.

r Iam verò ne quis ignoret.) Hæc ad explicandã prægressæ disputationis & amplificandam difficultatem faciunt. Quia enim nulla priorum ope fretus, ad hæc scribenda accessit, sed solo ingenio, longo usu, et multa inquisitione hæc ipsa peruestigauit, dubium esse nõ potest, quin explicatio summa cũ difficultate coniuncta fuerit. Auget aũt difficultatem suscepti operis, per comparationem cæterarum disciplinarum, quarum fundamẽta ab alijs cùm iacta fuerint, non ita difficiles in ijs absoluendis progressiones posteri repererunt. ἡμᾶς δὲ ὑμᾶς (inquit) μὴ λελῆθέναι δ' συμβεβηκὸς περὶ ταύτην τὴν πραγματείαν. τῶν γὰρ εὑρισκομένων ἁπάντων τὰ μὲν παρ' ἑτέρων ληφθέντα πρότερον, πεπονημένα κατὰ μέρος ἐπιδέδωκεν ὑπὸ τῶν παραλαβόντων ὕστερον, & cæt.

Huius tractationis difficultas comparatione augetur.

s Quæ iam antè ab alijs.) Huc pertinet, quod Rodolphus Agricola lib. 2. cap. 7. ait, primium constare omnes artes paulatim & per incrementa repertas esse, neq; quenq; artem aliquam eundem & cepisse & absoluisse. Facile est aliorum inuentis quippiam addere, eademq; ista (ut nuper nata, rudia & inchoata) expolire & consummare: uerùm ex se quippiã gignere, & sine exemplo noui aliquid producere, id demum perdifficile est ac

Artes paũlatim repertæ.

rdum. Quod cùm sit, permagnæ primis artium ac disciplinarum inuentoribus meritò agendæ sunt gratiæ. Verum de isto paulo plura infrà.

t Alia autem à prima origi.) Græcè est, τὰ δ' ἄλλ' ὑπαρχῆς εὑρισκόμενα μικρὰ μὲν πρῶτον ἐπίδοσιν λαμβάνειν εἰώθειν, χρησιμωτέραν μέντοι πολλῷ φύσει ὕστερον ἐκ τούτων αὐξήσεως. Vult primarum rerum quarumq; pertenuia esse principia, sed quæ interim pondere ac uirtute sequentia incrementa facilè superent.

Rerũ principia tenuia.

u Est enim (vt dici solet.) Probat à natura principij, quod quò mole est tenuius, eo sensu difficiliùs percipi solet. Græcè est, μέγιστον γὰρ ἴσως ἀρχὴ παντὸς πολλάκις λέγεται, διὸ καὶ χαλεπώτατον. ὅσῳ γὰρ κράτιστον τῇ δυνάμει, τοσούτῳ μικρότατον τῷ μεγέθει, χαλεπώτατόν ἐστιν ὀφθῆναι. Conuenit cum hoc loco id quod lib. 1. de Cœlo, cap. 5. in eandem sententiam Aristoteles ait: τούτου δὲ αἴτιον, ὅτι ἡ ἀρχὴ δυνάμει μείζων ἢ μεγέθει, διόπερ ὂν ἐν ἀρχῇ μικρὸν ἐν τῇ τελευτῇ γίνεται πολλαπλάσιον μέγεθος. Vide in hunc locum prouerbium, Principium dimidium totius, Id quod à Platone lib. 6. de Legib. & post hunc ab Aristotele lib. 5. de Repub. citatur his uerbis, ἡ δὲ ἀρχὴ λέγεται ἥμισυ εἶναι παντός. Huc pertinet illud Ausonianum:

Principiũ virtutem maximãq; difficilimum.

Incipe, dimidium facti est cœpisse, supersit
Dimidium, rursum hoc incipe, & efficies. At plura in hanc sententiam uide in Chiliadibus.

x Eo autem inuento.) ταύτης δὲ εὑρεθείσης, inquit, ῥᾴδιον τὰ λοιπὰ προσθεῖναι καὶ συντάξαι τὸ λοιπὸν ὅλον.

y Porrò autem illud quod dixi.) Exemplo, & quidem Rhetoricarum præceptionum cumprimis docet, id quod dixit. Quod Interpres in arte Oratoria uertit, Græcè περὶ τοὺς πολιτικοὺς λόγους est. Nam sic Græcè ait: ὅσοις μὲν περὶ τοὺς πολιτικοὺς λόγους συμβέβηκε. Appellat autem Oratoriam, πολιτικοὺς λόγους, propterea quòd Oratoria, magna Ciuilis disciplinæ pars est, teste Aristotele, de quo ita & 1. de Inuentione Cicero: Ciuilis quædam ratio est, quæ multis & magnis ex rebus cõstat. Eius quædam magna & ampla pars est artificiosa eloquentia, quam Rhetoricam uocant. Hæc ille.

πολιτικοὶ λόγοι quiꝰ.

Oratoria ciuilis disciplinæ pars.

z Qui enim huius artis princip.) Græcè est, οἱ μὲν γὰρ τὰς ἀρχὰς εὑρόντες, παντελῶς ἐπὶ μικρόν τι προήγαγον· οἱ δὲ νῦν εὐδοκιμοῦντες, παρὰ πολλῶν, διὸν ἐκ διαδοχῆς τὴν κατὰ μέρος προσαγαγόντων, οὕτως ηὐξήκασιν.

a Tisias quidem primus.) Tisias natione Siculus fuit, Thrasymachus Chalcedonius, Theodorus Byzantius, & Gorgias Leontinus, de quibus omnibus uno loco meminit Fabius lib. 3 cap. 1. Artium autem scriptores, inquit, antiquissimi Corax & Tisias Siculi, quos insequutus est uir eiusdem insulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis, ut traditur, discipulus, & cæt. Tisiæ meminit & Cicero lib. 2. de Inuentione his uerbis: Ac ueteres quidem scriptores artis usq; ab principe illo atq; inuentore Tisia repetites, unũ in locum conduxit

Primi Rhetoricæ artis inuentores.

conduxit Aristoteles, & nominatim cuiusq; præcepta magna conquisita cura perspicuè conscripsit, atq; enodata diligenter exposuit, & cæt.

b Vt iam non sit mirum.) Græcè est, διόπερ οὐδὲν θαυμαστὸν ἔχειν τὶ πλῆθος τῶν τέχνην.

c At verò huius artis.) Hæc altera pars comparationis est, qua diuersam à prædictis artibus Topicæ doctrinæ rationem ostendit, quia nihil quicquam à superioribus de ea in scripta relatum inuenerit, id quod imitari potuisset. Miror quid plerisq; in mentem uenerit, quòd aduersus hanc tam perspicuam ac luculentam Philosophi contestationem, nescio quæ in commentarios suos referre non dubitarunt, quibus antè quàm hæc de Dialectica Aristoteles scribere instituisset, pleraq; à Veteribus de eadem tradita planum faciant. Quasi uerò idipsum planè hîc neget Aristoteles. Ne quid errent, non de tota Logica hîc loquitur Aristoteles, sed de Dialectica tantum, & præsertim locorum disciplina, quã hucusq; persecutus est, de qua etiam superiorem epilogum contextũ fuisse, nos antè docuimus. Sed facessant isti homines, nimia sui admiratione, & præpostero summi Philosophi odio quasi obcæcati, quos ego contemptu quidem certè digniores, quàm ut scripto eorum uesania coarguatur, hoc maximè loco existimo. Græca sic habent: ταύτης δὲ τῆς πραγματείας, οὐ τὸ μὲν ἦν, τὸ δ' οὐκ ἦν προεξηργασμένον, ἀλλ' οὐδὲ παντελῶς ὑπῆρχε. ταύτης δὲ τῆς πραγματείας, inquit, Huius autem doctrinæ seu commentationis, nempe quam initio tradere propositum fuit, qua de posita omni quæstione uerisimili tãtum argumentatione disseratur. Quam doctrinam Peripateticis Dialecticam appellare placuit, ut Alexander in lib. 1. Topicorum perscripsit.

An in hac doctrina quid adiumẽti à priorib. Aristoteles ceperit.

Topica hęc doctrina intelligenda.

d Nam qui adhuc mercede.) Præoccupatio obiectionis est, Etsi Sophistæ non defuerunt, qui exemplis nescio quibus ac formulis captionum suæ disciplinæ traditos in Sophistica discipulos informarunt, nullam tamen ijdem artem, nullam rationem uel conficiendorum, uel dissoluendorum sophismatum docuerunt, unde aliquid præsidij in superiore commentatione nobis esse potuerit, ut dictum est. De ijs qui mercede conducti, alios antiquitùs docuerunt, uide Diogenem Laërtium. Eiusmodi fuerunt Aristippus, Prodicus Chius, Euathlus, Gorgias, & cæt. Græcè est, καὶ γὰρ τῶν περὶ τοὺς ἐριστικοὺς λόγους μισθαρνούντων, ὁμοία τις ἦν ἡ παίδευσις τῇ γοργίου πραγματείᾳ.

Priorẽs exempla sophismatũ, non artem docuerũt, idq; mercede.

e Vt enim hic ad dicendum.) Græcè est, λόγους γὰρ οἱ μὲν ῥητορικοὺς, οἱ δὲ ἐρωτηματικοὺς ἐδίδοσαν ἐκμανθάνειν, εἰς οὓς πλειστάκις ἐμπίπτειν εἰώθασιν ἑκάτεροι τοὺς ἀλλήλων λόγους. Significat in locis communib. eos discipulos exercitasse, exemplis nescio quibus ac formulis propositis, quomodo & Iureconsultos primùm suã artem docuisse M. Crassus author est, lib. 1. de Oratore.

Sic & Iureconsulti veteres.

f Vnde efficiebatur, vt discipuli.) Græcè est, διόπερ ταχεῖα μὲν, ἄτεχνος δ' ἦν ἡ διδασκαλία τοῖς μανθάνουσι παρ' αὐτῶν. οὐ γὰρ τέχνην, ἀλλὰ τὰ ἀπὸ τῆς

τέχνης

τέχνης δεόντες, παρ' εὐθὺ ὑπελάμβανον. Nota exemplis eitò quidem, sed minus solidè & perfectè, nisi ars accesserit, nos edoceri.

Ars non solis exẽplis, sed & præceptis constat.

g Vt si quis se proficeatur.) A simili confirmat. Vt nemo sutoriã docet, immẽsam calcorũ vim præbens, qua pedẽ aduersus offensacula munias: ita sophismatũ aut captionum exemplis suppeditatis, nemo Veterum Sophisticen reuera docuisse credi debet. Ad hoc ut ars doceatur, non satis sunt exempla, etiam præcepta accedere necesse est, quæ exẽplorum tandem suppositione illustrantur. Græcè est, ὥσπερ ἄντις ἐπισήμηνε φάσκων παραδώσειν ἐπὶ τοῦ μηδὲν πονεῖν τοὺς πόδας, εἶναι σκυτοτομεῖν μηδὲν δέξασθαι, μὴ δ' ὅθεν πορίζεσθαι τὰ τοιαῦτα, δοίη δὲ πολλὰ γένη τῶν τοιούτων σημάτων. οὗτος γὰρ βεβοήθηκε μὲν πρὸς τὴν χρείαν, τέχνην δὲ οὐ παρέδωκε.

h Ac de arte quidem Rheto.) Repetit quod de Rhetorica dixit, nunc inde locũ prægressæ comparationis concludens. Græcè est, ἡ περὶ ῥητορικῶν μὲν ὑπῆρχε λόγους πολλὰ καὶ παλαιὰ τὰ λεγόμενα. περὶ δὲ τοῦ συλλογίζεσθαι παντελῶς οὐδὲν εἶχομεν πρότερον λέγειν ἄλλο, ἀλλ' ἢ τρίβων ζητοῦντες πολὺν χρόνον ἐπονοῦμεν.

Primum artium initium, obseruatio fuit.

i Sed nos longo vsu sing.) Hoc loco nota, quem admodum artes primùm collectæ sint. Primum earum initium longa & diutina tum inquisitio, tum obseruatio fuit. Ita Aristoteles lib. 1. Rhetoricorum, & post illum Fabius lib. 3. cap. 2. dicendi artem: & Cicero lib. 1. de Diuinatione, Astrologiam, ab obseruatione ortam & profectam affirmant. In hunc locum uide cap. 17. lib. 1. de Ratiocinat.

Lector officij sui in hac doctrina admonetur.

k Si igitur vobis ea consid.) Conclusio, qua prægressam disciplinam Lectori cõmendat, cum uicissim sui officij admonens, quod est, ut sic in antegressa doctrina uersetur, ut & ea quæ uel minus explicata, uel omnino præterita esse uideantur, pro suo candore boni consulat, & pro ijs quæ rectè tradita cõstitutaq; sunt, debitas, hoc est, immensas, gratias agat. Vellem hanc conclusionem etiam atq; etiam diligenter expendere eos, qui tam insolenter ac proteruè hactenus editis nescio quibus Animaduersionibus in Aristotelem insultarunt. Certè si quid liberalis animi in ijs insit, non dubito, quin hoc loco diligentiùs animo reputato, longè secus sensuri sint, atq; hucusq; senserunt. Præsertim cùm ita in Metaphysicis Aristoteles scribat lib. 1. minore, cap. 1. οὐ μόνον δὲ χάριν ἔχειν δίκαιον τούτοις, ὧν ἄντις κοινωνῆσαι ταῖς δόξαις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔτι ἐπιπολαιότερον ἀποφηναμένοις. καὶ γὰρ οὗτοι συμβάλλονταί τι. τῶν γὰρ ἐξῆς προῳκείωκεν ἡμῶν ἡ μὲν γὰρ τιμοθέου μὴ ἐγένετο, πολλῶν ἂν μελοποιΐαν οὐκ ἔχοιμεν. ἡ δὲ φρύνις, τιμόθεος οὐκ ἂν ἐγένετο, & cæt. Primis artium scriptoribus gratiæ agendæ.

Hoc est, non ijs tantum gratiam habendam esse, quorum quis sententias sequatur, sed etiam qui suam de re aliqua simpliciter sententiam dixerint. Maximè cùm ij adiumẽti aliquid afferant, dum animi nostri habitum quomodocunq; informant. Si enim Timotheus non fuisset, magna Musicæ parte careremus. Atqui si Phrynis non extitisset, ne Timotheus quidem. Græcè hìc Aristoteles sic loquitur:

tur: εἰ δὲ μὴ φαίνεται θεασαμένοις ὑμῖν, ὡς μὴ ἐκ τοιούτων τὴν ἀρχὴν ὑπαρχόντων ἔχειν ἡ μέθοδος καὶ ἱκανῶς πρὸς τὰς ἄλλας πραγματείας τὰς ἐκ προσώπου ἠυξημένας, λοιπὸν ἂν εἴη πάντων ὑμῶν ἢ τῶν ἀκροωμένων ἔργον, τοῖς μὲν προσελθεῖν μένοις καὶ μεθόδῳ συγγνώμην: τοῖς δ' εὐξημένοις πολλὴν χάριν ἔχειν.

l Vestræ sunt auditorum q; partes.) Hoc loco uide, quàm non constet sibi commentum illorum, qui aliter docuisse, aliter scriptis commendasse Logicen Aristotelē existimant: ad quod probabili ratione astruendum & Themistij authoritate abutuntur, & epistola quadam Aristotelis ad Alexādrum, de ἀκροαματικαῖς disciplinis, quam apud A. Gellium lib. 20. cap. 4. citatam habemus. Si quidem ulla ratione istud commentum subsisteret, certè hîc auditores appellare non auderet. Quapropter patet, non alio modo hæc scripta esse, quàm uiua uoce discipulos hanc artem ipse docuerit. Atq; huc facit, quòd Theophrastus Aristotelis auditor, præter alios etiam commentarijs nonnullis hanc eandem doctrinam explicasse commemoratur. An aliter scripserit, quã docuerit Logicē Aristoteles.

m Ea nobis bona cum venia.) Huc pertinet, quod adagio dicitur, primùm experienti ueniam paratam esse. Græcè apud Diogenianum est, συγγνώμη πρωτοπείρῳ. hoc est, Venia primùm experienti. Adagium.

n Magnas eo nomine.) Iuxta id quod paulo suprà ex Metaphysicis diximus, οὐ μόνον δὲ χάριν ἔχειν δίκαιον, & cæt. Conuenit cum hoc loco, quod apud Fabium est lib. 5. cap. 10. Sed habenda his quoq; gratia est, per quos labor nobis detractus est. Nam quæ priores beneficio ingenij singula muenerunt, nobis & non sunt requirenda, & nota omnia. Alexander hoc loco non solùm magnas, sed etiã quas ne dicere quidem liceat, Aristoteli pro hoc beneficio gratias agendas esse testatur, dum sic inquit: ὧν δὲ πάντας ὑμᾶς οὐ πολλῶν, ὡς ἀυδς ἔφησεν, ἀλλ' οὐ δ' ὅσων εἰπεῖν δυνατὸν, ἔχειν χάριν. Sed hæc in præsenti satis multa. Si cui noster in Aristotele explicando labor insumptus hactenus probatus est, gaudeo: sin minus, nostram de omnibus bene merendi propensam uoluntatem, omnibus probatam esse uelim. Id nobis studio fuit, non ut ambitiosè, sed ut simpliciter & apertè singula interpretaremur. Neminem lædere, aut suggillare propositum fuit. Quapropter si ullius sententia nobis reprehẽdenda fuit, à nomine ferè abstinuimus. Quòd si temerè alicubi quid præterijsse, aut non satis aptè uereq; exposuisse uidebimur, non ij sumus, qui si ab alio doceamur, non facilè libentérque sententiam simus commutaturi. Nam ita nobis iam inde à primis annis persuasum est, non tam parum rem cognitam habuisse, quàm in eo quod parum cognoris, stultè ac diu perseuerasse, turpe esse, propterea quòd alterum cõmuni hominum infirmitati, alterum singulari uniuscuiusq; uitio est attributum, quemadmodum à Cicerone scriptum memimimus. Cõmentatoris stultitia diũ in explicando Aristotele quale.

FINIS.

MEMORABILIVM ET RERVM ET VERBORVM INDEX.

A

Absolutæ interrogationes à mutilatis differunt 457
Abstracti quã concreti ratio constantior 291
Absurda in disputatione repudianda 17
Absurdum allegare, non est soluere 476
Abusio uerbi parit obscuritatem 193
Abusus uocis sententiæ 452.458
Academici nihil probant 362
Accentus differentia ferè diuersitatem parit 407
Accentus sæpe pronunciando fallit cõtra Aristotelem 386
Accidens quid sit 8
Accidens à rei finitione alienum 14
Accidens cur primo loco tractetur 41
Accidens & subiectum in eodem 125
Accidens idem quod attributum 392.478
Accidens non indicat rei naturam 99.102
Accidens probatu facillimum 272
Accidens uniuersale facilius refutatur, quam probatur: speciale contrà 85.90 272
Accidens & proprium dici possit 9
Accidentibus conuenientia, non necessariò subiectis attribuuntur 475
Accidere pro inesse positum 393
Accidentia generalia 52
Accidentia παρωνύμως dici 52
Accidentia uniùs infinita 237.243
Accidẽtis captione sæpe docti falluntur 399 418
& cur fallantur 400.404
Accidentis cum cæteris uocibus collatio 39
Accidentis finitiones duæ conferuntur 9
Accidentis loci ad explorandam definitionẽ inutiles 185
Accidentis problema ut cuertatur 39
Accidentis quæstio duplex 272
Accidentis quæstiones frequentiores 99
Accidentium dignitatem è subiecto spectari 71.75
Accidentium & consequentiũ tractatio 49
Accidentium propria comparatio 72
Accretionem in animalibus non esse perpetuam 49.53
Accuratè omnia distinguere cuius sit 402
Achilles qualis fuerit 82
Actu non semper cõueniunt, quæ naturâ insotelem 159
Actus & potestas 128
Acutum homonymum 25.238
Addiscentem credere oportet 371.&
quamobrem 376
Adiunctio in secundo modo captionis rerum quid significet 395
Adiunctione quomodo melius aliquid fiat 85.90
Adiunctio quomodo rerum diuersitatem & unitatem arguat 257
Adolescentes ad moralem Philosophiam inepti quare 81
Adolescentes bellis non esse præficiendos 81
Adolescentiæ & senectutis collatio 78.80
Ad sanctè iurandum quid requiratur 485
Ad sententiã & ad nomen referri quid 415.
Aduersarij distinctioni occurrendum 441
Aduersarius ad iram prouocandus 439
Aduersorum consequentia 57.60
Aequalia esse, latiùs patet, quãeandem magnitudinem habere 401.450

Aequitas in differendo præferenda 292
Aequitas, ἡ ἐπιεικεια, quid 188
Aeris proprium 168
Affectio qualitatem omnem notat 221
Affectio subiecti nec species, nec genus est 127
Affectus iudicium corrumpit 357
Affirmatio & negatio partes sunt contradictionis 404
ἀγωγὴ quid 525
ἀγωνιστικὸν genus differendi 320
Aiax Vlyßi anteponitur 78.82
Album nullius genus 136
Aliena à proposito nonnunquam admittenda 50.54
Aliena à re facilius conceduntur 279
Aliena habere, iniquum 482
Alieni sermonis, molesti interpellatores 455
Aliquid esse aliquorum an dicatur ambigue 477
Alter locus inopinati duplex 432.429
Ambigua distinctione explicãda 296.455
Ambigua è contrario ut cognoscantur 24
Ambigua quomodo explicentur 24
Ambiguis inde à principio occurrendum 460.464
Ambiguitas duplex 152
Ambiguitas fugienda Dialectico 33
Ambiguitas reprehensionem impedit 448. 453
Ambigui, τῶ ἀμφιβόλω, nomẽ duplex 326
Ambiguitas tam in rebus, quàm in nominibus inest 185.192
Ambiguitati manifestæ quomodo occurrendum 316.325
Ambiguis concessis quomodo incommodum auertere liceat 316.325.326
Ambiguorum distinctio perutilis 33.497
Ambiguorum fallacia 33
Ambitiosus quis 225
Ambiguorum tractatio duplex 43
Amicitiam præpollere diuitijs 72.85
Amicitiarum genera tria 77
Amicos opibus meliores 90
Amor ueri naturalis rectè iudicat 346.357
Amphibola per se aperta, nõ cõcludẽda 383
Amphibolia ut explicetur 385
Amphiboliæ exempla quinq; 378
Amphibologia commune nomen uerborum captionibus 382
Amphibologiæ species Fabio innumerabiles 382
An aliter scripta, aliter uiua uoce ab Aristotele tradita sit Logice 505
Analytica à Topicis quid differant 351
Analyticorum opus bipartitum 340
An animus sit harmonia 458
Angulus quotuplex sit 30
Anima diuersè definitur 151
Anima animantiũ sit ne mortalis 452.458
Animalis proprium, habere sensum 145.158
Animata natura non est proprium animalis 175
An interroganti, uerborum multiplicitas distinguenda 417
Animi causa Sophismatis uti licitum 367
Animi genus 99.102.114
Animi partes duæ 60.180
Animi pars una alteri imperat 141
Animi tres partes 125.130.164
Animum qui numerum esse dixerint 98
Animus corpori imperat 142

Animus plantis etiam tribuitur 163
Animus Platoni quid 187.196
Animus quomodo moueatur 46
Animus scientiæ sedes 124
Animus tripertitus hominis proprium 158
A non causa ut causa latiùs patet, quã captio τοῦ μὴ παρὰ τοῦτο 397
ἀνταναίρεσις 311
Antecedentia ex consequentib. & consequẽtia ex antecedentibus an confirmari possint 345.353
Antecedentia & consequentia pro re sumenda 293
Antecedentia spectanda è consequentib. 77
Ante pedes, τὰ πρὸ πόδας quæ 363
ἀντίφασις pro syllogismo ἀντιφάσεως accepta 394
Antiphontis quadratura 422.425
ἀντίπτωσις in Catulli uersibus 384
ἀντεπιχειρεῖν, cõtrà argumentari 327.476
Antisthenis sententia 16.19
Apodictica cognitio multa postulat 298. 310
Apparentia quæ dicantur, & an Ideis conueniant 226.231
Appetitio quid 226.231
ἀπόφημα quid 332.342
Arcesilas se nihil scire aiebat 501
Area, χωρίον, quid 311
Argumẽta ad quas quæstiones præcipuè meditanda & paranda 348.363
Argumenta conuenientia depromenda 74
Argumenta quot modis comparentur 20
Argumentari ad sententiam quid 415
Argumentatio concluſa non concluſa interdum deterior 332.340
Argumẽtatio nõ ex respõdẽtis importunitate aut ignorãtia æſtimanda 331.338.349
Argumẽtatio quadrifariã impeditur 329.331
Argumentatio quinq; modis reprehenditur 331.338
Argumẽtatio ut uera et uitioſa dicatur 340
Argumentationis formæ 21 340
Argumẽtationis redarguẽdæ modi duo 332.
Argumentationis uitioſæ modi qui 338
Argumentationũ partes præmiſcẽdæ 278.289
Argumentorũ penuria quõ ſarcienda 49.53
Argumẽtorũ firmiorũ bipartita collocatio 293
Argumẽtorũ cõparatio qd cõferat 346.359
Argumẽtorum, τῶν λόγων, quatuor genera 371.375
Argumentum à cõſequentibus duplex 483. 486
Argumentum à re planè alienum nihil conducit 332.341
Argumentationi perſpicuitas tribuis modis 333.347
Ariſtoteles de Deo præclarè loquitur 46
Ariſtoteles dialecticã in Topicis tradidit 503
Ariſtoteles in Topica doctrina nihil eſt à prioribus adiutus 499.501.503
Ariſtotelicæ præceptionis ſumma 281
Ars an una multarum rerum 44346
Ars arte præſtantior 295
Ars ubi diſſimulanda 293
Ars & ſcientia omnis eſt in relatis 237
Ars nulla eſt, quæ una ſpeciales locos ſingulũ reprehẽſionũ explicare poſſit 410.41
Artes paulatim repertæ 501
Artifex quis dicendus 4
Artifici in ſua cuiq; arte credendum 15
Artis differentiæ tres 206.219

Artis proprium & artificis quid 159.160
Artis suspicio fidem minuit 293
Artium initium primum, obseruatio 504
Artium triplex genus 295
Artium quarumq; uerba propria 240
ἀσυλλόγιστον πρὸς κείμενον 398
Athenis ut Saturnalib. se docti exercitarint 367
Attributa duplicia 392.475.478
Attributa, τὰ κατηγορήματα 408
Attributorum genera 6.13.14
Auarus quis 225
A. Gellius de Saturnalium Athenis celebratione 367
ἀξίωμα pro propositione 290.324

B

Barbarismus quid, & unde dicatur 381
Beatitudinis efficientia sanitati præstare 76
Bene ualere non semper bonum 481
Bibliotheca Aristotelis & Theophrasti 343
Bifariam aduersarius ad irā impellitur 439
Bipertitæ captiones ex homonymia & amphibolia 460
Bibes homo an semper dicatur 143
Boëtij maximæ Aristotelis loci 37
Boëtius lib. de reprehensionib. Sophistarum ut diuidat 368
Bona animi cæteris præstantiora 74.89
Bona duplicia 216 231
Bona innata & aduentitia 71
Bona plurā pauciorib. anteponenda 77.80
Bona quædam ex non bonis fiunt 249.251
Bona ui sua alijs præstant 71
Bonorum maximum, malorum minimum eligendum 77.79
Bonorum uaria consideratio 84 85
Bonum an uirtutis differentia 204
Bonum & malum, genera 112.115
Bonum & malum Heraclito idem 315.323
Bonum humanum quod 251
Bonum omnes expetere 70
Bonum quid dici posse, licet nō ex omni parte bonum sit 64
Bonum uariè dici 27
Breuitatis in disserendo ratio habenda 330
Brysonis quadratura 421.422.425

C

Cæcum quid appelletur 391
Cæcum uidere, duplex 464
C. Cæsaris dictum 46
Calculorū et ratiocinationū dispar ratio 373
Calculorū ignari, facilè circūueniuntur 370
Calicem bibisse quid 469
Calix pro uino seu liquore 474
Calumniator quis 126
Candidi uerbum duplex 24
Captio à non causa ut causa, unde oriatur 409.412
Captio ex non causa, ut aliter dicatur 487
Captio ex accidente qui fiat 88.392
Captio ex coniunctione & diuisione unde 386
Captio ex coniunctione soluitur per diuisionem, & contrà 470
Captio omnis aut uerborū aut rerū 328.382
Captio rerum aspectabilium 449.454
Captio rerum ex sumptiōe eius quod imitio est propositum, quot modis fiat 389
Captiones eædem ad nomen, & ad sententiā referuntur 435
Captiones ex coniunctione & distinctione, ut soluendæ 468

Captiones ex ignorãtia reprehensionis, pro priè quæ sint 389.394
Captiones ex forma dicendi unde existant 467.471
Captiones ex consequente, ex non causa, ex plurib. rogatis, ut refellendæ 483.487
Captiones ex eo quod circunstantijs finitur, ut soluendæ 480
Captiones ex rebus secundi generis, ut distinguantur 388.389.394
Captiones in disciplinis quales 416
Captiones nõ omnes ad nomẽ pertinẽt 416
Captiones omnes ad ignorationem Elenchi reuocantur 398.401.403
Captiones ortæ ex sensuũ perceptione 390. 396
Captiones rerum ex consequenti, unde uim habeant 390
Captionibus ex accidente & consequente, quomodo fallamur 492
Captionib. statim occurrere difficile est 460
Captionibus uerborum quomodo generatim occurratur 470.475
Captionum ex ignorantia elenchi, solutiones 482.486
Captionum doctrinæ utilitas triplex 445. 446
Captionis rerũ loci secundi duplex usus 393
Captionis rerũ quarti generis causa 389
Captionis rerum septem modi 387.392
Captionis uerborum sex modi 378.382.383
Captionum ex consequente & accidente affinitas unde 395
Casus à coniugatis ut distent 29.166
Casus & coniugata quomodo ad confirmandam definitionem conducant 265.266
Casuum diuersitas è uerborum constructione notanda 436
Categoriæ decem 13
Categoriæ pro locis habentur 14
Categorijs disiũcta, disidẽt inter se 257.261
Catuli recens nati cæci dicuntur per abusionem 398
Cauillatio quid 344.366
Causa cur decipiant nos captiones 402.419
Causæ accommodanda omnia 44.48
Causæ efficientes & corrumpentes 62
Causæ malorum duplices 71
Causarũ perfecta tractatio unde petenda 66
Cautio ad multas rogatiões discernendãs 398
Cautio in respondendo adhibenda 451.456
Certa quæ sint 20
Celeriter discere, μανθάνειν ταχύ 473
Chærilus poëta quis 302
Cicero Aristotelis studiosus imitator 73
Ciceronis Comparatorum diuisio 73
Ciceronis exẽplum è Platone cõuersum 288
Ciceronis paradoxa 454
Circũstantiæ finitionem perficiunt 225.230
Clemens quis sit 135
Cænum non esse terram 128
Cognitio bifariam comparatur 469.474
Cognitio reprehensionum ad gloriam comparandam ualet 445.447
Collatio captionum ex forma dicẽdi, cum iis quæ sunt ex homonymia 468
Collatio syllogismi cũ figura dictionis 454
Coloris uerbum ambiguum 293
Color an igne permistus 242
Color metaphoricus 32
Color uerus 32
Coloris subiectum duplex 166

Coloris

Coloris subiectum primum quod 155
Communia qui nouit, non statim peritus est 376
Communem rem impedire, iniquū 330.337
Communes loci Ciceroni qui 359
Cōmunes loci in promptu habēdi 346.357
Communia duplicia 423 428
Cōmunia sciri possunt, ut ars ignoretur 423. 427
Communium locorum usus 346.359
Comparatio 28. abusiua 69. inæqualis 68
Comparatio rerum cognatarum 70
Comparatio rerum ex usu 89
Comparationis loci multiplices 270
Cōparationis locus quadripartitus 63.178
Comparatorum diuersi gradus, & diuersi modi 182.
Comparatorum locus definitioni utilis 265
Cōclusio aduersarij propositō cōtraria 314. 321
Conclusio à re aliena 344 348.349
Conclusio nunquam quærenda aut roganda 297.307.441.442.445
Cōclusio quib. modis celetur 278.289.438
Conclusio sumptionum probabilitatem sequitur 332 342
Conclusio ut tollatur 345.355
Conclusionem negare protervi est 307
Conclusionis impedimentum, solutio apparens 463
Conclusionis tria genera 344.351
Conclusionum connexarum duo genera 53
Conclusionum formæ quatuor 341
Concreta intentionem suscipere, non abstracta 138
Concretum & σύνδετον quid denotet 254
Confirmatio plura, q̄ euersio poscit 271.273
Confusio & temperatio differunt 107
Coniugatorum ambiguus locus 116.120
Coniugatorum locum esse duplicem 65
Coniuncta diuisim approbare an liceat 345
Coniugata 27. quid differant à casibus 61
Coniugatorum & contrariorum in definiendo eadem ferè ratio 226.232
Coniugatorum propria 171
Coniugatorum uno approbato, probantur reliqua omnia 61 62
Coniunctionis alterum genus, Fabius per collationem, uocat 385
Coniunctionis duplicia exempla 385
Consequens accidentis pars quædam 400. 402.409
Consequens antecedente melius 77
Consequens non semper genus 130.134.
Cōsequens quando pro genere ponatur 136
Consequentia ἢ ἐπὶ ταυτὰ quid ualeat 61
Consequentium collatio 77
Consimilium eadem dissolutio 476
Consuetudo loquendi magistra 43.46
Contentiosarum argumentationum duplex genus 377
Contentionū amatores nihil commune spectant 330.337
Contētiosa & pseudographa quo pertineāt 426
Contiguitas & cōtinuatio quid distēt 107
Contimens quis 125.129
Contimentia quibus constet 252
Cōtrà argumētari, nō est soluere 478.479
Contradicentium commutatio 117. reciprocatio 57
Contradictio quomodo sumenda 409

Contradictoria quō negantia dicantur 121
Contrà quàm, pro contrà atq; 413
Contraria aut in eodem genere, aut in contrario 265
Contraria definitioni construendæ argumenta suppeditant 264
Contraria diuersis nominibus elata 25
Contraria duplicia 113
Contraria eidem inesse posse 56
Contraria in contrarijs generibus 134
Contraria ijsdem conuenire absurdum 245
Contraria in eadem re cerni 48
Cōtraria, καὶ τὸ ἐν ἀρχῇ sumere ἀδιόριστον, 331
Contraria poßint nē in una re dici 480
Cōtraria quæ sumēda quæ causæ prosint 56
Contraria simul sunt 201
Contraria totidem modis, quot principia sumuntur 345.352
Cōtrariarū formarū an eædē differētiæ 269
Contrarij contraria finitio 226.232
Contrarij definitio è contrario intelligitur 186.195.276
Contrariorum ambiguitas 26
Contrariorum contraria consequentia 72
Contrariorum duæ comparationes non pugnantes 56
Contrariorum eadem disciplina 394.447
Contrariorum eandem esse disciplinam 75
Contrariorū eorundē eadē cōtraria 258.259
Contrariorum multiplex ratio 112.115
Contrariorum partim eædem, partim contrariæ differentiæ 264.295
Contrarium propositi spectandum 28
Contrariorum propria contraria, 169.170
idq; in omnibus generibus 174
Contrariorum quatuor genera 42
Contrariorum sex coniunctiones 55
Contrarium sumere, & petere principium, quid differant 345.354
Contrariorum uno posito, tolli alterum 50
Contrariorum utrumq; ad definitionem adhibendum 247.254
Conuenientia in uno tertio, inter se ut conueniant 257.260.261
Conuenire in uno tertio, bipartitò dicitur 405
Conuersio argumentationum quid 345.355
Conuersio κατ' ἀντίθεσιν 259
Conuersio per contrapositionem 60
Conuersio quot modis fiat 345.355
Conuersio repugnantiæ, Melißi ignota 396
Copia & ornatus unde 295
Copia obruendus aduersarius 438.441
Copulata ut definiantur 236.241
Coriscus quis 393
Corpus an genus animalis 131
Cupiditas multarum rerum quomodo 44
Cupiditas quid 197
Cur de Sophistarum reprehensionibus Aristoteles tractet 366
Cur quidam perspectam ambiguitatem non distinguant 450

D

Dare quod quis habet, & ut habet, diuersa 472
Decorum cum honesto coniunctum 173
Definiendi ratio recta semper animo proponenda 248.255
Definitio ad rem illustrandum pertinet 237
Definitio an omnibus conueniat 96
Definitio cōiugati ad cōcludēdū aptior 290

Definitio

Definitio coniuncti uerbi exploranda 28
Definitio cuiuslibet rei ppria una 243.254
Definitio conuenire omnib. debet 187.271. 274
Definitio & nomẽ idẽ declarare debent 263
Definitio ex materia & motu qualis 212
Definitio ex notioribus nobis una constitui nequit 200
Definitio ex prioribus et notioribus constare debet 199.200.209.211
Definitio facilimè omniũ euertitur 272.275
Definitio inepta duob. potißimùm modis arguitur 185.191
Definitio ἰσόκωλ& uitiosa 236
Definitio κατὰ συμβεβηκὸς non est propria 237
Definitio multa debet complecti 263
Definitio per translationem mala 185
Definitio perspicua esse debet 85.91 191
Definitio posßitne ratiocinatione concludi 264.267
Definitio posterior abolet priorem 248
Definitio primò tradenda 23.298
Definitio propria quæ 190.192.211
Definitio quid sit 7.271. & unde dicatur 189
Definitio quõ construatur & euertatur 8
Definitio redundans quot modis constituatur 186
Definitio rem simpliciter explicat 238
Definitio similis demonstrationi 209
Definitio uno uerbo exprimi nequit 241
Definitionc prætermissa quædam explicari nequeunt 299
Definitionẽ probare difficilius, quã refellere 271
Definitiones de omni tempore intelligendæ 207.223
Definitiones imitiorũ primùm cognoscendæ 346
Definitiones in Matheſi necessariæ 299.311
Definitiones nominum adhibendæ 42
Definitiones quæ difficilimè euertãtur 298. 310
Definitiones rerum considerandæ 42
Definitionis attributa, τὰ ὁριικὰ 8.9
Definitionis & definiti par esse ratio debet 208
Definitionis euertendæ ratio 10.200.212. 248.254
Definitionis obscuritas corrigenda 248.255
Definitionis obscuritas unde 185.191.193
Definitionis parte euersa tota corruit 248. 254
Definitionis quinq; uitia 184
Definitionis tractatio quorũ propria 267
Definitionis uaria nomina 189
Definitum ut græcè dicatur 189
Delatio ἡ φορὰ de quibus propriè dicatur 107.110
Demonstrator à Dialectico quid distet 307
Demõstratio discernitur à ratiocinatione 3
Demonstratoris conclusiones uniuersæ 404
Demonstrationes infinitæ 410
Demonstratione nil concluditur, quod idem reprehensione confici non posßit 410
Demonstratio quid sit 1
Destruere facilius, quàm construere 275
De syllogismo priùs quàm de reprehensione agendum 416
Detractio quid efficiat 85.93
Deus sit ne animal 142

Definitio picturæ collata 195
Dialectica à Peripateticis ut definita 2
Dialectica cur captionum laqueos explicet 367
Dialectica cũ prima philosophia cõfertur 6
Dialectica pars Logicæ 2
Dialectica principia rerum monstrat 4
Dialectica probabilibus utitur rationibus 4
Dialectica quid 195.424.428
Dialectica quid ab Apodictica differat 2
Διαλεκτικὰ quæ & ubi explicentur 377
Διαλέγεσθαι πρὸς ἔνσασιν 427
Dialectica sola percontatrix est 422.426
Dialecticarum reprehensionum loci, communes omnibus artibus 410
Dialectice Sophisticæ cognata 500
Dialecticæ uis ac usus ubi ab Aristotele explicetur 281
Dialecticæ utilitates quæ 4
Dialecticen an in tres partes Aristoteles partiatur 282
Dialectici à Sophista distinctio 421
Dialectici esse alios refutare 40
Dialectici munus interrogare simul & respõdere 500
Dialectici officia tria 282
Dialectici ueri similitudinẽ spectant 21.23
Dialectici uis in quibus sita 347
Dialectico communium rerum notio proposita 411.414
Dialectico & Demonstratori communis regula 357
Dialectico præter meditationem etiam orationis cura suscipienda 284
Dialecticus bifariam differit apud se, et apud alios 285
Dialecticus communis artifex 414
Dialecticus dialecticè, id est, probabiliter cõcludere debet 330.337
Dialecticus nõ à fine, sed ab officio censetur 6
Dialecticus omnia ꝓposita habet 422.426
Dialecticus utro argumentationis ductu utatur, recto an obliquo 306
Διαίρεσις, diuisio 279.382
Diameter ἀσύμμετρος & 26
Dicere à respondere quid discrepet 456
Dictum secundum aliquid 64
Διαλεκτικὸν differẽdi genus quale 320
Διαλεκτικὰ & ἀποδεικτικὰ idem significant 377
Διαλόμενοι ionicè pro διαλεγόμενοι 379.387
Dies quid 201.213
Differens & diuersum ut distent 118.122
Differentia à genere secernitur 109
Differentia an ἐν τῷ τί ἐστι dicatur 268
Differentia an à loco sumi possit 205.219
Differentia duplex 111
Differentia generis locũ tenere nequit 106. 107.127
Differentia generi subiecta 7
Differentia qualis res sit, declarat 204
Differentia res conseruat 206
Differentia ut de genere dicatur 218
Differentiæ dupliciter inuestigantur 33
Differẽtiæ generis diuidentes sunt simul 201
Differẽtiæ quales definitioni adhibẽdæ 203
Differentiæ rei per se conueniunt 217
Differentiæ triplex à genere distinctio 155
Differentiam pro specie locari nõ posse 107
Differentiarum collatio 32
Differentiarum cognitionis usus 35
Differentiarum si nulla de specie dicatur, nec genus

genus dici 107
Difficile est discernere, quorum eadem & quorum diuersa ratio sit 402
Difficilia cur sint chariora 83
Difficilia procliuibus meliora 78.83
Difficiliora primùm tentanda 34
Digredi à proposito Sophisticũ 50.53.431
Digressio per inductionem 287.288
Digressiones quomodo instituendæ 50.278
Digressionis duplex uia 286
Digressorium resistendi genus 335
Dij gentium flagitiosi 132
Dilucidam argumentationẽ quæ faciant 295
Discere Platoni recordari est 120
Disserendi ratio non eadem cum quibuslibet 361
Discrimen captionum consequentis & accidentis 397.400.405
Disparata, τὰ κατ' ἀντίφασιν, 29
Disparatorum attributorum propria 175
Dispositio argumentorũ Dialectico propria 284
Dispositio Ciceroni ut dicatur 282
Dispositionis exacta ratio à quibus petenda 283
Disputare ipsis per se reb. nõ possumus 370
Disputationem aliò transferre, idemq; impedire quale 440.444
Disputationes cũ quibus non ineundæ 347. 362
Disputationes quæ malũ exitũ habeant 247
Disputationũ, τῶν διατριβῶν, genera tria 320
Disputatio ut tollatur 487
Differens ipse sibi interdum resistere debet 279.292
Differenti tria obseruanda 277
Differere interrogãdo fit & respondendo 35
Differere in contrarias partes utile 345.355
Differere in utramq; partem 5
Differentium non idem scopus 314
Differentium reprehensiones quales debeant esse 348.355
Differimus aut cũ alijs, aut nobiscũ ipsi 402 407
Dissoluere cupienti quid primùm & tum deinde spectandum 460
Distinctio cur adhibeatur 453
Distinctio etsi ingrata, nunquam prætermittenda 455
Distinctione propria quædam circumscribenda 149.155
Distinctio piraſticæ & sophisticæ argumentationis 408
Diuisio elenchi multiplex 411
Diuisio pro Categoria posita 99.103
Diuisio & Coniunctio in quo cõueniant, & discordent 385.386
Diuisionis exempla quatuor 386
Diuisionis membra qualia esse oporteat 418
Diuisio quid propriè 300
Docentis & disputantis ratio diuersa 300. 313.314
Docentis munus 417.420
Docentium authoritatem discentibus obesse putat Cicero 376
Docere & disputare diuersa 417.420
Dolor quid 80.207.221
Dolor iræ causa 215.130.135
Donum largitio ἀναπόδοτον 119
Dubitatio quid, et unde pueniat 207.221. 222

Duo ueræ solutionis modi 459 463
Duplex solutio, alia rei, alia homini accommodata 466
Duplex uitium captionis quæ principiũ petit, & quæ non causam pro causa ponit 400.405
Δύναμις an rerum uitiosarum genus 131
Δυσκολία quid 317.328
Δύναι ἢ λαβεῖν τὸ λόγον quibus Aristoteles attribuat 375

E

Eadem omnino uerba retinenda in ratiocinãdo 399
Eadem oratio ad mentem & nomen refertur 418
Effectorum eadem cum causis distinctio 67
Effectuũ eorundem causæ eædem 256.259.
Effectus & efficiens differunt 207
Efficientes causæ duplices 66.71
Efficientis præstantiã ex fine considerari 72
Eiusdem artis nemo & inuentor & perpolitor 499
Eiusdem rei idem propriũ & unum 158.159
Elabendi rationes ut solutiones uocẽtur 333
Elementa definiendi quæ sint 99.102
Elenchi syllogisti 403
Ἔλεγχος forense uocabulum 380
Elenchus quid 152
Empedocles 23 128
Ens, & non ens an genera 134.136
Ens, hoc est, id quod est, definiri non potest per id quod non est 237
Ens homonymum est 402.415
Ἔνστασις in inductione quo pacto postulanda 296.303
Ἔνστασις Latinè ut conuertatur 304
Ἔνστασις quid 43 46.362
Ἐνστατικὸς Budæo quis 362
Ἔνστασις ubi locum habeat 98.118
Ἐν ᾧ ὡς πρὸς μικρὸν ἡ ἀπάτη 408
Entis, id est, eius quod est propriũ facere uel pati posse 181.208
Enumeratione quando utendum 106.109
Eorundem eadem & subiecta, & attributa 258.263
Ἐπιχείρημα quid 332.341
Epilogus libri de reprehẽsionibus Sophistarum cum Topicis communis 499
Ἐπιχείρημα uariè capitur 341.342
Ἐρωτικὰ et ἀγωνιστικὰ Aristoteli idem significant 377
Erroris ex coniunctione & diuisione orti, causa 492
Esse, & bene esse diuersa 243
Esse hoc cum illo, quot modis dicatur 246. 252
Essentiæ & οὐσίας nomen ambiguum 13
Esto, dicendum in probabilibus 451.456
Ἐτυμολογία Ciceroni ut dicatur 54
Euthydemi captio 462
Excessum omnem esse uitiosum 56
Excessus & defectus uitiosi 116
Exempla à quibus sumenda 302
Exempla captionis ex forma dictionis apud Gellium 387
Exempla minus perfectè ac solidè docent 504
Exempla qualia esse debeant 298
Exemplorum ueritatem nõ esse necessariam 155
Exemplum à parabola quid differat 301. 302

Exercitationis commendatio 446.448
Ex nihilo nihil gignitur, Physicorum axioma 390.396
Exercitium ad quid referendum 347 361
Exercitatio disserendi quomodo instituenda 345.354
Exercitatio in quibus fieri debeat 346.357
Ex ijsdem locis falsæ, ex quibus & apparentes ratiocinationes ducuntur 409
Expetendorum genus triplex 20.71
Extrema τὰ ἔσχατα quæ 309
εὐδαίμων 51.55
ἐυελπις 51.55
ἐυψυχος 51.54

F

Fabri Stapulensis de proprio sententia 151
Facere aliquid facilius quàm rectè facere 185
Facile aliorum inuentis quid addere 501
Faciliora primùm tractanda 191
Facultas omnis in bonis 126.132
Fallaces & contortulæ conclusiunculæ 366
Fallaciæ accidentis in syllogismum peccant 404
Fallacia eodem modo & struitur & soluitur 414
Fallacia ex eo quod non est causa, pro causa posito 390
Fallacis syllogismi duo genera 459.463
Fallere an bono uiro liceat 35
Falsa argumẽtatio quatuor modis 344.348
Falsa multitudine obruuntur 280.295
Falsa nonnunquàm magis, quàm uera approbantur 344
Falsa quandoq; assumenda 330.332
Falsæ ratiocinationes οἱ ψευδεῖς συλλογισμοὶ 412
Falsarum ratiocinationum discrimen 350
Falsi causa sublata, tollitur argumẽtum 317. 329
Falsi & opinati communes loci 428.430
Falsitas cuius culpa accidat 344.349
Falsis nõnunq; uerum efficitur 332.336.344
Falsorum quædam credibilia, quædam absurda 344.350
Falsum ex absurdis collectum pessimum 350
Falsum ex ueris confici non potest 337
Falsum inueniẽdi ueri causa ponere licet 258
Falsum, τὸ ψεῦδος, quod 380
Felle tincta aurea uidentur 368.372
Fictionis argumentum 94.97
Fides an in opinione 125
Finis à destinatis quid distet 230
Finis an in ortu, actioneue consistat 225
Finis Aristoteli & Ciceroni idem 229
Finis artis, efficere quæ uelis 4
Finis & destinatorum collatio 72.76
Finis optimꝰ et extremus spectãdus 325.229
Finis uitæ beatitudo 76
Formarum & indiuiduorum diuersitas unde spectetur 261
Formæ dictionis duo præcipua genera 387
Formis eadẽ quæ generib. accidit elatio 135
Formosorum duplex genus 369
Fortis quis dicatur 125
Fortitudinis finis quis 247 253
Fortitudinis usus 82
Fortitudo quid 129
Fucatæ ut reprehensiones, ita & solutiones 451.456
Fugienda quæ sint 86.92
Fur perfectus & bonus quis 238
Fur malus, non furem capere malum 481

cuiscum ambiguè dicitur 24

G

Gellianum exemplum 334
Generalis solutio captionum accidentis 475
Genus quid 8.36
Genus ad plura, quàm speciem, differentiáq; pertinere 101.104
Genus cui conuenit, ei speciem aliquam conuenire 101.104
Genus dici in quid 99.105
Genus differentia notius 236
Genus dupliciter effertur 443
Genus & differentia necessariò rei conueniunt 204
Genus & differentia specie notiora 200
Genus & proprium faciliùs refelluntur, quã probantur 271.274
Genus & species ad idem referuntur 121
Genus & species eiusdem Categoriæ 100
Genus & species in eodem subiecto 125
Genus & species synonyma 134.137
Genus ex omni differentia non concluditur 205
Genus nec formæ, nec differentiæ est particeps 216
Genus non inest formis 137
Genus proximum in definitione collocandũ 202.215
Genus præstãtius cuiq; attribuendũ 134.138
Genus primum in definitione ponendum 201.213
Genus quale in finitione ponendum 189
Genus συνωνύμως de formis, nũquam παρωνύμως dici 39
Generis attributa quæ 10
Generis cum accidente cognatio 41
Generum diuersorũ diuersæ differentiæ 38
Generis definitio formis omnib. cõuenit 106
Generis ciusdem quæ sint explicare est difficile 296
Generis & differentiæ usus 186.196
Generis & speciei par ratio 113.115.118
Generis infirmandi rationes quæ 113.116
Generis latior, quàm partiũ tractatio 93.96
Generis partes ut differant 137
Genera et differẽtiæ de natura dicũtur 264
Genera & species in relatis definiendi ratio 226
Genera in species diuidenda 95
Genera superiora de specie dici omnia 105
Genere probato probatur & species 287
Generi plura, quàm speciei inesse 48.49.52
Generum diuersorum an sit eadem differentia 205.218
Generum & formarum comparationes 135
Geometria pro tota mathesi ponitur 426
Geometricum exemplum 47
Gorgias Leontinus 502
Gradiens bipes & quadrupes 165
Grammaticæ finitio 202.214.220
Grammatica unde dicta 229
Graue, & βαρὺ, duplex 25
Græcè ut sophisticæ ratiões appellẽtur 366
γυμνασιὰρχης, Gymnasij præfectus quis 177
Gruis nomen ambiguum 27.28

H

Habitudo corporis alia uerè bona, alia simulata 369
Habitus et res habitu informata differũt 159
Habituum & affectionum finitiones quales 206.220.226
Heraclitι sententia 16.19

ἕξις ambiguum nomen 294
Hipponici plures 438
Hippocratis quadratura circuli 421.425
Homerica exempla Chœrileis præstant 302
Homericum μῶλυ contra Circeia uenefícia 366
Homeri poëma cur circulus dicatur 414
Homeri uersus 379.386
Hominis finitiones uitiosæ 195
Hominis propria uirtus quæ 88
Hominum in disserẽdo genera diuersa 280. 294
Hominum inter se dissimilitudo 372
Homo cicur & humanus naturâ 179
ὁμοιοχημοσύνη idem quod χῆμα φιλὲ ξεως Aristoteli 403
Homo mortuus 384
Homo non, hoc aliquid, significat 470
Homo uniuersalis in singulis hæret 470
Homonyma à synonymis distant 238
Homonyma an definiantur 234.238
Homonymiæ & amphiboliæ tres modi 378
Homonymia præcipua causa omnis fallaciæ 370.373.444
Homonymia uerbi oportere 378.383
Homonymia unde, & quomodo decipiat 370.373
Homonymorum distinctio apud Ammoniũ quæ 384
Homonymum ante definitionem explicandum 235.240
ὁμωνυμία quid, & ut latinè dicatur 382
Honestum solum bonum 88
ὑπόθεσις quid 18.97.309.311
Hypothesis in thesin transferenda 347.360

Idea unum numero 203.217
Idearũ assertores reprehenduntur 228.266
Ideæ Platonicæ 173.177.226
Idem contrariorũ simul nõ est particeps 112
Idem diuersis non subesse 106.108
Idem & aliud contraria 263
Idem & diuersum multiplicia 165.402
Idem numero multiplex 11.258
Idem quid maximè propriè dicatur 256
Idem quid uerissimum 11
Idem quippiam, an diuersum sit, quinq; modis inuestigatur 259
Idem quot modis dicatur 11.164.258
Idiotæ etiã dialectica et piraslica utũtur 423
Ignis proprium quod 146
Ignis tres species 161.167
Ignorantiæ tegumentum 486
Ignorantiam profiteri melius, quàm incerta concedere, aut negare 316.324.325
Ignoratio generalium, imperitiã arguit 376
Ignoratio duplex 228.234
Immortalitas an uita sempiterna 127.133
Imperiti quasi eminus rem spectant 372
Impostor quis 126
Impotens quis 225
Improbus unde dicatur 126.132
In Categorijs quæ propriè insint 110
Indignari quis dicatur 42
Indiuidua infinita 42.45
Indiuidua specie conueniunt 104
Indolentia Hieronymo Rhodio summum bonum 80
Inductio apud quos adhibenda 295.302. 347.361
Inductio Aristoteli ut definiatur 20.22
Inductio Ciceroni quid 292

Inductio in quibus collectu difficilis 295
Inductio quid à Ratiocinatione differat 20
Inductiones ut primùm celandæ 289
Inductione quo pacto fiat digreßio 50
Inductionis imperfectæ exemplum 22
Inductionis probandæ difficultas 303
Inductionibus ut reßistendum 316.326
Inductionis usus in contrarijs 57
Infinita nomina quo nodo exprimenda 175
Infirmiora argumenta in medio locãda 280. 294
Ingenio quid efficiatur 346
Ingenium ad disserendi rationem necessariũ 346.356
Ingressus an delatio sit rõne motus 106.107
Iniuriam facere quid, & num Deo conueniat 42
Iniuriâ mori optabilius, quã iure 481.486
Iniuriam pati, quàm inferre melius 329
Inter, esse quippiam, & esse, magna affinitas 388
Interitus Ciceroni quid 269
Interitus rerũ bonarũ in malis, & contrà 67
Interrogare per similitudinem 443
Interrogatiões breuiter absoluẽdæ 298.308
Interrogationes ita proponendæ, ut quò per timeant, non uideatur 279
Interrogationes obscuræ 278
Interrogationes omnes ut Dialecticæ fiant 298.304
Interrogationi multiplici nunquam simpliciter respondendum 325.455
Interrogationum species duæ 308
Interrogare discendi quasi studio 429.431
Inuenta dijudicanda, priusq; efferas 284
Inuentio citra tractandi rationem parùm prodest 280
Inuidia quid sit 42
Inusitata enodationis indigent 149
Ira animum perturbat 442
Ira quid 247.253.279.291
Irati omnes an pœnam appetant 279
Iudicãdi ratio an in Topicis exponatur 283
Iudiciaria Dialecticæ pars quæ 282
Iudicij nomen quã latè interim sumatur 283
Iudicio plurium et sanioriũ acquiescendũ 70
Iudicium doctoriũ sequendum 206.211.220
Iurecõsulti uctercs ut suã artẽ docuerint 503
Iusta paupertas opibus præstat 429.433
Iustum naturâ quale 194
Iustum sub utili comprehenditur 198
Iustitia quid 207.223
Iustitia amicoriũ et hostiũ expetenda 71.75
Iustitiam fortitudine potiorem 78.81
Iuuentutis exercitia cuiusmodi magis optanda 367

K

κακία uitiositas Latinè dicitur 116
κυρίως, & ἁπλῶς, Aristoteli idem 484

L

Labrum, ἔκλειψις, quid 206.220
Lacedæmonij & Peloponesij Græcorum fortissimi 256.260
Lactantius de Antipodibus 155
Lactantius de Socratis & Arcesilæ sententia 501
Latinè ut Sophisticæ rationes uocentur 366
Lectoris officium in Topica doctrina quod 504
Leges iustitiæ causa inuentæ 238.244
Leges posteriores abolent priores 255
Legis definitio mala, & abundans 186.188

Legis

Legis finitio bona 194
Lex disciplinæ dialecticæ 454
Lex naturæ reuera non aduersatur 433
Lex quid Sophistis 430
Liber octauus Topicorum omnium utilissimus 281
Liber de reprehensionib. Sophistarum Boetio in duos diuiditur 368
Libidinem omni ætate turpem 81
Libri de reprehensionib. Sophistarũ 18. cap. 368
Libri octaui Topicor. duplex inscriptio 281
Libri de Sophistarum reprehensionibus partes duæ 368
Linea finita recta 236
Linea quid sit 203.216
Lithargyrina uidentur argentea 369.372
Λήμματα, sumptiones quæ 290
Loci apparentium & sophisticarum reprehensionum ijdem 408.411.412
Loci confirmando generi accommodati 113
Loci partim maximæ propositiones, partim maximarum differentiæ 37
Loci πρὸς ἄνδρα duplices 266
Locorum consideratio duplex 37
Locorum dispositioni quid Cicero, quid itẽ Quintilianus tribuat 358
Locorũ notitia ut prudẽtiã augeat 346.356
Locos Aristoteles ut tradat 38
Locus accidẽtis nil necessariò concludit 478
Locus à non causa, & respondentes & opponentes fallit 341
Locus à non causa unde dicatur 397
Locus ex pari et minore nõ idem ualet 94
Locus proprius falsi 429
Locus Sophisticus πρὸς ἐριστικοὺς 239
Locus sententiæ & uoluntatis reciprocus 429.433
Logicæ diuisio bipartita 376
Logicæ uox generalis 23
Λόγος pro argumentatione ponitur 21
Ludentium, non seriò agentium, Sophisticæ studium 368
Lumen an sit species ignis 167
Lycophron laudauit lyram 441.444
Lysander 458

M

Malitia certi uitij nomen 116
Malum maius an maiori bono contrarium 296.305
Μανδάναρ, homonymum est 378
Mandrabuli more res succedit 444
Mandrobulus 440.444
Mansuetudo, ἡ πραότης 129
Maris proprium quid 168
Materia libri de Reprehen. Sophistarũ 364
Mathematicorum initia cuiusmodi 312
Medicina quid 188
Medici noxia simul ac salutaria docent 367
Medicinæ subiectum 202.214
Mediocritas 113
Mediocritatem solam bonis esse 50.59
Mediorum bonorum usus anceps 485
Medium duplex esse 115
Medium multis modis dicitur 237
Meliora & magis expetenda distare 87
Melissi argumentatio qualis 483
Melissi ratiocinationis uitia 300.396
Melissi sententia 17.19
Melissus cõuerti credidit inæqualia 405
Melissus duplicem conuersionẽ probat 396
Memoria à scientia distinguitur 119

Memoriæ nomen uarium 128
Memoriam esse præteritorum 49
Memoriam quo pacto loci iuuent 346.358
Mens in homine dominatur 143
Metaphysici & dialectici distinctio 427
Metaphora rem quodammodo inuoluit 459
Metaphoræ in dicendi ratione obseruandæ 112
Metaphoræ similitudo 186.194
Methodus locorum generalis improbatur 12
Metaphysicus uniuersalis artifex 427
Minus malum non esse bonum 64
Mixtio quibus non conueniat 237
Μὴ ἄϊτιον καὶ ἀναίτιον idem 397
Μῆνιν ἄειδε θεὰ, totam Iliadem per metonymiam significat 477.480
Modus dicendi considerandus 102
Moralis totius comparationis locus 72
Mors gloriosa præstantior uita uoluptatibus affluente 429.433
Mors non est simpliciter corruptio rei 397
Mors uitæ est contraria 390
Mortem honestam turpi uitæ præferendam 89
Motum Zeno tollit 316
Motus et moderatio ambigua uerba 185.192
Motus sit ne uoluptatis genus 100.103
Multa celeriter quærenda 439.441
Multa simul prouidere difficile est 439
Multas interrogationes accipere pro una, cur uitiosum 409
Multiplex interrogatio citra distinctionem non admittenda 450.455
Multiplicitatis distinctione elabi 440
Munera gratuita esse debent 122
Mutatio generisne, an differentiæ adhibenda 236.242
Mutatio nominum quando facienda 236

N

Naturâ conuenire quid 166
Natura Sophistis quid 430
Naturæ legem aduersari Sophistæ censent 433
Necessarijs non necessaria meliora 84
Negatio à definitione aliena 203.216
Negatio quib. definiendis sit accommodata 404
Nemo bonorum, praua docere studet 376
Neutra, nomina τῶν σκευῶν. i. uasorũ 436
Neutrum genus plurimum solœcismi efficiẽs 435.437
Nihil probantes respuendi 247.362
Nix an sit aqua 127
Nodus optimè soluitur, si uinculũ intelligas 365
Nomina rerum finita 370
Nomen & oratio quid distent 162.167
Nomina usitata adhibenda 41
Nominũ potestatis ignari decipiuntur 370
Non omne quod principiũ habet, necessariũ genitum est 390.401.405
Non omnis uitij explicatio, uera est solutio 476
Non parum rem nosse, sed in parum cognitis hærere turpe 505
Non semper breuiter respõderi potest 454
Non statim inter se idem ualent, quæ interrogatio conueniunt 400.405
Notatio uerborum adhibenda 50
Notiora aliqua esse bifariam 199.210
Notiora nobis, & ea naturam nõ explicãt 200

Notiora nobis quando in definitione adhibenda 199.210
Nugari, ἀδολεσχεῖν, quid sit 377.381
Nugatio bifariam explicatur 434.436
Nugatio ἡ ἀδολεσχία dicitur 381
Numerus ab Interprete mutatus 411
Numerus omnis, quomodo multus et paucus sit 479
Numerus primus quis 304
Numerandi scientia differentia hominis 214
Numerorum κεφαλισμὸς quid 358
Numerorum πολλαπλασιασμοὶ 358

O

Obiectiones tacitæ & omnes resistendi occasiones remouendæ 297
Obliuio an sit artis amissio 296
Obscura & minus probabilia non facilè admittenda 316
Obtusum, ἀμβλύ, duplex 24.25
Occultatio ad fallendum apta 442
Occultationis, φ κρύψεως, doctrina quatenus uti conueniat 288
Occurrendi ratio duplex 317.327.334
Occurrere seu resistere quid 347
Officia differentium in diuersis disciplinis diuersa 314
Omnes artes cõmunia quædam habent 423. 427.
Omnia quæ sunt, esse eadem dicunt Sophistæ 388
ὄνομα ἄ συνώνυμον pro Polyonymo sumitur 394
ὄν nomen homonymum 30
Omnino quæ esse dicantur 64
Opinabilis genus quod 100
Opinio fidei consequens 130
Opinio quid ab arte differat 236
Opinio una magis & minus alia 332.345
Opinione hominum quænam expetenda 86
Oportere uerbum multiplex 461
Opponentem et respondentem quibus nominibus Aristoteles notet 319
Opponentis & respondentis studia diuersa 360
Opponentis officium quod 313.318.319
Oppositorum finitiones quales 268
Oratio coniuncta & diuisa 385
Oratio nonnunquam ad captum simpliciorũ demittenda 210
Oratoria, ciuilis disciplinæ pars 502
Orator bonus quis 238.244
Ornatus pro dilatatione 300
Ornatus Rhetoricus ut hîc tractetur 300
Ortus & interitus dissimilis ratio 62
Ortus, status, et interitus rerum confruntur 172
ὀυτιδες captiones 407

P

Parabola quid Ciceroni ac Quintiliano 301
Paradigmatis uocabulum anceps 302
παράλογον ut Latinè dicatur 380
Paralogismi quibus disparata concluduntur qui 412
παραλογισμοὶ, καὶ παρεξέλεγχοι, qui 366
παραλογισμοὶ qui propriè 372
Partes de toto ut dicantur 248
Partes in toto contineri 40
Partes sine toto esse possunt 245
Partes totius ad eundem simul finem referendæ 247.252.253
Participiorũ significatio anceps 378.383

Partitionum & diuisionum definitiones Ciceroni quæ 248
Parium collatio triplex 63.180
Partium concretionis ratio exponenda 246 252
Partium multiplex ratio 131
Peierare, ἐπιορκεῖν 485
Πειρασικὸν disputandi genus quod 320.330
Πειρασικὰ argumenta quæ, & ubi explicentur 377
Περασάσεων duplex genus 69
Permixtio quarum rerum sit 110
Perspicua magis eadem nõ sunt omnib. 278. 288
Perspicua magis præponenda 278.287
Perspicuitas in quibus consistat 301
Perturbatio, ἀπάθος, sit ne differẽtia 206. 219
Per otiũ captiõi occurrere, facile 460.464
Perturbati minus cauti sunt ad omnia 439
Petitio principij ubi explicetur 395
Pharmaca eadẽ salubria & pestilentia 246
Pharmaceutice & necromantice sciẽtiæ 354
Phauorini sententia 46
Phauorinus philosophus non probabilibus unicè delectatus 321
Φιλαυτία nobis innata 74
Φιλεῖν uerbum ambiguum 25
Philosophi opum contemptores qui 87
Philosophi ueritatem inquirunt 21.23
Φιλοσόφημα quid 332.341
Philosopho quid cũ Dialectico sit commune 277
Philosophus aduersarium non respicit 277
Philosophus cur non interroget 285
Philoxeni uotum 230
Φυλεκτικῶς φυσήσαντες qui dicãtur 372
Pirastica nullum certum genus subiectum habet 423.427
Pirastica pars dialecticæ 408.424.420
Pirastæ proprium certam responsionem urgere 420
Pirasticæ par cum dialectica ratio 423.427
Pirastæ à Sophistis ut differant 412
Pirasta cum Dialectico & Sophista confertur 424
Pituita quid sit 187.197.
Planta an animal terra defixum 224
Plantæ & animantes homonyma 235.239
Platonicorum sententia refellitur 10
Platonis sententia refutatur 102.114
Plebei Philosophi qui 289
Plures rogationes diuersi generis 483.484. 487
Plures interrogationes, quasi una, acceptæ 391.398
Pluribus intenti peius iudicant 442
Pluribus ostendere, quod pauciorib. potest, uitiosum 332.342
Pluuiæ consequens madefieri terram, nõ cõtrà 390
Πολιτικοὶ λόγοι qui 502
Πολυπραγμοσύνη quid 48
Ponere quæstionem, & poscere ut differant 318
Posterior pars libri de Reprehensionib. Sophistarum respondenti seruit 368
Præceptorum ratio uniusmodi 478
Præceptum Aristotelis de ijsdem uerbis retinẽdis, in Scholis obseruatu necessariũ 404
Præcipua non semper in primis proferenda 280.293

Præuisæ

Præuisæ captiones, sunt anteuertendæ 452. 459
Prima τὰ πρῶτα definitionem requirunt 298.309
Primis artium inuentoribus magnæ debẽtur gratiæ 502.504
Primi Musicæ inuentores, Phrynis & Timotheus 504
Primum experienti parata uenia 505
Principia aliena non adhibenda 345.349
Principia rerum omnium tenuia 502
Principia definitionibus expositis facilè possunt probari 299
Principia probatione non indigent 285
Principij petitio partim ad ueritatẽ, partim ad opinionem refertur 344.351.352
Principijs propinqua probatu difficilia 298
Principiorũ ac generaliũ quæstionũ notitia in primis paranda 346.348.357.363
Principiorum ratio non quærenda 1
Principium dimidium totius 502
Principium è definitione non petitur 352
Principium non quantitate, sed uirtute maximum 502
Principium quinq; modis petitur 344.352
Principium longè difficillimum quare 502
Priora posterioribus omnino notiora 199
Priuatio est rerum naturalium 188
Priuatio possit ne ad genus referri 121
Priuantia per habitum definiũtur 227.233
Priuantia in utramq; partem ualent 117.120
Priuantium consecutio 58
Priuationis subiectum in definitione explicandum 227.232
Priuationes negatione finiuntur 217
Prius an aliquid sit, trifariam arguitur 201
Priùs de ratiocinatione, quàm reprehensione agendum 419
Prior pars libri de Reprehensionibus Sophistarum opponentem instituit 368
Probabile esse & uideri differunt 1
Probabile, in contrarijs, in disparatis, et similibus 15
Probabile quot modis accipiatur 15
Probabilia & non probabilia duplicia 321
Probabilia quæ sint 1
Probabilia ualde perspicua omittẽda 333.343
Probationes sophisticæ & contentiosæ fine distinguuntur 421.422
Probationes thesi obscuriores sint, ne admittendæ 299.312
πρόβλημα διαλεκτικόν quod 141.144
Prodici uoluptatis inepta diuisio 51
Progressio à primis ad individua 42
Pronominis, ipsum, accessio rẽ magis constituit 332
Pronunciata siue sententiæ uirorum illustrium quid ualeant 16.19.70.
Proponere quid 347
Proportio efficientium 76
Proportio rerũ definitionẽ iuuat 265.269
Proposita improbabilia non temerè suscipienda 317.328.329
Proposita quæ difficiliùs comprobẽtur 298. 309
Propositio Dialectica 14.297.306
Propositio occursioni ut contraria 362
Propositio quadruplex 5
Propositio unũ de uno declarare debet 401
Propositiones an definitiõe explicari possint 311
Propositiones à thesi alienæ quatenus consedendæ 315.323.324

Propositiones necessariæ non statim proponendæ 278.286
Propositiones necessariæ quæ 277.286
Propositiones quæ ἐνσατικῶς oppugnatæ possint explicari 206.297
Propositiones uariè confirmandæ 288
Propositiones uerisimiles adhibendæ 297
Propositionis à quæstione distinctio 5.7
Propositionum delectus habendus 20
Propositionum diuisio quæ 277
Propositionum eadem, quæ thesium distinctio 315
Propositionum in syllogisticas & non syllogisticas distinctio 316.326
Propositionum non necessariarũ genera quatuor 277.286
Propositionum non necessariarum usus 278
Propositionum siue sumptionum uaria nomina 322
Propositorum improbabilium quis usus 321
Propositorum non probabilium genera duo 317.328
Propositorum omnium non æquè facilis confirmatio 331.339
Propositum quæstionem esse 17
Propositum quo modo celetur 428.431
Propria communibus grattora, & contrà 83
Propriæ rerum affectiones 437
Proprij ambiguitas remouenda 146
Proprij extres separare 133
Proprij explicatio quot modis malè tractetur 160.167
Proprij inuentio in quibus difficilis 160
Proprij loci singularum captionum explicatu difficiles 410.413
Proprij loco subiectum ponere nõ licet 148
Proprij nomen multiplex 10.140
Proprij significationum collatio 141.144
Proprium ad alterum quale 140
Proprium circuitione explicatur 150.156
Proprium communi uoce non exprimẽdum 147
Proprium definitioni affine 274
Proprium duplex 5.190
Proprium & accidens essentialiter non dicuntur 276
Proprium ex præstantia quale 181.183
Proprium ex ui & potestate 181
Proprium idem totius & partium in homogenijs 168.174
Proprium in contrarias partes tractatur 150
Proprium interdum quod 141
Proprium nec æquale, nec posterius usurpãdum 148
Proprium nec prius, nec posterius subiecto 158
Proprium nihil redundans habebit 153
Proprium non perpetuò consequens incommodum 148
Proprium non solo sensu dijudicandum 149
Proprium obscurius bifariam cognoscitur 145
Proprium per communicationem 157.161
Proprium per se 140.142.144
Proprium perspicuum esse debet 145
Proprium quid sit 8
Proprium quod efficacissimum 141
Proprium quid à definitione distet 150
Proprium reciprocatur 156
Proprium semper ἀεὶ 141.143
Proprium semper & necessariò conuenit 154

Proprium

Proprium subiecti attributum 167.162
Proprium suijpsius nihil 168
Proprium unius rei unum ponendum 147
Proprius locus inopinati primus 429 432
Protagoras impietatis pœnam dedit 19
Proteruiendi suspicio unde gignatur 446. 447
Pseudographi syllogismi à litigiosis quid distent 422
Ψευδογραφήματα quæ, et quomodo aliàs uocentur 425
Ψευδογραφική ratiocinatio 2
Ψευδογραφοῦντες qui 295
Prudentem natura nemimem dici 64.67
Prudentiam senum propriam 81
Prudentia sit ne scientia 105.108
Prudentia ut malorum dicatur 479
Pulchritudo ut Ciceroni definiatur 76
Pulchrum nomen homonymum 24
Pulchrum quid 208.224

Q

Quæ de multis dicũtur, non significant hoc aliquid 470
Quæ reprehensiones Dialectico, quæ alijs artificibus considerandæ 410
Quæ separatim uera sunt, non statim cõiunctim sunt uera 477
Quæstio in propositionem uertenda 43
Quæstio Dialectica 16 Logica 18
Quæstio qua quid quicq; sit, quæritur, qualis 8
Quæstio specialis 93.95
Quæstiones συνεπιχείρητοι quæ 299
Quæstiones è quibus constent 5
Quæstiones infinitæ 94.96
Quæstiones quæ in disputatione proponendæ 17
Quæstiones simplicis inhærentiæ 45
Quæstionis apud Rhetores diuisio 40
Quæstionum diuisio 5.17.18.38.40
Quæstionum infinitarum plures modi 94.97
Quæstionum, seu problematum diuersitas 331.339
Quæstionum tria genera 21
Quantæ gratiæ pro Logica tradita Aristoteli habendæ iuxta Alexandrum 505
Quid primum spectandum in Sophistæ argumentatione 463
Quid sit res, imitio cognoscendum 398.310
Qui mercede antiquitus docuerint 503
Quintilianum malè de Coniugatis iudicasse 65
Quintilianus de accentu 386
Quinquaginta ubi erant, uarium 386
Qui temerè respõdent, facilè labuntur 428. 431
Quomodo cum proteruis in disserendo agẽdum 439.442
Quomodo ex pluribus rogatis uera reprehensio fiat 391

R

Ratiocinatio directa commodior Dialectico, quàm obliqua 297.307
Ratiocinatio propositiones, inductio similitudines subministrat 347.361
Ratiocinatio quid sit 1
Ratiocinatio Sophistica, eaq; duplex 1
Ratiocinatio uera quid 369.372
Ratiocinationes fallaces 370
Ratiocinationis duplex uia 106

Ratiocinationis & reprehensionis uitium duplex 371
Ratiocinationis finitio apud Gellium è Topicis citatur 3
Ratiocinationis obliquæ ductus 307
Rationes probabiles quando præueris assumendæ 453
Rationes quibus falsa est conclusio, dupliciter solui possunt 459.460
Ratiocinationum duo genera 369
Rebus singulis plura insunt, quàm uniuersis 458
Reciprocari ut Græcè dicatur 197
Reconfecta quomodo aduersario occurrendum 453
Rectum & sui & obliqui canon 232 233
Redundare quid sit 196
Refrigeratio quid sit 188.198
Regulæ & definitiones sunt uniuersæ 291
Rei cuiusq; una natura 199
Relata duplicia 212.228.434.437
Relata ijsdem casibus conferri 118
Relata simul cognoscuntur 201
Relatio generis & speciei 118 121.122
Relatorum consecutio 58
Relatorum differētiæ etiam sunt relata 206
Relatorum dissimilitudo 206.220
Relatorum finitio ad finem dirigenda 225
Relatorum tres modi 119 123
Relatorum utrunq; exprimendum 237
Religioni aduersæ theses ut in Scholis defendantur 323
Reprehensio duplex 335.369
Reprehensio non ad rem, sed ad respondentem interim dirigenda 330
Reprehensio quid 369.373.389.394. 399.410
Reprehensio tenuis quæ 327
Reprehensio uera ambiguo obscuratur 448 453
Reprehensiones à ueteribus malè distributæ 415.417
Reprehensiones ex alijs alijsq; artibus ducūtur 410
Reprehensiones fallaces 370
Reprehensiones in materia quæ peccent 451
Reprehensiones omnes non pertinent ad locum ex multiplici 461
Reprehēsiones ut ἀποδείξεις infinitæ 410. 413
Reprehensionis & confirmationis disparratio 43 105
Reprehēsionis & syllogismi penè eadem finitio 199
Reprehensionum ex petitione principij, solutiones 482.486
Repugnantia dictorum cauenda 440
Rerum comparationes rem illustrant 440. 443
Rerum dignitas citra collationem ut spectetur 86
Rerum & uerborum captiones in quo peccent 401.406
Rerum expetendarum tria genera 86.91
Rerum numerus infinitus 370 374
Rerum præstantia duplex 243.244
Rerum triplex distinctio 51.54
Res eædem similiter intenduntur & remittuntur 257
Res expetendæ duplices 244
Res infinitæ propriè non sunt 327
Res inter se parum distantes, non rectè distinguere

stinguere, errorem parit 493
Res mediæ per se expetendis inferiores 92
Res pro subiecto ponitur 478 480
Res similes & dissimiles 73
Res urbanas potiores esse bellicis 79
Respondens ante cõgressum, quid obijci pos sit, debet meditari 317.328
Respondens quomodo causam reprehensio ni præbeat 330
Respondens quando reprehendendus 309
Respondenti ex aliena sententia quid faciendum 315.323
Respondenti theses uitandæ 347.360
Respondentis duo uitia 319
Respondentis proteruitas ac imperitia uitio sæ argumentationis causa 330.331.336. 338
Respondentis quod officium 313.318
Respondere simul ad multa rogata, ridiculũ 456
Rhetoricarum figurarum diuisio 417
Rhetoricæ finitio 195
Rhetoricæ artis inuentores primi 502
Rhetorum coniecturæ & signa 390.396
Rhetorum de argumentorum collocatione præceptum 293
Robur seu uis corporis in quo insit 76.84
Rodolphi canones duo 261
Rodolphi de Coniugatis censura 65
Rodolphus Aristotelem temerè reprehendit 5.7
Rodolphus dispositionis author perfectissimus 284
Rogationum genus duplex 391.398
Rogatum quid, & quomodo refellatur 334

Sanctè iurare, ἐυορκεῖν 485
Sanctè iurare, non omnino uerum iurare est 480
Sanitas quid 76.192.207.222
Sapientiæ iactatio uana 374
Sapientis in quaq; re officium duplex 370. 375
Sapientum & uulgi iudicia repugnãt 430. 434
σχῆμα λέξεως fere bipartitum 387
Scientia an sit sensus 119
Scientiæ & cogitationis discrimen 62
Scientiæ propemodum sunt infinitæ 410
Scientiæ relatum quod 122
Scientia contemplatiua 242
Scientia ex prioribus certior 199
Scientia immutabilis 160.192
Scientia quid absolutè 228
Scientia rei interitu an pereat 305
Scientia respondendo, quàm rogando magis proditur 500
Scientiam & præsentium rerum esse & futurarum 49
Scire literas, ambiguum 379
Scopus Aristotelis in libro de Reprehensionibus Sophistarum quis 365
Scire uariè accipitur 146
Sectæ Philosophorum septem 432
Sectæ suæ placita quisq; tuetur 432
Sensus & scientia ut distinguantur 20
Sensus utrum sit motus 128
Sensuum diuersitas quæ 24
Sensuum obiecta scientia non comprehendi 58
Sententia, γνώμη, propriè quid 458.459
Sentire plura significat 146

Sentire proprium eius quod uiuit 178 179.378
Σιγῶντα proloqui 416.417.460.461. 464
Simia homini assimilis 78.82
Simile uerbum homonymum 238
Similia multa, aut refellenda, aut concedenda 316
Similiora meliori esse meliora 78
Similitudo 32
Similitudo fallit 402
Similitudo forensis 255
Similitudo sæpe obscurior 439
Similitudo inductioni finitima 279
Similitudo obscuritatem parit 279
Similitudo pro comparatione 34
Similitudo ridicula 78
Similitudinem uocum fallere 67
Similitudinis ab inductione distinctio 279
Similitudinum collatio utilis 280
Similium eandem esse rationem 62.68
Similium usus 36
Similium & parium non eadem ratio 181
Similium propria similia 172
Simulachrum quid 186
Σύνθεσις, coniunctio. 379.382
Socrates rogando, non respondendo differebat 501
Socrates se nihil scire aiebat 501
Socratis sententia ἀσύκατ☞ 501
Sol quid 213
Solœcismus 380 & eius origo 381
Solœcismus bifariam committitur 435.437. 438
Soluere reprehensiones quid 411
Soluendi ratio Aristoteli duplex 334
Soluere & impedire diuersa 330.335
Solui quæ propriè dicantur 333
Solum, & μόνον, quid 468.472
Solutio captionis à dicto secundũ quid 480. 488
Solutio captionum ex accentu 462
Solutio captionum ex primo inopinati loco 429
Solutio, λύσις 478
Solutio duplex, ad rem, & hominem 448. 452.469.473
Solutiones ueterum ad hominem pertinent 469.479
Solutioni simulatæ ubi sit locus 448.453
Somnus quid 207.221.222
Σόφισμα, & τὰ σοφισματώδη ἐπιχειρήματα, quæ 366
Σόφισμα 332.342
Sophisma Stoicorum inexplicabile 485
Sophista à contentioso quid distet 421.425
Sophista alios impedire gaudet 412
Sophista quis dicendus 126
Sophistarum fines & metæ quinq; 377.380
Sophistarum ingenium ac natura cuiusmodi 370
Sophistarum studium ditescere 374
Sophistæ & οἱ φιλέριστοι, id est, cõtentiosi quid differant 320.426
Sophistæ importuno qui occurrendum 159
Sophistæ captionum exempla, non artẽ tradiderunt 503.504
Sophistæ munus 370.377
Sophistæ omnium rerum scientiam sibi sumebant 500
Sophistæ opinionẽ ueritati anteponunt 381
Sophistæ rerum & uerborum magistri 381
Sophistæ

Sophistæ uerbis tantùm ludificantur 34
Sophistæ descriptio 370.374
Sophistica reprehensio bifariam intelligitur 364
Sophistica non simpliciter, sed quodam modo est reprehensio 409.410.413
Sophistica ratiocinatio duplex 2.421.424
Sophisticarum rationum primà genera sunt duo 375
Sophistica sub Dialectica continetur 3
Sophisticæ reprehensionis uariæ appellationes 365
Sophisticæ & apparentis reprehensionis discrimen 370
Sophistice quid 370.374.421.422.425
Sophisticæ reprehensiones bipartitæ 411
Sophisticæ reprehensiones quæ 408
Sophistis omnia sunt in sapientiæ opinione 370
Speciales loci ut generaliores fiant 92.94
Specialia præ communibus concedenda 458
Speciem nullius esse differentiam 29
Specierum generis eiusdem etiã propria genere eadem esse 158
Species attributis non annumeratur 7
Species de differentia dici non potest 205
Species diuersas nominibus ijsdem nonnunquam notari 24
Species ex genere & differentia constat 203
Species generis particeps, non contrà 100. 103
Species multæ cuiusq; generis 112 114
Species omnes sunt ὑπάρξεα 139
Species omnis generis differre 134.137
Speciei quæ accidunt, eadem in genus etiam cadere 49.52
Species rerum inanimatarum bipartita 369
Species sola definitur 197
Species synonyma 266.270
Stannea uidentur argentea 369.372
Status motione præstantior 134.138
Stellas esse rotundas 47
Στοιχεῖον metaphoricè pro quadam præceptione ponitur 431
Stoicorum de uirtutibus paradoxum 249
Studium Commentatoris in explicando Aristotele quale 505
Stupor, ἡ ἔκπληξις, quid 133
Subiecta repugnantia 179
Subiectis congruentibus attributa quoq; conueniunt 257.261
Subiecto accidens posterius, differentia prior 163
Subiecto quod conuenit, etiam accidenti conueniet inhærenti 159.165
Subiectum si moueatur, accidẽtia omnia moueri necesse est 56.59
Subiectum uariè accipitur 131
Substantiam cum relatione cõmutare captiosum 472
Sui, ἑαυτοῦ, nomen anceps 304
Sumpta, quæ, & ut Græcè dicantur 322
Superiora inferioribus definiri non possunt 201.213
Superiorum diuersitas includit disparitatem inferiorum 257.261.262
Superiorũ unitas ex inferiorib. colligitur 262
Superlatiuus gradus è duob. unũ facit 259
Superuacaneũ in definitione quid 187.188
Syllogismi falsi in quaq; arte quomodo 410
Syllogismi sumptiones duæ tantum esse debent 331.339

Syllogismi uitium duplex 3
Συλλογισμοὶ ἐπιστημονικοὶ 285
Συλλογιστικοὶ ἐπακτικοὶ homines 361
Συλλογισμὸς ἐριστικὸς duplex 348
Syllogismus ἀνασκευαστικός 275
Syllogismus ex quibus propositionibus confletur 406
Syllogismus uerus constat ijs quæ insunt per se 413
Σύμβολον nota Ciceroni dicitur 373
Συμφωνία quid 114
Συνάγειν positũ pro συμπεραίνεσθαι 372
Synonyma ab homonymis ut distent 51
Synonyma quæ hîc uocentur 352

T

Taciturnitas cõfessionẽ imitari uidetur 406
Tabula libri de Reprehensionibus Sophistarum 368
Tale uel tale naturâ quid 72.96
Τάξεως nomen Ciceroni quid 282
Τάξεως ratio in propositionibus sita 285
Ταυτολογία duplex 147
Ταυτολογία, id est, iteratio eiusdem remouenda 146.153
Temperantia quid 114
Temporis opportunitas bona commendat 77.80
Tempus in disserendo spectandum 49
Terræmotus finitio 225
Terra altrix cur dicatur 192
Terræ proprium 169
Theodorus Byzantius 502
Thesis ἄδοξος quomodo excipienda 314. 321
Θέσις bifariam sumitur 432
Thesis diuersæ appellationes 321
Thesis μηδετέρα quæ, & quomodo admittenda 315.322.324
Thesis omnino ἔνδοξος ut tractanda 314. 322
Thesis, seu propositum Aristoteli quid 16. 262.311
Thesis uox ambigua 18
Thesium, quæ à Respondente defendũtur, diuisio 314.320
Thrasymachus Chalcedonius 502
Tisias Siculus 502
Τὸ βροτὸς καὶ μέροψ καὶ θνητὸς hominis epitheta 261
Τὸ δέον, hoc est, id quod decet, quænam complectatur 44
Τὸ διττὸν multis modis dicitur 464
Τὸ ἐνίστασθαι quid 304
Τὸ ἔνστασιν ἀπαιτεῖν quid 303
Τὸ ἐπίστασθαι τοῦτο, ambiguum 384
Τὸ γένος, ut Cicero uertat 432
Topicæ doctrinæ explicatio difficilior cur 301
Topicorum tractatio simplex 2.267
Τὸ σκεύους ἔχειν κλῆσιν quid sit 238
Totius & partium in quibusdam diuersa ratio 436
Totius probatio an à partibus sumi possit, et contrà 345.353
Totum à maiore parte denominatur 251
Totum ad partem transferre non licet 126
Totum an concretio dici possit 247.253
Totum an cum partibus omnino conueniat 353
Totum an partibus συνώνυμον 246
Totum cum partibus idem et non idem 245. 250

Totum

Totum duplex 174.248 250
Totum & partes eiusdem naturæ 245.251 405
Totum ex quibuslibet partibus non constatur 245
Totum perit sublatis partibus 245.251
Totũ per partes recto casu quomodo finiatur 245.249
Totum quauis concretione non fit 247.253
τοῦτο σὺ φῄς εἶναι, bifariam dicitur 384
Tractatio locorum accidentis & consequentis cuiusmodi 395
Transcendentia an genera 137
Tres comites sancti iuramenti qui 485
Triangulum habet tres angulos duob. rectis pares 399.404
Tribali ἀνθρωποφάγοι 69
Tribalos patres immolasse 64
Truncatim interrogare captiosum 451
Turba obruẽdus quomodo aduersarius 428. 431

V

Vacuum à quibus ponatur 263
Valere, qualitatem significat 380
Ventus aëris impulsio 127
Vera solutio, eaq; duplex 459.463.476. 479
Vera quæ dicantur 1
Verba dilucida captanda 45.46
Verba dubia fugienda 236
Verba inusitata fugienda 186
Verba obsoleta priscorum 193
Verba rerum notæ 370.375
Verbi eiusdem repetitio uitiosa 187.197
Verbi notio ut constituenda 235.240
Verbi τῶν κατηγορημάτων constructio 267
Verbis rerum loco in disserendo utimur 373
Verbis tritis utendum 235.240
Verborum acrerum nõ est eadem ratio 370
Verborum beneficio cum aliis disputamus 402
Verborum delectus in disserendo habendus 279
Verborum explicatio in methodicis necessaria 235.240
Verisimilium eadem ratio in omnibus 93
Verum & falsum ad qualitatem pertinent 469.473
Veteres captionem malè diuiserunt 382
Veteres certam responsionẽ urgebant 449
Veteres quæ artis erant, sine arte fecerunt 428
Veterum distinctio reijcitur 449.454
Veterum solutionis reprehensio 462.469
Videre uitium, & celeriter ei occurrere, diuersa 446.447
Vir bonus tetragonus 193
Vires corporis sine prudentia non esse expectendas 84
Virtus in tres partes distributa 176
Virtus quid 154
Virtutis præstantia 90
Visio quomodo fiat 20.22
Vita à Dionysio quomodo definita 235.239
Vita beata et honesta sit ne eadem 256.257
Vita & anima non sunt idem 390.391
Vitam contemplatiuam optimam esse 89. 91
Vitia in disserendo cauenda 39
Vitiosarum argumentationum cognitio ad quot utilis 367
Vitium captionis omnis in quibus sit 416

Vitium reprehensionum ex antecedente & consequente 409
Vna propositio quid 401.406
Vna res plures definitiones nõ admittit 209
Vnde fallatur qui secum tacitus rem exquirit 402
Vnde fucatæ reprehensiones existant 409
Vnius in multa distributio qualis 346
Vnius rei duæ definitiones esse non possunt 266
Vniuersale pro singulari, quo referatur 407
Vniuersale, τὸ κοινὸν quid sit 470.474
Vniuersitas Melisso infinita 390
Vniuersalibus omissis nihil concluditur 361
Vniuersum genus τὸ καθόλου 303
Vniuersum, τὸ ἅπαν, mũdus, cœlum, ὁ οὐρανὸς, synonyma 366
Vnius rei multa consequentia 50
Vnus homo præter multos 474
Vno plura simul quando finiantur 232
Vnum concludere facilius, quàm plura 271. 275
Vnum de uno affirmandum, aut negandum 483
Vnum in multa distribuendum 346.359
Vnum in quaq; re optimum 256.259
Vnum in quibus sit deducendum 346.359
Vnum multiplex est 12.402.415
Vnum numero sit oportet, quod optimum dici debet 256.257
Vnumquodq; ad optimum referẽdum 202. 214.238
Vocum diuersitas rebus non obest 19
Voluntas hominum sermoni ferè contraria 429 432
Voluntas malum facit 132
Voluntas quid absolutè 228
Voluntas Stoicis quid 229
Voluptas Epicuro summum bonum 80
Voluptas quot modis dicatur 25
Vox candida 31
Vsitata nemo repudiat 279.292
Vtile an genus iucundi 117
Vtilitas tractationis de reprehensionibus Sophistarum 366
Vtraq; & Omnia, multis modis dicuntur 484
Vtrunq; differentium Aristoteles in Elenchis instruit 54
Vulgi sermo, at iudicium doctorum sequendum 43.47

X

Xenocrates sapientiam malè definiuit 188
Xenocratis de uita beata sententia 55.256

Z

Zeno Citticus 418
Zeno Eleates 418
Zenonis argumentatio 415.476.478
Zenoni unum & ens, uno modo dicebantur 415
Zenonis ratio qua motum sustulit 422. 426

FINIS

D. THOMÆ AQVINATIS
DE NATVRA ET ESSENTIA RERVM

LIBELLVS, VERAE PHILOSOPHIAE CANDIdatis longè vtiliſsimus, nunc recens παραφραστικῶς explicatus, & Commentarijs prætereà nonnullis adiectis illuſtratus:

AVTHORE GERARDO MATTHISIO GELDRIENSE.

AD LECTOREM.

Adſis, quiſquis aues cunctarum exquirere rerum
Naturam, uerè hanc te docet iſte liber.
Te docet expreßè liber, in quo eſſentia totùm
Sit poſita, hæc exors corporis, illa capax.
Te docet euenti quo uis naturáq; conſtet
Omnis. quid pulchrum hac cognitione magis?
Hîc tibi ſunt artis Logicæ fundamina iacta:
Principia hîc Sophiæ ſunt reſerata tibi.
Si ſapis ergo librum, quiſquis ſapientiæ amore
Duceris, hunc crebra uolue reuolue manu.

COLONIAE
Excudebat Petrus Horſt.
Anno 1566.

IN LIBRVM D. THOMÆ AQVINATIS DE NATVRA ET ESSENTIA RERVM, ΠΑΡΑΦΡΑΣΤΙΚΩΣ TRADVCTVM, Gerardi Matthisij Geldrienſis præfatio.

CVm multę res in Philoſophia nequaquã ſatis adhuc dilucidè perſpicueq; ſunt traditę: tum perdifficilis quidẽ certè atq; obſcura eſt quęſtio illa, quę de natura rerum atq; eſſentia inter doctos agitatur. Nam ſiue ita res habeat, vt ipſa per ſe eſſentia lateat, (quẽadmodum Democritus in profundo abditam eſſe veritatem aiebat) ſiue ipſa per ſe clara ſit & conſpicua, poſteaquàm tanta animorũ noſtrorum caligo, tanta mentium in ijs quæ naturâ ſunt clariſsima, perſpicien dis eſt tarditas, vt non ſecus atque noctuarum oculi ad diurnum lumen, (quẽadmodum in Metaphyſicis ſcriptum Ariſtoteles reliquit) ita mentes noſtræ ad talium rerum obtutum quodammodò caligent: certè fieri nõ poteſt, quin ea de qua dixi, quæ rerum ſingularum naturam exquirit & indagat, cum primis obſcura, difficilis, atque inuoluta nobis haberi meritò quæſtio debeat. Verùm cùm de illa nonnulla apud Veteres diſputata ſint, maximè diſperſè varijsque in locis: tum inter omnes, quod mihi conſtet, nemo eſt, qui cum D. Thoma Aquinate facilè in hac re cõparari poſsit. Hic enim præterquàm quòd diſiectas diſsipatasq; Veterũ ſententias, quod ad prædictæ quæſtionis explicationem ſpectat, ſumma diligentia in vnum conduxit: ita eaſdem digeſsit, ac ratione quadam, vt diuino Vir erat ingenio, accuratè conſtrinxit & explicauit, vt ſi ipſæ forte res minus aliquem mouere, & ad cognoſcendum inducere poſſe videantur, ipſa ſaltem tractandi commoditas, & in docendo obſeruata artificioſa methodus, non omnino harum rerũ allicere huc contemptorẽ poſsit. Neque verò in vnius alicuius explicanda rei natura eam ſolũ diligentiam curamque adhibuit, vt quæ ad iſtius naturæ perquirendam euoluendamq; rationem ac notitiã facerent, omnia perſequeretur: Cunctarum rerum explicandam declarandamq;, quoad eius fieri poſſet, naturam ſibi propoſuit: maximè communi atque vniuerſa ratione. Nam quis ſingulatim de omnib. rebus, quæ tot tamq; multiplices in hac mũdi fabrica cohærent, quicquam diſſerendo conſequi, aut omnino pertractare poſsit? Ita primùm de ſubſtantijs omnibus, tum ſimplicibus, tum

concretis, quæ vis ac natura talium sit, inquirit. Non corporatarum solùm ac naturalium, eæ sunt, quæ ex materia & forma conflatæ, motui & agitationi subiectæ sunt: sed incorporatarum quoq; & supernaturalium substantiarum, (quo ex genere in primis DEVS est, & beati spiritus, seu angeli, quas singulares mentes, & Intelligentias Philosophi appellant, item nostri, præsertim rationis participes, animi) quæ vis ac natura sit, vtrum ea forma sola constet, an præter formam etiam alia re quapiam nitatur, & qua illa, subtiliter & argutè differendo, suo quicque loco, indagat & explicat. Ac cùm naturalium seu corporatarum substantiarum essentiam, forma simul ac materia constare, contra aliorum non omnino contemnendorum Philosophorum sententiam, probabili & efficaci ratione astruat: supernaturalium, & corporis expertium substantiarum naturam eiusmodi esse docet, vt non aliud, quàm simplices quasdam ac nudas eas ipsas esse formas, atque actiones, (quas τὰς ἐνεργείας Græci vocant) demonstret. Quanquam in hoc nonnulla differentia atque dissimilitudo est, propterea quòd non omnino simplices ac puræ formæ omnes sunt. Neque enim DEI instar vndiquaque liberæ, solutę, atque ab omni concretione segregatæ singulares mentes sunt, cùm *nonnulla in* easdem istas, si non materiæ, at certè potestatis ac facultatis, *compositio* cadat. DEI quidem essentiam ac naturam vsque adeò simplicem esse probat & demonstrat, vt nihil inter esse ipsius & essentiam planè intersit. Quò fit, vt & esse illi non sit accidens, sed subsistẽs veritas, & manens causa, & naturalis quædam generis proprietas, vt *lib. 7. de* Trinitate B. Hilarius loquitur. Reliquarum verò mentium, & abstractarum naturarum essentia tametsi & ipsa simplex est, aliquid tamen ipsarum esse ab essentia interest, cùm non à se ipsæ illę esse istud habeant, sed aliunde ijs, nempe DEI Opt. Max. concessu & munere, illud tribuatur. Sed hęc alia; id genus quàm plurima, cùm suauissimè de substantijs B. Thomas explicet, tum accidentium quoq;, eorum quæ substantijs innituntur & insunt, pari modo quo pacto essentia habeat, inuestigat. Ac cùm hęc res explicatu aliquanto obscurior esse videatur, ipse tamen dexteritate nescio qua perspicacis et excellentis ingenij ita eam ob oculos ponit, vt qui non omnino crassæ & obesæ naris fuerit, non mediocriter illam mentem consequi & intelligentia posse videatur. Quæso verò, nónne hæ res cognitu iucundæ, admirabiles, atque vtiles in Philosophia videntur? Videntur vtiq;, Sed nõ has tantum res præsenti Cõmentatione sibi tractandas,

das explanandasq; B. Thomas sumpsit. Præter ista & alia quædam non minus admiranda, iucunda, & suauia ad cognoscendum sibi proposita habuit. Quis est tam peregrinus & hospes, cùm in omni alia liberali & ingenua doctrina, tum in Philosophia præsertim & Logica, qui peruulgatam illam tritamq; de Ideis quæstionem, (cuius tractatio Themistio non indigna Philosopho esse visa est) nec olim summoperè à Philosophis esse agitatam, & recenti memoria ab illis, qui ante nos in Scholis cũ aliqua nominis sui gloria vitam traduxerunt, non mirè iactatã, & variè disceptatam esse cognouit? Aliter Platonici, aliter Stoici, & ab vtrisque diuersè Peripatetici istam quæstionem tractandam & concludendã esse statuerunt. Vnde est, quòd Porphyrius Platonicæ Philosophiæ æmulus, etsi nec omnino à Peripateticis deficit, istam quęstionem tam obscuram & perplexam, in omnes partes dubiam atq; ancipitem, initio Isagogis suæ proposuit, dum vtrum genera & species per se ipsa cohæreant, an in solis nudisq; animis posita sint: & si cohæreãt, vtrum corpora sint, ánne corporis expertia: & num auulsa sint & abstracta ab ijs quę sub sensum cadunt, an in ijs ipsis hæreant ac nitantur, se ambigere ac dubitare declarat. Quòd si eos euoluas, qui tum apud Græcos, tum apud Latinos Commentarijs hunc locum illustrare & explicare conati sunt: bone Deus, quàm multæ, quàm dissimiles, quàm dissentaneæ sunt sentẽtiæ. Ali Vniuersalia ante rem, in re, & post rem cohęrere dicunt: alij ante multa, in multis, & post multa, quod eódẽ ferè recidit. Sic Proclus, & post hunc Ammonius, & alij, δ' καθόλου δ' μὲν πρὸ πολλῶν, δ' δ' ἐν πολλοῖς, δ' δ' ἐπὶ πολλοῖς τεταγμένον dixerunt. Ammonius partim Theologicè, partim Physicè, partim Logicè istam quæstionem tractandam & explicandam esse docet. Neque hi malè fortè omnes: At quis ex omnibus istis est, qui satis expeditè, satis distinctè, clarè, dilucidè, omnem istius quæstionis veritatem nobis exhibuisse videri queat? Equidem mihi ex omnibus illis, qui in prædictæ quæstionis explanatione post se operæpretiũ aliquid reliquerunt, (quorum nonnullos quidem certè me attigisse & perlegisse non diffiteor) etiamnum visus est nemo, qui satis ad Logicę institutum, atq; Porphyrij mentem de ista quæstione mihi disputasse aptè videatur. Vnus mihi Thomas visus est omnium subtilissimè & cõuenientissimè in præsenti hoc libro omnem illam quæstionem tractasse & explicasse: Ita, vt nõ immeritò propterea videatur iste liber, inter omnes alios eiusdem Authoris, vt bene multos eos, ita eruditos quoq;, Maiorũ nostrorũ

tempore & probatus esse, & delectus, quem in omnibus Scholis Philoso phiæ cultoribus cum primis terendum atque addiscendum proponerẽt. Mihi profectò, cùm ante annos plus minus sexdecim *in huius libelli* lectionem primùm incidissem, vsqueadeò tum hoc nomine, *tum superiore illo*, iam tum iste probabatur, vt nõ indignum censerem, quem tum à Scholis nescio quo modo fortè exulãtem, statim quasi postliminij iure, etiam scholiolis explicatũ, Scholis restituerem. Itaque factum est, vt subitò scholijs nescio quibus (prout tunc tempora ferebant, & studiorum nostrorum ratio) conscriptis, de istius *libelli* editione cogitare inciperem. Quanquam ab isto proposito nonnihil me deterruit, quòd tot vitijs conspurcatum & inquinatum, nonnullis etiam *locis* non satis integrum, (id quod librariorum incuria nemo factum dubitarit) illum esse comperiebam. Quod ad dictionem attinet, tametsi *non satis* compta ac perpolita illa videbatur, ita vt ijs, qui eloquentię studiosiores *forent*, hoc tempore satisfacere posset: id tamen paulo minus in hac editione mihi curandum videbatur, propterea quòd Ciceronem, magnum illum eloquentiæ parentem, non vno in loco sic scribere meminissem, se non magnoperè à Philosopho, si non habeat, eloquentiam flagitare, *modò* illa quæ velit, verbis cõplectatur, & planè dilucideq; eadem exprimat. *Qua* re factum est, vt tum temporis id quod in animo habebam, statim exequerer: Id est, vt D. Thomæ libellum de Natura & essentia rerum, quantumuis horridulum ac stylo incultum, *nonnullis nostris* annotationibus adiectis, iam tum prælo diuulgandum committerem. Verùm posteaquàm nunc secundò idem libellus publicandus erat, diuersum ex re fore mihi videbatur. Nam si hominis est intemperanter abutentis & otio & literis, (quemadmodum à Cicerone scribitur) suas cogitationes literis mandare, eum qui nec disponere, nec illustrare, nec delectatione aliqua scribendo allicere lectorem posset: futurum id timebam, vt tale aliquid ij, qui dictionis, quàm rerum scientiæ hodie maiorem præ se curam præferunt, in hac editione nobis obiectarent. Quapropter audaciores nũc effecti, quod anteà minimè nobis licere putabamus, id fecimus, vt alieno in Opere orationem omnino mutaremus. Ita paraphrasin scripsimus, quæ vt verbis paulo est dilatatior, & fortasse cultior, ita rerum quoque, vt mihi videtur, non paucis in locis, quàm antè, tractatione est luculentior. In hac autem παραφράσει meditanda, ipsum Thomam potissimùm imitari studuimus, vt quæ alijs in locis de istis rebus, *de quibus*

hîc

hîc loquitur, iſte fuſiùs diſſerit & explicatiùs, illa huc adhibere & transferre pro virili conati ſimus: Cuius rei exẽplo ſunt, illa quæ in ſubiecto Commentario ferè annotauimus. Sunt tamẽ pleraq; & à nobis ipſis, & ab eius Commentatorib. Thoma Caietano, Armando Beluiſiẽſe, & Gerardo de Monte, (à quo Montano huic Collegio noſtro nomẽ obuenit, vti primo eius rectore, & tanquam fundatore) adiecta: maximè ijs locis, vbi & ipſa per ſe res minus eſſet controuerſa, & maior quædam authoritas Philoſophi, à quo Thomas quantuſcunq; eſt, dependet, nobis aſtipularetur. Sed hanc rem totam Lectoris iudicio commiſſam eſſe volumus. Illud non indignum videtur, quod hoc loco moneamus, non eo titulo hunc libellũ vulgò legi, quo nos eum dignati ſumus. Alij enim de Ente & eſſentia eum vocant: (quo titulo & in Opuſculis B. Thomæ iſte locũ habet) alij nõ de Ente & eſſentia, ſed de Eſſe & eſſentia inſcribunt: Quorum priores quidem illi id ſpectant, quòd initio iſtius Commentationis de ente & eſſentia ſimul tractationem B. Thomas ſuſcipit: poſteriores verò, quòd infrà capite nono de eſſe ſimul & eſſẽtia, ſubtiliter & argutè iſta diſtinguendo, philoſophatur. Atenim cùm vtraque iſta inſcriptio & paulo ſordidior eſſe videatur, & omne adeò Thomę ſtudium in eo poſitum ſit, vt rerum quarumcunque naturam atque eſſentiam nobis ob oculos cõſtituat & ponat: nos commodiùs de Natura & eſſentia rerum, libellum inſcribendum eſſe putauimus: Neq; id ſine exemplo omnino, cùm videamus nonnullos, verbo quidẽ duriore & aſperiore, ſed tamẽ eundem planè ſenſum nobis exhibente, de rerum quidditatibus eundem antè nuncupaſſe. Verùm hæc hactenus. Nunc tempus eſt, vt maioris euidentiæ cauſa, quæ ſequentis libri vniuerſa materia ſit, breui ſub aſpectum contemplanda proponamus.

TABV-

TABVLA SEQVENTIS LIBRI MATERIAM EXHIBENS.

- Hoc opusculum tribuitur in partes 3. quarum
  - Prima agit de essentia substãtiarũ compositarũ, idq; cap. 7.
    - Absolutè et per se.
      - 1 cap. Primo capite proposita uniuersa libelli materia, quot modis dicatur id quod est, quidq; ab hoc essentia distet, & quã uarijs nominibus essentia nuncupetur, ostendit.
      - 2 cap. proposita materiæ distinctione, mixtarum et concretarum substantiarum essentiam indagans, materia simul ac forma eandem constare declarat.
      - 3 cap. materiam in duo genera dispertit, docẽs hoc rei essentiæ, illud indiuiduationis causam esse: deinde ut generis & speciei essentiæ inter se distent, explicat.
      - 4 cap. genus cum specie, differẽtia, ac definitione confert, docens omnia quidem ista unum quiddam declarare, sed ratione dissimili ac diuersa.
      - 5 cap. genere cũ prima materia cõparato, docet quo pacto illud in cunctis formis idem sit, deinde quo modo species tum cum Iudiuiduis, tum cum genere suo conferatur, ostendit.
    - Logicè.
      - 6 cap. docet essentiæ nomẽ uariè dici, quia & abstractè dicatur, & concretè, idq; utrobiq; non uno modo.
      - 7 cap. quo tandẽ modo uniuersalis notio cõcretæ essẽtiæ cõueniat, et quomodo speciei nomẽ diuersè intelligat, ostẽdit.
  - Secunda de essentia substantiarum simpliciũ, idq; cap. 4.
    - Absolutè
      - 8 cap. simpliciũ & abstractarũ substantiarũ naturã inquirẽs, illis formæ et esse compositionẽ attribuit: deinde quo pacto simplices substantiæ à cõpositis distent, ob oculos ponit.
      - 9 cap. quot modis simplices substãtiæ omnino componantur, deinde qua rõne ipsæ inter se uerè distinguantur, docet.
      - 10 cap. quid Deus à simplicib. substantijs distet, et quo modo eius esse, tum ab Vniuersali esse differat, tum idipsum per se perfectũ & absolutũ sit, contentione quadam declarat.
    - Logicè.
      - 11 cap. quo modo Logicæ notiones in simplices substãtias, excepto Deo, conueniant, & unde tum genus, tum differentia in ijsdem capienda sint, (reuocata in memoriam compositarum substantiarum natura) in medium proponit.
  - Tertia de accidẽtiũ natura, cap. 2.
    - Absolutè
      - 12 cap. docet naturam accidentium per se inabsolutam esse, illaq; uariè ex substantijs oriri, quia hæc à materia, illa à forma existant, idq; dispari modo.
    - Logicè.
      - 13 cap. ad Logicas intentiones accidens accommodat, docẽs quomodo istarum intentionum capax sit, et unde tum generis, tum differentiæ in eodem notio sumatur.

D. THO-

D. THOMÆ AQVINATIS DE NATVRA ET ESSENTIA RERVM, LIBELLVS ΠΑΡΑΦΡΑΣΤΙΚΩΣ EXPLICATVS, ET SCHOLIIS prætereà nonnullis illustratus: authore Gerardo Matthisio Geldrienſe.

Caput 1.

PLATONIS [a] ſententia eſt, quemque in rei cuiuſq; principijs conſtituendis ſollicitum eſſe, & perdiligenter conſiderare oportere, vtrum rectè illa ponantur, nec ne. [b] Cuius quidem ſanè cauſa eſt, quòd etſi quantitate & magnitudine non vſq; adeò principium excellit & eminet, vi tamen & poteſtate idipſum maximè præſtat. Quippe in quo cætera continentur, & ex quo tanquam è fonte quodam reliqua dimanant ac profluunt omnia. [c] Quapropter rectè ab Ariſtotele dictum eſt, ſi quidem leuis etiam error, quo à veritate diſcedimus, initio commiſſus fuerit, quò diutius in eo perſeueraris, eo maiorẽ vel decies millies eum futurum eſſe. [d] Quæ cùm ita habeant, ſintq; hæc duo omnium prima, quæ in quaq; re perpendenda & æſtimanda primũ nobis occurrant, [e] nimirum eſſe rem, & quid ea ſit, quemadmodum in Metaphyſicis ſuis Auicenna ſcriptum reliquit: [f] equidem non ab re mihi facturus videor, ſi quam vim duo iſta habeant, quomodoq; tum in ijs quæ per ſe conſtant, tum in ijs quę per ſe conſtantibus naturis inſunt reperiantur, (g ſiquidem non vno modo iſtud fit, eademq; res nonnullam difficultatem adiunctam habet) non ſolùm, quod ad primam Philoſophiam, quæ abſolutè rerum quarumq; naturas veſtigat & cõtemplatur, ſed etiam, quod ad Logicam (præſertim verò [h] peruulgatas illas ſeu intentiones, ſeu notiones, generis, ſpeciei ac differentiæ) attinet, explicare inſtituam. Hoc etenim modo, [i] cùm ad duarum, earumq; longè maximarum atq; excellentium diſciplinarum cognitionẽ, viam aperiamus, non dubiũ, quin & mediocriter Philoſophiæ candidatis gratificaturi ſimus, & ad promouenda ipſorum ſtudia compluſculum adiumenti allaturi. [k] Verùm cùm ita res habeat, vt in omnibus ijs, quæ via ac ratione diſſeruntur, cum primis de nomine agendum ſit, vt quid ſit illud de quo diſceptatur

Principia accuratè in omni diſciplina explicãda

Ens & eſſentia duo prima totius Philoſophię quaſi initia.

Primũ de nomine rei cuiuſq;

agendum. sceptatur, intelligi possit: antequam ad earum rerum, de quibus tractatio nobis proposita est, explicationem progrediamur, primùm quid tũ essentię, tum eius quod est, [l] Græci δ' ὄν, hoc est, Ens vocat, (siquidem hęc sunt in quibus præsens hæc commentatio præcipuè versatur) nominibus Philosophi intelligant, dicendum erit. [m] Ac quò apertiùs idipsum fiat, quæ insita nobis & ingenerata docendi ratio est, vt è confusis ac concretis simplicium, & ex ijs quæ natura posteriora sunt, priorum antecedentiumq́; rerum notitiam inquiramus & inuestigemus, eam docendi viam ac rationem ingressi, primùm de eo quod est, ([n] siquidem huius natura, quàm essentiæ, per se & concretior & posterior est) dicere incipiemus.

Ens non vno modo dicit. [o] Est igitur Ens (vt hoc vocabulo scholarum instituto in hac materia perspicuitatis causa vtamur) ex eorum genere, quæ non vno simpliciq́; modo dicuntur. Nam partim per se esse dicitur, partim per accidens, vt in Metaphysicis Aristoteles docet. Quod per se dicitur, [p] id vel in natura extrà cohæret, quod per decem summa genera diffunditur: [q] vel in mente inest, quo rei propositæ veritas in effatis significatur. [r] Quorũ hæc inter ipsa distinctio est, quòd posteriore modo omne id esse dici potest, de quo aiens propositio efformatur, etsi in re nihil id ponat: quo pacto & priuationes & negantiæ esse perhibentur. Dicimus enim & affirmationem contrariam esse negationi, & cæcitatem esse in oculo. Priore verò modo id solum esse dicitur, quod aliquid in re ponit & constituit: quo modo nec cæcitas, nec quicquam eiusdem generis aliud verè est. Quodemum modo id quod est, tum substantia, tum accidens id quod substantiæ inhæret, esse dicitur. [s] Atq; hæc cùm ita sint, essentię nomẽ priore saltem modo hîc accipi intelligetur. Nam in cæteris quoq; nonnulla sunt, quæ nullam omnino (vt de priuationibus perspicuè patet) essentiam habent. [t] Sicq́; Auerrois attestatur, primo modo Ens id dici, quod rei essentiam atq; naturam designet. Porrò verò quia Ens in decem genera partitur, necesse est [u] Essentiam commune quid esse omnibus naturis, quo diuersæ res in distinctis generibus formisq́; suis locentur. Qua ratione humanitas est essentia hominis, & sic aliæ res quæuis sigillatim essentiam suam obtinent. [x] Cùm autem per quod vnum quicq; ad suum genus propriè speciemq́; reuocatur, id sit, quod definitione, qua quid res quæq; sit explicatur, declarari solet, fit vt essentiæ nomen etiam Quidditatis verbo ([y] modò ita per Grammaticos loqui fas sit) à nonnullis exprimatur. A qua sententia nõ longè Aristoteles dissidet, [z] qui δ' τὶ ἦν εἶναι, id ipsum

Nomẽ Essentiæ vt intelligatur.

Essentiæ verbi synonyma.

Quidditas. 1.

esse

esse profitetur, quo res quæq; essentiam suam, & quasi quidditatem habet. Nisi fortasse ipsam potiùs seu Essentiam, seu quidditatem ea phrasi ab ipso significari velis: Præsertim cùm ex professo, cùm alibi, tum in Metaphysicis [a] lib. 6. eam phrasin sic explicat, vt dicat: ἡ γὰρ τί ἦν εἶναι λέγεται ἑκάστου οὐσία. Hoc est, vt sic dicamus, Nam ipsum quid esse, vniuscuiusq; rei essentia ac natura dicitur. Dicitur verò essentia etiam formæ ac speciei nomine, [b] non quà forma seu species, rei compositæ & constitutæ pars est, quemadmodum in physicis, tum forma tum species, materiæ, in rei cuiusq; naturalis constitutione & coagmentatione opponitur, (quo modo animus verbi causa, & species & forma est hominis) sed quà ipsam rem coniunctam & cõpositam, ceu perfectio quædã eius & absolutio, seu (vt Auicenna in Metaphysicis suis astruit) certitudo quædam ipsius indagandę & cognoscendæ, complectitur. Quo quidem modo humanitas, seu species, seu forma, hominis reuera appellari & dici potest. Iam & alio quodam modo, [c] nempe Naturę appellatione & nomine dicitur, non quidem quouis intellectu, ac sumptione verbi Naturæ, (nam Naturæ nomen in ijs est, quæ ambiguè multisq; modis dicuntur, de quo vide Aristotelem lib. 4. primæ Philosophiæ) sed quem ad modum Seuerinus Boëtius lib. de duabus Christi naturis contra Eutychen & Nestorium, [d] Naturam accipit, cùm inquit Naturam esse earum rerũ, quæ cùm sint, quoquo modo intellectu capi possunt. Non enim res intellectu, [e] nisi per definitionem (quæ rei cuiusq; inuolutæ & implicatæ vim ac naturam exhibet) apprehendi potest. [f] Atque sic etiam in libris de Sapientia, omnem essentiam, τὴν φύσιν, hoc est, naturam Aristoteles esse testatur: [g] Quo sensu post Platonem, etiam τὴν φύσεως, hoc est, naturæ nomine Ammonius vtitur, cùm præfatione in Porphyrij εἰσαγωγὴν τὸν ὁρισμὸν, id est, definitionem describit, in hunc modum: ὁρισμὸς τοίνυν ἐστὶ λόγος σύντομος δεικνὺς τὴν τοῦ πράγματος φύσιν. Hoc est: Definitio igitur est oratio breuis rei naturam aperiens & declarans. [h] Cæterum cùm ad hunc modum prædicta verba ad eandem rem designandam & declarandam adhibeantur, nonnullam inter ea differentiam ac discrepantiã interesse existimandum est. [i] Siquidem Natura eo modo propriè sic demum sumitur & intelligitur, quatenus essentia rem vnamquanq; ad suũ quendam motum atque actionem impellit & incitat. Etenim nulla res est, quæ omnino actione sua & motu sit destituta. Quidditatis verò verbum eatenus dicitur, quatenus cuiusq; rei τὸ τί ἦν εἶναι, hoc est, ipsum quid

Species & forma. 2.

Natura. 3.

Prædicatarũ vocum inter se dĩstinctio.

esse, seu ipsa quidditas & essentia, definiendo explicatur. Essentia autem dicitur, quia res quæque eius beneficio constant, & sunt id, quod sunt. Forma verò & species nuncupatur, propterea quòd res & forma & specie[k] non solùm quasi efformantur, & finguntur, sed etiam per illas ipsas cognoscuntur simul & explicantur. Sed hæc de essentię verbo hactenus.

IN CAPVT PRIMVM

COMMENTARIA.

Principiũ rei diligẽter considerãdum.

PLatonis[a] sententia est.) *Platonis locus in Cratylo est, quo loco uerba eius sic habent:* δεῖ δὴ περὶ τῆς ἀρχῆς παντὸς πράγματος παντὶ ἀνδρὶ τὴν πολὺν λόγον εἶναι, καὶ τὴν πολλὴν σκέψιν, εἴτε ὀρθῶς, εἴτε μὴ ὑπόκειται. Id est: *Oportet uerò de cuiusq; rei principio unumquemq; diligentem rationem suscipere, & exactè considerare, utrum rectè illud nec ne ponatur.*

[b] Cuius quidem sanè.) *Approbatio sententiæ Platonis, à ui naturaq; principij deducta, de quo uide & caput ultimum lib. Elenchorum, & lib. 1. de Cœlo, cap. 5.*

A veritate digressio modica.

[c] Quapropter rectè ab.) *Alludit ad locum, qui est 1. de Cœlo, cap. 5. in hæc uerba:* τὸ μικρὸν παραβῆναι τῆς ἀληθείας ἀφισταμένοις γίνεται πόρρω μυριαπλάσιον. Id est: *Parua digressio à ueritate, fit ijs qui abscedunt, decies millies maior.* Et: ἡ ἀρχὴ δυνάμει μείζων ἢ μεγέθει. Διόπερ τὸ ἐν ἀρχῇ μικρὸν ἐν τῇ τελευτῇ γίνεται παμμέγεθες. Id est. *Quia principium ui maius est, quàm mole, idcirco quod initio paruum est, sin fine euadit quàm maximum.*

Sententia exordij quæ?

[d] Quæ cùm ita habeant.) *Applicat prædictas sententias ad propositum. Si quidẽ argumentationis forma præsentis loci sententiam omnẽ complecti libet, eiusmodi ratiocinationem confeceris, qua huius libelli tractatio à contemptu uindicata, & asserta, initio ab Authore defenditur: In omni disciplina rerũ quarumq; diligentissimè explicanda sunt principia. Atqui in omni Philosophia prima quasi principia sunt, quæ primùm de rebus quibusq; nobis occurrunt, essentia καὶ ὄν, hoc est, Ens, quemadmodum in Metaphysicis suis Auicenna testatur. Ergo horum ipsorum notio cum primis explicanda est, ut sine errore in omni Philosophia quisq; feliciter & commodè uersari possit.*

Quæstio an sit, & quid sit.

[e] Nimirum esse rem, &.) *Huc duo quæstionũ genera pertinent, an sit res, & quid sit, quæ inter cætera si naturæ ordinem spectes, omnium prima sunt, de quo uide & Aristotelem lib. 2. de Demonstratione, cap. 1. & Rodolphum Agricolam lib. 2. Dialecticæ Inuentionis, cap. 8.*

[f] Equidem non ab re mihi.) *Proponit de quibus nunc deinceps uerba facturus sit. Locus attentionis est, & docilitatis. Quod ad istius propositionis enodationem attinet, de ea paulò clariùs cap. sequenti dicetur.*

[g] Siquidem non vno.) *Id in progressu quemadmodũ uerum sit, intelligetur. Certè*

alite

aliter in substantijs, aliter in accidentibus, tum esse, tum essentia reperiuntur. Et cùm substantiarum aliæ simplices sint, aliæ coniunctæ, nc in his quidem eodem etiam modo ista se habent, quemadmodum in sequentibus speciatim ostendetur. Hoc loco tripartitam opusculi diuisionem quasi per transennam tibi indicari intellige.

h Peruulgatas illas seu intentiones.) Intentionum seu notionum, ut hoc uocabulo potius utamur, de quibus Logicus considerat, non unum & simplex genus est. Aliæ primæ, aliæ secundæ dicuntur. Ac cùm illæ primùm in rem quæ proposita est, referantur, (sunt enim non aliud, quàm ipsius rei animo propositæ & obiectæ quædam notiones, & quasi simulacra, quæ τὰ ὁμοιώματα τῶν πραγμάτων initio lib. de Interpretatione Aristoteles uocat) hæ ipsarum notionum, quæ proximè rem ipsam contemplantur, nudæ quædam affectiones sunt, quas secundario mentis aggressu, cùm res ipsas intelleximus, eas mutuò inter se conferentes & cõparantes, colligimus. Quæq; his exprimendis nomina destinata sunt, ea Græci φωνὰς συγκειμένας θέσεως ὀνόματα appellant: quæ illis, φωνὰς πρώτας θέσεως. Boëtius cum Martiano Capella, illa secundæ positionis seu impositionis, hæc positionis seu impositionis primæ nomina uocat. Quod ad genus, speciem & differentiam attinet, hæc propriè secundæ notionis seu institutionis nomina sunt, cùm non tam ad rem animi notioni subiectam significandam primùm referantur, quàm illius ipsius rei animo propositæ & intellectæ quasi consequentes & attributos quosdam habitus & comparationes primùm designent. Verùm de hoc cap. 6. inferiùs. Quemadmodum ad hasce notiones affecta sint superiora ista, de quibus hìc disceptatur, suo loco postmodum patebit.

Animi notiones duplices quæ.

Genus & species 2. impositionis noia.

i Cùm ad duarum.) Metaphysicæ scilicet & Logicæ disciplinæ, uti diximus.

k Verùm cùm ita res.) Ostendit in primis nominum rationem aperiendam esse, quòd sine hac omnis disputatio cæca sit, nec ad exitũ (quẽadmodum in Oratore præclarè à Cicerone dictum est) peruenìri rectè queat. Verba Ciceronis in Oratore sunt ista: Et quoniam in omnibus, quæ ratione docentur & uia, primùm cõstituendum est, quid quicq; sit: nisi enim inter eos, qui disceptent, conuenit, quid sit illud de quo ambigitur, nec rectè dissèri, nec unquam ad exitum peruenìri potest, explicanda est sæpe uerbis mens nostra de quaq; re, atq; inuolutæ rei notitia definiendo aperienda est.

Nominis uis initio explicãda.

l Græci ὄν, hoc est, Ens.) Quod Græci ὄν dicunt, Latini, id quod est, non iniucundè & insuauiter in loco uertunt. Verùm cùm ea παρέφρασις non ita commodè semper adhibeatur, quin interim rei istius de qua agitur, qualemcunque obscurationem pariat: uidendum est, ut perspicuitatis causa, si non optimè, at certè quo modo possumus, Latinè propriéq; loquamur. Id quod fiet, si ὄν uerbum de uerbo transferentes, cum Grammaticis hoc loco Ens dicamus. Qua uoce cùm & Quintilianus & alij nonnulli ante Quintilianum usi sint, non est, quòd eam magnopere in rerum præsertim arduarum & subtiliũ explicatione & perquisitione, Philosophi sibi fugiendam arbitrentur.

ὄν Latinè Ens dicitur.

m Ac quò apertiùs.) Cùm de utroq; hoc loco, & Ente & essentia, docendi causa præfaturus sit, ostendit de Ente priore loco sibi agendum esse, propterea quòd cùm eius natio quàm Essentiæ, & concretior sit, & natura sua posterior, (qui nostræ intelligentiæ & cognitionis percipiendæ ordo est præposterus) ad eum modum expeditior tractatio futura esse uideatur. Est enim naturæ congruens & insita nobis ista docendi forma, ut & à confusis ad simplicia, & ab ijs quæ naturæ ordine posteriora sunt, ad ea quæ natura antecedunt, pertractanda procedamus, quemadmodum & initio lib. 1. de Rerum principijs, & lib. 6. Metaphysic. Aristoteles scriptum reliquit.

Nostræ intelligẽtiæ ratio.

n Siquidem huius natura.) Id patet, quia cùm essentiæ nomen abstractum sit, id quod simplicem rei naturam designat, Entis uocabulum concretum est, quo genere uocabulorum præter simplicem rerum naturam ac formam, ipsa itidem subiecta significari manifestum est.

Ens & Essentia qd differt.

o Est igitur Ens.) Orditur rem à uerbi distinctione, de qua Aristoteles copiosè lib. 4. τῶν μετὰ τὰ φυσικά, cap. 7. disserit. Id quod est, partim καθ' αὑτό, per se, partim κατὰ συμβεβηκός, hoc est, per accidens, dicitur. Vtrumq; genus nõ unius modi ac simplex est. Nam quod per se dicitur, id partim natura constat, quod in decem Categorias tributũ, huius demum considerationis & loci est proprium: partim mente & intelligentia continetur, quod est, quo rei cuiusq; in enunciando ueritatem complectimur. Sic dicimus Socratem esse philosophum aut musicum, quod uerum est. Quæ per accidens dicuntur, ea triplicia sunt, spectanturq; tantum in propositionum coniunctione, prout termini uidelicet inter se iunguntur & copulantur. Vel enim accidens subiecto attribuitur, uel subiectum accidenti, uel duo accidentia inter se copulantur & coniunguntur, ut alterum de altero ratione tertij, nempe subiecti, dicatur & enuncietur, ut si dicas musicum esse doctum, album esse dulce, tum quia Socrates & musicus & doctus sit, tum quia mel & dulce & album sit. Atq; hoc quidem modo de Entis uerbi diuisione 4. Metaphysic. Aristot. cap. 7.

Ens per se duplex.

Per accidens triplex.

p Id uel in natura.) Hoc modo uulgò dicitur, quodcunq; est, id uel accidens esse, uel substantiam.

q Vel in mente inest.) 4. Metaphysicorum Aristoteles ἀόριστον, ὅτι ἀληθὲς uocat.

r Quorum hęc inter.) Distinguit duo antegredientia genera. Ens rationis, quod uocant, paulò latiùs, quàm alterum dicitur. Nam cùm omne quod in natura constat, mente intelligi possit, non omne quod mente intelligitur, etiam natura constat, cùm secus de priuationibus ac negantijs res habere doceatur.

Ens rationis.

s Atq; hæc cùm ita sint.) Transit ad explicationem uerbi Essentiæ, docens id non quouis modo & significatione uerbi Entis sumi, sed eo solum, quo in decem genera distinctum Ens reuera in natura existit.

Auerrois.

t Sic Auerrois.) Auerrois genere Arabs est, professione & Medicus & Philosophus, quemadmo-

quemadmodum & Auicenna, de quo suprà meminit. Vulgò Auerroïs per excellentiam & Commentator appellari solet, de quo posteriùs patebit. Auicenna

u Essentiam commune quid esse.) Sic communis est essentia substantiæ cum accedentibus, etsi quemadmodum esse propriè demum substantiæ conuenit, & huius contẽplatione (quemadmodum in Metaphysicis Aristoteles docet) secundo quasi loco accedentibus attribuitur: ita & essentia primum substantijs, tum deinde ijs quæ substantijs inniuntur, hoc est, Accidentibus applicatur. Vide Arist. lib. 6. Metaphy. cap. 4. Essentia omnibus Categorijs cõmunis.

x Cùm autem per quod.) Subijcit nunc porrò essentiæ synonyma, quibus tum in hac disciplina, tum in alijs uulgò utimur. Illa sunt, οὐσία, μορφὴ, εἶδος, φύσις, τὸ τί ἦν εἶναι, hoc est, essentia, forma, species, natura, & (ut sic dicamus) quidditas, de quibus omnibus, quantum necesse erit, nunc deinceps disseretur. Essentiæ synonyma.

y Modò ita per Grammaticos.) De hoc ita Rodolphus Agricola lib. 2. Dialect. Inuent. cap. 9. Vteremur enim & hoc uerbo (loquitur de quidditate) si nobis per Grammaticos liceret, quemadmodum Cicero Lentulitatem & Appietatem, & Pollio Patauinitatem dixit. Aptus est utiq; eius & propè necessarius usus. Nec enim ullo alio satis commodè explicare possumus τὸ τί ὄστι, nisi id (ut uulgò solet) quod quid est, interpretari uelimus: quod nec Græci sermonis proprietatem retinet, & segne planeq; expers usus & intellectus fit apud nos. Hæc ille. Rodolphi de quiddi tatis ꝟbo.

z Qui τὸ τί ἦν εἶναι.) Hæc phrasis quàm frequentissimè apud Aristotelem occurrit, cuius uis ac potestas quæ sit, cùm alijs locis plerisq;, tum in primis lib. 6. Metaphy. cap. 4. explicat, De eadem uide & Budæum in Commentarijs græcè linguæ.

a Libro sexto.) Locus est lib. 6. cap. 6.

b Non quà forma.) Hoc loco nota bifariam tum formæ, tum speciei uocabula sumi. Quandoq; partis ista nomina sunt, quo modo è regione materiæ opponuntur, in rei naturalis effectione: quo pacto lib. 1. de Natura indiscriminatim ijs uocibus Aristoteles utitur, cùm alibi, tum cap. 7. & 9. Quandoq; non partem, sed totum ipsum complectuntur. Sic Aristoteles in Metaphysicis, lib. 6. cap. 10. Speciem τὸ τί ἦν εἶναι esse ait, & ibidem ca. 11. τοῦ καθόλου εἶναι τὸν εἶδος τὸν ὁρισμὸν esse profitetur. Sic Cicero in Topicis formas generibus subiectas esse docet, easdemq; nunquam à generibus suis sciungi, &c. Species & forma bifariam dicuntur.

c Nempe Naturæ.) Natura Græcè ἡ φύσις dicitur, quæ uox cùm multis modis lib. 4. Metaphysic. cap. 4. dicatur, hîc capitur eo modo, quo à Boetio definitur lib. de duabus Christi naturis, ut deinceps sequitur.

d Naturam accipit, cùm in.) Boetius quatuor significata uerbi Naturæ exponit hocce libro, quorum primum est illud, de quo in præsens agitur.

e Nisi per definitionem.) Quid ita? Nempe quia simplicis intelligentiæ obiectũ τὸ ἀνελικτόμενον non est aliud, quàm rei natura τὸ τί ὄστι, uti lib. 3. de Animo docetur.

f Atq;

c Atq; sic etiam in lib.) Locus est lib. 4. Metaphysic. ca. 4. Verba Aristotelis sunt: μᾶλλον ὅλως πᾶσα οὐσία φύσις λέγεται διὰ τοῦτο ὅτι μᾶλλον ἡ φύσις οὐσία τίς ἐστιν.

d Quo sensu post Platonem.) Plato τὸν ὁρισμὸν definit, ut sit λόγος σωτὸ μως δηλωτικὸς τῆς φύσεως τοῦ ὑποκειμένου πράγματος, hoc est, oratio breuiter & succinctè rei propositæ naturam declarans & explicans. Certè cùm ὁρισμὸς, hoc est, definitio, nũ aliud sit, nisi οὐσίας τις γνωρισμός, ut lib. 2. de Demonstratione cap. 2. Aristoteles docet, manifestum est, τῷ φύσιν, hoc est naturam, in supradicta Platonis definitione, non aliud quàm οὐσίαν, hoc est, essentiam uerè significare.

Definitio rei naturã & essentiã explicat.

e Cæterùm cùm ad hunc modum.) Nunc tandem quid inter prædictas voces interſit, & quo pacto unaquæq; demum uerè ac propriè dicatur, ostendit.

f Siquidem Natura eo.) Natura à nascendo nomen habet, quemadmodum ἡ φύσις ἀπὸ τοῦ φύειν Græcè dicitur. Quò fit, ut φύσις etiam ἡ τῶν φυομένων γένεσις, hoc est, eorum quæ nascuntur, ortus ac generatio Aristot. lib. 4. Metaphysic. dicatur. Quod cùm sit, quatenus ad motum atq; operationem rem quãq; Essentia prouocat & impellit, rectè ἡ φύσεως, hoc est, Naturæ nomine appellatur.

Natura à nascendo dicitur.

g Non solùm quasi ef.) Hìc duplex & formæ & speciei officium notat. Alterũ est, ut rem quanq; efformet et constituãt, iuxta id quod dici solet: forma dat esse rei. Alterũ, ut eius quod iam efformatum & constitutum est, cognoscendi & perspiciendi uiam præbeant. Ita πρὸς εἶδος Græcè εἶδος, quemadmodum à spectando & contemplando Latinè Species, denominatur.

Duplex formæ & speciei munus.

CAPVT SECVNDVM.

Rẽ aggreditur, præsentis opusculi diuisionem notans.

h IAm quia de nominibus satis diximus, reliquum est, vt quomodo in singulis quibusq; essentia reperiatur, edisserendum sit. Quia ergo id quod est, partim in substantijs, partim in ijs quæ substantiæ inhærent dicitur, & primùm quidem & absolutè in substantijs, secundariò & quodam modo in accidentibus: fit, vt essentia primùm etiam in substantijs dicatur, secundo autem loco inhærentibus, quæ in nouem genera tributa sunt, conueniat. i Ac cùm substantiarum aliæ quidem simplices sint, k quibus nihil admistum est, solutæ, liberæ, & ab omni materię concretione segregatæ: aliæ verò concretæ, duplices, ac coagmentatæ, cùm de his vtriſq; quemadmodum in ijs essentia cohæreat, separatim dicendum sit, eum quidem docendi ordinẽ tenebimus, l vt licet in prioribus illis (propterea quòd non modò esse illæ, quàm cæteræ, nobilius præstantiusque habeant, sed quòd in illis & quædam prima simplicissimaq;, quę cæteris omnibus ortus concretionisq; causa sunt, vti Deus, contineantur) longè perfectiùs, veriùs, ac pleniùs essentia insit: tamen quia naturę illarum nobis in-

bis inuolutiores sunt, minusq; expositæ, quò à facilioribus nostræ tractationis progressio sit, à concretis illis, licet naturæ ordine posterioribus, primo loco exordiamur. [f] Cùm igitur concretorũ partes duæ sint, materia, ex qua efficitur res, & forma (quæ efficiendi vim obtinet) per quã res perficitur, quo pacto verbi causa, ex animo & corpore tanquam partibus homo coalescit: non arbitrandum est, alterutra istarum partium essentiam ac naturam compositæ substantię separatim cohærere. Quod vt seorsum de singulis doceamus, [g] primùm de materia agendum est, quam vtiq; ipsam per se rei naturam minimè complere & perficere, hinc manifestum est, quia res quæq; per essentiam suam tum cognoscitur, tum in genere speciéq; (vt antè diximus) collocatur: Quorum neutrum verè quidem in materiam conuenit, cùm neq; cognitionis principium ea sit, [h] vtpote quæ per seipsa est incognita, neq; per eam quicquam in vllo rerum genere certè etiam distinctéq; collocetur. [i] Magis enim confunduntur res per materiam, nimirum cùm nuda quędam potestas ea sit, [k] omnium quidem formarum (quemadmodum in Timæo rectè à Platone scriptũ est) capax, attamen nullo in præsens actu, specieque descripta & definita. [l] A quo quidem actu rebus id conuenit, tum quòd à cæteris rebus omnibus eæ discernuntur & separantur, tum quòd sub cognitionem intelligentiamq; nostram eædem perueniunt. [m] At verò neq; forma effectióne tota natura ac ratio concretarum substantiarum ([n] tametsi id probabilius videtur, & à nonnullis quoque Philosophis defenditur) esse credenda est. [o] Id quod ex eo constare & probari potest, quòd cùm natura id sit, quod per rei definitionem exponitur & declaratur, res naturales non solùm formam adhibent, vt ea [p] quæ Mathematici contemplantur, sed materiam quoq; in definitionibus adiungunt, vt permultis in locis Aristoteles demonstrat. [q] Nec verò est, quod in finitione substantiarum naturalium materiam instar additamenti putes extrinsecus adhiberi. Est enim modus ille per additamentũ definiendi Accidentiũ proprius, quæ nullam ipsa per se cùm essentiam habeant, [r] subiectũ genus in quo insunt, id quod ab ipsorũ natura disiunctũ est, sibi necessariò accersunt. [s] Quanquam & naturales formę quatenus partium ratio ijs conuenit, ac cum materia simul eæ sumuntur, pari modo definiuntur, [t] vt in definitione Animæ videri apud Philosophum potest. [u] Ex his ergo manifestũ est, neutra antegredientium partium ipsam per se essentiam constitui ac coagumentari. Quare cùm neutra sola eam efficiat, cõiunctione ambarũ

Cõcretarũ substantiarum essentia, nõ sola est materia.

Nec sola forma.

Sed vtraque simul constat.

partium eam perfici ac compleri existimandum est: [x] Non quidem tanquam habitus sit, aut relatio aliqua inter materiam ac formam coorta, aut quippiam eiusdem generis superadditum. Nam si hoc esset, à reseparata, necessariò rei accideret, neq; per eam res aut esse, aut cognosci vllatenus posset: Quorum vtrunq; tamen (quemadmodum suprà indicatum est) reuera essentiæ tribuitur & accommodatur. [y] Quod autem futurum dixi, vt talis accessio necessariò rei accideret, id inde perspicuum est, quia cùm per formam (quæ materiæ actio est) [z] simpliciter res fiat, vt huius aut illius speciei appellationem sortiatur, id quod superaccedit, ne quaquam tale est, vt simpliciter rem ipso actu constituat, sed (quod accidentium proprium est) non simpliciter & omnino, sed quodam tantum modo, nempe vt talis aut talis res existat, actu facit. Nimirum quemadmodum candor aut atror tabulæ inductus, tabulam non verè substantiã, sed vel candore vel atrore imbutam, hoc est, aut albam, aut nigram substantiam facit. Ex quare euenit, vt cùm adiuncta & aduentitia quædam forma substantiæ comparatur, non simpliciter tum fieri ac generari, sed quodam saltem modo, ac nonnulla ex parte, (quod τρόπον τινὰ μὴ κατὰ τι Græci vocant) à nobis res fieri asseratur. [a] Efficitur itaq; ex prædictis, vt essentiæ nomẽ in compositis ac concretis substantijs id demum, quod ex materia & forma conflatum est, significet & declaret. Quod ipsum & Boëtius in Commentarijs suis in Aristotelis Categorias [b] ex Græcorum sententia astruit, cùm οὐσίαμ, (quam essentiam lib. de duabus naturis interpretatur, etsi ea vox in Latina lingua aliquanto antiquior est, nimirũ [c] à Sergio Flauio iam tum, cùm Latinæ linguæ maiestas vnà cum imperio adhuc quædam vigebat, à Græcis transiata) coniunctam & compositam significare naturam testificatur. Neq; verò Boëtius tantum, sed & celebres apud Arabas & Philosophi, & Medici, quorum in antegressis aliquoties mentionem fecimus, vt Auicenna, [d] & (quem singulari elogio Commentatorem appellant) Auerroes, in eadem sunt sententia. Siquidem Auicenna concretarum substantiarum vim ac naturam, formæ ac materiæ compositionem esse dicit, & Auerroes in sextum Metaphysicorum: Natura, inquit, quã habet species, in rebus generabilibus, est medium aliquod, id est, compositum ex materia & forma. [e] Atque hinc ipsa ratio suffragatur. Nam cùm esse naturæ concretæ, nec materiæ tantum sit, nec formæ, verùm ipsius compositi & integri: certè dubitandũ non est, quin & essentia (à qua res quæq; esse dicitur) vtrunq; suo ambitu cohibeat

Cõcludit idipsum authoritatibus cõfirmans.

cohibeat & coerceat. [f] Tametsi id negari non potest, quin & suo quodam modo κατ' ἐξοχὴν vtriusq; [g] tam essentiæ, quàm essendi, (vt sic cũ Grammaticis loquamur) ipsa forma author causaq; esse videatur. Verùm ex eo non conficitur, vt id quod antè positum assertumq; est, minus cum ipsa veritate congruere existimemus. [h] Siquidem & simile quiddam in alijs plerisq; rebus euenire conspicimus: Nempe vt cùm ex multis, ijsdemq; varijs & dissimilibus rebus, & tanquam initijs illę ortum ducant, non tamen ab vno quopiam principiorum, etiam eo, quod inter cætera quàm maximè eminet & pręstat, sed ab eo potiùs, quod omnia in se principia coërcet & cohibet, denominationem sumant. [i] Ita enim verbi causa, in saporibus rem habere intelligimus. Nam cùm vi efficientiaq; caloris humidum digerentis & concoquentis, dulcedo nascatur, non tamen à calore, qui dulcedinem parit, sed ab eo qui humidum calidumq; in se pariter complectitur, (saporem dico) tum cibus, tum potus dulcis esse perhibetur.

IN CAPVT SECVNDVM

COMMENTARIA.

[a] Iam quia de nominibus.) *Explicata hactenus nominum potestate ac ui, transit ad propositæ rei enucleationem, primùm tamen & tripartitam huius Opusculi distributionem indicans, & quem in ijs partibus explicandis sequi constitutum sit, ordinem demonstrans.*

[b] Et primum quidem.) *In hunc locum uide Aristotelem, cùm alibi, tum lib. 6. Metaphys. cap. 1. ubi inquit:* τοσαυταχῶς δὲ λεγομένου τοῦ ὄντος, φανερὸν ὅτι τοῦτον πρῶτον ὄν, τί ἐστιν, ὅπερ σημαίνει τὴν οὐσίαν. *Id est: Cùm autem id quod est tot modis dicatur, perspicuum est primũ quod est, id esse, quo res aliquid esse dicitur, quod quidem essentiam declarat. Et ibidem cap. 4.* ὥσπερ γὰρ καὶ τὸ ὂν ὑπάρχει πᾶσιν, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως, ἀλλὰ τοῦ μὲν πρώτως, τοῖς δ' ἑπομένως, οὕτω καὶ τί ἐστιν, ἁπλῶς μὲν τῇ οὐσίᾳ, πῶς δὲ τοῖς ἄλλοις, *& cæt. Id est: Sicut enim id quod est, omnibus conuenit, non tamen eodem modo, sed huic quidem primùm, illis uerò secundo loco, sic & quod quid est, simpliciter quidem substantiæ conuenit, quadam uerò ex parte cæteris. Et plura eodem loco.*

Ens primùm substantię cõuenit.

Sic & essentia.

[c] Ac cùm substantiarum.) *Substantiarum diuisio in simplices & concretas. A cõcretarum quidem explicatione primum ordiendum est, causa facilioris institutionis, deinde ad simplicium enarrationem progrediendum est, post quam demùm suo loco & ordine de Accidentium natura ac ui quæstio sequitur.*

Ordo tractationis huius libri.

[d] Quibus nihil admistum.) *Eiusmodi sunt intelligentiæ, spiritus, angeli, mens,*

Deus, & cætera, de quibus ca. 8. disserere aggrediemur. Huc pertinent illa Ciceronis lib. 1. Tusculan. Quæstion. Animorum nulla in terris origo inueniri potest: nihil enim est in animis mixtum atq; concretum, aut quod ex terra natum atq; fictum esse uideatur. Et infrà: Nec uerò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali. Et paulò pòst: In animi autem cognitione dubitare non possumus, (nisi planè in Physicis plumbei sumus) quin nihil sit animis admixtum, nihil cõcretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.

Nec animis, nec Deo quicquam admistum.

e Vt licet in prioribus.) προληπτικῶς obiectioni occurrit, significans simplices substantias non solùm naturæ ordine, sed & dignitatis ratione uaria cæteris omnibus antecellere: Ita, ut nisi intelligentiæ nostræ (quemadmodum & superiore capite annotatum est) in docendo ratio habenda fuisse uideretur, quàm rectissimè ab illarũ tractatione hanc disputationem exordiri potuerit. Verùm nostræ intelligentiæ ratione habita, non à simplicibus, sed à coniunctis & concretis substantijs huius commentationis initium ducit. Quæ progrediendi ratio in primis disciplinis accommodata est, quemadmodum his uerbis 4. Metaphys. Aristoteles profitetur, cap. 1. quo loco τὰς ἀρχῆς, hoc est, Principij significata explanat: ἐξ ἐναντίας δὲ ἑτέρα, inquit, ἡ δὲ ὅθεν ἂν κάλλιστα ἕκαστον γένοιτο, οἷον καὶ μαθήσεως, οὐκ ἀπὸ τοῦ πρώτου καὶ τοῦ πράγματος ἀρχῆς ἐνίοτε ἀρκτέον, ἀλλ' ὅθεν ῥᾷστ' ἂν μάθοι. Hoc est: Ex contrario aliud est principium, id unde unũquodq; optimè fiat, ueluti etiam in disciplina, non à primo reiq; principio interdum ordiendum est, sed ab eo quod quisq; facillimè discat & percipiat.

Simplices substãtiæ omnibus præstant.

Ratio progrediendi à nobis notis, disciplinis accommoda.

f Cùm igitur concretor.) Rem orditur, concretarum substantiarum naturam materiæ simul ac formæ complexu constare docens, quia nec materia, nec forma separatim essentiam complere & constituere poßit. Id quod distinctè de utroq; docet. De cõcretarum naturarum partibus uide in hunc locum accommodatè Cicer. lib. 1. Academ. quæstionum.

g Primùm de materia.) Primùm de materia ostendit, sumpto argumento à natura proprietateq; Essentiæ, quæ cùm in materiam non conueniat, apertum est, illam nequaquam compositarum substantiarum essentiam esse. Est autem essentiæ proprietas, quòd per eam res quæq; tum cognoscuntur, tum in genere specieq; sua (ut antegresso capite dictum est) reponuntur. Si argumentationis partes notes, conclusio primo loco ponitur, deinde propositio, tum demum assumptio cum utriusq; partis approbatione.

Essentiæ ꝓprietas quæ.

h Vtpote quæ per se.) Sic Aristoteles lib. 6. Metaphysic. cap. 10. ἡ δ' ὕλη ἄγνωστος καθ' αὑτὴν. Materia uerò per se cognosci non potest, quia informis est, & omni specie (unde omnis nostræ cognitionis origo proficiscitur) caret. Quò fit, ut non nisi similitudine rationis, quemadmodum lib. 1. de Natura cap. 7. Aristoteles docet, à nobis cognosci poßit. ἡ δὲ φύσις ὑποκειμένη, inquit Aristoteles, ἐπιστητὴ κατὰ ἀναλογίαν, &c.

Materia per se incognita.

i Magis enim res confund.) Materia cofusionis rerum potiùs causa est, quàm distinctionis

Materia

stinctionis, ut quæ à sola forma pendet, qua forma materiam per se spectatam, iam diximus omnino carere. confusionis causa.

k Omnium quidem formarum.) Quod ad materiæ naturam ac rationem attinet, de ea copiose in Timæo Plato. Sed animaduertendum est, inquit, cùm debeat esse rerum effigies, omni formarum uarietate distincta, nunquam illud generationis gremium, uidelicet materiam, bene præparatum ivi, nisi sit informe, & suapte natura formis omnibus, quas potest capere, careat. Nam si erit alicuius eorum, quæ in se recipit simile, cùm contrariam eius cuius est simile, naturam aut aliam quamuis susciperet, nequaquam eius effigiem & similitudinem exprimet, cùm præ se tulerit suam. Quò fit, ut nullam sibi propriam habeat speciem, quòd omnia rerũ genera capere debeat: ut qui unguenta suaui odore confecturi sunt, humidam materiam, quam certi generis odore condire uolunt, ita præparant, ut nullum proprium odorem retineat: & qui in re molli figuras aliquas imprimere uolunt, nullam omnino priorem figuram in ea relinqui patiuntur, sed accurata leuigatione poliunt & inducunt: sic illud quod passim in omnibus æternorum omnium simulacris rectè figurandum est, his omnibus formis suapte ui carere necesse est. Et cætera, quæ sequuntur. ἀόρατον εἶδός τι καὶ ἄμορφον πανδεχὲς, hoc est, inaspectabilem seu sensus fugientem quandam speciem, & informem quendam sinum omnium rerum capacem, materiam uocat. Materia per se informis, omnium rerũ formarũ capax. Materia ἄμορφον πανδεχές.

l A quo quidem actu.) Speciem & formam dicit, quæ Græcè partim ἡ ἐνέργεια, partim ἡ ἐντελέχεια Aristoteli dicitur, cuius officium est, ut tum unamquamq; rem in suũ ordinem ac classem redigat, ab alijs rebus distinctam, iuxta id, quod 8. Metaphysic. cap. 8. Aristoteles ait: ἔστι ἡ ὕλη ὅτι δυνάμει, ὅτι ἐλθοῖ εἰς τὸ εἶδος, ὅταν δ' ἐνεργείᾳ ᾖ, τότε ἐν τῷ εἴδει ἐστίν. Id est: Adhæc materia ui ac potestate est, quòd ad formam uenire potest: cùm autem reipsa & actu est, tum demiq; est in specie & forma. Tum ut distinctæ & in suum locum speciemq; redactæ & reuocatæ, rei inueniendæ & cognoscendæ adiumentum præstet, iuxta id quod eodem lib. cap. 9. Aristoteles ait: φανερὸν ὅτι τὰ δυνάμει ὄντα εἰς ἐνέργειαν ἀναγόμενα εὑρίσκεται. Hoc est, Manifestum est ea quæ ui sunt, cùm ad actum speciemq; reuocantur, inueniri & cognosci. Actus, τῆς ἐνεργείας, officium duplex. 1. 2.

m At verò neq; forma.) Quòd nec forma concretarum substantiarum essentia tota sit, à posteriore & quasi signo confirmat. Nam cùm definitio, qua rerum essentia exponitur & declaratur, in prædicti generis substantijs definiendis & explicandis non solam formam adhibeat, sed cum hac coniungat & copulet materiam: argumentum est non sola forma, sed forma simul & materia talium rerum substantias & naturas reuera cõstare & cohærere. Nota hìc formæ uocabulum aliter sumi, quàm capite antegrediente sumebatur. Hìc enim partis nomen est, id quod ex aduerso materiæ opponitur, illic non partis, sed ipsius compositi nomen fuit. Cicero Academica prima, etiam eã effectionem uocat, ut, Nostra tu dicitur. Forma partis, quæ & effectio

Physica nosti, quæ contineantur ex effectione, & ex materia ea, quam fingit & format effectio, id est, forma.

n Tametsi id probabilius vi.) Propterea scilicet, quòd forma si non sola, attamen præcipua rei constituendæ pars est, quæ ijsdem etiam nominibus, quibus totius rei constitutæ & coagmentatæ forma, nuncupatur, nimirum τὸ τί ἦν εἶναι, τὸ εἶδος, καὶ φύσις. Quæ sic quidam distinguũt, ut cùm ratione solùm discrepare, re subiecta uerò unam eandemq; & partis & totius formã esse uelint, tum demũ parti ea attribuant, quum forma ad materiã relata, illam informat, et illi esse tribuit: toti uerò tũ, cùm totũ forma respici ens, illud ipsum actu constituit, & in genere speciéq; sua collocat. Nã ita diuerse nonnullos de formæ ratione disceptasse, ipsemet D. Thomas author est, in lib. 6. Metaphysic. ca. 10. his uerbis scribens: Quidam enim dicunt, quòd tota essentia speciei, est ipsa forma, sicut quòd tota essentia hominis, est anima. Et propter hæc dicunt, quòd eadem secundum rẽ est forma totius, quæ significatur nomine humanitatis, & forma partis, quæ significatur nomine animæ: sed differunt solum secundum rationem. Nam forma partis dicitur, secundum quod perficit materiam, & facit eam esse in actu. Forma autem totius, secundum quod totum compositum per eam in specie collocatur. Et hæc opinio uidetur Auerrois, & quorundam eum sequentium. Quam tamen opinionem, Aristoteli, sicuti ait, contrariam ipse improbat, potiùs Auicennæ & aliorum sententiæ subscribens, qui formam totius, quæ est ipsa quidditas speciei, non secus à forma partis distare uolebant, quàm totum à parte differt, sicut eodem loco B. Thomas attestatur.

Forma partis & totius ijsdem nominibus dicitur.

Quid interfit inter formã partis & totius.

• Id quod ex eo.) A signo probat. Definitio naturalium & concretarum substantiarum per materiam & formam datur. Ergo materia & forma prædictarum substantiarum naturã constat. Nam cùm definitio explicatio substantiæ ac naturæ rei sit, quemadmodũ 2. Posteriorum Analyt. Aristoteles ait, certè fieri non potest, ut per alia, nisi quæ ad constandam perficiendamq; rei substantiam principia concurrunt, ipsa explicetur.

Definitio per partes substãtiales explicatur.

p Quæ Mathematici.) Mathematicorum definitiones hoc à Physicorum definitionibus distant, quòd cùm hæ cum forma simul materiam persequantur, illæ formam per se solam considerant, aut certè à sensibili materia, quam Physicus contemplatur, cogitatione auulsam. Neq; enim omnino uerum est, solas formas à Mathematicis considerari, (cùm earum consideratio propria sit primi Philosophi, quem Metaphysicum appellamus) ut non uno in loco Aristoteles, & lib. 5. Metaphysic. cap. 1. & 2. de Natura, ca. 2. & 1. de Anima, cap. 1. demonstrat. Verùm de hoc capite subsequente aliquanto explicatiùs.

Mathematicorũ & Physicorũ definitiones quid distent.

q Nec verò est, quod.) Occurrit obiectioni, docens materiam in naturalium rerum definitionibus per se, nõ tanquam aduentitiam extrinsecus adhiberi, quòd iste definiendi modus ὁ ἐκ προσθέσεως (ut lib. 6. Metaphysic. cap. 5. Aristoteles uocat) accidentium proprius, in substantias non conueniat.

Materia essentialis pars definitionis Physicæ.

r Subie-

t Subiectum genus.) De hoc uide infrà, cap. 13.

s Quanquam & naturales for.) Sunt, qui hoc definiendi genus, quo materiales et naturales formæ per materiæ adiunctionem definiuntur, nõ tanquã ex additamento constare uelint, propterea quòd ista definiendi ratio, ut paulò antè significatum est, tantummodò in accidentia conueniat. Verùm cùm naturalium rerum formæ, perinde ut accidentia, quodammodò in proprijs suis subiectis niti uideantur, nihil impedit, quin & his talibus istud definiendi genus ἐκ προσθέσεως accommodetur. Sic B. Thomas in sextum Metaphysic. cap. 5. Sciendum tamen (inquit) quòd ratio talium partium in quorundam diffinitionibus ponitur, id est, in diffinitionibus compositorum, quorum sunt partes. In quorundam uerò diffinitionibus nõ oportet poni, id est, in diffinitionibus formarum, nisi sint tales formæ, quæ sint simul sumptæ cum materia. Licet enim materia non sit pars formæ, tamen materia sine qua non potest concipi intellectu forma, oportet quòd ponatur in diffinitione formæ, sicut corpus organicum ponitur in diffinitione animæ. Sicut enim accidentia non habent esse perfectum, nisi secundum quod sunt in subiecto: ita nec formæ nisi secundum quod sunt in proprijs materijs. Et propter hoc sicuti accidentia diffiniuntur ex additione subiectorum, ita & forma ex additione propriæ materiæ. Cũ igitur in diffinitione formæ ponitur materia, est definitio ex additione: non autem cùm ponitur in diffinitione compositi. Hæc ille.

Naturales formæ accidentiũ instar ἐκ προσθέσεως definiuntur

Materia in definitione formę ponitã.

s Vt in definitione animę.) Hæc est lib. 2. de Anima, cap. 1. διὸ ψυχὴ ὄντος ἐντελέχεια πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. Id est: Quocirca anima est perfectio & absolutio prima corporis naturalis uitam habentis potestate.

Anima Aristotelis quid.

u Ex his ergo manifestum.) Conclusio, qua propositum conficit, docens singulis partibus remotis, ex earum coniunctione compositæ substantiæ naturam constare.

x Non quidem tanquam.) πρόληψις obiectionis. Vult prædictarum partium cõplexione reuera essentiam gigni, ne tanquam habitum aut extraneam aliquam affectionẽ superaddi existimes: Quo modo nihil inter essentiam & accidens interesset, quippe cùm talis affectio & habitudo, ex coniunctione materiæ & formæ resultans, natura composita posterior sit, per quam neq; res simpliciter fiat, neq; perinde ut de essentia antè dictum est, res cognoscatur.

Materię & formę cõiunctio naturalis.

y Quod autem futurum.) Probat nihil ab accidente eiusmodi superadditam relationem secerni.

s Simpliciter res fiat.) Id fit simplici rei generatione & ortu, cùm alterum non simplici & uera, sed quadam generatione (quæ propriè cõmutatio seu alteratio dicitur, Græci τροπὴ ἀλλοίωσιν uocant) perficiatur. In hunc locum uide lib. 1. de Ortu & Interit. ca. 3.

Generatio rerum duplex.

s Efficitur itaq; ex prædictis.) Repetitio conclusionis, quã deinde subiectis Philosophorum authoritatibus ac rationibus confirmat & astruit.

s Ex

Aristotel. de cõiuncta essentia differit.

[b] Ex Græcorum sententia.) Sic Ammonius Hermeæ præfatione in Aristotelis Categorias: διαλέγεται δὲ (inquit) ἐνταῦθα ὁ Ἀριστοτέλης περὶ τῆς συνθέτου μόνης οὐσίας. Hoc est: Disserit autem hic Aristoteles solum de coniuncta & composita substantia ac natura.

[c] A Sergio Flauio.) Sic Fabius Quintilianus lib. 2. cap. 15. & lib. 3. cap. 7. & lib. 8. cap. 3.

Auerroes Cõmentator dicit.

[d] Et (quem singulari elogio.) Idq; per excellentiam, ut apud Græcos & Poëta nomine Homerus, & Oratoris Demosthenes significatur, de quo in Topicis suis nonnihil Cicero meminit.

Argumẽtum à cõiugatis.

[e] Atq; his & ipsa ratio suff.) Rationem subijcit causa plenioris & cumulatioris demonstrationis. Est autem argumentum desumptum ex loco τῶν συζυγῶν, hoc est, Coniugatorum, nimirum tale: Esse corporeæ naturæ, toti attribuitur, id quod ex materia & forma pariter est conflatum. Ergo & essentia eidem attribui debet: Siquidem coniugatorum eadem ac par ratio est, ut lib. 2. Topic. Aristoteles docet.

Forma pcipua pars essentiæ, sed nõ essentia tota.

[f] Tametsi id negari.) Anticipatio tacitæ obiectionis est. Si formæ dignitatem & præstantiam in naturalibus rebus conficiendis & architectandis in animo reputes, quia illa oblatam & propositam materiam totam fingit, cùm & unam cohibet, & inertem impellit, & rudem impolitamq; exornat & expolit: certè quidem hæsitari non potest, quin & prima, & suo quodam modo per excellentiam adeò sola essentiæ comparandæ causa uideri possit. Attamen ex eo non sequitur, ut omnem essentiæ rationem ei soli attribuamus. Siquidem & in alijs plerisq; simile interim fit, ut cùm diuersæ in eorum cõfectione res adhibeantur, non tamẽ ab una quapiam, licet potiore re, illa denominentur, sed ab omnibus simul, quæ in ijs conflandis opis aliquid attulerint.

Esse rei duplex.

[g] Tam essentiæ, quàm essendi.) Quid inter hæc intersit, suo loco inferiùs uidebitur, cap. 9. Cùm esse aliud essentiæ, aliud existentiæ uulgò appellent, hic de priore genere loqui uidetur.

[h] Siquidem & simile quid.) A simili occurrit οὐσιατικῶς. Euidentiæ causa à substantijs ad accidentia orationem transfert.

Calor dulcedinis efficiens causa.

[i] Ita enim verbi cau.) Exemplum de dulcedine affert, cuius præcipua tum in cibo, tum in potu, efficiens causa est calor, etsi non à calore cibus potúsue dulcis nominatur, sed à sapore, quin caloris efficientia in humido corpore excitatur, de quo uide libellum de Sensu & ijs quæ sub sensum cadunt, cap. 4.

CAPVT TERTIVM.

A Tenim[a] cùm Indiuiduationis, quam vocant, principium & origo, materia sit: necesse est, aut hac vacet, aut si habeat quidem, pro

pria

pria & singularis, non communis & vniuersa rerum sit essentia. [b] Quod si quispiam largiatur, quo modo, quæso, definitiones rerum vllarum cohærere poterunt? præsertim [c] cùm & res vniuersæ testibus Philosophis solùm definiendo explicentur, & idipsum quod in his definitione aperitur, [d] nõ aliud sit quàm ipsa rei essentia & natura. [e] Verùm vt huic quæstioni & difficultati obuiam eatur, hoc loco intelligendum est, nõ vnam quandam ac simplicem rerum omnium esse materiam, sed eam quasi duplicem esse ac bipartitam. Nam alia materies est, quæ animi obtutu percipitur, alia quæ sub sensum cadit, quarum hanc τλὴ ἀισθητὴ, illam τλὴ νοητὴ ὕλην [f] in Metaphysicis Aristoteles vocat. [g] Quarũ superior, [h] quę sub intelligentiam venit, apud Mathematicos in vsu est, [i] ac sola quidẽ quantitate continetur: altera verò, quæ sub sensum cadens apud Physicos cõsideratur, nõ sola quantitate constat, sed prẽter quantitatem, [k] & motum cohibet, quo incitatur, [l] quæ nunc rerum singularum qualitatibus & affectionibus magis subest, nunc ab ijsdem longiùs remouetur, & segregatur, aut certè vt ab illis segregata, liberiùs & expeditiùs animo cogitatur. [m] Ac cùm hæc ad eum modum habeant, non de quauis materia sermonẽ fieri, cùm Indiuiduationis principium & origo vestigatur, sed de certa quadam, & vniusmodi materia disceptari intelligendum est. Etenim Mathematica illa, & intellectui patens materia quid ad hanc rem facit? Imò verò & naturalis, quæ sensui subiecta est, (cùm non vno & simplici modo, sed bifariam ac bipartitò spectetur) nõ omnino huius rei efficiens est. Quid ita? Siquidem priusquam naturalium rerum formæ ita cõstringantur, & limitentur, vt ex generalib[o] speciales, ex his deinde proprię & singulares euadãt, tametsi prędicta illa materia huius limitationis & cõstrictionis (dum formam in se recipiens, eius latitudinem constringit) præcipua causa est, [n] non potest tamen nisi certæ quædam ac præfinitæ quantitatis dimensiones, circumscriptionesq; & loci & temporis aliunde accesserint, omnino hanc rem perfectam absolutamq; efficere. Siquidem in prædictis illis omnibus, omnis indiuiduæ ac singularis rei natura ac ratio continetur. Ex quo patet, quæ materia Indiuiduationis origo & causa iam dicenda sit: Nempe circumscripta illa, ac signata tum tẽporis lociq; circumstantijs, tum ijs quæ in quantitate hærent & insunt, prædictis dimensionibus. [o] Atq; hæc materia, ne quid erres, non ea est, de qua antegresso capite loquuti sumus, quam tum complendæ & efficiendæ, tum explicandæ & definiendæ naturalium rerum essentiæ adhiberi vo-

Materia nõ vniusmodi & simplex.

Quænam materies Indiuiduationis causa.

Quę materia essentię constituimus

C luimus

tuendę ad hibeatur. luimus. Nam quæ definiendis naturalibus rebus adhibetur, materia cõmunis & generalis est, hoc est, à superioribus quantitatis *dimensionibus* exempta & libera. [p] Neq; enim cùm hominem, quia homo *est, ex materia* definire decretum est, hoc os, & hanc carnẽ, (quę præfinita & signata materia est, quam ad Socratem definiendum, [q] si quidem res singulæ definitione explicari possent, adhibere poteras) sed omninoos & *carnem* (quæ generalis, non signata hominis est materies) nominamus & exprimimus. [r] Quanquam non hæc ita dicuntur, quasi distinctæ & diuersæ, non eædem natura atq; essentia, hominis Socratisque materiæ mihi esse videantur. Planè easdem amborum natura *ipsa materias iudicamus*, nisi quòd hæc signata est, illa signata minimè: *Quæ differentia* aduentitia cùm sit, neutiquam substantiam immutat. [s] Atque *inde est*, quod Commentator in 6. Metaphysicorũ, Socratẽ non aliud esse, q̃ *animal* rationis particeps, seu (quemadmodũ ipse loquitur) animalitatẽ & rationalitatẽ, quę eius quidditas sunt, asseuerat. [t] Ac quemadmodũ de Indiuidui ac speciei essentia dictũ est, sic & de essentia speciei & generis, nõ alio modo q̃ ratione signati & nõ signati, eas distare intelligendũ est: tametsi designationis modus nõ idem vtrobiq; est. Quandoquidẽ designatio *Indiuidui* comparatione speciei, constat materia certis dimensionibus præfinita: Speciei verò respectu generis, efformatione constituentium differentiarum [u] (quæ à rei forma petuntur) absoluitur. [x] Quò fit, vt & ea designatio, quæ speciei tribuitur, non fiat per quippiam, quod in essentia speciei insit, quod non & aliquo modo essentia generis contineatur, si non actu definitum & distinctum, [y] saltem rudiore quodam modo expressum atque adumbratum. [z] *Id quod ad hunc modum*, si ex superioribus nondũ satis adhuc patet, intelligi potest. Nã si ita res habeat, vt nullo modo verbi causa animal, sit totum, id quod vel homo est, vel bestia, sed horum tantum pars sit quædam: quo pacto cùm nulla [a] pars integralis, quam vocant, de toto suo dicatur, animal de homine bestiáue verè dici & affirmari poterit? [b] Cæterùm quò clariùs hęc eadem intelligantur, non abfuerit, aliquanto fusiùs latiusque hæc eadem differere & explicare. Id ergo quo pacto eueniat, tum demum optimè perspici & intelligi poterit, si quẽ ad modũ Corpus, vt de animali tanquã genus dicitur, & vt pars quędã illius est constituens, variè consideratur, expenderis. Neque *enim vt* pars quædã *illius* est, sic genus esse eodẽ modo planè poterit. *Quid ergo?*

Speciei & Indiuidui materiæ qd distent

Quid generis & speciei distent essentiæ.

Corpus [c] Cùm non vno & singulari modo Corporis nomen intelligatur, scien-

dum

dum est, quandoq; id pro natura sumi, in qua tripartita magnitudo latitudinum, longitudinum & altitudinum spectatur: quo modo in genere quidem substantiæ id locum habet: Quandoq; verò non pro natura ista rum magnitudinum capace, sed pro illis ipsis magnitudinibus accipi, nempe lõgo, lato & profundo, [d] quem ad modum quidem Mathematici accipiunt, quo sensu exponitur id in Categoria Quantitatis. Iam cùm in genere substantiæ collocatur, id etiam bipartitò sumi poterit. [e] Nam vt in cæteris rebus fit, vt quæ vniusmodi ac simplicem quandam seu perfectionem, seu formam à natura consequuta sunt, eorũ alia ista forma contenta maneant, alia etiam præter istam nobiliores quasdam perfectioresq; Naturæ munificentia assequantur: Quo modo, verbi gratia, in homine contingit, qui corporea natura præditus, cùm viuendi ac sentiendi facultatẽ cum bestijs cõmunem habet, tum etiam intelligendi ac sapiendi (qua à bestijs secernitur) facultate à Natura est instructus. [f] Pari modo & in Corpore quod in substantia collocatur, hoc est, in trinæ dimensionis participe consorteq; natura, res habet. Vel enim trinæ dimensionis particeps tantum natura eo verbo significatur, Nimirum vt nullam aliam præter istarum dimensionum capacitatem, ipsa natura perfectionem desideret: Vel ita trinæ dimensionis capacem naturam id verbi significat, vt ad quas suis alias perfectiones ipsa natura (siue ex illa eæ prouenire, siue non prouenire queant) sese extendat. [g] At cùm his quidem modis in præsens Corporis vocabulum accipiatur, si pro natura trinis dimensionibus obnoxia ac substrata præcisè sumpseris, animalis quidem pars integralis id est, cui si extrinsecus animus adiungatur, ex istis duabus tanquam partibus animal ipsum componitur & conflatur. Sin autẽ pro natura ea non sumpseris præcisè, sed vt aliam quamlibet perfectionem deinceps ipsa natura complectatur, scilicet vt aut viuat, aut sentiat, aut augescat, aut quid simile: iam non pars quidẽ animalis id ipsum fuerit, sed genus, id quod confusè & implicitè ea omnia, quę distinctè & explicitè in animali reperiuntur, in se cohibet. Neq; enim [h] animalitas, vt sic loquamur, alia quæpiam forma est, quàm ea, per quam in subiecta re tres dimensiones notari & consignari potuerunt. Quanquam [i] nõ paulo eadem est perfectior & absolutior. Sed quam perfectionem animalis natura Dei concessu & munere, ipsa re præsentiq; vsu possidet, eandem altera illa nempe Corporis, si nõ aliter, certè potestate ac vi cõplectitur. [k] Quapropter in postremo corporis significatu describendo, quamlibet

ptim substãtia est, partim quãtitas.

In substantia bifariã spectatur.

Corpus vt pars animalis.

Vt animalis genus.

id perfectionē & formā, præter eam, quæ illius sit propria, amplecti & sustinere posse diximus. Nimirū vt vel animalis eam, vel lapidis, seu plantæ, seu aliarum cōsimilium rerum, (siquidem de his omnibus, vti genus, priore modo descriptum ac consideratum corpus enunciatur) intelligi & cogitari liceret. [l] Atqui vt hæc iam dicta Corporis ad animal, similem ue aliam quampiam naturam affectio & habitus est: sic etiam ad hominē bestiamq; collatum & comparatum animal sese habere sentiendum est.

Animal & pars & genus hominis quo modo.

Nam si solùm naturam significet eam, quæ sensum motumq; obtineat, exclusa & præcisa omni alia consequente perfectione, iam quia ad hominis cōstitutionem, perinde vt ratio, seu rationalis qualitas, [m] (quam λογικὴν ποιότητα Porphyrius appellat) adhibetur, nō genus, sed pars quędam hominis constituens, animal videri debet. [n] Genus verò non alia ratione fuerit, nisi quatenus talem naturam declarat, è cuius forma (siue anima sentiens ea sit, siue præter sentiendi facultatē etiam ratione ea prædita sit) motus sensusq; initium promanat ac profluit.

IN CAPVT TERTIVM

COMMENTARIA.

[a] At enim cùm Indiuiduat.) *Hactenus concretarum substantiarum naturas materia simul ac forma constare docuit. Nunc in contrarium argumentatur, docens si materia concretarū substantiarū essentiam ingredi debeat, hanc essentiam nō posse videri esse, nisi singularē: propterea quòd materia Indiuiduationis causa sit, quæ efficiat, ut omnia per se alioquin latè patentia & communia, materiæ consortio & quasi contagione susceptā, ita constringantur, & coarctentur, ut rebus singulis & indiuiduis non latius pateant, imo etiam ut ex communibus et generalibus propria singulaq; reuera euadant & fiant. Quod si hoc in loco detur, eò quidem absurditatis res deueniet, ut nullarum rerum cōstare posse definitiones uideantur: Præsertim cùm & definitiones tantummodo rerum uniuersarum sint, & eædem non nisi in describendis explicandisq; rerum essentijs (quæ hoc loco propter materiæ cōmunionem, uti dictum est, omnes singulares euadunt) propriè uersentur. Quæ si incommoda sunt, ut sanè reuera incommoda sunt maximè, sic demùm oratio componenda uidetur, ut fonte mali huius obstructo, materiam à compositarum substantiarū coagmentatione omnino remoueamus & secludamus. Quo facto propositum aduersarium iam obtinebit, nempe ut concretarum substantiarum essentiam sola forma, non etiam materiæ admixtione constare affirmet. Atq; hæc sunt, quæ in contrariam partem κατ' ἄνθρωπον hoc loco à B. Thoma disputantur. Quibus quidem quo pacto occurrendum sit, paulò infrà intelligi dabitur.*

Indiuiduationis natura.

Argumentum ex incōmodo.

[b] Quod si quispiam larg.) *Ex superiore hypothesi manifestius incommodum colligit,*

ligit, ut eius deuitandi gratia, ad priorem hypothesin labefactandam tandem redeundum esse declaret. Incommodum est, nullarum rerum notitiam definitione constare.

c Cùm & res vniuersæ.) In hunc locum uide Aristotelem, lib. 1. de Demonstratione, cap. 4.

d Non aliud sit, quàm ipsa rei.) Quid enim aliud, quàm essentiam & naturã rei definitio explicat?

e Verùm vt huic quæstion.) Antegressa difficultati per materiæ distinctionem occurrit. Materia alia communis & generalis est, quæ mentis obtutu percipitur: alia propria & singularis, quæ sub sensum cadit. Quarum si istam in prædicta obiectione intelligas, falsum est, quod dicitur, illius societate & adiunctione rerum quarumq; essentias singulares & indiuiduas fieri. Sin propriam & singularem intelligas, ut tum uerè quidem id quod affertur dici uideatur, certè aduersus ea quæ superiùs tradita sunt, nihil ualet: Præsertim cùm non de eo materiæ genere superiùs Author loquutus sit, sed de alio, quod à singulari diuersum, mentis ut diximus, obtutu & perceptione comprehenditur. Verùm hæc in progressu dilucidiùs posteà explicantur.

Materia duplex.

Argumẽti explicatio.

f In Metaphysicis.) Locus est lib. 6. cap. 10. & 11.

g Quarum superior.) Quid inter prædictas materias intersit, rei clariùs explicandæ gratia exponit. Hoc loco nota, quæ antegresso capite de diuersitate finitionum Mathematicorum & Physicorum annotauimus.

h Quæ sub intelligentiam ve.) Vide, an hîc intelligentiam ipsam φαντασίαν dicas, quæ nomine intellectus etiam apud Aristotelem dicitur, ut lib. 3. de Animo, cùm alibi, tũ ca. 10. quo loco principia τὰ κινητικὰ μὲν τόπον (hoc est, quibus loco animantes moueri contingit) intellectum & appetitum cõstituit: φαίνεται δ' ἔγε, inquit, δύο ταῦτα κινοῦντα ἥ ὄρεξις ἢ νοῦς, εἴτις τῶν φαντασίαν τιθεὶς ὡς νόησίν τινα, & cæt. Neq; enim uerè intellectus est, qui ullam per se materiam assequatur, cùm omnis materia naturam suam cognitionem impediat, ut posteà dicetur.

φαντασίæ etiã intelligentia dicitur.

i Ac sola quidem quantitate.) Eaq; continente, ut sunt lineæ, atq; superficies, ab omni sensibili materia, (qualis est, æs, aurum, lignum, & cæt.) cogitatione auulsæ.

k Et motum cohibet.) Motum, sensibilem ac certam materiam significat, cui consequens est motus. Sic in homine & animali contemplando, certam materiam motus participem & capacem Physicus attendit, cuiusmodi sunt ossa, nerui, caro, & cõsimilia. Vide in hunc locum lib. 2. de Natura, cap. 2.

Sensibilis materia cũ motu cõiuncta.

l Quæ nunc rerum singularum.) Hîc sensibilis materia ὑποδιαίρεσιν nota in communem & propriam. Communis est, ut caro, os, nerui: propria, ut hæc caro, iſtud os, isti nerui, quæ propriè indiuidualis in Metaphysicis, & paulò infrà signata & determinata hîc materia Thomæ dicitur.

Sensibilis materia duplex.

m Ac cùm hæc ad eum.) *Prædictam materiæ distinctionem ad rem accommodat, docens nec mathematicam & intelligibilem, nec Physicam & sensibilem, (præsertim rerum singularum proprietatibus & circumscriptionibus destitutam) suo accessu propriam & indiuiduam, eam quæ definiri nequeat, quemadmodum in obiectione dicebatur, essentiam complere. Alia est, quæ id efficiat, nempe signata & definita materia, quæ accessione præfinitarum dimensionum Indiuiduum constituit.*

Quæ materia Indiuiduationis efficiens, quæ non.

n Non potest tamen.) *Hoc loco nota, quem ad modum rerum singularum Indiuiduatio uerè existat. Huc pertinet illud D. Thomæ, quod in 4. Metaphysic. cap. 6 ait: Materia enim secundũ quod stat sub dimensionibus signatis, est principium Indiuiduationis.*

o Atq; hæc materia.) *Declarat de qua materia superiore capite loquutus sit, quam compositarum substantiarum essentiam unà cum forma etiamnum complere & perficere profitetur, ut nihilominus eiusmodi per definitionem explicari & declarari essentia possit.*

p Neq; enim hominem.) *In hunc locum uide Aristotelem lib. 6. Metaphysicor. cap. 10. & 11. & alibi.*

q Si quidem res singulæ de.) *Id fieri posse Aristoteles lib. 1. de Demonstratione, cap. 4. negat.*

r Quanquam non hæc ita.) *Præsumptio obiectionis est, qua prædictas materias substantia easdem, dimensionum tantum & accedentium qualitatum ratione distingui asserit.*

s Atq; inde est, quod Com.) *Auerrois authoritate cõfirmat, qui Socratis eandem quàm hominis essentiam esse ratione partium dixit. Animalitas & rationalitas nomina abstracta sunt, quæ ab Animali & rationali concretis deducuntur.*

Indiuidui ac speciei definitio diuersa.

t Ac quemadmodum de Indiuid.) *Superiorum occasione pergit de generis ac speciei essentia differere, docens has pariter signati & non signati ratione inter se distare. Quanquam quod ad designationis modum attinet, nonnulla discrepantia est, propterea quòd in superiore, hoc est, Indiuidui & speciei collatione, designatio fit per præfinitã materiam: hîc autem dum constituentium differentiarum subsidio peragitur, non per materiam, sed per formam eadem completur. Hîc triplicis rerum essentiæ nos Caietanus admonet, propriæ, specialis & generalis.*

u Quæ à rei forma.) *De hoc uide infrà cap. 4.*

Speciei tota vis in genere inest.

x Quò fit vt & ea.) *Cùm constituentium differentiarum ope, ut iam dictum est, specialis naturæ designatio fiat, ostendit nihil in speciei natura inesse, quod non pari modo si non actu, at certè ui ac potestate, in genere insit. Insunt enim ista lege in generibus differentiæ, per quas species omnes constituuntur & efformantur, quemadmodum in suis Institutionibus Porphyrius docet.*

y Saltem

y Saltem rudiore quodam modo.) Hoc est, ui ac potestate, Sic enim in generibus specierum differentias inesse, iam diximus.

z Id quod ad hunc mod.) Superiorem sententiam à signo comprobat. Id tale est. Genus de specie sua rectè & uerè dicitur. Ergo quicquid in specie i natura inest, idipsum suo ambitu quodammodò illud continet. Nam quo modo aliter de toto prædicari posset? cùm nulla pars integralis præsertim, de toto suo rectè dicatur & affirmetur. Genus de specie dici tur, ergo.

a Pars integralis.) De multiplici partium distinctione uide Aristotelem lib. 4. Metaphysic. cap. 25. Ad eum modum dici non potest, Domus est fundamentum, aut tectum: Rhetorica ars est inuentio, aut dispositio, &c.

b Cæteriùm quò clariùs.) Rei apertiùs ac dilucidiùs explicandæ causa, paulò latiùs nunc deinceps excurrit, quẽ ad modum genus instar partis de specie sua dici nequeat, ob oculos proponens, idq; exẽplo Corporis in medium adducto, quemadmodũ infrà patebit. Genus an partis instar de specie dicat.

c Cùm non vno &.) Præmittit luculentioris doctrinæ causa, multiplicis uerbi Corporis uidelicet distinctionem. Id si concretè sumas, substantiam significat trinæ magnitudinis, hoc est, longi, lati, & crassi participem: sin abstractè, quantitatẽ, hoc est, ipsam tripartitam magnitudinem. Atq; hoc modo à Mathematicis cosideratur, illo à Physicis. Ac cùm pro substantia Physicẽs accipitur, bipartitò id fit. Idcirco trifariam hîc Corpus sumitur, quemadmodum deinceps patebit. Corpus & substantia & quantitas.

d Quem ad modum quidem Mathe.) Ita Euclides id lib. 11. definit. Στερεόν ἐστι τὸ μῆκος καὶ πλάτος καὶ βάθος ἔχον.

e Nam vt in cæteris.) Docet, quo modo bifariam in substantia Corpus sumatur, ad id probandum similitudine καθ' ὑπόθεσιν assumpta.

f Pari modo & in Cor.) Applicatio similitudinis. Corpus in substantia, nunc naturam significat trium dimensionum designatione præditam, quæ se ipsa cõtenta omnẽ aliã perfectionem sua significatione excludit: nunc quæ tribus istis dimensionibus prædita, alias perfectiones non excludit, sed uel eas desiderat, & quoad eius fieri poterit, etiam cõplectitur & suscipit. Atq; hoc modo si ad animal Corpus referatur, uult illius genus esse: si superiore illo, non genus, sed partem solum integralem animalis esse contendit. In substantia bifariã sumitur.

g At cùm his quidem.) Prædicta significata ad propositum accommodat eo modo, quo diximus.

h Animalitas, vt sic loqua.) Quia in hoc genere formarũ describendarum aliæ uoces non suppetunt, quibus suauiter & accommodatè ad Latinorum loquendi consuetudinem utamur: uerborum durities aliquo modo præmollienda est. Id quod hoc genere sermonis conuenienter fit, ut ita dicam, si licet dicere, ut sic loquamur, quodammodo, & cæt. De quo uide apud Fabium lib. 8. Rhetoricarum Institut. cap. 3. Veborum duricies præmollieda quo modo.

i Non paulo eadem est.) Quippe cùm præter antedictam Corporis formam, etiã hac

Vita & sensus in corpore qui insint.

hac perfectione præstet, quòd & uitam habeat et sentiendi uim. Quæ duo in corpore, quà ex parte corpus est, nequaquam (maximè præsenti usu, καὶ τοῦ ἐνεργεῖν, ut Philosophi dicunt) reperiuntur.

[k] Quapropter in post.) *Docet potestate in Corpore animalis perfectionem inesse.*

Animal ad hominẽ affectũ.

[l] Atqui vt hæc iam.) *A digreßione ad propositum redit, docens quo pacto Corpus affectum est ad animal, ita hoc ad hominem affectum esse, siue in ea partis, siue generis rationem sequi & spectare uelis.*

Rationalis qualitas.

[m] Quam τὴν τοῦ λογικοῦ ποιότητα.) *Locus est apud Porphyrium in Isagoge, ca. 3. de Differentia:* ὥσπερ ἄνθρωπος ἵππου εἰδοποιῷ διαφορᾷ διενήνοχε τῇ τοῦ λογικοῦ ποιότητι.

Genus & pars ratione distant

[n] Genus verò non alia rat.) *Si accuratè ea quæ prædicta sunt, in animo reputes, non tam re subiecta, quàm sola ratione generis & partis considerationem distare comperies. Ita 4. Metaphysic. lib. cap. 25. cùm genus etiam speciei pars Aristoteli esse dicatur, B. Thomas genus non tam rei, quàm rationis solùm partem esse testificatur.*

CAPVT QVARTVM.

Vt genus, sic & differentia totam speciẽ continet.

SIc[a] ergo perspicuum est, genus non materiam tantũ, (etsi hanc præcipuè referat) sed totum id, quod in specie inest, confusè & indeterminatè complecti, & denotare. Quomodo & de differentia quidem sentiendum est, quę non formam modò declarat, sed totam speciei vim naturãq; comprehendit, perinde vt & speciei, & definitionis verba[b] Tametsi quędam inter hæc ipsa discrepantia & dissimilitudo intercedit. Id quod hinc intelligi licet. Nam genus totam naturam significat, vt determinatio quædam, quæ id quod materiale in re inest, [c] (à quo & natura ipsius trahitur, cùm reuera ipsum materies non sit) sine certæ formæ definitione & circumscriptione designat & notat. Quemadmodum in corpore (de quo iam antè meminimus) exempli gratia, perspici potest: præsertim cũ id dicatur, quod talem quandam vim ac naturam habet, vt in ea tres dimensiones notari ac constitui possint, quæ quidem perfectio ita comparata est, vt alteri posteriori & nobiliori perfectioni tanquã materia quædam subijciatur ac substernatur. Differentia verò contrario modo affecta est. Nam quasi definitio & determinatio quædam est, quæ à forma materiæ naturam cohibente & determinante sumitur,[d] vt de primo eius intellectu, quæ ei subest generis ratione subiecta & substrata (quam signatam vocant) materia non sit. Veluti animatũ, quod est id, quod animam habet, nulla certa re aut natura, cuius anima sit, ad id astricta. Neq; enim

Genus à materia sumitur.

Differẽtia à forma.

enim refert, vtrum corpus id sit, an aliud quiduis eorum quæ in natura constant. Vnde est, quod Auicenna ait genus ad differentiæ essentiam non pertinere, nec in ea tanquam naturæ partem intelligi, sed extrinsecus tantum ad illam assumi, non secus atq; ad proprietatum seu insitarũ affectionum (quæ τὰ ἴδια πάθη Græci vocant) intelligentiam res subiectæ assumuntur, & accommodantur. [f] Quamobrem fit etiam, vt genus de differẽtia per se & propriè loquendo minimè dicatur, quemadmodũ [g] tum in Metaphysicis, tum in Topicis Aristoteles docet: Nisi fortè quo modo res subiecta de propria affectione quandoq; dicitur. Quod dicendi genus præposterum & inuersum, ὡς κατὰ συμβεβηκός, tanquam per accidens, Aristoteli nuncupatur. [h] Definitio autem & species simili modo vtramq; partem, non solùm determinatam materiam, (quam nomen generis significat) sed etiam determinatam formam, (quæ nomine differentiæ innuitur) suo ambitu & complexu suscipiunt: Nisi quòd hoc interest, quòd notio definitionis paulò est explicatior: speciei verò magis inuoluta & complicata. [i] Et per hæc ratio iam intelligitur, quamobrem genus, differentia, atq; species, materię, formæ, ac toti, quod in natura ex illis partibus conflatum & concretum cohæret, (de quo in Porphyrianis Institutionibus sermo fit) analogia quadam ac proportione, cùm nõ idem quod illa sint, respondeant. Neq; enim aut genus materia est, [k] aut differentia forma, sed ab his desumpta & deducta, id quod ex vtroq; coagmẽtatum est, ea designant & declarant. [l] Quocirca hominẽ, animal esse dicimus rationis particeps & mortale, non ex animali, rationis participe & mortali, perinde vt ex anima & corpore, conflatum & comparatum esse. Siquidem ex his constare homo dicitur, tanquam ex duabus rebus (quarum neutra iste sit) tertia quędam. Nam neq; anima homo dici, neq; corpus reuera potest. [m] Quòd si verò ex animali, rationis compote & mortali, aliquo modo homo constare dicatur, non erit tanquam tertia quędã res ex duabus alijs cõcinnata, sed vt [n] intellectus quidã tertius ex duobus alijs cõflatur, ita ex illis cõponi & coagmentari dicetur. Nam intellectus animalis, qui sine determinatione [o] specialis formæ rei naturam exprimit, ab eo quod veluti materia nobiliori & perfectiori vltimæ formæ subijcitur, dependet. Differentiæ verò, nempe rationalis & mortalis, intellectus, [p] in certæ specialisq; formæ designatione & circumscriptione consistit: Ita [q] vt ex his duobus intellectibus speciei ac definitionis intelligentia atq; notio ducatur & existat. [r] Quapropter vti res constituta ex

Genus de differẽtia vt dicat.

Species & definitio vt totum designent.

Genus & differẽtia non verę speciei partes.

Quõ species ex genere differentiã cõstituat.

D aliquibus

aliquibus rebus non suscipit earum rerum ex quibus conflatur, attributionem: ita nec coniunctus is intellectus, eorum intellectuum, seu conceptionum, ex quibus constituitur & efformatur, attributionem seu κατηγορίαν suscipit: cùm minimè dici queat, quòd definitio aut genus sit, aut differentia, quemadmodum ex vtrisque istis simul connexis & conflatis constare perhibetur.

IN CAPVT QVARTVM COMMENTARIA.

Transitio

[a] Sic ergo perspicuum.) *Hactenus separatim de generis significatione & natura disseruit: nunc eandem cum differentia, specie, ac definitione cõparat, ostendens cum hæc omnia eandem naturam designent & complectantur, quo tandem discrimine & diuersitate idipsum in singulis fiat.*

Genus, differentia, species, & finitio qd distent.

[b] Tametsi quædam inter.) *Nunc deinceps dissimilitudinem ac differentiam exponit. Ea est, quòd Genus id quod materiale in specie inest, præcipuè declarat: differentia præcipuè id quod ineſt formale: Species uerò ac definitio utrunq; æquè declarant, sed species quidem obscurius & inuolutius, definitio autem idipsum clarius & explicatius.*

Genus materiæ, & differẽtia formæ assimilatur.

[c] A quo & natura ipsius.) *Quemadmodum differentiæ ratio à forma ducitur, sic generis natura à materia. Sed ut nec differentia forma est, sic nec genus materia. Huc pertinet illud, quod Porphyrius cap. 6. Institutionum dit:* ὡς μὲν γένος ἔοικεν ὕλῃ, μορφῇ δὲ ἡ διαφορά. *Item quod cap. 3.* οὕτω καὶ ὁ ἄνθρωπος καὶ ὁ κοινός τε καὶ εἰδικὸς ἔχει ὕλης μὲν ἀναλόγως σωέσηκε τὸ γένους, ἐκ μορφῆς δὲ καὶ διαφορᾶς. *Hoc est: Genus uerò assimile est materiæ, differentia autem formæ. Et: Sic & homo communis & qui speciei ratione cõsideratur, ex genere proportione materiæ, & ex differentia proportione formæ efficitur.*

Genus ad differẽtis rationem vt spectet.

[d] Vt de primo eius intel.) *Etsi omnino generis intelligentiam ac notionem differentiæ ratio excludere & repudiare non potest, tamen quia de eius natura nequaquã genus est, ad primum eius intellectum hoc neutiquam referri & accommodari poterit. Sic itaq; ad eius explicationem genus accommodatur, perinde atq; res subiectæ ad explicationem & enodationem propriarum affectionum & passionum, quas uocant, de quarei ipse posteriùs attingit. Vide in hunc locum B. Thomam lib. de Natura Generis, cap. 1.*

[e] Vnde est, quod Auicenna.) *Auicennæ authoritate comprobat. Quemadmodum res subiectæ ad notionem propriarum affectionum accommodentur, de eo uide infrà cap. 13.*

Genus de differẽtia vt dicat.

[f] Quamobrem fit etiam.) *Quia genus, uti dictum est, differentiæ naturam atq; sententiam minimè attingit, idcirco de illa κατ' αὐτὸ, hoc est, per se, & propriè nequaquam dicitur. Si quando autem de illa dicitur, inuersa & indirecta illa attributionis forma est,*

quam

quam ὡς κατὰ συμβεβηκὸς lib. 1. de Demonstratione, cap. 15. Aristoteles uocat. Sic dicis, Rationis particeps, aut mortale, aut bipes, est animal.

g Tum in Metaphysicis.) Locus in Metaphysicis, uti uidetur, est lib. 2. cap. 3. Quanquam ibi non tam de genere, quàm de generis speciebus ac formis loquitur, ad hunc modum: ἀδύνατον δὲ κατηγορεῖσθαι τὰ εἴδη τοῦ γένους τῶν οἰκείων διαφορῶν. Id est. Fieri uerò non potest, ut generis species aut formæ de proprijs differentijs dicantur. Quod ad Topicorum testimonium attinet, id multò clarius & luculentius est, lib. 6. ca. 3. οὐ γὰρ κατὰ διαφορᾶς, ἀλλὰ καθ' ὧν ἡ διαφορὰ, ἐ γένος δοκεῖ κατηγορεῖσθαι. Id est. Nõ enim de differentia, sed de ijs quæ differentiæ subsunt, & de quibus illa dicitur, genus enunciatur.

Genus de formis nõ de differẽtia dicit.

h Definitio autem & spe.) Cùm genus & differentia per modum partis totum designent, finitio & species per modum quendam totius idipsum faciunt, etsi planiùs finitio, species obscuriùs, quemadmodum antè diximus.

i Et per hæc ratio.) Ostendit, etsi genus & differentia reuera speciei partes nõ sunt, aliquo tamen modo ἀναλογικῶς ex illis tanquam partibus speciem cohærere. Videtur respicere ad locum illum Porphyrij, ca. 3. de Differentia, quo Porphyrius speciei compositionem ex genere & differentia, similitudine quadam rationis à rebus naturalibus desumpta, ad hunc modum explanat: τῶν δὲ πραγμάτων ἐξ ὕλης καὶ εἴδους συνεστώτων ἢ ἀνάλογόν τε ὕλῃ καὶ εἴδει τὴν σύστασιν ἐχόντων, ὥσπερ ὁ ἀνδριὰς ἐξ ὕλης μὲν τοῦ χαλκοῦ, εἴδους δὲ τοῦ σχήματος: οὕτω καὶ ὁ ἄνθρωπος, & cætera, quæ superiùs hoc capite attulimus.

Genus & differẽtia quodãmodo speciei partes.

k Aut differentia, forma.) Errant ergo ij, qui tam contentiosè differentiam formã esse, contra scholas & Porphyrium hodie disceptant.

Differẽtia non est forma.

l Quocirca hominem.) A dicendi genere probat, genus & differentiam non reuera partes esse, quia partes de toto recto casu dici nequeãt, sed omnes obliquo proferantur.

m Quòd si verò ex animali.) Obiectioni occurrit, docens si etiam genus & differentia ad instar partium obliquo casu de specie enuncientur, ut cùm dicitur homo ex animali & rationali constare, quem ad modum genus istud dicendi improprium tum intelligendum sit. Nimirum non ita intelligitur, quasi uerò ex duobus istis, tanquam in natura uerè cohærentibus & distinctis partibus, homo confletur, perinde ut fit, cùm ex anima & corpore conflari homo dicitur: Nam cùm tria illa, homo, animal, & rationale, inter se mutuò natura cohæreant, sola autem ratione & intelligentia distinguantur, quo pacto talis compositio, non dissimilis ipsi ueræ naturalium rerum compositioni, hîc locum habeat, intelligi non potest. Perinde itaq; ut res intellectæ & conceptæ animo, (quo modo prædicta illa inter se distincta & secreta esse iam nunc diximus) ad tertij generis itidem intellectu apprehensi coagmentationem concurrere dicuntur, ita è superioribus illis (ani-

Ex animali & rationali quo pacto homo confletur.

mali & rationis capaci dico) hîc homo quasi constari & coagmentari mentis solertia dicitur & intelligitur. Neq; enim aliter, nisi quatenus mente & intelligentia superiora apprehensa sunt, ex illis constitui homo intelligi potest. Sed hæc fortassis paulò subtilius, quàm pro captu populari, hîc differi uidebuntur.

n Intellectus quidam ter.) Intellectus nomine hîc rem eam, quæ intellectu concipitur & apprehenditur, μετωνυμικῶς accipi memineris. Sic & intellectus animalis, & intellectus rationalis & mortalis, pro intellecto animali, rationali & mortali, deinceps accipiuntur per Metonymiam.

Intellectus pro re intellecta capitur.

o Specialis formæ.) Hæc forma est, τὸ λογικὸν, seu τὸ ἀλόγου ποιότης, hoc est, rationalis aut irrationalis qualitas, quarum hæc animalis naturam ad bestiam, illa ad hominẽ angelumq; (si Porphyrio credimus) constituendum astringit. Hæc enim formæ speciales sunt, quæ si intellectu ab animali remoueantur, satis est illi, si in corporea, uegetali & sentiente natura conseruetur. Atq; eadem ista forma specialis, deinde perfectior, nobilior, & ultima uocatur.

τὸ λογικὸν ἢ ἀλόγου ποιότης.

p In certæ specialisq; for.) Nimirum quæ ad superiorem illam, corpoream, uegetalem & sentientem adiungitur.

q Vt ex his duobus intellect.) Nempe animalis, rationalis ac mortalis, inter se cõiunctis & copulatis.

r Quapropter vti res.) Ostendit, quod in ueris rerum compositione contingit, ut partes constituendæ rei de toto non dicantur, idipsum & in præsenti intellectus coagmentatione euenire, præsertim si pro formalibus, quos uocant, conceptibus, huius rei coagmentandæ partes intelligantur.

s Quòd definitio aut genus.) Id est, quod animal rationis capax & mortale, idem cum intellectu aut notione seu animalis, seu rationalis ac mortalis differentiæ separatim ualeat.

CAPVT QVINTVM.

De generis vnitate, quẽadmodũ in formis insit.

IAm t cùm genus totam speciei naturam suo ambitu complecti & continere dictum sit, existimabit fortasse aliquis, omnium specierũ, quibus idem genus sit, vnam esse eandemq; propterea essentiam. Quod cùm non sit, quænam rei istius causa sit, hoc loco inquirendum erit. u Est verò illius causa, quòd vnitas generis, quę in diuersis distinctisq; speciebus cernitur, cùm ex indeterminatione & indifferentia quadam nascatur, non sic illud fieri intelligendum est, quasi quod per genus significatur, id vna sit eademq; numero in diuersis speciebus essentia, cui alia res nempe differentia, deinde accedens, x non secùs ipsam determinet ac definiat, quàm forma apud Physicos materiam (y quę subiecto ac numero eadem

eadem est) determinare dicitur: Sed ita potiùs, quòd genus cùm formam quandam significet, non determinatè ac præfinitè hanc aut illam, sed quamlibet promiscuè formam declarat, quam determinatè deinde exprimit & distinguit differentia, ea quę nõ est alia reuera, q̃ quę modò per genus indefinitè forma significabatur. [e] Vnde est, quòd generis vnitatẽ cum vnitate materiæ primæ (quæ apud Physicos consideratur) Commẽtator conferens, in 8. Metaphysicorum sic scriptum reliquit: Materiam, primam nimirum, [f] quia ipsa per se nuda & omnis qualitatis expers fingitur, propter remotionem omnium formarum vnam dici: Genus verò propterea vnum, quia communem quandam & generalem, quæ ad nullam certam speciem sit astricta & reuocata, vi sua formã cohibeat. [g] Quæ cùm ita sint, perspicuum est illud quidem, quòd accessione atq; adiunctione differentiæ, remota & sublata illa (quæ causa generis vnitatis erat) similitudine & indifferentia, distinctæ ac diuersæ per essentiam rerũ species efficiuntur & manent. [h] Quò fit, vt vnum numero in diuersis illis speciebus secundum naturam neutiquam genus esse possit: præsertim cùm vnitatis causa, (quæ est confusio & indeterminatio) per differentiarum, vt diximus, accessionem quàm facillimè auferatur. [i] Verùm his ad eum modum de generis essentia ac natura pertractatis, sequitur, vt quę de speciei vi ac ratione superiùs disputare incœpimus, ea (quò cumulatior & absolutior præsens hæc institutio fiat) nunc deinceps persequamur. [k] Cùm itaq; pari modo vt generis natura speciei collata, sic speciei natura collata Indiuiduis, confusa & indistincta sit, quemadmodum suprà dictum est: consentaneum est, vt sicuti genus tum, quum de specie sua dicitur, vniuersam speciei naturam sua significatione, etsi implicitè & indistinctè includit: sic etiam species, cùm de Indiuiduo suo dicetur, omne id quod essentialiter in Indiuiduo inest, licet indistinctè & inexplicatè, in sese cõtineat. [l] Ac cùm hoc modo essentia speciei, nomine seu verbo hominis, exẽpli gratia, significetur, fit, vt homo de Callia aut Socrate rectè etiam propterea dicatur. [m] Si verò speciei naturam ita capias, vt definita signataq; materia (quæ principium Indiuiduationis est) nõ vnà cõprehẽdatur: iã ista natura, quę nomine humanitatis exprimitur, cùm illa solùm contineat, ex quibus homo habet id quod est homo, (habet aũt id solũ [n] ab humanitate, nõ verò à designata materia) fit, vt designata materia excluſa & reiecta, partis tãtùm ratio ac vis isti naturę attribuatur. Quę idcirco, quòd pars nulla, vt antè assertũ est, de toto suo dicit, neq; de homine

Aliter materia, aliter genus vnum.

Generis vnitas differẽtium accessione in speciebus multiplicatur

Vt genus speciei, sic species totã Indiuidui significat.

Species p modũ partis de Indiuiduo nõ dicitur.

mine, neq; de Socrate vllo modo efferri atq; enunciari potest. [o] Atq; ad hunc modum Auicenna inquit coniunctæ copulatæq; rei naturam, non idem quod copulatum & concretum ipsum valere: Tametsi & illa natura (quemadmodum de humanitate patet) [p] etiam suo quodam modo cõcreta & copulata sit. [q] Verùm hoc interest, quòd non perinde *vt concretum & copulatum*, ipsa in alio cohæreat & insit, quæ est materia *definita* & designata. [r] Sed cùm designatio speciei (quo modo dictũ est superiùs) sui generis collatione, per formam: Indiuidui verò, comparatione speciei, per materiam fiat: necesse est, vt id à quo generis natura præcise cum certæ formæ quæ speciem perficit remotione sumitur, significet totius partem, eam quæ materialis est: quomodo Corpus altero significatu materialis pars est hominis: Id verò à quo natura *speciei cum præfinitę* materiæ reiectione existit, partẽ quam formalem vocant, *qualis pars in* homine ipsa est humanitas. Nam humanitas significatur vti forma *quædã*. [s] Dico verò formam totius, non quæ toto efformato substantialibus partibus (cuiusmodi sunt materia & forma) extrinsecus accedit, quemadmodum forma domus, cæterarumq; rerũ artificialium, partibus integralibus cõiunctis & coagmẽtatis superinducitur: sed magis, quæ *ipsum totũ* materiæ & formæ complexione constituit, ipsumq; adeò totum est, *nisi* quòd ea, per quæ materia circumscribi & designari nata est, à se reiscit atque explodit. [t] Qua ex re patet, *hisce nominibus* (homo scilicet & humanitas) vnum *idemque nempe hominis essentiam*, denotari & declarari: Quanquam non eadem, sed alia atq; alia idipsum ratione. Siquidem nomen hominis designat eam essentiam tanquam totum, videlicet quatenus designationem *materiæ* non præcidit, sed implicitè continet, quemadmodum & genus superiùs differentiam continere dictum est. Quapropter & de Indiuiduis seu singulis hominibus idipsum nomen hominis dicitur. Porrò humanitatis verbum istam naturam, nõ vt totum, sed vt partem quandam significat, quatenus præcisa omni materię consignatione, non aliud nisi idipsum "quod hominis est, qua ex parte homo est, sua significatione complectitur. Quò fit, vt de singulis hominibus nequaquam prioris instar enunciari possit. [x] Atq; ob hanc causam euenit, vt & essentiæ vocabulum interdum (si concretè sumatur) de alio enuncietur, quomodo dicimus, verbi gratia, Socratem & Platonẽ esse quandam essentiam: interdum verò cùm planè abstractè sumitur, de altero enunciari nõ possit: Quomodo fit, si Platonis aut Socratis essentiã, ipsum Platonem

Quid generis & speciei notiones distẽt, dum instar partis significant.

Nomẽ hominis & humanitatis idem significant dispari ratione.

Essentia partim abstractè, partim cõcretè sumit.

Platonem aut Socratem esse quis dicere in animum induxerit. [y] Atque hæc de essentia concretarũ & materialium substantiarum (quatenus per se ad primæ philosophię seu Metaphysicæ institutum conuenienter ipsa inquiritur & inuestigatur) dicta sint hactenus.

IN CAPVT QVINTVM COMMENTARIA.

[a] **Iam cùm genus.**) Hoc loco aliam difficultatem occasione superioris disputationis emergentem sustollit, ac remouet. Nam cùm antè dictum sit, generis appellatione uniuersam speciei notionem acuim, licet confusè, signari & comprehendi: uidebitur ex eo sequi, ut quarumcunq; specierum diuersarum unum idemq; genus esse ponitur, earum una similiter eademq; planè essentia ac ratio esse uideatur. Ex quare quæ incommoda consequentia sint, quis est, qui non uel meridiana luce clariùs perspicit? Vt uerò huic difficultati occurrat, opportunè de generis unitate, (ex qua antecedens difficultas originem dicere uidetur) quæ qualisq; sit, utrum numero eadem sit instar materiæ, an diuersa, disputationẽ instituit. Vultq; non unam numero in diuersis omnino formis ac speciebus ad instar materiæ, genus esse. Quod si ita sit, nihil est, quam ob rem, quia idem genus in dissimilibus speciebus esse deprehenditur, talium specierum omnium una atq; eadem esse cuiquam essentia uideatur.

An ex generis unitate specierũ essentia confundatur.

[b] **Est verò illius causa.**) Ex diuersa generis unitatis explicatione dissoluit. Genus unum dicitur, non quia natura, quam genus significat, una numero sit, (nam illo posito, sequeretur omnium formarum, in quibus genus insit, eandem esse naturam) sed quia natura quam uerbum generis declarat, sic in diuersis speciebus inest, ut ad nullam certam formam astricta sit, sed indifferenter & promiscuè pro accedentium differentiarũ qualitate, nunc his, nunc illis formis insigniatur. Quo modo uerbi causa, animalis natura, in homine, equo, asino, & cæteris eiusdem generis una est, quia dum sentiendi facultatem animal obtinet, in hac per se acquiescens, nulli certæ ac speciali formæ alligatur, sed ab omnibus liberum, quaslibet in se suscipere pro differentiarum, ut diximus, accessione formas potest. Ita genus unum non numero, sed indifferentia & infinitione (quam ἀδιαφορίαν Græcè dixeris) unum existit.

Genus quo modo unũ in speciebus insit.

[c] **Non secùs ipsam de.**) Generis unitatem à materiæ unitate distinguit.

[d] **Quæ subiecto ac numero.**) Non quasi numerali differentia insignita, singulorum instar in natura cohæreat, nam id patet esse falsum: sed quia ipsa in se nihil obtinet, quod distinctionem efficiat, unde numerus atq; pluralitas oriatur.

Materia subiecto una.

[e] **Vnde est quod generis.**) Prædictam sententiam de generis ac materiæ unitate Auerrois testimonio confirmat.

[f] **Quia ipsa per se nuda.**) De hoc suprà ex Platonis Timæo fusius diximus, cap. 2.

[g] Quæ

Differentiarum accessio.

g Quæ cùm ita sint.) Ostendit differentiarum accessione generalis formæ unitatem in subiectis specialibus sustolli, & in uarias formas pro numero differentium deduci, ita ut diuersarum specierum nequaquam eadem essentia cogitari queat.

Transitus

h Quò fit, vt vnum.) Concludit superioris sententiæ disputationem, transiens nunc inde à producta hucusq; generis tractatione, ad clariùs & latiùs specierum uim explanandam, de qua re cap. 3. superiùs disputare occœperat.

i Verùm his ad eum.) Transitiuncula est, ad specierum uim ac naturam latiùs, ut dixi, explanandam.

k Cùm itaq; pari modo.) Sumit speciem generi assimilem esse, quòd quemadmodũ genus cùm de speciebus suis dicitur, uniuersam earum in se naturam cohibet, sic & cùm de Indiuiduis species dicitur, omnem earundem naturam ac uim in sese complectatur.

l Ac cùm hoc modo.) Exemplo declarat.

Species bifariam sumitur.

m Si verò speciei naturam.) Ostendit speciei uocabulum & aliter sumi posse, ut de Indiuiduis minimè dicatur. Hìc abstractè ponitur, ut partis nomen est, superiùs concretè, ut nomen erat totius. Consimiliter & 3. cap. de genere disseruit, Corporis exemplo in medium producto.

Homo ab animo maximè æstimatur.

n Ab humanitate.) Rationalis qualitatẽ dicere uidetur, quæ qualitas homini propria, ut ipsum propriè cõstituit, ita à bestijs pecudibusq; omnib. eũ secernit. Huc Platonis scitum illud dictum ex Axiocho pertinet: ἡμεῖς μέν ἐσμεν ψυχή. Id est, Nos enim sumus animus seu mens, quemadmodum in Somnio Scipionis eandem sententiam M. Tullius exprimit, his uerbis: Neq; enim is, quem forma ista declarat, sed mens cuiusq; is est quisq;. Nota hoc loco, quàm parum de homine materia corpusq; sibi uendicent.

o Atq; ad hunc modum.) Auicennæ authoritate comprobat, qui compositi naturam ab ipso composito secreuit & distinxit.

p Etiam suo quodam modo.) De hoc infrà cap. 8. dicitur, & sequentibus.

q Verùm hoc interest.) Inter prædictam scilicet naturam abstractam, id est, humanitatem, & hominem, hoc est, ipsum cõpositum & concretum. Nimirum, quòd hoc cum materia certa & designata cohæret, à qua materia abstracta natura cogitatione diuulsa est & separata.

Genus à specie differt.

r Sed cùm designatio.) Distinguit inter genus & speciem, cùm utrunq; non totius, sed partis instar sumitur. Quia uult generis nomine partem materialem intelligi: speciei uerò, partem formalem, cuius disparitatis ratio è diuerso designationis modo sumitur, de quo suprà meminit cap. 3.

s Dico verò formam.) προληπτικῶς obiectioni occurrit, docens aliter formam hìc spectari, quàm in artificialibus. Nam cùm hîc ratione solum à toto separetur, illic & reipsa à materia distincta & separata est.

t Qua

x Qua ex re patet.) *Docet hominis & humanitatis, hoc est, totius & formæ, nominibus unum idemq; significari, nisi quòd modus significandi in ijs nonnihil distet. Sunt, qui humanitatẽ ab homine ita secernunt, ut humanitatem dicant humanam naturam esse, ab habente seiunctam: hominem, eandem naturam, quatenus in habente consistit. Habentem uerò, ipsum individuum, hoc est, singularem hominem, ut uerbi causa, Socratem, Platonem, & cæteros intelligunt.*

Homo ab humanitate vt differt.

u Quod hominis est, qua.) *De hoc paulo antè patuit.*

x Atq; ob hanc causam eue.) *Disputationem concludit, id quod in exemplorum designatione aliquanto angustiùs & cõtractiùs dictum est, paulo latiùs & perfectiùs Essentiæ uerbo proposito declarans. Essentiæ uerbum nunc concretè sumitur, nunc abstractè: concretè de inferioribus dici potest, abstractè non item. Porrò quo modo in substantiuis nominibus concretio aliqua notari possit, cùm talia omnia abstracta uulgò dicãtur, de eo uide infrà cap. 13. sub huius commentationis finem. Hoc loco nota omnia nomina, quæ uerè abstracta sunt, ut substantiarum illa, de quibus in præsens agimus, (nam quæ accidentium sunt, illorum disparratio est, uelut cap. 13. infrà patebit) talia esse, quæ nullo modo de alijs, non solum concretis, sed ne abstractis quidem dici queant. Vt enim de Appio, uerbi gratia, humanitas dici non potest, ita neq; de Appietate, ut sic dicamus. Neq; enim Appietas, humanitas dici potest. Et sic de alijs iudicandum eodem modo.*

Essentiæ duplex cõsideratio.

Verè & omnino abstracta de alijs dici neq̃ut.

y Atq; hæc de essentia.) *Hactenus de Metaphysica essentiæ in concretis substantijs consideratione: sequitur nũc Logica cõsideratio, de qua capite proximo dicendũ est.*

CAPVT SEXTVM.

PRoximum [a] est nunc, vt quemadmodum prędicta materialium substantiarum seu naturarum essentia, ad Logicas intentiones, [b] quæ sunt generis, speciei, & differentiæ, (veluti initio nos facturos recepimus) affecta & accommodata sit, deinceps aperiamus. [c] Cùm itaq; non vno ac singulari modo, sicut in antegressis ostensum est, compositarum substantiarum essentia sumatur, illud perspicuum est, quoties per modũ partis absolutè essentia dicitur, [d] quemadmodum cùm eam humanitatis aut animalitatis, (vt sic dicamus) nomine exprimimus: non posse tum generis, aut speciei, ac differentiæ, quę spectatur à Logico, rationem ipsi accommodari, propterea, [e] quòd ea, quibus vllius prędictorum, vel generis, vel speciei, vel differẽtiæ ratio attribuitur, talia sunt, vt vnumquodq; sua vi de singulis ac subiectis rebus omnibus verè dicatur. [f] Id quod de essentia, dum absolutè & abstractè tanquam pars quædam compositi intelligitur, nequaquam sanè dici ac cogitari potest. [g] Quò fit, vt nec ratio nalitas teste Auicenna differentia sit, sed differentiæ modò principium

An Vniuersalis ratio abstractæ naturæ cõueniat.

& origo, & similiter nec humanitas, species sit, nec animalitas, genus, sed vtrumq; & generis & speciei, quemadmodum idem sentit, initium & origo. [h] Sed quid, si abstractè non quasi pars quædam compositæ naturæ essentia capiatur, sed (quemadmodum Platonici pleriq; senserũt) [i] vt res quædam præter singula separatim in natura cohærens, num isto modo prædictæ illæ notiones, generis, aut speciei, essentiæ tribui atq; assignari poterunt? Minimè gentium. [k] Cuius rei non ea solùm ratio est, quam modò diximus, nempe quòd sic de inferioribus ac singulis rebus, nec species, nec genus dici possint. Quis enim sanæ mentis, id Socratem esse, aut Miccalum, verbi gratia, vnquam dixerit, [l] quod ne in illis quidem insit, sed extrà ab illis seiunctum diuulsumq; separatum cohæreat? Sed ex eo quoq; idipsum percipi & intelligi haud dubiè poterit, quòd tales ita diuulsæ & abstractæ à rebus singulis naturę, nihil adiumenti subsidijq; ad res singulas percipiendum & comprehendendum ([m] quod tamen alioqui necessarium foret) nobis afferre comperiuntur. [n] Cæterũ cùm hæc de abstracta separataq; essentiæ ratione ac vi ita habeant, consequens est, vt alio quodam modo, nimirum vt per modum totius concretè sumitur, (quo pacto omne id quod in rebus singulis inest, confusè & indistinctè vi sua complectitur) essentia nobis spectanda & consideranda sit, si quidem antegressæ illæ & generis & speciei notiones in eam conuenire debeant. [o] Verùm enimuerò cùm hæc concretæ & copulatæ naturæ consideratio non vniusmodi ac simplex sit, ne quid erroris hîc nobis imprudentibus obrepat, etiam atq; etiam accuratè perpẽdendum est, quot modis, & quibus illis concreta ista natura hîc spectetur. Si igitur paulò diligentiùs consideraueri mus, [p] duos aut tres potiùs modos reperiemus, quibus concreta & coagmentata ista natura per modum totius à nobis intelligi & accipi poterit. [q] Primò enim omnino absolutè & simpliciter in se, quatenus eiusmodi est, (quæ consideratio propria est Metaphysicorum) ea spectatur. Atq; hoc modo nihil ei tribui, nihil præter ea quæ naturâ ipsi insunt, & per se qua ex parte talis est, conuenire in ea dici posse videtur: Quicquid enim cæterorum, quæ extrinsecus asferuntur, neq; ad naturam illius pertinent, de ea quispiam enuncianit, id omne falsum mendaxque efficitur. [r] Quod vt clariùs intelligi queat, exemplo res aperienda est. Esto itaq;, aut de homine quia homo sit, aut de animali, quia sit animal, quid tandem talibus hisce naturis reuera conueniat, quispiam roget. Hîc dubium quidem illud non est, quin vt hamani

Platonis Ideæ.

Concreta essentia bifariã spectatur.

Vel g se absolutè. 1.

mini, qua ex parte homo est, & animal conuenit, & rationis particeps: [s] ita animali, quatenus simili ratione spectatur, & animatum conueniat, & corpus, & su bstantia, & si quid fortè aliud est, quod ad eius vim naturamque exp licãdam pertinere videatur. Porrò vt aut album, aut nigrũ, aut quicquam cæterorum eiusdem generis, alterutri prædictorum, quatenus eiusmodi sunt, reuera accommodetur, fieri nõ potest: [t] præsertim cùm non quatenus vel homo, vel animal idipsum sit, superiora ista rectè illi tribuantur, sed tantùm, quatenus vel hic homo, vel istud animal idipsum esse ponitur. Hæc enim singularia & indiuidua, vt propria accidẽtium subiecta sunt, ita de ijsdem primò quoque καὶ προκγουμένως ([u] quẽadmodum in Isagoge loquitur Porphyrius) accidentia enunciantur. [x] Quæ cùm ita sint, si quis fortè quærat, vtrum prægredientium naturarũ aliqua, siue hominis illa sit, siue animalis, ea ratione qua per seipsam consideratur, aut vna dici, aut plures, rectè queat: neutrum quidem concedi debebit, eo quòd vtrumq; istorum fortè casu temerè in illam naturam conueniat, nec ad illius vim naturamq́; indagandam & declarandã quicquam per se facere intelligatur. Id quod hoc modo planum fieri, & perspici poterit: [y] Nam si pluralitas (vt de hac primùm agamus) ad vllius pręgrediẽtium naturarum vim ac rationem pertinere videretur, iam in Socrate, si ita placet, aut in Platone, vel in quouis alio id genus definito determinatoque subiecto si antecedens natura cohæreret, [z] nõ posset vna illa ac singularis ad modũ recipientis illam subiecti vllo modo aut fieri, aut nominari. Rursus si vnitas de ratione earundem naturarũ atq; intelligentia foret, non possent istæ iam naturæ in diuersis subiectis plures effici & dispertiri, sed in quibuscunq; illæ reperirentur, ea ad vnum omnia necessariò redigerentur. [a] Quo pacto vt vna eademq́; & Socratis & Platonis, (quia vterq; humanitatis sit particeps) essentia esset: sic bos item, & homo, & equus, (quia in omnibus istis pari ratione animal dicitur) in vnam eandemq́; non specie, sed subiecto ac numero substantiam conflarentur. Qua re nihil quidem certè absurdiùs atque amentiùs seu dici, seu fingi posset. [b] Atque hæc de prima, eaq́ue omnino simplici atq; absoluta Naturæ per modũ totius expressæ & designatæ consideratiõe. Altera eiusdem naturæ consideratio est, eaq́ue non vnius generis ac modi, quum non per se ea qualis sit, quamq́ue vim habeat, simplici atq; absoluta intelligentia comprehendimus, sed eam quatenus in hoc illóue quopiam locatur & inest, nobiscum in animo reputamus & expẽdimus.

Indiuidua accidẽtiũ propria subiecta.

Vel vt in alio inhæret, 2.

[c] Quo quidem modo nihil obstat, quàm plurima, eaq; longè diuersa & dissimilia, pro natura & conditione eorum in quibus hæreat ac locetur, quasi per accidens illi attribui atque accommodari. Siquidem ita dicimus, hominem & album & nigrum, & bonum & malum esse, & sic de alijs pari modo: non quòd talis homo verè sit, dum per se propriè & simpliciter eius natura perspicitur & indagatur: sed quòd illiusmodi qualitates, vel in Socrate, vel in Platone, vel in alio quolibet eiusdem generis indiuiduo ac singulari homine, prout fors tulerit, primùm deprehẽdantur: [d] Cuius rei causa, secundo deinde loco non per se, sed veluti per accidens, (vti paulo antè dictum est) eadem attributa referũtur ad hominẽ.

Inhærẽtis naturæ modi duo

[e] Enimuerò vt non simplex vniusque modi idipsum est, in quo prędicto modo ea, qua de agimus, Natura versatur & inest: ita ne simplicem quidẽ huiusce considerationis & contemplationis modum esse sciendum est. [f] Partim enim antecedens Natura, quatenus in singulari, indiuiduoque quopiam subiecto versatur & inest: [g] partim non vt in subiecto inest, sed quatenus à subiecto diuulsa abstractaque illius notitia & imago, seu forma, in animo quasi versatur & continetur, à nobis spectari & dijudicari potest. [h] Quarum considerationum vtraque, pro natura & qualitate rerum subiectarum, diuersi generis, vt prędiximus, attributiones suscipit: etsi, quo modo in rebus singulis natura consistit, ita longè plures, magisque variæ & insignes in eam attributorum dissimilitudines cadunt.

An per se considerata natura ἐν ὑποκειμένῳ cõueniat.

Atq; hoc quidem modo huius generis consideratio à superiore illa consideratione distat. Tametsi & hoc pacto superior illa à præsenti satis discrepat, quòd cùm in hanc gemina illa τὸ ἐν ὑποκειμένῳ, hoc est, inhærendi & subsistendi in altero, ratio per se conueniat, in superiorẽ illam neutra istarum rationum verè transferri & accommodari possit. Neque enim vel in animo, vel in hoc illóue singulari & indiuiduo subiecto, illa quatenus huiusmodi est, ipsaque in se, & per sese spectatur, Natura versatur & constat. [i] Nam si in alterutro istorum hominis essentia, vt de hac verbi causa tantum modò loquar, per se ea ratione qua eiuscemodi est, constaret, tum vel in animo cohærens, nusquam extra animum: vel in rebus singulis consistens, nusquam extra res singulas ea notari, & deprehendi reuera posset. [k] Quorum vtrumq; tamen rationi conuenienter euenit, cùm illius esse, ita demum tum ab animo, tum à subiectis, suppositisq; rebus omnibus diuulsum & distractum sit, vt nulla interim definita specialisq; vel animi, vel suppositarum rerum exceptio & pręcisio fiat. [l] Sed

his ita

his ita de Natura ex ambabus partibus conflata, & composita in genere perspectis & constitutis, sequitur, vt nunc, quem ad modum ista sic tandem considerata Natura, Vniuersalis, hoc est, vel Generis, vel speciei, rationem suscipiat, & præ se ferat, aperiendum esse videatur.

IN CAPVT SEXTVM,

COMMENTARIA.

a Proximum est nunc.) Transit à Metaphysica Essentiæ consideratione ad Logicam, in qua quo pacto Logicæ notiones, eæ, quæ Generis, speciei, ac differentiæ nomimib. appellantur, in prædictam essentiam conueniant, indagat. Sunt autem Logicæ notiones illæ, de quibus in præsens agit, eædem, quæ superiùs cap. 1. secundæ animi notiones, seu intentiones dictæ sunt, propterea quòd secundario quasi animi aggressu & conatu à nobis concipiuntur, ipsis iam rebus, seu rerum notitijs & simulacris, (quæ primæ notiones appellantur) apud animum depositis, & quasi consignatis. Non quidem eo intellectu, quasi hoc notionum genus solummodò à Logico consideretur, (siquidem & primæ notiones sub Logici contemplationē ueniunt) sed quòd hoc notionum genus præcipuè Logicus attendat, & in omni sua contemplatione & meditatione persequatur, quemadmodum alibi fusiùs ostendimus.

Logicę intentiones eædē, quæ secundæ.

Etsi nō ſolas eas Logicus conſideret.

b Quæ sunt generis, speciei.) Cur horum trium mentionem faciat in Logicis intentionibus explicandis, non item proprij & accidentis, eius causa uidetur esse, quòd uniuersalia ea, quæ mentis operatione circa substantias fiunt, specialia Logicarum intentionum nomina obtinent, qualia sunt genus, species & differentia: quæ uerò eiusdem mentis sollertia in accidentibus finguntur, ea propria nomina non habent, sed rerum nominibus (cuiusmodi sunt proprium & accidens) uniuersalis ratio in illis exprimitur, quemadmodum B. Thomas significat libello de Natura Accidentis, (qui in eius Opusculis est 41.) cap. 2. Et ideo (inquit) duo uniuersalia, proprium scilicet & accidens, quorum utrumq; rerum accidens est in natura, propria nomina propter intētionem uniuersalis nō mutāt.

Logicarū intentionū nomina nō omnia eiuſdē generis.

c Cùm itaq; non uno.) Vt clariùs & perfectiùs id quod propositum est, deinde confirmet & astruat, præmittit uarios suprà descriptos essentiæ corporeæ in substantia rum modos, ut qui tandem ex omnibus præsenti instituto conueniat, per cæterorum reiectionem & confutationem appareat. Dicitur quidem essentia partim abstractè, partim concretè. Abstractè, uel per modum partis, de quo suprà dictum est: uel tanquam forma quædam, & simulacrum, quemadmodum de Ideis Plato sensisse perhibetur: quorum neutro modo primùm in compositarum substantiarum naturam Logicas intentiones conuenire demonstrat. Concretè trifariam dicitur, partim absolutè, ut ipsa in se, & per se essentia spectatur, qui modus considerationis Metaphysicus est: partim ut in alijs, & quidem singulis & individuis rebus quæ natura constant cernitur, qui modus considerationis est Physicus:

Essentia abſtractè bifariam.

Concretè trifariam ſpectatur

Physicus: partim uerò, ut non in rebus natura constantibus inesse & uersari, sed in ipso intellectu & mente (quatenus nimirum mentis et intelligentiæ beneficio à nobis apprehenditur) hærere & consistere dicitur. Qui quidem modus cùm Logicæ considerationis sit proprius, unus demum is est, quo compositarum substantiarum essentia Logicis intentionibus subesse, & reuera cũ illis congruere à Thoma demonstratur. Sed hæc in progressu sigillatim clariùs perspicientur.

d Quemadmodum cùm eam hu.) De hoc antegresso cap. 5. meminimus.

e Quòd ea quibus vllius.) Subiecta & tanquam strata Logicarum notionum significat; quæ sunt ipsæ res intellectæ & cogitatæ, quibus prædicti generis intentiones ac notiones omnes mentis effictione tribuuntur. Anteà primas intentiones appellauimus, quarum ea uis ac natura est, ut de subiectis suis inferioribusq; omnibus in quæstione quarei natura inuestigatur, dicantur, de quo uide B. Thomam lib. de Natura Generis, cap. 5.

Logicarũ notionũ strata quę

f Id quod de essentia.) Argumentum tale est, Logicæ intentionis subiectum, de omnibus istis, quæ ei subsunt, uerè ac legitimè dicitur. De nullis uerò dicitur essentia per modum partis abstractè considerata, ut in antegreßis patuit. Ergo essentia talis Logicæ notionis subiectum esse non potest.

g Quò fit, vt nec rat.) Hîc exempla nota essentiæ per modum partis sumptæ, & explicatæ. Vide in hunc locum suprà cap. 4.

h Sed quid, si abstractè.) Obiectioni occurrit de Platonicis Ideis sermonẽ interijciens. Quid Plato de Ideis senserit, non satis inter omnes conuenit, dum alij notiones in mente diuina impressas & consignatas, eo nomine Platonem intellexisse asserunt, ut Plutarchus lib. 1. de placitis Philosophorum, cap. 10. & Georgius Pachymerius in Epitome Dialecticæ, et præter hos alij nonnulli: Alij uerò nequaquam notiones in Dei mente impressas, sed ipsas potiùs naturas substantiasq; mente & intelligentia præditas, quæ extra mentem Dei cohæreant, intellectas esse à Platone uolunt, ut præter Diogenem Laertium lib. 3. in Platonis uita, & Ammonius Hermeas in Isagogen Porphyrij, & Ioannes Philoponus in lib. 1. de Demonstratione Aristotelis. Verùm utrumlibet horum esse ponamus, quod ad præsentem attinet disputationem, nihil omnino interest. Posteaquã enim, siue impressæ illæ notiones, siue substantiæ per se alibi cohærentes, separatæ ponuntur, et abstractæ à rebus singulis, quia de singulis istis rebus, instar essentiæ, quæ per modum partis dicitur, (de qua iam nunc auditum est) nequaquam prædicari possunt: in confesso est, ne in illas quidem prædictum Logicarum intentionum genus ullo modo conuenire posse. Quemadmodum ergo à demonstrandi scientia Ideæ reijciuntur tanquam inutiles, ut lib. 1. de Demonstratione Aristoteles docet, cap. 10. his uerbis: τὰ γὰρ εἴδη χαιρέτω, τερετίσματα γάρ ἐστι, καὶ εἰ ἔστιν, οὐδὲν πρὸς τὸν λόγον ἐστίν. οὐ γὰρ ἀποδείξεις περὶ τῶν τοιούτων εἰσίν. Sic in præsens eas ualere iubet D. Thomas, tanquam ineptas, in quibus

Plato bifariam de Ideis loquitur

Sed neutro modo ad hanc rẽ accommodatè.

quibus secundariæ animi notiones, ut generis, speciei, ac differentiæ, collocentur.

i Vt res quædam pręter singula.) *Quid ad hoc separatarum rerum genus collocandum, Platonem induxerit, de eo uide Aristotelem lib. 1. Metaphysic. cap. 6.*

k Cuius rei non ea solum.) *Duplicem rationem ab incommodo, cur in præsens Platonicæ Ideæ reijciantur, adducit.*

l Quod ne in illis quidem insit.) *Hoc loco notandum est peruagatum illud philosophastrorum uerbum, Dici de, præsupponit in.*

m Quod tamen alioquin necessar.) *Præsertim cùm ex superioribus & prioribus, inferiorum posteriorumq; omnium necessariò cognitio ducatur, ut compluribus in locis Philosophi docent.*

n Cæterũ cùm hæc de abstra.) *Concludit de abstracta essentiæ notione, nũc inde ad cõcretam se transferens, in qua disquirit, quem tandem ad modum concretè sumpta essentia, superioribus istis notionibus seu intentionibus subiaceat.*

o Verùm enimuerò cùm hæc.) *Ostendit concretæ & coagmentatæ naturæ rationem non uno modo dici, ut eò clariùs in sequentibus, id quod in disquisitionem uenit, deinde aperiatur. Dicitur quidem illa ratio tribus modis, ut paulo antè demonstrauimus. Sed ipse ad duo prima genera istos modos reuocat. Vel enim ex seipsa Natura ista simpliciter consideratur, uel ut in alio quopiam inhæret: qui modus pro diuersitate eius in quo natura ista hæret, bifariam in sequentibus distinguitur.* Concreta natura trifariã spectatur.

p Aut potiùs tres modos.) *Idq; per alterius generis distinctionem & partitionem, ut iam nunc ostendimus.*

q Primò enim omnino.) *Primus modus, quo natura comprehenditur, ea quam ante rem uocant. Græci τὴν πρὸ τῶν πολλῶν φύσιν appellant, cuius tractatio solius Metaphysici propria, nihil ad præsentem commentationem pertinet, ut in sequentibus patebit.* Natura ante rem.

r Quod vt clariùs.) *Exemplo hominis & animalis probat, quæ cùm ipsa ex se spectantur, omnis peregrinæ & alienæ affectionis attributionisq; sunt expertia.*

s Ita animali quatenus.) *De hoc consimili modo Thomas lib. de Natura Generis, cap. 7. Cùm absolutè & secundum se natura animalis consideratur, nihil ei conuenit, inquit, nisi quod est de intellectu illius, uti corpus animatum sentiens. Quicquid enim aliud ipsi attribuitur, ut album, musicum, uel aliud huiusmodi, id falsum est.* De animali quid p se dicatur

t Præsertim cùm non quate.) *Hoc loco nota, in quibúsnam subiectis primùm tum insint, tum dicantur accidentia. Nempe in singularibus & indiuiduis, quorum interueutu deinde & superioribus communioribusq; attribuuntur.*

u Quemadmodum in Isagoge.) *Locus est in Isagoge cap. 6. idq; his uerbis:* ἀλλὰ προκγουμένως μὲν τῶν ἀτόμων, κατὰ δεύτερον δὲ λόγον τῶν περιεχόντων τὰ

τῶν τὰ ἄτομα. Loquitur de accidentibus, intelligitq; uerbum τὸ κατηγορεῖσθαι, id quod in prædicamentis ponitur.

Vniuersalis ratio primo generi aliena.

x Quæ cùm ita sint.) Colligit ex suprà dictis Vniuersalis notionem huic naturæ per se alienam esse, propterea quòd sua ui nec unitatem ipsa participet, nec pluralitatẽ, quæ ambo ad uniuersalis uim naturamq; constituendam requiruntur, ut in sequentibus patebit. At de hoc ipso & sequenti capite ex professo docebitur.

y Nam si pluralitas.) Si natura sua pluralitatis esset particeps, non posset in subiecto singularis existere, quemadmodum contrà, si natura sua unitatis particeps esset, nõ posset pro ratione subiectorum multiplicari. Quorũ utrumq; falsum est, cum ad instar subiectarum rerum, utrumq; illi per accidens cõueniat, de quo uide Thomam lib. de Natura generis, cap. 9. Ita ratione absurdi utrumq; hîc docetur.

Vnum & plura, opposita.

z Non posset vna illa.) Quid ita? Nimirum quia unum & plura inter sese opponuntur & pugnant, quarum rerum inter se pugnantium ea natura est, ut si una istarum in subiecto naturâ insit, altera inesse non possit, de quo uide Aristotelem in Categorijs cap. 7.

a Quo pacto vt vna.) Ad euidentem absurditatem rem deducit.

Transit ad alia genera.

b Atq; hæc de prima.) Concludit de primo genere, nunc inde ad cætera transiens. In primo genere absolutè ipsa per se natura spectatur: in cæteris non per se, sed quatenus in alio uersatur & hæret, sub considerationem uenit. Estq; aliud istud in quo uersetur, bipartitum. Quare et duo diuersa hîc genera existunt, de quibus in sequentibus dicetur.

c Quo quidem modo.) Ostendit hoc genus pro ratione rerum subiectarum multiplicis attributionis capax esse.

d Cuius rei causa.) Nempe quia singularium & indiuiduorum interiectu, de generibus & speciebus accidentia enunciantur, ut suprà monuimus.

e Enimuerò, vt non.) Distinguit antegressum considerationis modum pro subiecti distinctione.

Natura in re.

f Partim enim ante.) Hæc consideratio Physicæ propria est, qua naturam ita cõsideramus, ut in re subiecta inest. Græci τὴν ἐν τοῖς πολλοῖς eam uocant.

Natura post rem.

g Partim non vt in subiecto.) Hæc consideratio Logici instituti est, qua natura spectatur, ut post rem intelligentia concipitur. Græci τὴν μετὰ τὰ πολλὰ eam uocãt, estq; illa Logicarũ demum intentionum proprium quasi stratum & fundamentũ, quemadmodum in sequentibus ostendetur.

h Quarum consideratio.) Distinguit posteriora duo considerationis genera à primo modo, tum quòd hæc duo in alijs ui sua nituntur & insunt, tum quòd ratione eorundem in quibus insunt, diuersi generis aduentitias attributiones suscipiunt. Quorum neutrũ de primo genere dici potest, id, q; inuerso tamen ordine, ipse exponit & tradit.

i Nam

i Nam si in alterutro.) *Ratione absurdi docet neutrum prædictorũ modorum simpliciter per se consideratæ naturæ conuenire.*

k Quorum vtrumq; tamẽ.) *Vt & in reb. singulis, & animo pariter spectetur.* Vult primò *consideratæ naturæ eam rationẽ esse, ut tametsi neutro modo, nec in animis, nec in reb. singulis per se uerè cohæreat, utroq; tamẽ modo, licet per accidẽs, spectari possit.* Id *est, quod illius esse, tum ab animo, tum à singulis rebus, absq; certa utrorumq; præci sione & negatione, diuulsum & abstractum ait.* Natura p se spectata qualis.

l Sed his ita de natura.) *Concludit de tripartito antegressæ considerationis genere, transiens nunc porrò ad inquirendum, quódnam ex illis generibus reuera tandem Logicæ intentioni accommodetur.*

CAPVT SEPTIMVM.

QVod [a] ad primam itaque concretę Naturæ rationem attinet, eam, qua simpliciter atq; absolutè ea in se, quam vim habeat considerantur: [b] etsi illa quidem de subiectis inferioribusque singulis & indiuiduis omnibus reuera dicitur: nequaquàm tamen ita affecta & comparata est, vt vniuersalis ei ratio notioque rectè tribui atque accommodari possit. Cuius rei causa hæc est, quòd cùm natura ac ratio Vniuersalis in eo posita sit, vt res cum vnitate & pluralitatem quandam seu communitatẽ obtineat, ([c] est enim Vniuersale, quiddam vnum multis seu pluribus communicabile) superior ista natura secundum absolutam sui considerationem, nec communitatem habet, nec vnitatem. [d] Si enim humana natura, vt de hac, quemadmodum cœpimus, verbi causa loqui pergamus, secundum absolutam sui rationem communitatis esset particeps, iam in quocunque humanitas reperiretur, id commune esset. Sic & in Socrate, & Platone, quia in his natura humana cernitur, etiam communitas quędam versaretur. [e] Quod dici non potest, cùm omnia quęcunque in illis reperiuntur & insunt, ad similitudinem recipientium se subiectorũ, tam quam indiuiduentur, & singularia euadant. Rursum si eadem natura, quod ad absolutam ipsius considerationem attinet, vnitatem pre se ferret, iam omnia ea, in quibus illa cerneretur, ad vnum quid redigerẽtur. Sic Plato, Socrates, Callias, Sophroniscus, & cæteri id genus homines omnes, homo vnus, non quidem ὁ κοινότατος καὶ εἰδικός, hoc est, communis & specialis, [f] (quemadmodum Porphyrius appellat) sed singularis & indiuiduus efficerentur. [g] Quod cùm pari ratione inconueniens sit, perspicuum est, istam naturam, prout tali modo secundum se ipsa spectatur, nequaquam Vniuersalis in se notionẽ rationemque posse susci-

Natura p se spectata à Logica intentiõe abhorret.

gic & spe- pere. [h] At ne altero quidem modo, eo, quo in singulari individuaque re
ctata in re subiecta præcedens naturà spectatur & inest, eiusdē notionis particeps
esse videtur: Quia tametsi in pluribus, diuersisque illis singulis & indi-
uiduis rebus hoc modo illa cernitur, nō tamen significatione aliqua vni
tatis id fit, nimirum vt sit vnum quiddam pari ratione omnibus conue-
niens: Id quod Vniuersalis natura, sicuti paulo antè assertū est, requirit.
[i] Quæ cùm ita sint, quo tandem modo superior natura spectata & consi
derata, vniuersalis in se rationem suscipiat, facile, opinor, coniectu iam
quibuslibet erit. Nam cùm vnus tantum ex omni cōsideratione modus
Logica in tentio in natură ca dit animo comprehē sam, reliquus sit, quo descriptam paulo superiùs naturam, mentis intelligen
tia percipi, & eiusdem notione comprehendi dicimus: quis iam dubita-
bit, quin hoc modo, vt animi intelligentia ac notione comprehensa est,
isti naturæ, tum generis, tum speciei, seu ipsius Vniuersalis, notitia no-
menclatioque conueniant? [k] Equidem humana natura, (vt in hoc iam
sæpe trito exemplo docendi causa commoremur) dum ad eum modum
consideratur, vt animi cognitioni subiecta est, quemadmodum sine om
ni dubitatione esse suum, [l] ab omnibus individuis ac singularibus condi
tionibus seu proprietatibus diuulsum & separatum habet: ita parem eti-
am æquabilemque ad omnia, ea quæ subiecta sunt, quæ extrà in natura
cohærent, tanquàm omnium [m] certa quędam imago, (vnde in omnium
istorum qua ex parte homines sunt, cognitionem deuenimus) sibi com
parationem vendicat. Ex qua re, nempe quòd talem comparationē, seu
affectionem ad res subiectas inferiores singulasque obtinet, [n] mens spe
ciei cogitatam efformatamque notionē ipsi ascribit & attribuit. [o] Atq;
id est, quod Commentator in lib. 1. de Anima, testatur mentem esse, quę
vniuersalitatem in rebus gignit & parit. Cui sententiæ & in Metaphy
cis suis Auicenna astipulatur. [p] Idque non temerè, tametsi ex eo confici
nolim, vt quis arbitretur, quia intellecta ad hūc modū (secundum quod
ad res foris cohærentes, [q] ceu vna quædam similitudo earum compara-
tur) natura vniuersalitatis rationem suscipit, idcirco vnum quendam &
generalem omnium intellectum esse, quemadmodum perperàm [r] sibi
Vnde præ dicta na- tura vni- uersalis gignatur. Commentator persuasit, qui in tertium librum de Anima, ex vniuersa
litate formæ intellectæ, ipsius intelligentiæ vniuersalitatem conatus est
astruere: [s] Cùm vniuersalitas ista formæ non ex eo gignatur, quòd intel
lecta natura cohæreat, (nā quatenus [t] in hoc illóue intellectu natura po-
sita est, non generalis, sed specialis quædam forma intellectilis euadit)
sed

sed ex eo potiùs, quòd, vti prædictum est, ista natura, tãquam imago quę dam & similitudo, ad res eas, quæ extra animum foris cohęrent, refertur & comparatur. [u] Sic enim euenire videmus, si & statua quæpiam corporata erigatur, quæ vna complures seu homines, seu bestias repræsentet. Nam quatenus in hac illáue materia illa statuæ figura ac forma continetur, nemini dubiũ est profectò, quin ista species ac figura singularis sit, vnaque numero, cùm ea ratione, qua complures simul animantes exprimit & refert, communitatis vtiq; rationem ac naturam subeat. [x] Quòd si verò Speciei ratio alicui non communis aut vniuersalis esse videatur, propterea quòd in vnam quãdam certam atque indiuiduam rem ipsius nomen videatur conuenire, [y] si ita verbi gratia quispiam argutetur: Homini, vt ex antegressis patet, speciei nomen conuenit. Nam homo species esse dicitur. Atqui Socrates est homo. Ergo & Socrati, qui res certa & indiuidua est, Speciei nomen cõuenit: [z] is non rectè quidem sanè, pro eo ac debet, rem perpendit & iudicat. Nam tametsi & speciei ratio humanæ naturæ conueniat, & hæc natura verè de Socrate enuncietur: quia tamen non eadem ac pari attributione id fit, sed hoc naturali & propria, illud aduentitia & fortuita (nimirum quatenus in intellectu hominis natura consistit) dicitur: non si priora illa quispiam admittat, statim & id quod concluditur, necessariò ex illis effici, existimabimus. Etenim id tũ demum contingit, cùm positis & datis propositionibus, eodem modo κατηγορία vtrobique explicatur. Ita si Speciei notio, vel secundum absolutam sui considerationem, vel qua ex parte in Socrate inest, homini tribueretur, perinde vt homo attribuitur Socrati: profectò fieri nõ posset, quin vt Socrati hominis nomen, sic & speciei appellatio eidem reuera conueniret. [a] Ita enim res habet, vt quicquid conuenit alteri cuipiã, quatenus tale aut tale est, idipsum & de ijs, quæ illi subiecta sunt, (quo modo in præsens homini subiectus est Socrates) omnib. dicatur. [b] Sed quid? fieri ne potest, vt Socratem aliquo modo speciem appellemus? Videtur id quidem profectò non iniuria fieri posse: Maximè cùm & speciei proprium sit, [c] quemadmodum ex eius definitione perspici licet, per se de indiuiduis dici, & omnia quæcunq; ita affecta sunt, vt de alio per se dicantur, illi ipsi de quo dicuntur, reuera conueniant. [d] At non ita est. Cuius ratio ex eo, quòd non simili item modo prædictæ conclusionis sumptiones hîc capiuntur, intelligi potest. [e] Nam cùm in propositione dicitur, quæcunq; per se de aliquo dicuntur, ea sic comparata esse, vt de quo

An speciei nomẽ rei singulari cõueniat.

An Socrates, species dici queat.

dicuntur, illi & reipsa conueniant, hîc in propatulo est, non de quouis attributorum genere sermonem fieri, sed de eo demum, quod ex primæ intentionis verbis conflatum, de altero tanquam res denominata prædicatur. Quæ enim huius generis sunt attributa, vt omnia ea & subiectis, de quibus enunciantur, reuera conueniunt, ita quotquot dissimilis generis sunt, ad hanc legem dirigi nequaquam possunt. Iam cùm assumitur, Speciei peculiare esse, vt per se de Indiuiduis dicatur, quis non intelligit huius sumptionis longè aliam diuersamq; ab ea quæ antecedit, rationem esse? [f] Nam cùm non vno simpliciq; modo Speciei vocabulum capiatur, si propriè id intellexeris, vt secundæ *positionis* nomen est, quo significamus relationem & affectionem eam, *quam mens in obiecta ac* proposita natura, cum extrinsecus cohærentibus rebus, vt suprà dictum est, comparanda, sibi quodammodò fingit & fabricatur: iam, vt hoc quidem modo per se dicendi ratio, veluti sumitur, Speciei propriè conueniat: quia tamen, vt res denominata, hoc est, subiecta substrataq; antè dictæ collationi & comparationi, ea non dicitur, non potest illis, de quib. enunciatur, singularibus & indiuiduis nomen eius verè attribui. Sin autem pro subiecta & denominata re, ([g] quæ impropria *eius verbi notio* est) id accipi placeat, verbi gratia, pro equo, asino, homine, *iã vt demus* hæc quidem nomina, singulis equis, asinis, ac hominibus reuera accommodari: quo tandem modo, sic sumpto intellectoq; vocabulo, per se dicendi rationem Speciei conuenienter tribui adiungiq; defendi poterit?

Specieino men bifariam dici.

[h] Maximè cùm prædicandi ratio quàm proximè secundariæ notioni cohæreat, in cuius ratione & ipsa quodammodò includitur, cùm aliena sit, fortuituq; tantùm in rem, quæ secundæ animi notioni subiecta est, quam si secundo loco accommodetur. *Id* quod hinc deprehendi potest. [i] Nihil enim est aliud prædicatio, quàm rerum earum, quarum alias de alijs in dicendo enunciamus, seu coniunctio, seu distractio, quam pro rerũ intellectarum varietate & conditione intellectus quasi machinatur, quæ in ipsa re secundum naturam eorum quæ dicuntur, fundamentũ habet. [k] Quæ cùm ita sint, perspicuum est, antè positæ conclusionis sumptiones nullam vim habere, vt, quod priùs negatum fuit, Socrati speciei nomen conuenire, demonstrent. Quam ob rem, vt nunc tandem huic meditationi finem imponamus, id omnibus satis superq; hactenus probatũ & demonstratum esse arbitramur, quem ad modum Speciei ratio, quod ad istius naturę, de qua agimus, cõsiderationẽ spectat, affecta esse videat.

Prædicandi ratio secundariæ notionis cõsequens

Cõcludit superiorẽ disputationem.

[i] Neque

[l] Neque enim de ijs est, quæ isti naturæ simpliciter absoluteque conueniunt. Et cùm accidentium duplex sit genus, [m] hoc, quòd isti naturæ tribuitur, ratione status & subsistentię extra animum, vt candor & nigror: illud quod ratione status & cohærentiæ in animo: priore genere euerso & confutato, posterius tandem genus tale esse compertum & deprehensum est, in quo solo Speciei notio cõtineri & cõseruari videatur. [n] Ac cũ eadem quæ de Specie hactenus dicta sunt, conueniant & generi & differentiæ: quid in vniuersum de omnibus his, quod ad præsentem quæstionem attinet, sentiendum & iudicandum sit, ex ijs quæ prædicta sunt, abunde constare iam & patere videtur.

IN CAPVT SEPTIMVM,

COMMENTARIA.

a Quod ad primam itaq;.) *Reijcit primum considerationis modum, ea ferè ratione, qua suprà. Nempe quòd nec unitatem naturâ agnoscat, nec communitatem: quorũ utrumq; ad Vniuersalis, τοῦ καθόλου, rationem constituendam pertinet.*

b Etsi illa quidem.) *Hoc loco nota primæ intentionis uerba esse, ea quibus in disserendo, cùm de re agimus, familiariter utamur.*

c Est enim Vniuer.) *A definitione Vniuersalis probat, quæ est, Vniuersale esse quiddam natura unum, id quod multis communicari potest. Sic Rodolphus tractatu de Vniuersalib. Dicimus ergo uniuersale (inquit) esse, quod unum existens per essentiam, est communicabile multis, ut animal unum esse dicimus, quod est in equo, in asino, in boue, in homine. Huc pertinet, quod Aristoteles lib. 1. Posterior. cap. 5. ait, εἶναι μέντοι ἓν κατὰ πλειόνων, ἀληθὲς εἰπεῖν ἀνάγκη, οὐ γὰρ ἔσται δὲ καθόλου, ἂν μὴ τοῦτο ᾖ. Et paulò infrà: δεῖ ἄρα τι ἓν καὶ τὸ αὐτὸ ἐπὶ πλειόνων εἶναι μὴ ὁμώνυμον.* Vniuersale quid.

d Si enim humana.) *Ratione absurdi probat, ut suprà. Si communitas, seu pluralitas de natura esset hominis, iam omnia, in quibus homo dicitur, communia & plura forent. Sic Socrates, sic Plato, sic Sophroniscus, sic alij singuli, & communis homo essent, & plures homines. Nam de quocunq; aliquid dicitur, de eo & illud dicitur, quod ad prioris naturam, intelligentiamq; pertinet, ut in Categorijs cap. 1. Aristoteles docet, cùm inquit: Cùm alterum de altero ut de subiecto dicitur.* Ratio ex absurdo.

e Quod dici non potest.) *Remouet absurditatem. Hoc loco nota, ad instar rerũ subiectarum naturales formas se habere, ut uel multæ eæ, quia in multis insunt: uel una, quia in uno aliquo subiecto insunt, appellẽtur. Vide Thomã lib. de Natu. Generis, cap. 9.*

f Quemadmodum Porphyr.) *Locus est cap. 3. de Differentia.*

g Quod cùm pari ratione.) *Concludit de primo genere, absurditatem hic remouendo, ut suprà.*

Natura in re cur nõ vniuersalis.

h **At ne altero quidem.**) *Pari modo & secundum genus reijcit, quia etsi hoc cõmunitatem quandam ratione rerum subiectarum facilè suscipit, non tamen unitatis (quæ ratione intelligentiæ accedit, ad Vniuersalisq; uim ac naturam pertinet) ratione sua particeps est.*

Velut natura post rem.

i **Quæ cùm ita sint.**) *Prioribus duobus generibus remotis, tertium quod adhuc reliquum est, infert, docẽs illud esse, cui Vniuersalis ratio reuera conueniat. Id est, quod post considerationem rerum earum, quæ naturâ constant, mens nostra intelligentia percepit, de quo uide cap. 9. lib. 2. de Demonstratione. Ratio probationis enumeratione constat.*

Naturæ humanæ exẽplum.

k **Equidem humana.**) *Exemplo humanæ naturæ docet, quo modo ea quæ animo proposita est natura, uniuersalis tandem rationem suscipiat. Nam quod ipse de specie tãtum, humana natura exempli gratia proposita, ostendit, id de omnibus uniuersim, generibus etiam, & differentijs, pari modo intelligendum est.*

Indiuidui proprietates.

l **Ab omnibus indiuiduis.**) *Eiusmodi sunt, loci, temporis, affectionis, formæ, habitus, & id genus cæteræ infinitæ circumstantiæ hominum singulorum, quas mens beneficio intelligentiæ, dum hominis speciem à phantismatib. liberam contuetur, diuellit & abstrahit, de quo uide lib. 3. de Animo.*

m **Certa quædam imago.**) *Species, forma, & notio, quæ in animo, perinde ut imago in speculo, uersatur & inest.*

n **Mens Speciei cogitatam.**) *Quod hîc de Speciei notione audis, id de generis notione similiter ferè in hæc uerba scribit Boëtius: At uerò cùm dicimus animal genus esse, non (ut arbitror) tunc de re ipsa hoc nomen dicimus, sed de ea relatione, qua potest animal ad cæterorum quæ sibi subiecta sunt, prædicationem referri. Itaq; character quidã est ac forma generis in eo, quod referri prædicatione ad eas res potest, quæ cùm sint plures, & specie differentes, in earum tamen substantia prædicatur.*

Genus bipartitò considerat Boetio.

o **Atq; id est, quod Comment.**) *Auerrois authoritate probat, quem suprà per excellentiam Commentatorem dictum esse monuimus. Is ait Intellectum agere uniuersalitatem in rebus: quod ita intelligendum est, quia nulli rei uniuersalis notio tribuitur, nisi quatenus intellectu apprehenditur, & sub intelligibilem, ut Auicenna ait, formationem cadit. Huc pertinet, quod B. Thomas lib. de Natura generis sic ait: In re igitur nihil est commune multis. Quia quicquid est in re, est singulare uni tantum communicabile. Quod aũt commune est, agitur per Intellectum. Intellectus enim facit uniuersale in reb. & cæt. Item, quod & 1. de Natura Philosophi dicunt, Vniuersale esse dum intelligitur, & quod Boëtius lib. 5. de Consolatione philosophica Prosa 4. ait, Vniuersale dici inde ad rationem, seu apprehensionem intellectus.*

Intellectũ vniuersalitatem in rebus quo modo pariat.

p **Idq; non temerè, tamet.**) *Approbatio antè dictorum, qua ad incidentium deinde obiectionum refutationem sese transfert. Prima obiectio est, Si antegresso modo uniuersalis*

salis est natura, quam mens concipit, in qua prædictæ istæ Logicæ intentiones recubunt: necesse est Intelligentiam (quemadmodum Auerroes existimauit) ad instar formæ illius quam apprehendit, communem esse & generalem: Aut certè, si hæc singularis est, prædictam naturam uniuersalem esse non posse. Quorum utrumuis quis dederit, æquè absurdū est id quod consequitur. Obiectio prima.

q Ceu vna quædam similitudo.) Sic Boëtius Speciem, naturalem suorum indiui duorum similitudinem appellat, & Viues ipsum Vniuersale, essentialem similitudinem in multis, dum inquit lib. de Explanatione cuiusq; essentiæ: Itaq; communio hæc similitudo est essentialis in multis, quod in Scholis uniuersale nominatur. Species in diuiduorum similitudo.

r Sibi Commentator persuas.) Ex eo, quòd inter cognoscentem & id quod cognoscitur, iusta quædam proportio ἡ κατ' ἀναλογίαν intercedere uideatur. Loquitur de Auerroe, qui intellectum potentiæ, seu possibilem quem uocant, (quo superiores illæ generales et communes naturæ percipiuntur) unum quendam, et eundem in omnibus hominibus constituit, & illis qui sunt, & qui fuerunt, & qui futuri sunt, teste B. Thoma, cùm alibi, tum lib. 2. contra Gentiles, cap. 73. & lib. quē de Vnitate Intellectus contra Auerroistas scripsit. Quanquam ante Auerroem cōsimili modo de Intellectu statuisse & Alexandrum Aphrodiseum, author est Bessarion Cardinalis, lib. 2. contra calumniatorem Platonis, cap. 7. Auerroes vnum cōmunē intellectum ponit cū Alexādro

s Cùm vniuersalitas.) Explicatio obiectionis, qua Auerrois sententiæ de communitate Intellectus simul occurrit, docens quo tandem pacto antegressa natura, cùm sua ui, quatenus in Intellectu uersatur, singularis sit, ratione significationis & quasi repræsentationis, uniuersalis euadat.

t Cum hoc illóue intellectu.) Hominum singulorum. Neq; enim unus & communis omnium hominum intellectus est, cùm ad multiplicationem materiæ, & tanquam subiecti generis, (quale est comparatione intellectus ipse animus) naturalium rerum formæ, accidentiaq; absq; omni dubio multiplicentur & distinguantur: quemadmodum contrà, cū res subiectæ, & supposita materia numero eadem cohærent, ipsæ formæ et quæ inhærent accidentia, singularia & indiuidua existunt. Formæ multiplicantur, p diuersitate subiectorum.

u Sic enim euenire.) A simili, seu exemplo statuæ cōfirmat, superiorem naturam bipartitò posse considerari.

x Quòd si verò speciei.) Altera obiectio, qua Speciei rationem, quia in rem singularem, et unam numero conuenire uideatur, non esse uniuersalem probare nititur. Etsi probatio inefficax est, & de genere earum, quas in Reprehensionibus Sophistarum Aristoteles ut uitiosas reijcit, quemadmodum deinceps patebit. Altera obiectio.

y Si ita verbi gratia.) Docet speciei notionem rei singulari conuenire, quia sic non malè ratiocinari uideamur: Homo est species, Atqui Socrates est homo, Ergo & Socrates

species.

species. Idq; ui & admonitione regulæ istius, quam in Categorijs cap. 1. Aristoteles tradit, Cùm alterum de altero, & cæt.

z Is quidem non rectè.) *Antegressæ ratiocinationi & conclusioni occurrit, docens, non quia homo rectè species esse dicatur, idcirco & Socrati (tametsi homo is sit) reuera id nomen conuenire, idq; admonitu regulæ, Cùm alterum de altero: Quia cùm ista regula in ijs demum attributis locum uerè habeat, quæ eodem modo, et quidem essentiali seu naturali prædicatione, de re subiecta dicuntur, in antecedente isto exemplo nihil tale fit. Neq; enim ut per se καὶ οὐσιωδῶς homo de Socrate dicitur, sic & homini Speciei notio per se tribuitur καὶ οὐσιωδῶς. Nam merè aduentitia καὶ ἡ κατὰ συμβεβηκὸς ista prædicatio est, ut intelligenti patet.*

Explicatio regulæ, Cùm alterum de altero.

a Ita enim res habet.) *Hoc loco nota, quicquid rei per se, quia res est, (hoc est, natura sua) conuenit, id & semper illi, & toti reuera conuenire. Id quod δ' κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι lib. 1. de Demonstrat. cap. 3. Aristoteles appellat.*

δ' κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι.

b Sed quid? fieri ne potest.) *Tacitæ obiectioni occurrit. Tametsi Speciei propriũ est, per se de singularibus dici, illaq; quæ per se de alijs dicuntur, ita habent, ut & nomen ijs de quibus dicuntur, accommodent: nõ potest tamen Speciei appellatio uel Socrati, uel alij cuipiam singulari & indiuiduo homini, uti iam dictum est, accommodari. Ratio pendet ex diuersa attributionis sumptione, ut suprà.*

Speciei notio singulis non conuenit.

c Quemadmodum ex eius defi.) *Quæ est apud Porphyrium in Isagoge, quod de multis numero differentibus dicitur in quæstione, qua quæritur quid sit res. Sed quomodo ista definitio, conuenire per se Speciei, de singularibus dicendi rationem, manifestũ facit? An quia per se primùm illa rei conuenire teste Aristotele dicantur, quæ in explicanda illius natura atq; essentia adhibentur? Sic enim lib. 1. de Demonstrat. cap. 3. primũ genus τῶν καθ' αὑτὸ Aristoteles describit.*

Speciei p se conuenit, de indiuiduis dici.

d At non ita est.) *Ostendit ob dißimilitudinẽ attributionis, & explicationis prægressarum sumptionum non uerè sequi, id quod obiectio conficiebat.*

e Nam cùm in propos.) *Propositio antegressæ ratiocinationis in uerbis primæ intentionis uerè dicitur. At tale uerbum Speciei non est, cùm Speciei proprium in assumptione dicitur, per se de Indiuiduis enunciari. Hoc enim modo Speciei uocabulum secundæ intentionis seu notionis dicitur. Quæ uerò aut primæ, aut secundæ intentionis nomina aut uerba sint, de eo in antegreßis dictum est.*

Speciei nomen secundę intentionis

r Nam cùm non vno.) *Ostendit bipartitò Speciei nomen accipi posse: quorum altero modo prædicta illa dicendi ratio per se illi conuenit: altero non item. Priore modo propriè capitur, ut secundæ impositionis uerbum est: posteriore, impropriè, & abusiuè, ut pro ipsare, (cui secundæ impositionis nomẽ attribuitur) idipsum capitur. Simili modo & Boëtius de Generis nomine scriptum reliquit, cùm ait: Omne genus aliud est, quod in semetipso*

Speciei nomen bifariã intelligi potest.

in semetipso atq; in re intelligitur: aliud, quod ad alterius prædicationem refertur. Sua enim proprietas ipsum esse constituit, ad alterum relatio, genus facit. &c. In hunc locum uide Caietani annotationes.

g Quæ impropria eius verbi.) *Siquidem ita sumitur, atq; accidens pro subiecto interdum solet.*

h Maximè cùm prædicandi.) *Hoc loco nota prædicationem maximè secundariæ animi notioni attributam esse. Neq; enim ad rem nisi secundo ueluti loco refertur.*

i Nihil enim est aliud.) *Prædicatio est accommodatio prædicati seu attributi ad subiectũ, quæ fit siue coniunctione, siue disiunctione, beneficio animi & intellectus, idq; pro diuersitate & qualitate rerum, quæ uel coniungi affirmando, uel negando disiungi sese patiuntur.* Prædicatio quid.

k Quæ cùm ita sint.) *Concludit per repetitionem.*

l Neque enim de ijs est.) *Hîc tripartitam distinctionem naturæ per modum totius consideratæ in memoriam reducit.*

m Hoc, quod isti naturæ.) *Duplex accidentium genus est: hoc reale, illud intentionale uocant. Prius illud rerum est, quo modo in natura extrinsecus cohærent: posterius, quo modo eædem intelligentia & mente apprehenduntur: sub quo genere continentur & illæ, de quibus in præsens loquimur, secundariæ animi notiones & fictiones.* Accidẽtiũ genus duplex.

n Ac cùm eadem quæ.) *Quod hactenus de unius Speciei notione & intentione disseruit, id & in alijs simili modo, ut in genere & differentia, obseruandum breui admonet. Est enim istorum omnium, quod ad præsentem institutionem attinet, eadem prorsus ratio.*

CAPVT OCTAVVM.

COnsequens [a] est nunc post corporearum & concretarum naturarũ consideratione, vt quem ad modum in simplicibus & abstractis naturis (cuiusmodi sunt, prima & summa causa, animi nostri, & diuini spiritus seu angeli, [b] quas vulgò intelligentias vocant) essentia habeat, dicendum esse videatur. [c] Etsi verò, quod ad primam summamq; causam (hoc est, omnium rerum authorem principemq; DEVM) attinet, omnes quotquot sapientiæ nomine ac titulo nobis commendati sunt, vno ore eum simplicissimum, ab omniq; concretione & permistione liberrimum esse profitentur: tamen quod ad cæterorum naturam spectat, hanc quodammodo permistionis & concretionis participem, vti ex forma & materia conflatam & compositam, nonnulli esse volunt. [d] Cuius sententiæ præ cęteris author & laudator fuit Auicebron iste Maurorum princeps, cui liber (quẽ fontẽ vitæ appellant) acceptus refertur. [e] Quan- Trãsit ad simpliciũ substantiarum considerationẽ.

Refutatio Auicebronis sentẽtiæ.

quam eam sententiam pauci in vulgus probant, propterea quòd lectissimorum sapientiorumq; iudicijs & decretis cõmuniter repugnat: Quippe qui prædictas illas substantias ac naturas non modò à materia diuulsas separatasq; vocant, sed tales quoque reuera esse, multis & non contemnendis rationibus confirmant & demonstrant. Atque vt vnam quãdam ex omnibus ijs rationibus & probationibus huc afferamus, non postrema illa est, quæ ex intelligendi vi (qua superiores istæ naturæ præditæ sunt & excellunt) atq; colligitur. [f] Nam cùm rerum species ac formę, quæ mente & intelligentia apprehẽduntur, (quas formas Græci τὰς νοητὰς appellant) ea ratione, qua mente & intelligentia reipsa apprehendũtur, omnes à materia diuulsæ sint, rebusque ijs, quæ materiæ adhærent: ([g] nihil enim materiatum intelligentia consequi potest, cùm ex se omnem intelligẽtiam cognitionemq; materia remoretur & impediat) profectò [h] ea vis ac facultas animi, qua istæ rerum species apud animum deponuntur, & à peregrinis illis extrarijsq; materię affectionibus primùm asseruntur & quasi vindicantur, fieri non potest, quin itidem materię cõtagione & consortio careat. [i] Nam ea est natura, vt quæ res superiore modo inter se cognatæ sunt, etiam simili modo afficiantur & *comparẽtur*. [k] Quod si est, certè quemadmodum hæ formæ, earumq; tum susceptrix, tum depuratrix, & quasi defæcatrix animi facultas ab omni materiæ cõtagione & labe secretæ sunt, ita ipse cum primis animus, eaq; cui intelligendi vis atque opportunitas data est, natura ab eadem seuocetur & segregetur, necessarium est. Maximè cùm fieri non possit, vt subiectæ rei conditio accidente inferior sit, & id quod inhæret, eius cui inhæret, naturam aliqua dignitate exuperet. Quò fit, vt mens omnino sit soluta & libera, nihil admixtum, nihil cõcretum, nihil copulatum, nihil coagmẽtatum aut duplex, [l] quod ad materiæ rationem attinet, in se habens: non modò vt materiam nullam sui partem agnoscat, sed vt ne tanquam forma quidem sit aliqua materiæ inhærens & impressa, [m] quo modo corporalium rerum, vt domorum, statuarum, & poculorũ formæ affectæ sunt & comparatę. [n] Neque verò est, quòd quisquã superiori argumentationi occurrendũ putet, vt quæ de materiæ natura & ingenio dicta sunt, nempe quòd ex se materia omnem cognitionem & intelligentiam remoretur, non de quauis illa promiscuè & indiscriminatim, sed de ea materia tantum, quæ corporearũ rerum propria sit, intelligi oportere existimet. Siue enim de hac tali, siue generatim et vniuersè de omni materia *quis loquatur*

Rerũ species apprehendũtur animo à materia abstractę.

Mens à materia libera.

Materia per se omnẽ intelligentiã impedit.

loquatur, nihil quod ad rem attinet præsentem, interesse hoc modo perspicies. [o] Nam si corporali tantum materiæ id conuenire sibi quispiam persuadeat, cùm hæc materia non dicatur, nisi quatenus corporali formæ tantum modò substernitur & subiacet, non nisi à corporali forma, quòd intelligentiam remoretur & impediat, habere videretur. Quod tamen nemo, nisi planè in Physicis fortè plumbeus, astruere audeat, præsertim cùm & ipsa forma quantumuis corporea, actu intelligi queat, nõ secus atque cæteræ quælibet, in quantum à materiæ communione & societate dirimuntur. [p] Ex quo perspicuum euadit, quod in antegressis asseruimus, nullam compositionem, quæ ex materia & forma constat, in animos nostros atque intelligentias cadere, vt pari modo, quemadmodum in corporeis & materiatis substantijs, sic etiam in illis essentiæ vim ac rationem sibi inuestigandam explicandamq; aliquis arbitretur. Verum tamen, etsi ad hunc modum, vt dictum est, nulla ex materia & forma compnsitio, in hoc essentiarum genus reuera conuenit: est tamen alia, quę in idipsum cadit compositio, [q] quam insolentiore voce, esse & formę appellant, [r] sicut ex libro de Causis patet, quem librum ex Theologica Procli Institutione, Arabum industria confectũ habemus, in quo asseritur propositione nona: Nimirum quòd intelligentia & esse & formam habet: [s] In quo formæ nomen, perinde vt suprà cap. primo declaratum est, pro ipsa natura seu essentia accipi debet, quæ quidem forma totius appellatur. [t] Atque de hoc concretionis modo paulo infrà differemus, si præsenti loco, quod initio sumpsimus, prædictum substantiarũ genus sola forma sine admixtione materiæ cohærere, aliquantò clariùs demonstrauerimus. Id itaque ad eum modum se habere, perspici & cognosci ex ijs, quæ deinceps sequuntur, hoc modo poterit. [u] Siquidem ita naturâ comparatum esse videmus, vt quæcunque isto modo inter se conferuntur, vt vnum causa sit alterius, in ijs id quod causæ rationem subit, sine altero cuius causa est, separatim constare queat: etsi non retro vicissim illud commeat. Iam inter materiam & formam talis quædam affectio & comparatio inuenitur, vt, cùm materię essentiam suam forma impertiat, illius & causa quædam esse videatur. Ex quo fit, vt tametsi materia sine formæ adminiculo constare non queat, forma tamen sine accessione materiæ, [x] si non omnis, at certè quędam in veritate subsistat. Nẽpe illa, quæ in se tanquam forma spectatur. Nam cæteræ quæ ab informando nomen habent, quæq; aliarum rerum comparatione dicuntur,

Esse & forme compositione mens constat.

Formæ sine materia cõstare possunt, at nõ contrà. NB.

dissimiliter affectæ sunt, eædemque sine materia, à qua aliquo modo dependent, [y] propterea quòd à primo principio, (quod cęterorum omnium, vti primus & purus actus, ceu origo quædam est) longiùs distãt, nequaquam reperiuntur. Verùm quæ superioris generis sunt, eæ, vt dixi, tanquàm primo principio finitimæ ac propinquæ, secus habent, nimirum à materia, quam priores requirunt, omnino segregatæ & auulsæ. [z] Ac cùm de harum quidem numero sint illæ, de quibus præsens disputatio instituta est, (mentes & intelligentias dico) efficitur me hercule, vt & ipsæ materiæ exortes sola forma constent, ipsarumque essentia & natura nihil aliud quàm simplex & nuda quędam forma sit. [a] Quo posito & cõcesso, facile est iam quomodo simplices compositæq; substantiæ & naturæ inter se differant & distinguantur, videre. Nam cùm simplicium, vt dictum est, natura, sola forma sit, compositæ non forma solùm constant, sed cum forma simul & materiam ipsarum natura complectitur. Atque ex hoc discrimine sunt duæ aliæ prædictorum, quæ emanant, differentiæ. [b] Quarum vna est, quòd essentia compositæ naturæ bipartitò significari potest. Vel enim vt totum sumitur, vel vt pars: *Id* quod contingit propter materiæ designationẽ, de qua suprà dictum *est*. [c] *Ex qua* re efficitur, quòd nec quouis modo essentia coniunctæ & coagmentatę rei, de eo quod coniunctum & coagmentatum est, verè dicatur. Neque enim homo sua quidditas seu essentia verè & rectè dici poterit. [d] At verò essentia rei simplicis, quæ ipsa sua forma est, nõ perinde affecta est & constituta. Siquidem non potest nisi per modum totius, cùm nihil in ea sit, quod formam vti formam recipiat, designari. Vnde fit, vt quocunque etiam modo illa sumatur & intelligatur, semper de re simplici verè dici & enunciari queat. Cui consonat id, quod Auicenna scriptum reliquit: Nimirum essentiã seu quidditatem rei simplicis, ipsummet simplex esse, cùm non sit aliud quippiam, quod istam quidditatem siue essentiam in se complectatur. [e] Atque hæc de priore differentia, cuius ex antegresso discrimine origo dimanat. Altera distinctio est, quòd compositarum rerum essentiæ, quum in subiectam materiam, veluti dictum est, trãsmigrent & recipiãtur, pro istius materię diductiõe et dispertitione, quodãmodo diuiduntur & multiplicantur: [f] vnde accidit, q̃ aliqua specie conueniunt, idemque sunt, quę tamen numero & re subiecta quã maximè distinguantur. Sed cùm rei simplicis essentia in nullam, vt dictum est, materiam recipiatur, fieri nõ potest, vt aliquo modo talis in ea multi-

Simplicis & cõiunctæ substãtiæ distinctio.

Cõpositæ numero distãt, simplices specie

multiplicatio, distinctioque ratione materiæ existat. [g] Quò fit, vt ne plu- cie tantũ.
ra quidem eiusdem speciei, in illis, quemadmodum in prioribus, substã
tijs individua reperiantur: sed quotquot istiusce modi substantiarum in-
diuidua & singularia subiecta existunt, totidem etiam species (quemad-
modum significanter & expressè ab Auicenna dictum est) notare & ob
seruare conuenit. [h] Verùm his ad eum modum positis & cõstitutis, nũc
porrò quę de antecedentium substantiarum compositione & iunctione
superiùs dicere incepimus, reliquum est vt persequamur.

IN CAPVT OCTAVVM, COMMENTARIA.

[a] Consequens est nunc.) *Absoluta & pertractata prima huius Opusculi sectio-* Altera li-
ne, quæ de materialium & corporatarum naturarum essentia instituta fuit, aggreditur bri sectio.
nunc ad alteram, eam quæ simplicium, incorporearum & abstractarum, quas uocant, na-
turarum uim ac rationem peruestigat: tum quod ad propriam & absolutam ipsarum in
se considerationem attinet, tum quod ad eam, qua Logicæ intentiones notionesq; (sicut
de antegressis hactenus probatum est) ad easdem referuntur. Sunt autem huius generis
incorporeæ, simplices, & abstractæ naturæ, non uniusmodi. Nam aliæ creatæ sunt, ut Abstractæ
mentes hominum, et diuini spiritus, seu angeli: quorum hi omnino à materia diuulsi sunt, naturæ
illæ quodammodo in corporibus cum eadem cohærent: alia non creata est, à qua supe- multiplices.
riores istæ existunt, ut DEVS Opt. Maxi. qui ut est, sic & dicitur summa primaq; om-
nium causa, ut deinceps patebit.

[b] Quas vulgò intelligen.) *Intelligentias dici uolunt, uel quòd actu semper in-* Angelicæ
telligunt, uel quòd intelligunt non ratiocinando, & componendo seu diuidendo, ut ho- Intelligen
mines, sed simpliciter quasi rem intuendo, idq; prima operatione Intellectus, quam pro- tiæ vocem
priè Intelligentiam dici arbitrantur. Græci νοῦς νόες appellant. Multa de angelorum co-
gnitione uide apud beatum Thomam in Summa, tomo primo, quæstione 58. articulo 3.
& 4.

[c] Etsi verò quod ad prim.) *Distinctionem hîc prædictarum substantiarum no-*
ta. Quæ increata substantia est, uti Deus, omnium confessione, materiæ consortio & Intelligen
quasi contagione uacua est: quæ uerò creatæ sunt, ut mentes, & intelligentiæ, etsi & il- tiæ Auice
læ materiæ consortio carent, ut nudæ quædam separatæq; formæ, quibusdam tamen, ut broni ma-
Auicebroni philosopho, secus de eo uidetur, quemadmodum infrà patebit. Quod ad di- teria con-
uinæ naturæ simplicitatem attinet, omnis permistionis & compositionis expertem & stant.
uacuam, de eo uide beatum Thomam, partim in Summa, tomo primo, quæstione tertia,

partim infrà cap. 10.

d Cuius sententiæ.) *Ostendit Auicebronem superioris sententiæ authorem. Auicebron iste Maurus genere fuit, teste Cælio Rhodigino, lib. 3. cap. 6. Maurorum princeps Auicebron, inquit ille, atq; Arabum Auicenna, atq; nõ abnuit Hippocrates Cous. Quod ad rationes attinet, quibus inductus sic de separatarum substantiarum compositione Auicebron statuit, explicat eas B. Thomas, cùm alibi, tum in Summa tomo. 1. quæstione 50. tum uerò, & maximè latè, opusculo 15. quod de Angelis inscripsit, cap. 5. & nonnullis sequentibus.*

Auicebrõ Maurus.

e Quanquam eam sententiam.) *Superioris sententiæ refutatio. Partim authoritate, partim ratione illam coarguit & refellit.*

f Nam cùm rerum.) *Vis rationis talis est. Intelligentis naturæ facultas, quia à materia secretas & seiunctas rerum formas persequitur, immaterialis est. Ergo cum primis et ipsa natura intelligens. B. Thomæ uerba in præsens sic habent: Videmus enim (inquit) formam non esse in actu intelligibilem, nisi secundum quod separatur à materia, & à conditionibus eius: nec efficitur intelligibilis in actu, nisi per uirtutem substantiæ intelligentis, scilicet secundum quod recipitur in ea, & secundum quod agitur per eam. Vnde oportet, quòd in qualibet substantia intellectiua sit omnino immunitas à materia.*

Thomæ ratio.

g Nihil enim materiatum.) *In hunc locum uide Aristotelem lib. 3. de Animo, cap. 4. & suprà nonnulla de ui ac qualitate materiæ, cap. 2.*

h Ea vis ac facultas.) *Aristoteles lib. 3. de Animo cap. 5. duplicem intellectum facit, hunc agentem, illum patientem. Superior iste species à phantasmatibus diuellit & abstrahit, easdemq; lumine quodam suo, ut ab altero, qui potentiæ est, (quem τὸν παθητικὸν νοῦν Aristoteles appellat) percipi queant, perfundit, & collustrat. Vtriusq; hîc obscurè mentio quædam habetur.*

Intellectꝰ duplex.

i Nam ea est natura.) *Inter agens & patiens, cognoscẽs & id quod cognoscitur, naturalis quædam proportio ἡ ἀναλογία intercedit.*

k Quod si est.) *Ex animi ui ac facultate, naturæ simplicitatem colligit, & concludit contra Auicebronem, idq; argumento ex absurdo ducto. Plura in hunc locum, quod ad asserendam animi, seu intelligẽtis naturæ simplicitatem attinet, uide apud B. Thomã, lib. 2. contra Gentiles, cap. 50.*

l Quod ad materiæ rati.) *Rectè hoc. Nam in sequentibus quodammodo etiam cõiunctas & coagmentatas esse intelligentias docebit, etsi quod ad materiam attinet, nulli istius in illas coniunctio & coagmentatio cadit.*

m Quo modo corporalium.) *Nempe ut esse illius à materia dependeat, quemadmodum fit in rebus tum artificialibus, tum naturalibus, saltem compositis & concretis. Vult ergo per se cohærentes & subsistentes omnino formas esse, nõ in materia existẽtes.*

Formę duplices.

n Neq;

n Neque verò est, quod.) Πρόληψις obiectionis est, qua docet omnem materiam, non tantum corporalem, sed & spiritalem, ex se intelligentiam remorari et impedire, sicut prædictum est.

o Nam si corporali.) Ex absurdo docet, non modò corporalis materiæ id propriũ esse. Nam si corporali materiæ id tantum conueniret, sequeretur & corporearum rerum formam, (à qua corporalis materia ortum suum habet) cognitionem & intelligentiã impedire. Quod non fit, cùm & ea ipsa corporatarum rerum forma, quatenus mente & cogitatione à materia abstrahitur, sub intellectum nostrum ueniat. An corporalis materia solũ intelligentiam impediat.

p Ex quo perspicuum est.) Repetitio principalis conclusionis, qua aliam esse separatarum substantiarum, aliam concretarum & materialium rationem coarguit, tametsi separatæ non omnino compositionis expertes sunt, ut iam deinceps sequitur.

q Quam insolentiore voce, esse.) Quam esse & formæ compositionem insolẽtiùs uocat, ea est actus & potentiæ quædam compositio. Nam ut potentia ad actum refertur, ab eodemq; perficitur & informatur: sic esse, ad formam (hoc est, substantiam seu naturam rei) accedens, eandem quasi perficit & absoluit, dum ipso actu eam constituit & ponit. Est enim ipsum esse, formæ seu substantiæ existentis complementum quoddam, & ueluti actualitas, ut alibi D. Thomas loquitur, uti 2. lib. contra Gentiles, cap. 53. & in Sũma tomo 1. quæst. 54. Verũ ne quid erres, hîc aliter essendi uerbum capi memineris, quàm suprà cap. 2. sumptum est. Nam hîc esse existentiæ intelligitur, quod est idem quod subsistere, & reuerà cohærere, cùm suprà cap. 2. esse essentiæ acceperit, quod idem cum ipsa essentia, ac simplici rei natura ualere aiunt. At de hoc cap. sequenti fusiùs. Esse, naturæ quidã actus. Esse duplex.

r Sicut ex lib. de causis.) Authoritate libri de causis probat, quem librum alij Aristoteli, alij Proclo, nõnulli Alpharabio, alij Auemcape Arabi attribuunt. B. Thomas Arabum diligentia ex Procli commentarijs de Theologica declaratione seu institutione conflatum censet. Sic enim scribit in explanatione libri de causis: Inueniuntur igitur quædã de primis principijs conscripta per diuersas propositiones distincta, quasi per modũ singulatim considerantium aliquas ueritates. Et in Græco quidem inuenitur traditus liber Procli Platonici, continens 211. propositiones, qui intitulatur declaratio Theologica: In Arabico uerò inuenitur hic liber, qui apud Latinos de causis dicitur, quem constat de Arabico esse translatum, & in Græco penitus. Vnde uidetur ab aliquo Philosophorum Arabum ex prædicto libro Procli excerptus, præsertim quia omnia quæ in hoc libro continentur, multò plenius & diffusiùs continẽtur in illo. Hæc Thomas. Author libri de causis quis.

s In quo formæ nomen.) Cùm bipartitò nomen formæ capiatur, ut suprà cap. 1. & 2. ostensum est: hîc pro ipsa natura, seu essentia (quæ forma totius appellatur) id accipiendum monet. Forma totius.

t Atq; de hoc concretio.) Reiectio, qua ad antegressæ quæstionis disputationem reuerti-

reuertitur, docens non incõmodum esse, (id quod suprà asseruit) sine materiæ complexu sola forma Intelligentias cohærere.

u Siquidem ita natura.) Perfecta ratiocinatione utitur. Quæ ita comparata sunt, ut alterum alteri ortus causa sit, in ijs quod alteri ortus causam affert, per se solum constare potest. Atqui sic materia & forma inter se comparantur, ut cùm forma latentẽ materiam excitet, & in actum eandem educat, illi quasi ortus causam afferat. Ergo forma sine materia per se sola in antegreßis substantijs constare potest. Huc pertinet illud Aristotelis ex secundo Metaphys. cap. 3. τὴν μὲν γὰρ ἀρχὴν δεῖ καὶ τὴν αἰτίαν εἶναι παρὰ τὰ πράγματα ὧν ἀρχή, καὶ δύνασθαι εἶναι χωριζομένην αὐτῶν. Hoc est, Necesse est enim principium & causam esse præter res, quarum est principium, & posse ab eis separari.

Forma quodammodo causa materiæ.

x Si non omnis, at certè.) Hoc ait, quia duplex formarum genus est, aliud materiæ immersum, à qua materia idipsum quodammodo dependet, qualis est forma naturalium & maximè compositarum substantiarum: aliud per sese constans, & à materia liberum, de quo in præsens disquiritur.

Formæ duplices.

y Propterea quòd à primo.) Hîc causam nota supradictæ formarum distinctionis.

Actus duplices.

Aliæ propiùs authorem suum attingunt, quæ puriores et simpliciores actus sunt: aliæ longiùs ab eodem distant, quæ actiones sunt impuriores, & quodammodo cum materia confusæ. Hîc actus & actionis nomina substantialia sunt, quæ græcè, tum ἐντελέχειαι, tum ἐνέργειαι Aristoteli nuncupantur.

z Accùm de harum.) Ostendit posterioris generis formas esse Intelligentias, de quibus disserit.

a Quo posito & concesso.) Nunc deinceps, quid simplices abstractæq; naturæ & essentiæ à coniunctis & concretis distent exponit. Discrimina uniuersim tria sunt, eiſi quod primo loco collocatur, primarium est, unde duo reliqua, ut ipse significat, oriuntur.

Essentiarũ distinctio.

b Quarum vna est, quòd.) Hoc alterum discrimen est, quòd simplicis naturæ essentia uno modo significatur: Compositæ duobus: illa ut totum solùm dicitur: hæc ut & totum & pars similiter explicatur.

c Ex qua re efficitur.) Nempe ob dißimilem istam essentiæ considerationem.

d At verò essentia.) Altera pars comparationis.

e Atque hæc de priore.) Transit ad tertium discrimen, quod est compositæ naturæ essentiam, pro materiæ, in quam recipitur, ratione, diuiduam & multiplicabilem esse: simplicis non item.

f Vnde accidit, quòd.) Hîc nota, unde in rebus materiatis et compositis diuersitas accidat. Ratione quidem formæ, illæ specie inter se conueniunt: at ratione materiæ, quæ numeralem diuersitatem parit, numero discrepant.

Distinctio à materia pendet.

g Quò

g Quòd fit, vt ne plura.) *Hoc loco nota, quod B. Thomas partim lib. 2. contra Gentiles, cap. 93. partim in Summa, tomo 1. quæstio. 50. art. 4. disputat, omnes beatos spiritus, & intelligentias, non numero, sed specie distare. Quotquot enim ex illis sunt, per se quisq; speciem constituunt, ita ut plures eadem specie minimè reperiantur. Quanquam in diuersa tamẽ sententia Scotus est lib. 2. Sententiar. distin. 3. quæstio. 7. Vide in hunc locum & Bessarionem lib. 3. aduersus Platonis calumniatorem, cap. 22.*

Angeli omnes specie distant.

h Verùm his ad eum modum.) *Transit ad sequentem tractationem.*

CAPVT NONVM.

HIuiusmodi [a] itaque substantiæ, de quibus dicere occœpimus, etsi ab omni mortali concretione, & permixtione materiæ, quemadmodum diximus, separatæ segregatæq; sunt: non vsquequaq; tamen ab omni compositione, [b] tanquam puri simplicissimiq; actus atq; formæ, abhorrere putandæ sunt. Siquidem ita naturâ constant, vt nonnullam etiam, si non alterius rei cuiuspiã, [c] at certè potentię & facultatis, (quemadmodum ex illis quæ deinde consequuntur, perspici poterit) admistionem præ se ferant. [d] Nã cùm ita sine omni dubitatiõe res habeat, vt quicquid non est de intellectu & ratione essentiæ rei alicuius, id ascititiũ sit, quod si aliunde ad rei eius de qua agitur, essentiam adiungatur, quandã cum essentia quasi compositionem & coagmentationem facit: propterea quòd nulla essentia [e] sine ijs, quæ partes ipsius sunt, omnino percipi & intelligentia comprehendi potest: [f] ita quidem certè singularum rerum naturæ atque essentię comparatæ inueniuntur, vt nullius negotij sit, quid illæ sint, mente consequi, etsi vtrum res illæ in natura constent, nec ne, ne tenuis quidem cogitatio animum subeat. [g] Quid enim, nónne & quid homo sit, & quid Phœnix, & quid cæteræ res omnes, vt earũ status & cohærentiæ ne in mentem quidem veniat, non solùm verè à nobis intelligi, sed & definiendo aperiri datur & explicari? Quòd si quis roget, quid sit defectus solis iam tum, cùm sol non deficit, nónne respondemus esse obscuritatem, quæ ex obiectu lunæ prouenit nos solẽ intueri prohibentis? Similiter si quis hyberno tempore quid rosa sit nosse desideret, nônne eam florem esse seu rubeum, seu candidum, odoratum, & densis crispantibusq; foliis præditum definiendo respondemus? Nemo inficias ire potest. [h] Quocirca patet, non vnum quiddam idemque esse, sed vehementer differre & discrepare inter se, & rei essentiã, & id quod esse, seu cohærere (nisi statum fortè & coherentiã rei id dicere malimus) vulgò appellatur. [i] Atque id quidem verum est in omnib. reb. nisi fortasse

Intelligentiæ an ab omni compositione liberæ?

Esse rei ab essentia diuersũ docetur, præterquã in causa prima.

taſſe tale aliquid tibi eſſe videatur, cuius eſſentia ipſum eſſe ſit, planéque cum ſtatu & cohærentia ſua congruat, quale in rerum vniuerſitate præter vnũ quiddam, primumq; omnium ſanè reperiri & conſtitui non poteſt. [k] Maximè cùm ita ſe res habeat, vt nullo modo quippiam multiplicari poſsit, niſi vel per aeceſsionem alicuius differentię, quo pacto multiplicatur [l] natura generis in ſpecie: vel per diffuſionem formæ in diuerſas materias, quomodo in diuerſis ſubiectis & indiuiduis [m] multiplicatur natura ſpeciei: vel denique ſi vnum quippiam per ſe ſeparatim cohæreat, alterum in alio quaſi demergatur. [n] Qui modus ſola fictione conſtans, inter cæteros alienior eſt, quo pacto Platonicas ideas quis multiplicari fortè dixerit, dũ hæ ab illis ſpeciebus ac formis, quę in re ſubiecta cohęrent, antiquitus diſtare credebantur. Ita ſi color aliquis ſeorſum per ſe cõſtet, is diſtans ab eo q in corpore cernit, multiplicari hoc modo dicet. [o] Atqui cũ oẽs hi modi ſint, nullusq; alius rei verè diducẽdę multiplicandæq; etiamſi per oẽs Categorias mẽte diſcurras, præter iſtos appareat: ſupereſt vt nullum iſtorũ in ſupradictam naturã conuenire oſtendamus, vt id quod prædiximus, verũ eſſe intelligatur, nõ niſi ſolitarium quiddã & vnum, idque primum, (cuius eſſentia idem quod ſtatus ſit, eſſeq; ſuũ) exiſtere poſſe. [p] Ac quod ad primum modum attinet, ſatis conſtat, non poſſe per acceſsionem differentiæ ſuperiorem iſtam naturam multiplicari: Quia ſi differentiam ea ſibi adiungi pateretur, iam eſſe eius, quod ſimplex ſolitariumq; eſſe poſitũ eſt, nõ tale permaneret, ſed acceſſu differentis quodammodo contraheretur, [q] & quaſi duplex geminumque fieret: Id quod dici non poteſt. [r] Sin per cõmunicationem materiæ multiplicari poſſe fortè exiſtimes, iam neceſſe eſt, vt id quod per ſe cohęrere antè poſuimus, non ſua vi, ſed materiæ tantùm, in qua nititur, beneficio conſtare tibi perſuadeas. Quicquid enim ab alio recipitur, & in eodem hæret, non poteſt niſi eius in quo hæret, adminiculo atq; ope ſuſtentari. [s] Pari ratione ſi naturæ iſtius multiplicationem Idearum exemplo quis fieri poſſe arbitretur, cùm hoc modo partim per ſe, partim in alio ſubſiſtere ac cohærere iſtam naturam neceſſarium ſit, iam quo pacto dum alterius nixu ſubſiſtit ac fulcitur, ipſa per ſe (quemadmodum ponitur) in natura conſtare, & ſua vi nutuque ſe tenere ac conſeruare queat, intelligi non poteſt. [t] Ita efficitur, vt quæ ſuperiore modo affecta & conſtituta eſt diuina natura, ea non niſi vna quędam, ſingularis, ac ſolitaria euadat. [u] Quo dato neceſſe eſt, vt in omnib. rebus alijs, quẽadmodum anteà affirma-

Tres modi multiplicandæ rei.

Quorũ nullus niſi primã causã conuenit.

Prima cauſa tantum vna.

affirmauimus, non sint vnum quid ac idem, sed maximè distincta diuersaque, & essentia rei, & id quod esse seu cohærere diximus. [x] Atque sic cùm essentia in hac quæstione & materia, vt suprà assertum est, cum ipsa forma idem valeat, efficitur, vt intelligẽtijs duo ista, & esse & forma, (sicuti antegresso capite meminimus) rectè attribui & conuenire videantur. [y] Cùm autem omne quod conuenit alicui, vel à principijs naturæ dimanet, [z] quomodo ridendi facultas, verbi gratia, ineſt in homine, vel ab alio quopiam extraneo principio oriatur, quemadmodum lumen quod in aëre cernitur, à solis splendore & collustratione existit: necesse est quidem, vt ipsum esse, quo intelligentię præditæ sunt, [a] vel ab ipsa forma et essentia animi, tanquam ab efficiente causa, promanet, vel ab alio quopiam externo remotoque principio ad ipsum animum atque intelligentiam quasi influat atq; redundet. [b] Verùm cùm nihil sui ipsius causa sit, nihil à seipso ortum aut productum reuera dari possit: quomodo à forma ac natura ipsius rei, tanquam ab efficiente causa illud proficisci possit, intelligi non licet. [c] Quamobrem ab alio quopiam, vt intelligentia, sic omnes res aliæ, quarum status à natura atque essentia distinctus est, ipsum esse consequantur, est necessarium. [d] Ac cùm ita naturâ comparatum sit, vt ea quæ vi aliena existunt & producuntur, ad id quod per se cohæret & subsistit, tanquam ad fontem originemq; ipsam reuocentur: necesse est, [e] vt eiusmodi quædam res sit, cuius natura simplex ipsa sit esse tantummodò, vnde cæteris rebus omnibus origo sua sit, & quasi subsistendi primordium. [f] Nam aliâs in recensione & persequutione taliũ causarum progressio in infinitum abiret, cùm omnis res ea, quæ nõ est esse solùm, ipsius esse seu cohærentiæ suæ (vt paulò antè dictum est) quãdam causam obtineat. [g] Atque his ita constitutis, illud quidem manifestum euadit, intelligentias, quæ sunt formæ in natura rerum cohærentes, esse suum à prima causa, hoc est, omnium rerum conditore & effectore DEO, qui nil ipse præter esse suum est, adipisci. Ex quo deinde consequẽs est, (posteaquam omne id, quod ab alio quopiam aliquid cõsequitur & percipit, ratione illius quod percipit, quasi in potẽtia est, atque illud quod percipitur, tanquam actus quidam est illius quod percipit) easdem istas formas, quæ in intelligentijs ineſſe dictæ sunt, ratione ipsius esse, quod à DEO Opt. Max. suppeditatur, perinde comparatas esse, atque vis seu potestas comparatur ratione sui actus. Ita ipsum esse in illis, tanquam actus quidam seu ἐνέργεια est. Quod cùm sit, manifestum

Esse suum Vnde Intelligẽiæ habeant.

Esse Intelligentiarũ quidam actus.

est, antegressas naturas actu simul ac potestate cohærere, quẽadmodum superiùs assertum fuit.[h] Quanquam non idcirco, quia actu simul ac potestate constant, etiam materia & forma, nisi impropriè admodum, & quasi ὁμωνύμως acceptis vocabulis, cohærere putandum est. [i]Est quidẽ proprium materiæ, aliquo modo subigi, affici, quippiam accipere, subesse, & cætera eiusdem generis: quorum nonnulla tametsi in intelligentias, vt ex superioribus patet, reuera conueniunt, longè tamen alia ratione idipsum fieri, vel hinc sciri potest: [k] quòd materia, quæ corporatarũ naturarum est propria, dum formam recipiendo quasi subigitur atque apparatur, eiusdem formæ efficientia, ad certam quandam rerum speciem, earum quæ in natura constant, vt sunt, ignis, aëris, aquæ, & consimilium, redigitur: Intelligentia verò, dum aut esse, aut aliquid aliud recipit atq; admittit, non eodem modo ad speciem reuocatur. *Siquidem* & illa ipsa ex se iam species est, & si ad aliarum rerum speciem vllam hoc pacto astringeretur, iam oporteret eam rebus à se comprehensis omnino conformari: Ita vt terram intelligendo, terra, ignem ignis, aquam aqua, & sic de alijs, ([l] quæ Empedoclis absurda sanè & *rationi* aliena sententia fuit) efficiatur. [m] Quod cùm dici non possit, *sequitur, nec materiam*, nec materiæ consequentes affectiones, nisi impropriè, & *verbi tãtum* similitudine, seu agnominatione quadam, (vt in lib. 3. de Animo, scriptum Auerroes reliquit) intelligẽtiæ attribui non posse. [n] Porrò verò quum Intelligentiæ vis ac natura, *ipsamet intelligentia* sit: esse autẽ, id sit, quo *in* rerum natura illa ipsa *consistit: sunt, qui hoc* substantiarum genus, quo de agimus, quemadmodum ex esse & essentia, sic ex quo est, & quod est, seu ex esse, & quod est, (*quod eandem* vim habet) [o] idq; Boetio authore, constare & coagmentari *velint*. Nimirum cùm quod est, ipsa natura seu essentia sit: esse verò, seu ex quo est, id, cuius beneficio & efficacia ea cohæreat. [p] Verùm his de multiplici Intelligentiarum cõpositione sic propositis, non alienum erit, quem ad modum inter se naturę intelligentes discrepent, hoc in loco considerare. [q] Nam postea quàm nulla ex materia constant, quo pacto eæ inter se distingui & secerni possint, alicui fortè non sine causa mirum videbitur. [r] Quod ergo ad hanc rem attinet, sic quisq; habeat, suprà dictarum naturarum distinctionem ac diuersitatem non aliunde, quàm ex actus & potestatis consideratiõe, et quasi permistiõe, rectiùs veriusq; à nobis cognosci ac dijudicari posse. [s] Nam tametsi alia via diuinarum abstractarumq; naturarum, seu Intelligẽ-

Materiæ proprietates ąmodo Intelligentijs cõueniant.

Alia Intelligentiarũ cõpositio quæ.

Trãsit ad inquirendam Intelligentiarũ distinctionem.

ligen-

ligentiarum multitudinem ac numerum in Metaphysicis Aristoteles perscrutatur, [t] vultque tot solùm numero intelligentes, & à materia secretas diuulsasq; naturas in hac mundi fabrica vniuersa cohærere, quot orbes sunt ac sphæræ, quæ Cœli ambitu reguntur, quarum agitationi & & circumuectioni easdem illas mentes diuinitus adiunctas & constitutas esse ratiocinatur: earum tamen distinctio ac dissimilitudo inter ipsas quæ sit, si animo complecti velis, non potes nisi hoc modo, qui ex actus iuxtà ac facultatis collatione seu proportione sumitur, idipsum cõsequi. Si enim puros actus omni facultate ac potestate destitutos esse fingas, quid vltro citroq; rem expendenti & inquirenti tibi offeretur, per quod istas formas intelligentia præstantes, & inter se naturâ conuenientes dissepares atq; seiungas? Nõne vt tale præstes, potestatis admixtio necessariò tibi accersitur? Accersitur sanè. [u] Quam ob rem non immeritò nec iniuria ab Auerroe dictum est in librũ tertiũ Aristotelis de Animo, vbi sic scribit: Quòd si natura intellectus possibilis esset ignota, non possemus reperire multitudinem in substantijs separatis. * Sed quo modo, inquias, repertam in his substantijs Intelligentiarum multitudinẽ, cum actu permista & copulata potentia discernet? Gradus tibi actus & potestatis obseruandi sunt, quibus separantur. Nam cùm hoc genus substantiarum, inter simplicem actum, qui est DEVS, & omnimodam potentiam, quæ est prima naturalium rerum materia, quasi medium intercedat, quod medium de vtroq; extremorum nonnihil participat: non ita iudicandum est, quasi illud mediũ in puncto versetur, id quod ab vtraq; parte æqualiter tum actum, tum facultatem participet. [y] Sed quẽadmodum tum in coloribus, tum in saporibus, tum in alijs quibusdam eiusdẽ generis qualitatibus contingit, quibus diuersa extremorum confusio & permistio diuersas inter se species constituit: sic in hoc substantiarum genere fieri existimandum est. Nam vt vel propiùs natura sua ad simplicem actum, nempe DEVM accedunt, vel ab eodem materiam versus longiùs recedunt: ita quàm maximè inter se disiunguntur & separãtur. [x] Ita quò superiores quæq; fuerint, & primo actui maximè propinquæ, ita & diuinæ magis, & perfectæ, & longiùs à potẽtia seiunctæ remotæq; eædem iudicari & haberi debebunt: quò verò inferiores fuerint, & longiore interuallo ab altissima mente substantiæ separatæ, eo minus perfectæ, diuinæq; esse, & magis cum potentia confusæ atque permixtæ nõ iniuria censentur. Atq; id ita se habet non in primis tantũmodò supremisq;

Sumitur illa ex potentiæ cõsideratiõe diuersa.

Quæ Intelligentiæ magis aut minus beatæ & perfectæ.

misq́; huius generis substantijs ac formis, sed in omnib. primis illis subditis atque subiectis, idq́ue à summo capite vsque ad infimum gradum seu locum, [a] in quo humana mens postremum ordinem in prædictis, videlicet intelligentibus substantijs assequuta, conquiescit. Nimirum q̃ corporea mole circundata & circumsepta, altiùs se euehere atque attollere pro sui incolatus statu non possit. [b] Ex qua re euenit, vt intellectus eius, quem potentiæ vocant, (Aristoteles τὸν παθητικὸν νοῦν lib. 3. de Animo appellat) ad istas formas, quæ menti & intelligentiæ subiectæ sunt, perinde sese habeat, atque prima materia, de qua Physici agunt, (quę infimum in esse sensibili locum obtinet) ad eas formas sese habet, quæ formæ sub sensum cadũt, vt testatur in lib. 3. de Animo Auerroes Commẽtator. [c] Quocirca fit, vt idem intellectus, tametsi omnium formarum ideas & simulacra natura sua percipere & cohibere in se potest, nulla tamen ipso actu forma insignitus sit, & præditus. Vnde & rudi vacuæq́; non ab re, in qua nihil descriptum sit, tabellę ab Aristotele comparatur. [d] Nam sic Aristoteles lib. 3. de Animo inquit: ὅτι δυνάμει πῶς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν, πρὶν ἂν μὴ νοῇ. δεῖ δὲ οὕτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον, ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ. [e] Quia verò postrema, vt iam nunc dictum est, intelligentium naturarũ est mens humana, eademq́; plus de vi ac facultate, quàm cęterę, obtinet, inde est, quòd rebus naturalibus propinquior & vicinior, tam familiariter ijsdem se ipsa insinuat, vt ad eius esse quodam modo participãdum res materiales inducantur & pertrahantur. Siquidem ex animo & corpore vna quædam substantia conflatur, esseq́; id, quod in tota composita & coagmentata natura cernitur, vnum resultat. Quanquam idipsum, prout ipsius animi est proprium, nequaquam à corpore depẽdet. [f] Atq; hæc cùm de intelligentia pręditis atque excellentibus formis dicta sint, sequitur, vt & de alijs formis, quæ menti humanæ inferiores, etiam amplius quiddam de vi ac potestate obtinent, (quam ob rem & materię magis affines sunt, adeò, vt citra materiam ne esse quidem in rerum natura etiam queant) id breuiter admoneamus, nõ dissimilem in his ipsis quoque rationem esse. Etenim & in his ordo quidam gradusq́; reperitur & cernitur, qui vsque eò se porrigit, & profert, vt ne extremæ quidẽ ac simplices [g] elementorum formæ eo careant, quæ ipsi materiæ adeò propinquæ & cognatæ sunt, vt ne minimam quidem efficientiam vllius rei in se cohibeant, nisi quatenus [h] actiuarum & passiuarum qualitatum, quas vocant,

Humana mẽs Intelligẽtiarũ postrema.

Intellectꝰ possibilis rudi tabulæ assimilatur.

Materialium formarũ perinde vt Intelligentiarũ ordo quis

vocant, aliorumq; id genus, quibus materia ad capessendum naturales formas adaptatur, vi impelluntur & concitātur. Sed hæc de formarum distinctione ac diuersitate dicta sint hactenus.

IN CAPVT NONVM,

COMMENTARIA.

a Huiusmodi itaq; substant.) *Hoc capite prægressarum substantiarum multiplicem compositionem docet, qua exposita, deinde de distinctione & multitudine earundē disserit. Conuenit cum hoc loco, quod lib. 2. contra Gentiles, cap. 52. Thomas scribit in hæc uerba: Non est autem opinandum, quòd quamuis substantiæ intellectuales non sint corporeæ, nec ex materia & forma compositæ, nec in materia existentes, sicut formæ materiales, quòd propter hoc diuinæ simplicitati adæquentur. Inuenitur enim in ijs aliqua compositio ex eo quòd non est idem in eis esse, & quod est, & cæt. Atque sic & parte 1. quæstione 50. artic. 2.* Summa capitis.

b Tanquam puri simplicissimiq; actus.) *Actus hic nomen substantiæ est, nō accidentis, ut suprà. Sic forma, quæ altera pars concretæ substantiæ est, ἐντελέχεια, hoc est, actus Aristoteli dicitur lib. 2. de Animo, cap. 1. cùm inquit: ἔστι δὲ ἡ μὲν ὕλη δύναμις, ἡ δὲ εἶδος ἐντελέχεια.* Actus substantię nomen.

c At certè potentiæ & facult.) *Etsi materia, potentia & facultas dicitur, ut paulò antè ex lib. 2. de Animo patuit: tamen potentiæ & facultatis nomen aliquantò, quàm materiæ, latiùs patet. Ita cùm materiæ & formæ compositio in Intelligentias non cadat, actus & potentiæ cadere dicitur. Materia & forma (inquit Thomas lib. 2. contra Gentiles, cap. 54.) diuidunt substantiam materialem: potentia autem & actus diuidunt ens commune. Ita quæcunq; actum & potentiam consequuntur, quatenus eiusmodi sunt, ea communia sunt & materiali, & materiæ experti naturæ, ut recipere, recipi, perficere & perfici: quæ uerò materiam & formam, ut generari & corrumpi, illa materialium substātiarum propria sunt, eodem teste.* Potentiæ & materię distinctio.

d Nam cùm ita sine.) *Quò actus & facultatis permistionem in prædictum substantiarum genus cadere demonstret, ostendit idipsum genus compositione esse et formæ seu essentiæ constare. Nam cùm esse aliunde ijs accedat, nempe* DEI *Opt. Max. concessu ac munere, dum idipsum formæ à Deo oblatum sibi adsciscunt, in eo suscipiendo facultatē à natura ipsis tributam fuisse intelligimus. Ac cùm de hoc quidem posteriore loco disputationem instituat, in præsens esse & formæ, quam diximus, compositionem, in substantijs separatis inesse demonstrat. Quanquā de separatis substantijs non adeò hoc loco meminit. Siquidem generalis ratio est, quæ non minus in corporales & materiatas substantias, quàm in separatas & abstractas easdem conuenit. Estq; ea talis, Vbicunq; esse rei à natura & essentia distinguitur, ibi esse & essentiæ seu naturæ (quam & formā hic dicimus)* Intelligentiarum facultas vnde collidetur. Essē & formæ cōpositio in quibus reperiatur.

mus) quædam compositio est. Atqui in omnibus, prima causa excepta, esse rei ab essentia & natura distinctum est: Siquidem separatim ista intelligentia apprehendit, & cùm essentias rerum mens perquirit & explicat, ne minimum quidem sint ne res in natura tales, secum pertractat. Ergo in omnibus prima causa (hoc est, Deo Opt. Max.) excepta, essentiæ & esse quædam compositio & coagmentatio reperitur. Atq; hæc summa totius cõsequentis loci est. Quod ad prædictum illud compositionis genus attinet, dicitur id & compositio vt aliter nominetur. lijs quibusdam modis D. Thomæ lib. 2. contra Gentiles, cap. 54. Nam & compositio nominatur ex substantia & esse, & compositio ex quod est, & esse, & ex quod est, & quo est. Quæ phrases omnes Latinorum auribus insuetæ quidem & insolentes illæ sunt, attamen in hac materia rei clariùs ob oculos proponendæ causa necessariò nobis utendæ. Etsi parciùs in hac ipsa disputatione eisdem sibi usurpare harum rerum studiosos conueniet. De hoc autem compositionis genere rursum paulo infrà quædam dicemus.

Esse & essentiæ compositio vt aliter nominetur.

e Sine ijs quæ partes ipsius sunt.) Sic enim mutila ea foret & imperfecta.

f Ita quidem certè singul.) Hæc assumptio prægressæ ratiocinationis est, quam exemplis deinceps declarat.

g Quid enim, nõnne & quid.) In hunc locum uide Rodolphum Agricolam, lib. 2. cap. 10. Huc pertinet & illud Aristotelis lib. 3. de Animo, cap. 4. ἐπεὶ δ' ἄλλο ὄν τὸ μέγεθος καὶ μεγέθει εἶναι, καὶ ὕδατι καὶ τὸ ὕδατι εἶναι, & cæt.

h Quocirca patet, non vnum.) Conclusio ratiocinationis, qua essentiam rei, ab ipso statu, seu ab ipso esse, quod appellatur, maximè in conditis et creatis rebus, (nam increatæ substantiæ, hoc est, ipsius Dei, longè alia ratio est) distinctam esse docet.

i Atq; id verum est in omnibus.) Docet quod modò de increata substantia dixi mus, eam unam esse, in qua ipsum esse cum essentia seu natura planè congruat. De hoc uide Aristotelem lib. 3. de Animo, cap. 4. quem locum paulo antè citauimus: οὕτω δὲ οὐ ἐφ' ἑτέρων, inquit, τοῖς ὧν, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ πάντων, ἐπ' ἐνίων γὰρ ταυτόν ὅτι.

k Maximè cùm ita se.) Docet argumento sumpto ab enumeratione modorum, quibus aliquid multiplicatur, quorum modorum nullus est, qui increatæ substantiæ applicari possit. Aristoteles lib. 2. Metaphysicorum, cap. 3. duobus modis omnem seu diuisionem, seu multiplicationem fieri declarat, cùm omne id quod diuidi non potest, aut specie ac forma, aut quãtitate & materia indiuiduum esse ait, his uerbis: ἀδιαίρετον δὲ ἅπαν ἢ κατὰ τὸ ποσὸν, ἢ κατὰ εἶδος. Verùm his modis tertium in præsens B. Thomas adiungit, qui tamen ipse alienior est, ut infrà patebit.

Duo modi rerum diuisionis principales.

l Natura generis.) Vt animalis, in homine & bestia, idq; accessione differentiarũ rationalis & irrationalis.

m Multiplicatur natura speciei.) Vt animæ scilicet humanæ, pro distinctione & uarietate corporum, in quibus uersatur.

n Qui

n Qui modus sola.) *Docet tertium modum alieniorem esse.*

o Atqui cùm omnes hi.) *Nunc deinceps ostendit, nullum ex prædictis modis, in primam simplicissimamq; et increatã substantiã conuenire, argumẽtis ductis ex absurdo.* Primus modus.

p Ac quod ad primum modum.) *Si differentiæ accessu prima natura multiplicaretur, iam esse eius per se minimè subsisteret, sed differentiæ efficientia, ei forma adiungeretur. At sine formæ coniunctione ipsius esse per se cohæret. Ergo.*

q Et quasi duplex geminumq;.) *Nimirum propter formæ adiunctionem, quæ differentis ope existeret.*

r Sin per communicatio.) *Hoc ad alterũ modum pertinet, quo modo si materiæ beneficio diuina natura multiplicaretur, iam esse eius materiæ alligatum, per sese liberè non constaret. Atqui per se liberè constat. Ergo.* Secũdus.

s Pari ratione si naturæ.) *Hic tertius modus est, quo si prædicta natura diducere tur, iam esse eius partim per se, partim materiæ nixu & sustentatione cohærere oporteret. Id quod absurdum est, iisq; quæ antèà posita & concessa sunt, repugnat.* Tertius.

t Ita efficitur, vt quæ.) *Conclusio suprà dictæ enumerationis, qua unam tantum, eamq; diuinam naturam esse colligit, in qua ipsum esse à natura non discernatur.*

u Quo dato, necesse est.) *Quod antè in corporatis mixtisq; substantijs, exempli causa tantùm docuit, aliud in ijs esse ipsam naturam, aliud statum, seu ipsum esse, idipsum antegressæ enumerationis ratione, in omnibus adeò rebus, etiam simplicibus & separatis substantijs, ita esse concludit, ut (cuius rei gratia ista probatio antè adhibita fuit) in ipsis quoq; intelligentijs naturam ab ipso esse distinctam secretamq; esse demonstret.* De mixtis substãtijs dicta ad Intelligentias accõmodat.

x Atq; sic cùm essentia.) *Quia essentia præter esse in omnibus substantijs separatim ineſt, inest & forma, quia hæc essentiæ συνώνυμον est, quemadmodum in superioribus aliquoties est assertum.* Forma essentiæ συνώνυμον.

y Cùm autem omne.) *Pergit ad ostendendum actus & facultatis compositionem in superioribus substantijs inesse, idq; hac uia, ut primùm esse prædictarum substantiarũ, non à se ipsis, sed à DEO suppetere demonstret. Quo ostenso & probato, iam cõficitur, non puros actus illas ipsas substantias esse, sed præter actum & facultatẽ, qua illud ipsum esse à DEO adipiscantur, eas obtinere, sicut antè prædictum est. Ad ostendendum uerò aliunde, nempe à DEO ipsis esse competere, argumẽtum à diuisione sumit, estq; idipsum tale: Cùm ipsum esse intelligentijs conueniat, uel à seipsis id habeant, necesse est, uel aliunde acquirant. Ea enim est generalis omnium rerum natura & conditio, ut quodcunq; ipsis attribuitur et competit, id uel ab insito principio ijs suppetat, uel ab remoto. Atqui à seipsis id habere non possunt. Nam cùm per esse eædem actu constituantur, sic quippiã in actum seipsum produceret, quod dici non potest. Ergo ab alio quopiã idipsum ijs suppetat, conficitur. Id autem non est aliud, quàm Deus. Ergo.* Intelligentiæ facultate cõstãt. Quia ab altero esse suum recipiunt.

Rerũ proprietates vnde.

z Quo modo ridendi facult.) *Quod de hac uerbi causa dicitur, id de omnib. alijs rerum singularum proprietatibus (quæ ex insitis rei principijs, seu principiorum inhærentium coniunctione quadam & unione oriuntur) intelligendum est.*

a Vel ab ipsa forma.) *Nimirum cùm non aliud Intelligentiæ sint, quàm formæ seu naturæ quædam subsistentes, quo modo & Plato suas Ideas separatim constare existimauit, ut nonnulli uolunt.*

b Verùm cùm nihil.) *Remouet alterum diuisionis membrum, idq; ex absurdo, ut alterum diuisionis membrum constabiliatur. Si quicquam suijpsius efficiens esset, sequeretur idipsum prius seipso fore, quod dici non potest. Sic Thomas Theologicæ Summæ tomo pri. quæst. 2. art. 3. Nec est possibile, inquit, quòd aliquid sit causa efficiens suijpsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile.*

Nihil suiipsius effi ciens.

c Quam ob rem ab alio.) *Complexio diuisionis, qua in omnibus alijs rebus, non solùm intelligentijs, prædicto modo rem habere ostendit.*

d Ac cùm ita naturâ.) *Nunc porrò ostendit, non aliunde, quàm ab ipso DEO, singulis quibusq; rebus, ac naturis esse suum prouenire: Maximè si primã summamq; causam (ad quam posteriores & inferiores omnes, accuratioris sciẽtiæ causa, reuocari debent) inuestigare & persequi placeat.*

Omnia esse suum à Deo habẽt

e Vt eiusmodi quædam res.) *DEVM intelligit, cuius hîc πρόφασιν nota, quæ est prima summã̃ rerum omnium efficiẽs causa, de quo uide B. Thomam initio Summæ Theologicæ, quæstio. 2. art. 3.*

Dei προφασις.

f Nam aliâs in recensio.) *Argumento ex absurdo probat.* Non esse infinitã causarum progressionem docet *Aristoteles lib. 7. Physicorum, cap. 1.*

g Atq; his ita constitutis.) *Concludit Intelligentias à DEO esse suum habere, i. deo & potestatis, qua idipsum apprehendant, esse participes. Si insequentem ratiocinationẽ diligentiùs examines, ea talis est, Intelligentiæ esse suum ab altero, nẽpe à DEO, assequuntur. At quæcunq; ab altero quippiam assequuntur, ea talia sunt, ut ad assequendum id insitam quandam facultatem obtineant.* Ergo & Intelligentiæ facultatis cuiusdã sunt participes. Primo loco ponitur assumptio, secundo propositio, conclusio tertio.

Intelligentiæ potestatis participes vt demõstrẽt

h Quanquam non idcirco.) προλῆψις obiectionis, qua facultatis rationem à materia distinguit. Affinis quidem illa est materiæ, sed non omnino eadem, ut suprà ex Thoma diximus. Non si potestate Intelligentiæ constant, ergo & materia, nisi latè admodũ & impropriè materiæ nomen acceperis.

Facultas à materia distat.

i Est quidem proprium.) *Hoc loco materiæ naturam & proprietatem obserua.*

k Quòd materia, quę corporatar.) *In hunc locum uide B. Thomam parte pri. quæst. 50. in secundi argumenti dissolutione, art. 2. Alius modus est, quo materia formã recipit, alius, quo esse intellectus. Siquidem hoc sine motu fit, & omni materiali conditione,*

Aliter materia, aliter Intel-

tione, illud cum motu et indiuidualibus conditionibus, ut post Auerroem hîc testatur Caietanus. Non ergo si recipere, communis utriq; est materiæ proprietas, ergo & materiæ utrumq; est particeps. Iectus qd recipit.

l Quæ Empedoclis absurd.) De Empedoclea sententia uide Aristotelem lib. 1. de Animo, cap. 2. Eius uersiculi apud Aristotelem sunt tales: Empedoclis Versiculi.

Terram nam terra, limpham cognoscimus unda,
Aetheraq; aethere, sanè ignis dignoscitur igne.

m Quod cùm dici non possit.) Concludit quod de materia in partẽ aduersam obiecit.

n Porrò verò cùm intellig.) Hoc loco tertium compositionis genus subijcit, id quod ex esse & quod est, seu ex quo est, & quod est, uocari ait, cuius generis nos suprà meminimus. Hoc genus non modò in simplicibus, sed & concretis substantijs inest. Sed in simplicibus inest solum, in concretis non solum, sed unà cum eo, quod ex materia iuxtà ac forma constituitur. De quo ita B. Thomas lib. 2. contra Gentiles, cap. 54. In substantijs intellectualibus, quæ non sunt ex materia & forma compositæ, unica tantum est compositio actus & potentiæ, quæ scilicet est ex substantia & esse, quæ à quibusdam dicitur ex quod est & esse, uel ex quod est & quo est: In substantijs autem compositis ex materia & forma est duplex compositio actus & potentiæ. Prima quidem ipsius substantiæ, quæ componitur ex materia & forma: secunda uerò ex ipsa iam substantia composita & esse, quæ etiam potest dici ex quod est, & esse, uel ex quod est & quo est. Hæc ille. Cõpositio ex esse & quod est. Simpliciũ substantiarũ concretio simplex, coniunctarũ duplex.

o Idq; Boëtio authore.) De hoc sic Thomas in Summa, parte 1. quæst. 50. art. 2. Et talis compositio intelligenda est in angelis, & hoc est, quod à quibusdam dicitur, quòd angelus est compositus ex quo est, & quod est, uel ex esse & quod est, ut Boëtius dicit. Nam quod est, est ipsa forma subsistens: ipsum autem esse, est quo substantia est, sicut cursus est, quo currens currit. Angeli q̃ modo cõpositi dicãtur.

p Verùm his de multip.) Occasione antecedentis disputationis de actu & potentia, quorum compositionem in suprà dictis naturis inesse affirmauit, progreditur nũc deinceps ad inquirendam prædictarum naturarum distinctionem ac uarietatem. Cùm enim materia nulla constent, ex qua ipsarum inter se distinctio ac discrepantia elici posse uidebatur, hac de causa inter se non discerni & discrepare alicui uideri poterant. Peruenusta hæc est, nec ad cognoscendum iniucunda explicatio. Trãsit ad indagãdã substantiarũ distinctionem.

q Nam posteaquàm nulla.) Ratio, quam ob rem hanc quæstionem differat. Intelligentiæ, formæ à materia liberæ sunt, quibus si aliunde nihil suppetit, quo à se inuicem eas distinguas, non habebis.

r Quod ergo ad hanc.) Ostendit, unde distinctio subsistentium formarum capienda sit. Nempe ex actu & potestate, quorum diuersa inter se permistio, dissimiles for- Formarũ distinctio vnde.

marum ſpecies conſtituit, ut deinceps dicetur.

Aristotel. intelligentiarum numerum inuestigat.

s Nam tametſi alia.) προκατάληψις obiectionis eſt. Ariſtoteles ex motu cœleſtium orbium pluralitatem ac differentiam abſtractarum naturarum demonſtrat, Ergo aliunde, quàm ex actu & potentia, ea colligi & comprobari poteſt. Reſpondetur nõ tam diſtinctionem & differentiam iſtarum naturarum inter ſe illo modo doceri, quàm numerum ac multitudinem. Differentiam enim non aliunde, quàm ex actus & poteſtatis comparatione patere poſſe.

Intelligentiæ Aristoteli numero 47.

t Vultq; tot ſolùm.) Ariſtoteles in Metaphyſicis lib. 11. cap. 8. numerum ac multitudinem abſtractarum ſubſtantiarum inquirens, 47. in uniuerſum eas eſſe ſtatuit, eò q; orbes cœleſtes, quibus ciendis & conuertendis illæ adhibeãtur, tot numero ſint, ut Mathematicorum & Aſtrologorum ſententia confirmat. Verùm longè plures tales eſſe ſubſtantias ſciendum eſt. In hunc locum uide B. Thomam lib. 2. contra Gentiles, cap. 92. Quod ad Ariſtotelis probationem attinet, eam minus efficacem ac firmam eſſe Thomas oſtẽdit, propterea quòd non recta uia progreditur, cùm ex numero orbium, ſeu motuum antè dictarum ſubſtantiarum numerum colligit, cùm ex iſto potiùs numerus orbium ac motionũ colligi deberet, idcirco quòd in his, quæ ad finem referuntur, neceſſitas ex fine ſumẽda ſit, (ut lib. 2. de Natura docetur, cap. 9.) non è conuerſo. Certè ipſe Ariſtoteles ſuæ probationis imperfectionem & imbecillitatem eo ipſo loco, quo prædictam quæſtionẽ concludit, non diffitetur.

At plures B. Thomæ videntur.

Intellectus poſsibilis nobis, nõ intelligentijs ineſt.

u Quam ob rem non immer.) Auerrois authoritate confirmat, nõ aliunde, quã ex potentiæ demonſtratione antegreſſum ſubſtantiarũ diſcrimen elucere poſſe. Caue uerò poßibilem intellectum, quem Auerroës appellat, Intelligentijs attribui exiſtimes. Iſte in nobis ineſt, cuius natura in nobis perſpecta & cognita, nos ad percipiendam Intelligẽtiarum multitudinem quodammodò teſte Auerroë inducit. Auerrois ſentẽtiam copioſius recitat Beſſarion Cardinalis lib. 3. contra Platonis calumniatorem, cap. 22. quem hoc loco conſulas licet.

Intelligentiæ mediæ inter actũ & potentiam.

x Sed quo modo, inquias.) Oſtendit, quo modo ex actus & potentiæ comparatione, prædictum ſubſtantiarum diſcrimen colligatur. Illæ ſubſtãtiæ mediæ ſunt inter purum actum, & puram potentiam. Ergo prout uel ad actum, uel ad potentiam eæ propiùs ſe adiunxerint, inter ſeſe diſtinguentur.

y Sed quemadmodum tum.) A ſimili declarat, nõ eodem modo utroq; extremorum prædictas ſubſtantias participare. De colorum & ſaporum permiſtione uide Ariſtotelem libello de Senſu & ijs quæ ſub ſenſum cadunt, cap. 3. & 4.

Intelligentiæ quæ aliæ alijs præſtent.

z Ita quò ſuperiores.) Hic Intelligentiarum collationem, quod ad earum dignitatem & excellentiam attinet, obſerua. Aliæ ſuperiores ſunt, aliæ inferiores: Illæ primo actui, hoc eſt, DEO, uicimiores, dignitate & præſtãtia antecellunt, reliquæ longiùs à DEO diſitæ,

dißitæ, uiliores sunt & minus admirandæ.

a In quo humana mens.) Hoc loco nota, quanto diuini spiritus, & supernæ istæ naturæ nostris mentibus præstantiores sint, cum quibus comparatæ mentes nostræ infimum locum occupant. Id quod fit, quòd corporea mole depressæ sursum se erigere, & liberè actiones suas exercere non possunt. Neq; enim per se ipsæ munus suum fungũtur, sed in corpore, & corporis beneficio adiutæ idipsum perficiunt, de quo lib. 1. de Animo, cap. 1. Aristotelem uide. Pertinet huc, quod in Scriptura Sapientiæ 9. dicitur: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem. Humana mens cur Intelligentijs posterior.

b Ex qua re euenit.) Ostendit humani animi præ cæteris submissionẽ, ex eo quòd nullarum rerum insitam & quasi insculptam sibi notitiam obtineat. Est enim per se omnium rerum inscius & ignarus. Quò fit, ut & primæ materiæ, & uacuæ tabellæ non immeritò comparetur, quarum utraq; sic affecta est, ut cùm nullarũ rerum species effigiesq; ipso actu in se contineat, omnium tamen istarum continendi & apprehendendi in se præ ferat potestatem. Quæ natura etiam humani animi est, uti deinceps demonstratur. De potentiæ intellectu, quem τὸν παθητικὸν νοῦν Aristoteles appellat, uide lib. 3. de Anima, cap. 4. Humanus animus p se omniũ rerũ ignarus.

c Quocirca fit.) Nimirum ob prædictam materiæ & possibilis intellectus comparationem & cõuenientiam. Etsi actu nullam in se rei formam patibilis Intellectus obtinet, quaslibet tamen in se sine discrimine amplecti formas poterit, ut paulò infrà dicetur.

d Nam sic Aristoteles.) Locus est lib. 3. de Animo, cap. 4. Latinè uerba sic propè sonant. Atq; intellectus quidem potestate quodammodo est ea, quæ sub intelligentiã cadunt, etsi nullum reuera ipsorum est, priusquã intelligat. Perinde enim in eo fit, atq; in tabulâ, in qua reipsa nihil descriptum aut depictum est. Ac conuenit quidem cum hoc loco, id quod in Philebo à Platone scribitur his uerbis: Socrat. Videtur mihi tũc animus hominis libro cuidam persimilis. Prot. Qua ratione? Socrat. Memoria in idem cũ sensibus incidens, & illæ quæ circa ista affectiones sunt, uerba quædam in animo quodammodo mihi inscribere uidentur. Intellectus noster rudi tabellæ cõparatur. Sic & Libro uacuo

e Quia verò postre.) Comparat nunc deinceps humanum animum, cùm cæterarũ rerum, maximè uerò corporatarum & materialiũ formis, quibus adeò propinqua est propter corporis cui inclusa est, societatem, ut ijsdem materialibus & corporatis rebus esse suum quodammodò participet & communicet: Quippe cùm eas animet, uiuificet, ac moueat. Si corporatarũ rerum formas cum supernis illis corpore uacuis & liberis mentibus conferas, humana mẽs inter utrasq; quasi media est, quæ si prædictæ illæ bellũ inter se mouerint, tanquã sequestra intercedens utrinq; litem interceperit. Humana mẽs inter supernas formas & materiatas quasi media.

f Atq; hæc cùm de.) Obiter cæterarum rerum formas inter se comparat, docens in his ijsdem parem cum superioribus rationem esse, quod ad distinctionis & discrepantiæ

earum inter se ordinem ac gradum spectat.

g Elementorum formæ.) Hæ quæ sint, non satis propter obscuram & inuolutã Naturæ rationem patet. Quòd si Aristoteles prima fronte intuearis, uidetur hic tractabiles qualitates, calidum, frigidum, humidum, siccũ, substantiales elementorũ formas existimare: quippe cùm lib. 2. de Ortu & Interitu, cap. 2. 3. & 4. istas qualitates, primas differentias appellet, quæ species ac principia simplicium corporum conficiant. Verùm non ita est. Tractabiles istæ qualitates, non primæ, nec essentiales reuera differentiæ sunt Elementorum, aut simplicium corporum constituentes. Posteriores cõstitutis corporib. ipsa existunt, quæ uim quandam cohærentibus corporibus afferunt, ut ultro citroq; inter se ista afficiantur & commutentur. Quod ergo corporum simplicium ac primorum efficientiam ijs Aristoteles tribuit, id intelligendum est de corporibus, non quâ corpora sunt, hoc est ipsæ substantiæ, sed qua ex parte elementa sunt, hoc est, substantiæ antegressis qualitatibus affectæ & informatæ, eo modo, quo hæ ad cæterorum corporum, seu naturalium rerum generationem & procreationem adhibentur. Atq; ad hunc modum ferè ad prædictam quæstionem & disceptationem respondet Auerroes in lib. 7. Metaphysicorum. Septimum autem dico iuxta Græcorum distinctionem. Nam in peruulgatis Latinorũ codicibus iste liber octauus est. Atq; pari modo in citandis Metaphysicorum libris, cùm hîc, tum alibi, Græcorum distinctionem sequimur.

Substãtiales elemẽtorum formæ, an tractabiles q̃litates.

Metaphysicorum librorum distinctio quæ.

h Actiuarum & passiuarum.) Quæ actiuæ & passiuæ uulgò appellantur qualitates, Græcè αἱ ποιητικαὶ ἢ αἱ παθητικαὶ ποιότητες dicuntur. Istæ sunt, calidũ, frigidum, humidum & siccum: quarum priores duæ propriè actiuæ, posteriores passiuæ propriè nominantur, non quòd & his actio quædam naturâ non competat. Perinde enim ut superiores calfaciunt & refrigerant, ita istæ humectant & exiccant. Sed præter has natiuas utrarumq; actiones & operationes, etiam aliæ quædam sunt, quarum consideratione prædictum antegressis qualitatibus discrimen attributum est. Ita quia præter calefaciendi & refrigerandi actionem, etiam alia quædam uis calori et frigori naturâ suppetit, nempe ut res determinent, copulent, transmutent, humectent, arefaciant, indurent, emolliant, cõgregent, dissipent, & cæt. idq; pro natura & qualitate subiectorũ, inde est, quòd istas qualitates efficientes, cæteras, quibus eadem uis tributa non est, non efficientes, sed tãquam patibiles, seu quod idem ualet, passiuas qualitates appellamus: Atq; sic ferè Aristoteles partim lib. 2. de ortu & interitu rerũ, cap. 2. partim lib. 4. Meteorologicωμ, ca. 1.

Actiuæ & passiuæ qualitates quæ, & quur sic dicantur.

CAPVT DECIMVM.

Triplex substantiarũ genus.

IAm[a] ex ijs quæ dicta sunt, illud perspicuum & manifestum euadit, non vnum simplicemq; modum esse, quo in substantijs essentia seu natura reperiatur. [b] Nam vel in cõcretis substantijs natura cernitur, vel in ijs, quæ omnis concretionis & coagmentationis, præsertim corporeæ

&

& materiatę, vacuę ſunt, & inanes: quarum duplex genus eſt, alterũ quo DEVS continetur, alterum, quo Intelligentiæ, & beatæ iſtæ mentes, de quibus ſuprà diſſeruimus: quorum omnium quidem profectò non vna eademq; quod ad eſſentiæ ac naturæ conſiderationem attinet, ratio afferri atque aſsignari poteſt. [c] Etenim DEVS, vt de hoc primo loco agamus, ita eſt, vt eius natura ſeu eſſentia nihil ab ipſo eſſe differat. Eſt enim ipſemet ſuum eſſe: [d] Qua re moti nonnulli Veterum Philoſophorum in eam ſententiam deſcenderunt, vt ne eſſentiam quidem ipſi DEO attribuẽdam eſſe iudicarint. [e] Quod ſiue probè ab ijs ita ſtatutũ eſt, ſiue non probè: certè ſi eſſe ipſius nihil ab eſſentia intereſt, non verè in genere vllo reponi, aut locum in Categorijs habere aliquem DEVS poteſt. [f] Omne enim id, quod vel in genere natura ſua ineſt, aut in Categoria reuera collocatur, tale eſt, vt naturam à ſuo eſſe diſtinctam ſecretamq; propterea habeat, [g] quòd nec generis, nec ſpeciei ratio, in ijs, quorũ vel genus, vel ſpecies fuerit, ſecundum naturæ ſuę modum ac qualitatẽ diſtat: (conueniunt enim quæ genere aut ſpecie participant, in natura vtriuſque illorum pari modo) ſed in eo tantum modò diſtãt, [h] quòd eſſe ipſorum, tum differentium, tum proprietatum & accidentium, (quibus res ſubiectæ inſigniuntur, & quaſi conformantur) acceſſu, aliud aliudq; fieri videmus. [i] Nam vt in animalis, verbi gratia, natura ac eſſentia tum homo, tum equus & aſinus probè inter ſe cõueniant, in eo certè ipſorum inter ſe diſtinctio diſsimilitudoq; reperitur, quòd non vt in homine animalis natura ineſt, ſic in equo pariter atque aſino ineſſe cernatur. In homine nanq; ineſt, quatenus ad rationalis differentiam aſtringitur & coarctat: in equo verò & aſino, quatenus ad differentiam irrationalis. [k] Atque ſic in omnibus alijs non modò generibus, ſed & formis res habet, vt quæcunque vel genere participant, vel ſpecie, pari quidem modo ſeu generis, ſeu ſpeciei naturam ſibi vendicent: Quanquam propter differentiũ ac ſingularium proprietatum acceſsionẽ, aliter in his atque illis iſta natura eſſe ſuum conſtitutum & comparatum reperit. [l] Quæ cùm ita ſunt, efficitur ſanè, vt ſingulæ quæque res, quæ generis ambitu continentur, non naturam modò, quæ aut generis, aut ſpeciei ratione illis tribuitur, ſed eſſe quoque, id quod differentiarum ac ſingularium proprietatũ efficientia accedit, [m] ſi non reipſa, mente ſaltem ac cogitatione dirempta ſeparataq;, vt anteà diximus, obtineãt. [n] Neque verò eſt, ſi prædicto modo de DEO ſentiamus, vt eſſe ſolum modò eum cõfirmemus, quòd quis

Dei eſſe nil ab eſſẽtia diſtat.

Deus à Categorijs alienus cur.

Quę in genere prouè eſſe dicantur.

An Dei eſſe ab vniuerſali diſtet.

fore.

fore metuat, ne illorum errore nos implicemur, qui propterea, quòd esse DEI liberum, purumque ab omni differentiarum accessione à nobis asseritur, non aliud idipsum, quàm esse commune, seu vniuersale, (o id q in omnibus rebus inest, quo & esse reuera eædem dicuntur) esse arbitrati sunt. p Nam quò minus idipsum euenìat, in causa est, quòd longè aliter DEI esse à differentiarum accessu liberum, quàm alterum illud, seu commune, seu vniuersale esse, deprehenditur. Quid ita? quia Dei esse ita liberum remotumq; est ab omni alienarum peregrinarumq; affectionum & differentium appulsu, vt non modò præsenti vsu tales differentias, aut peregrinas affectiones nullas habeat, sed vt ne habere vnquam, aut sempiternis seculorum ętatibus in se vnquam recipere queat. q Quo modo itaq; à cæterarũ rerum omnis generis id statu separatur? Separatũ id est ab omniũ cæterarum rerum statu, nõ alia re quaquã, ne erres, nisi perfecta omnigenaq; naturæ suæ simplicitate ac puritate. Quò fit, q in lib. de Causis propositione nona asseritur, eandem istam naturã, quã primam causam appellat, suæ indiuiduationis causam non aliam, quàm puram absolutamq; bonitatem suam agnoscere atque obtinere. r Atque cùm hæc diuini esse propria vis sit atque conditio, num pari modo vniuersale esse quispiam affectum reputabit? Est quidem & illud eiusmodi, vt in præsens nulla differentia, nulla extraria re atque nota insignitum sit: sed quid, talémne si accesserit, differentiã secludet & repudiabit? s Nõ includit quidem suã notione & significatione differentiæ adiunctionẽ, fateor, verũ vt nõ includit, sic nec excludit & remouet. t Id enim si esset, iam nullæ res extare possent, in quibus præter esse aliud quippiam appositum & adiunctum existeret. Sic omnia in vno ente cõcluderentur, omnia ad id quod est, remota omni formarum ac naturarum distinctione, (u quemadmodum à Parmenide atq; Melisso statuebatur) velis nolis, redire oporteret. Quę sanè si non ridicula modò sunt, sed & absurda, quis vniuersale esse, ita vnum, ita simplex, & indiuiduum existimabit, vt offerentem se formarum ac differentiarum distinctionem omnem reijciat, auersetur, atque expellat? v Hinc ergo patet, non quia vniuersalis instar ab omni differentiarum & extrariarum qualitatum participatiõe & cõmunione diuinum esse liberum alienumq; est, idcirco idipsum cum vniuersali ac communi esse, quod vocant, prorsus conuenire, vnumq; planè ac idem cum illo haberi oportere. x At si ita affectum est, inquias, DEI esse, vt ab omni parte liberũ ac simplex, nullam omnino rei cuiusquam accessio-

Esse Dei nullas differentias admittit.

Esse vniuersale admittit.

acceſsionem & permiſtionem admittat: quid dicemus, quò minus (quod non ſine graui crimine, atq; immẽſo ſanè flagitio fiat) ipſum DEVM omni perfectione deſtitutum, nudum, & vacuũ profiteri cogamur? Nõne enim ita res habet, vt quod eſſe modò & cohęrere ſimpliciter dicitur, idipſum reliqua omni perfectione, & abſolutione, quæ cæteris in rebus ineſſe deprehenditur, careat? [y] Vt hoc in naturalibus rebus ita habere demus, vt quæ res eſſe tantum habent, (cuius modi, verbi gratia, ſint inanimatæ, vt lapides, ſaxa, metalla, & alia generis eiuſdem) his nullæ dignio-rum abſolutiorumq; naturarum, vt animãtium & hominum, perfectiones, quales ſunt vita, ſenſus, motus, intelligentia, & cæt. natura ſua conueniant: certè in DEO rerum omnium opifice & conditore, qui longè perfectiùs, quàm cæteræ omnes res, eſſe habet, [z] vtpote à quo & cæteris rebus omnibus eſſe ſuum donatur & ſuppetit, nil tale cogitare & ſtatuere poſſumus. [a] Tantum enim abeſt, vt vlla perfectio & nobilitas earum quæ cæteris rebus conditis omnino tribuuntur & ſuppetunt, vni iſti naturę, ſanè quã excellenti atq; admirandæ deſit, vt vna ea cæterarum rerum, & conditarum naturarũ in ſe perfectiones omnes non modò habeat ſed & habeat excellentiùs, diuiniùs, atque vberiùs. Idque eò, quòd quũ alijs in naturis iſta cernuntur & inſunt, non inſunt vni cuipiam nec vniuerſa, nec eodem modo. Habent enim quandam diſsimilitudinem & diuerſitatem, cùm omnia in prima natura diuerſitate ſublata ita inſint, vt ſimul coëant, & in vnum quodammodo redigantur. [b] Atque hac de cauſa quia omnes cæterarum rerum perfectiones in hanc naturã ita coëunt & concurrunt, vt nulla, quæ aliquo in genere reperiatur, in ea deſiderari poſsit, idcirco eadẽ iſta natura [c] in Metaphyſicis non Ariſtoteli modò, ſed & Interpreti eius & Commẽtatori omnibus numeris abſoluta perfecta atque ſtatuitur & iudicatur. [d] Si q; percunctetur aliquis, vndénam tam amplæ & mirificæ iſti naturę tum dignitates, tum perfectiones exiſtant, non aliunde, quàm à propria ſua que ipſius naturæ atque eſſentię vi ac ratione ipſi ſuppetere exiſtimandum erit. [e] Quippe cùm in omnibus reb. alijs ita ſe res habeat, vt quodcunque dote aliqua aut excellentia inter cætera emineat atque præſtet, id non aliunde quàm à ſuapte natura prę ſtantiam illam & eminentiam obtineat. Omnis enim rei cuiuſq; perfectio, omnis nobilitas ipſi rei ineſt, ſecundum eſſe, quod habet. Quam ob rem quò eſſe cuique aut nobilius, aut ignobilius contingit, idque pro formę, ad quam eſſe redigitur & cõtrahitur, diuerſitate, eò idipſum prę ſtantius

An Dei eſſe omni perfectiõe careat?

Nequaq; ſed omnes habet cumulatiſsimè.

Deo perfectiões oẽs à ſeipſo ſuppetunt

quoque & honoratius, aut minus præstans admirabileq; euadere videmus. [f] Cùm ergo DEVS esse habeat longè perfectissimum, (totum enim idipsum habet, idq; omni sua cum virtute & excellentia) quid mirum videri debet, si eiusdem ratione ac beneficio, omnibus cunctarum rerum cùm dotibus, tum perfectionibus (vt antè dictum est) idem iste valere, & instructus esse videatur? [g] Quòd si fingamus vnam aliquam, exempli gratia, qualitatem, seu colorem istum, seu odorem, aut aliam quamcunq; esse, quæ vna cæterarum qualitatum in se efficaciam operationemq; contineat: nónne si quis hanc solam habeat, is in ea reliquas omnes quodammodò tenere, & comprehendisse tibi qualitates iudicabitur? Non negabis opinor. Atqui simili modo de DEO res habet, in cuius diuino illo esse, suprà dictæ rerum omnium perfectiones, absolutionesque omnes repositæ & quasi abditæ delitescunt. [h] Verũ hæc de DEI essentia hactenus. Sequitur nunc, vt quomodo in creatis, ijsq; mente & intelligentia præditis naturis illa ipsa se habeat, indicandum sit. Hîc quidem aliud ipsum esse, aliud eam, de qua agimus, essentiam, ex ijs quæ superiùs tractata & disceptata sunt, esse liquet. Etenim cũ simplex, & materiæ communione libera vacuaq; hîc sit essentia, ad eum modum Veteres ab essentia esse discreuerunt & separarunt, [i] quòd esse quidem circũscriptum & finitum pro modulo ac capacitate recipientis naturæ, terminatum & receptum: essentiam verò à communitate materiæ vacuam & remotam, non receptam nec terminatam, sed solutam liberamque esse dixerunt. [k] Quò pertinet, id quod in lib. de Causis, ad antegressæ sententiæ confirmationem, de duplici Intelligentiarum vi ac ratione scriptum legitur, eas nimirum partim finitas ac terminatas, partim infinitas & interminatas esse. Finitas quidem sursum versus, quà ad primam causam respiciunt, à qua esse suum adipiscuntur: infinitas verò deorsum, quà inflectunt se ad materiã, cuius nexu & vinculis se minimè coarctari & constringi patiuntur. [l] Quæ res, nempe quòd materiæ societate vacuæ, nequaquam illius se vinculis impediri, & quasi limitari formę ferunt, id agit, vt in his talibus abstractis & separatis naturis seu substãtijs, [m] quemadmodum antè prædictum est, nec individua locum habeant, exceptâ tum humana anima, quæ corpori vnita & consociata, [n] etsi ab illo neutiquam dependet, imo verò esse illi ipsi quodammodò, vti forma, suppeditat: tamen quia illi inest, & ab illo quasi sepimento aliquo vallatur & circundatur, eius efficientia cùm fit, quasi individuatur. [o] At si hoc modo, ali-

Tranſit ad essentiam Intelligentiarũ, quæ ab esse discrepat.

Humana mens in corpore individuat.

do, aliquis aiat, corporis amplexu & circumscriptione, hominis animus iam tum cùm fit & nascitur, veluti limitatur & singularis euadit: quid tũ demum fieri existimabimus, quum dissoluta ac disrupta corporis compage, per mortem à corpore animus diuellitur ac separatur? Túmne cũ huius vitæ spacio decurso atque emenso, ex his tenebris in sempiternam illam lucem se transferre animus gestiet, [p] quam corporis coniuncti & accommodati circumfusione primùm est nactus, eam in separatione & emigratione indiuiduationem relinquet? Id si est, quam reliquam mentibus nostris hinc exeuntibus, & discedentib. ex ista vita naturam statuemus? [q] Etsi verò ea mentium nostrarum natura est ac ratio, vt ipsæ per se liberæ sint ac solutæ, minimeq;, vt prędictum est, à corporis commercio ac communitate dependeant: ex quo tamen esse suum cum corporibus eædem communicant, [r] tam arcta inter vtraque ea naturæ societas initur & conflatur, vt ex duobus istis vna quædam substantia, vti homo, sine omni dubitatione gignatur. Accùm esse quidem istius substantiæ, propter adiuncti & circunfusi corporis materiam, indiuiduum ac singulare euadat: non est dubium quidem id, quin vt in corpore singulare id est, ita post abiectas depositasq; corporis exuuias, posteaquàm ex hac vita DEI iussu animus semigrat, idipsum tale relinquatur. Pręsertim cùm idem, non verò diuersum sit esse, id quod & toti compositio tribuitur, & animo per se ipsi ineſt. [s] Quò fit, vt in eodem statu singulares mentes nostræ post corporis dissolutionem reuera permaneãt, [t] nec, id quod metuendum aliàs videbatur, periculum sit, ne sublata cum corporib. animorum indiuiduatione, qui distincti separatiq; iam extiterant, in vnã quandam eandemq; communem atque vniuersam naturam quasi absorbeãtur. [u] Atque ad hoc persuadendum valere videtur, id quod ab Auicenna scriptum est, animarum indiuiduationem multiplicationemq; è corporibus spectandam & dijudicandam esse, non tam ratione finis, quo corpora relinquunt, quàm principij, quo in corporibus nascuntur & oriuntur. [x] Quod sic intelligẽdum est, non quasi discrepare ab initio finẽ extremumq; Auicenna iudicarit, sed quòd illam, quam initio propter corporis coniunctionem, seu indiuiduationem, seu distinctionem & multiplicationem animi contraxerint, [y] in omnem æternitatem nullis seculis abolendam, eandem retineant. Verùm hæc de propria ac natiua simplicium atque abstractarum naturarum vi ac ratione dicta sint satis.

Talisq; post separationem à corpore permanet

IN CAPVT DECIMVM, COMMENTARIA.

a Iam ex ijs quæ dicta.) *Quæ de simplicium & abstractarum substantiarum uia ac natura suprà disputare instituit, hoc capite persequitur, separatim docens, quo modo tum in* DEO, *tum Intelligentijs* DEO *subiectis essentiæ ratio sit affecta & constituta. Quod ad* DEVM *quidem attinet, adeò ista pura & simplex est, ut omnino cum eiusdem esse cõueniat: quod ad intelligentias uerò, paulò est impurior, quia cum esse, quatenus in natura eæ constant, quandam compositionem & permistionem declarat. Quò uerò præsens hæc tractatio commodiore uia ineatur, quot modis uniuersim in omnibus substantijs essentia reperiatur, in primis ob oculos proponit.*

Dei essentia & Intelligẽtiarũ diuersa

b Nam vel in concretis.) *Tres modos commemorat, quibus omnino in substantijs, tum mixtis, tum permistionis expertibus essentia uersetur. Ac de hoc quidem suprà aliquoties dictum est.*

c Etenim DEVS, vt.) *DEI esse, ita simplex est, ut nihil ab essentia prorsus differat, perinde ut cæteris in rebus contingit, in quibus esse aliquid ad essentiam addit, ut in antegressis ostensum est. Vide in hunc locum* B. Thomam, *cùm alibi, tum lib.* 1. *contra Gentiles, cap.* 23. *& parte* 1. *quæst.* 3. *art.* 4. *Quòd si* DEI *esse ab essentia interesset, iã aliqua in* DEVM *concretio & compositio caderet, si non alia, actus certè & potentiæ. Nam esse, actum quendam denotat, & essentia potentiam: quæ duo si inter se coniungenda & copulanda sunt, alterius cuiusdam efficientia & opera hîc desideratur, quæ extra* DEVM, *uti primam rerum omniũ causam, utiq; reperiri non poterit. Quod de esse* DEI *hîc dicitur, omnino id cum natura eius atq; essentia idem esse, idipsum & Veteribus Ecclesiæ doctoribus ita uisum est. Siquidem ita lib.* 7. *de Trinitate* B. *Hilarius ait: Esse non est accidens* DEO, *sed subsistens ueritas, & manẽs causa, & naturalis generis proprietas. Et Boëtius simili modo in lib. de Trinitat. Diuina, inquit, substantia est ipsum esse, & ab ea est esse. Neq; his dissidet, quod Exod.* 3. *Moysi Dominus ait, Ego sum, qui sum, sic dices filijs Israel, Qui est, misit me ad uos, & cæt.*

Dei esse cũ sua essentia planè idem.

Esse Deo substantiale.

d Quare moti nonnulli.) *Ostendit, quia esse, id quod maximè* DEO *congruit, omnino cum eius essentia idem ualeat, hac re Veterum nonnullos, & quidem Platonicos, ut Caietano uidetur, permotos esse, ut* DEO *essentiam adimant. Quanquam id minimè conuenit, cùm utrumq; æqualiter* DEO *conueniat, qui & esse suum, & essentia sua æquè dicitur. Ita* B. *Augustin. lib.* 5. *de Trinitat. Est itaq; DEVS sine dubitatione, inquit, substantia, uel si melius hoc appellatur, essentia, quam Græci οὐσίαν uocant. Et* B. *Hieron. in epistola ad Damasum: Deus solus, qui exordium non habet, uerè essentiæ nomẽ tenet. Vide in hunc locum Magist. Sententiar. lib.* 1. *dist.* 8.

Non rectè essentiam Deo adimi

e Quod siue probè ab ijs.) *Ex superiore sentẽtia colligit,* DEVM *propter omnimodam*

modam naturæ simplicitatem, nullo genere, seu rerum ordine comprehensum esse. Ratio est, quia istis tantum in genere, seu rerum ordinibus, (quæ & Categoriæ uocantur) locus sit, quæ aliquam compositionem, minimùm esse formæq; (quam suprà diximus) præse gerunt. Si in ullo genere DEVS esset, (inquit Thomas parte 1. quæst. 3. art. 5.) iam aliquid isto prius & antiquius esset, si non reipsa & tempore, intellectu saltem ac natura. Siquidem genera ad hunc modum formis speciebusq; suis antestant. Item si DEVS, uti forma, in genere ineſſet, iam ex genere & differentia, uti partibus quibusdam eius essentia conflaretur. Constat enim species omnis ex genere & differẽtia, ut cap. 3. Porphyrius docet. Adhæc si in genere esset, esset utiq; in substantia. Nam tam nobilem & præstantem naturam, cui ex se esse competit, & à qua cæteris omnibus rebus esse communicatur, quo tandem modo accidenti subiecceris? At cùm nullius extraneæ rei seu accidentis sit subiectum, (quicquid enim in ea est, totum ad naturam seu essentiam illius pertinet) quo pacto substantia appellari queat? Maximè cùm substãtia à subsistendo dicatur, quod uerbum in ijs demum rebus uerè dicitur, quibus ut subiectis accidentia inhærent, ut lib. 7. de Trinitat. cap. 4. Philosophorum sententijs non repugnanter ostendit Augustinus. Sed cùm ad hũc modum propriè de ijs quæ in genere insunt, & in Categorijs reponuntur, sentire deceat: nullóne modo nec impropriè κατάχρησιν ὡς ad ullum genus reuocari, nec transferri ad Categoriam ullam DEVS poterit? Cùm bipartitò quæpiam, seu in genere, seu in Categoria locari ac reponi Philosophis dicantur, alia per se & propriè, alia ui aliena & impropriè, quod D. Thomas parte 1. quæst. 3. art. 5. per reductionem uocat: certè aliena ui & impropriè aliquo modo huc reuocare DEVM poterimus. Tanquam enim principium & causam rerum omnium efficientem, ad primam classem & ordinem poterimus trãsferre, quo modo & B. Thomas sentit lib. 1. Sententiar. dist. 8. quæst. 4. art. 2. tametsi in Summa loco antè citato id minus approbare uideatur. In hunc locum uide & lib. 1. contra Gentiles, cap. 26.

Deus in genere nullo cur ponatur.

Nisi im, propriè, uti rerũ causæ

f Omne enim id quod.) Hæc propositio antegressæ ratiocinationis est, cui sua mox confirmatio subijcitur.

g Quòd nec generis.) Sic parte 1. quæst. 3. art. 5. Omnia, inquit, quæ sunt in genere uno, communicant in quidditate uel essentia generis, quod prædicatur de ijs, in eo quod quid est, differunt autem secundum esse. Non enim idem est esse hominis & equi, nec huius hominis & illius hominis. Et sic oportet quòd quæcunq; sunt in genere, differant in ijs esse & quid est, id est essentia. Hæc ille.

Quæ in genere sunt, secũdum esse distant.

h Quòd esse ipsorum.) Quid esse ab essentia distet, suprà dictum est aliquoties. Per esse, rei essentia ad actum reuocatur, quæ ipsa per se sola ratione cohærebat. Sic ratione additum animali, (inquit Thomas lib. 1. contra Gentiles, cap. 25.) acquirit animale esse in actu: non autem constituit rationem animalis, in quantum est animal. Nam differentia

Rationale, animal in actu cõstituit.

ferentia non intrat definitionem generis.

i Nam vt animalis.) *Exemplo declarat. Hæc è suprà dictis Thomæ uerbis satis patent.*

k Atq; sic in omnibus.) *Quod de uno genere demonstratum est, id in omnibus alijs, non generibus solùm, sed & speciebus ita habere commonefacit.*

l Quæ cùm ita sunt.) *Conclusio prægressæ confirmationis, qua & esse & essentiã ijs, quæ in genere insunt, reuera conuenire declarat.*

m Si non reipsa, mente saltem.) *Hoc est, quod Caietanus de esse quidditatiuo in hoc loco disserit, quod ab esse actualis existentiæ secernit.*

n Neq; verò est, si.) *Distinguit prædictorum occasione esse DEI ab esse uniuersali, idq; κατὰ πρόληψιν aduersariorum obiectioni occurrens. De hoc ita Thomas lib. 1. contra Gentiles, cap. 27. Quia enim id quod commune est, per additionem specificatur, uel indiuiduatur, existimauerunt diuinum esse, cui nulla fit additio, non esse aliquid proprium, sed esse commune omnium, non considerantes quòd id quod commune est, uel uniuersale, sine additione esse nõ potest, sed sine additione consideratur. Nõ enim animal potest esse absq; rationali uel irrationali differentia. Quamuis sine his differentijs cogitetur. Licet etiam cogitetur uniuersale absq; additione, non tamen absq; receptibilitate additionis est. Nam si animali nulla differentia addi posit, genus non esset, & similiter est de omnibus alijs nominibus, & cæt. Iam si DEI esse, idem sit, quod esse uniuersale, cùm uniuersale seu commune eße, intelligentia solùm comprehendatur, (id enim quod commune est multis, non est aliquid præter multa, nisi sola ratione, ut multis in locis idipsum Aristoteles ostendit) sequetur hinc esse DEI, hoc est DEVM ipsum, non nisi sola ratione & intelligentia consistere. Ita nulla res actu erit, quæ in natura constet, sed intellectu tantum apprehendetur. Quod longè absurdum, impiumq; sanè dictu fuerit.*

Cõmune esse, sine additione cogitatur, non est.

o Id quod in omnibus rebus.) *Tanquam forma omnibus rebus esse communicãs & impertiens. Quo modo & de esse DEI nonnulli existimauerunt, idipsum formale esse omnium rerum statuentes, ut Almariani, quemadmodum parte 1. quæst. 3. art. 8. B. Thomas significat. At si esse DEI, omnium rerum formale esse erit, iam necesse erit omnia, quibus id esse competat, reipsa unum esse, neq; distingui, præsertim cùm non distinguantur res à se inuicem, secundum quod esse habent, quia in eo omnia conueniunt, ut lib. 1. contra Gentil. cap. 27. idẽ Thomas ostendit. Cæterùm si hoc modo DEVS nõ est formale eße omnium rerum, quo modo, inquias, tum et in omnibus rebus eum esse profitemur, & B. Dionysius in Cœlesti Hierarchia, cap. 4. supereſſentialem diuinitatẽ omnium eße affirmat?*

An Dei esse omniũ rerum formale?

Quo modo in omnibus reb. Deus insit

Non sic prædictæ sententiæ intelligendæ sunt, quasi uerò DEVS, seu esse DEI formaliter omnibus insit, tanquam singularum rerum aliquid. Sic enim omnia (ut prædictum est) simpliciter unum quippiam existerent. Sed intelligendum est, DEVM ~~siue in omnibus~~ rebus,

rebus, siue omnium rerum esse, dici propterea, quòd is rerum omnium causa est, à qua ipsis esse suppetit & impartitur. Atq; sic lib. 1. contra Gentil. B. Thomas, cap. 27. sentit, quo loco eius uerba inter cætera sic habent: Est modus loquendi, quo dicimus DEVM in omnibus rebus esse, non intelligentes quòd sic est in rebus quasi aliquid rei, sed sicut rei causa, quæ nullo modo suo effectui deest, & cæt.

P Nam quò minus.) Ratio, quare nihil ab isto errore metuendum. Pendet ista ex distinctione utriusq; esse, & DEI, & uniuersalis: Quorum utrumq; tametsi præsenti usu nullius rei adiunctam sibi differentiam, aut qualitatem obtinet, alterũ tamen eandem istã recipere non modò potest, sed & debet, si reuera in natura constituendum sit. Sine additione enim non reipsa existit, sed animo tantum & cogitatione comprehenditur, ut paulo suprà dictum est. Non abs re fuerit hoc loco asscribere, quod D. Thomas parte 1. quæst. 3. art. 4. ad prædictæ sententiæ explicationem simul & confirmationem, bipartitò intelligi posse, id quod est additionis expers, scribit in hæc uerba: Ergo dicendũ, quòd aliquid cui non sit additio, potest intelligi dupliciter. Vno modo, ut de ratione eius sit, quòd non fiat ei additio, sicut de ratione animalis irrationalis est, ut sit sine ratione. Alio modo intelligitur aliquid cui non fit additio, quia non est de ratione eius, quòd sibi fiat additio, sicut animal commune est sine ratione: quia non est de ratione animalis communis, ut habeat rationem. Sed nec de ratione eius est, ut careat ratione. Primo igitur modo esse sine additione est esse diuinum: secundo modo esse sine additione est esse commune. Atq; hæc ille. Quod ad diuini esse rationem attinet, nullam omnino rei accessionem admittentis, de eo uide lib. 1. contra Gentiles, cap. 25. ubi ex professo istam quæstionem B. Thomas disserit.

Dei esse & uniuersal' esse distãt.

Cui nõ fit additio, bifariam intelligitur.

q Quo modo itaq; à cæter.) Cùm nihil aliunde in DEVM conueniat, ostendit suapte eum puritate ac simplicitate à cæteris rebus omnibus distingui, & quodammodo indiuiduari. Idq; testimonio libri de Causis probat, in quo propositione nona scribitur his uerbis de causa prima: Quia indiuiduum suum est bonitas, puta effluens super intelligentiam omnes bonitates, & super reliquas res mediante ea. Quæ uerba B. Thomas explicat isto loco ad hunc modum: Quia sicut in alijs rebus fit indiuiduatio rei communis receptæ, per id quod est recipiens, ita diuina bonitas & esse indiuiduatur ex ipsa sui puritate, per hoc scilicet, quòd ipsa non est recepta in aliquo, et ex hoc quòd est sic indiuiduata sui puritate, habet quòd possit influere bonitatem super intelligentiam & alias res, & cæt. In hunc locum uide & lib. 1. contra Gentiles, cap. 27.

Dei esse, suapte puritate ab alijs distinguitur, & indiuiduatur.

r Atque cùm hæc diuini.) Transit ad alteram partem comparationis de esse communi, seu uniuersali, cuius uis etsi præsenti usu nullas iam differentias obtinet, earundem tamen particeps est. Id quod Vniuersi fabrica tot rerum ac naturarum formis distincta abunde sanè ac luculenter declarat.

s Id enim si esset.) Nempe differentiarum accessionem & additionem planè ab eo excludi. Ratione absurdi docet, quia sic formarum distinctione penitus sublata, omnia solius entis complexu tenerentur & confunderentur.

t Quemadmodum à Parmenide.) De hoc uide lib. 1. de Principijs rerum apud Aristotelem.

u Hinc ergo patet.) Concludit, quæ de communis & diuini esse distinctione disputauit. Non quia diuinum esse additionem respuit, idcirco cõmune est & uniuersale. Imo uerò, quia nihil ei addi potest, idcirco uel maximè proprium euadit, & ab alijs distingui tur rebus, ut lib. 1. contra Gentiles, cap. 27. Thomas ostendit.

Dei esse, maximè proprium cur.

x At si ita affectum est.) Alia obiectio. Si tanta simplicitate DEVS pollet, ut nil præter esse suum obtineat, quæ tandem ei perfectiones, quæ excellentiæ & dignitat ores cæteris naturis attribui poterunt? Ita his omnibus destitutus & destitutus, uel infrà ullissimarum rerum conditionem & sortem abijci uidebitur. Quod si indignum est, præter esse aliquid aliud ei accedat, necessariũ est. Respondet nil aliud ei accidere, & tamen nulla cæterarum rerum perfectione & nobilitate eum destitui. Imo uerò omniũ rerum eum unum non uniuersas modò perfectiones & dotes in se continere, sed & continere eas amplius, perfectius, & diuinius, idq; solius sui esse beneficio & munere. Concedit in alijs rebus ita habere, ut quibus esse tantum competat, ea reliquis dotibus et excellentijs priuetur. In prima causa, à qua et esse cæteris rebus omnibus impartitur, longe diuersam esse rationem docet. In hunc locũ uide lib. 1. contra Gentiles, cap. 29. Licet autem ea quæ sunt (inquit) & uiuunt, perfectiora sint, quàm quæ tantum sunt: DEVS tamen, qui non est aliud, quàm suum esse, est uniuersaliter ens perfectum. Et dico uniuersaliter ens perfectũ, cui non deest alicuius generis nobilitas, & cæt. De perfectione DEI uide & parte 1. quæstione 4. articulo 1. & 2.

Dei esse nullis perfectionib. destitutũ, Vt cæterarum rerũ.

y Vt hoc in naturalib.) In naturalibus rebus ita rem habere concedit: In naturalium authore & gubernatore DEO, nequaquam. Ita per distinctionẽ subiectorum, DEI & creaturarum, obiectioni occurrit.

z Vtpote à quo & cæteris.) De hoc antegresso capite 9. dictum est. Intelligentiæ esse participatum habent, DEVS esse subsistens, sibi tanquam innatum & insitum.

Esse duplex.

a Tantum enim abest.) Non modò cæterarum rerum omnium perfectiones DEO suppetere ostendit, sed & suppetere excellentius & copiosius, propterea quòd cùm cæteris in rebus uariè eæ quasi diffusæ ac dispersæ sint, in DEO ueluti coagmententur & consocientur, idq; propter diuini esse, ut infrà declarat, ἕνεκα & dignitatem.

b Atque hac de causa.) Ostendit propter antegressam causam, quia cæterarum rerum omnium perfectiones & uirtutes undiquaq; in DEVM omnes cõfluunt, eundem præ cæteris naturis omnibus absolutè plenèq; perfectum. Idq; Aristotelis & Auerrois authoritate,

ritate, ex lib. 4. Metaphysic. confirmat. At quæ perfectio, inquiat aliquis, in DEVM sempiternum, non genitum, nec natum, cadere potest? Si Latini uerbi originem spectes, cùm id demum perfectum dicatur, quod aliquo modo inchoatum, de potestate in actum planè trãsiuit, (quicquid enim fit, de potestate in actũ transit) certè quidẽ nulla in DEVM perfectio conuenire posse uideatur. At hìc omne id perfectum est, quodcunq; ipso actu cohæret, & cui nihil perfectionis suæ deest, siue id per motum assequutum sit, siue absq; motu. Quo sanè modo non tantùm perfectum, sed uel unũ naturalium rerum omnium longè esse perfectißimũ DEVM nemo negauerit. Atq; ut hoc modo Latinum uerbum à genuino sensu nonnihil detortum esse uideatur, græcum certè nullam detorsionem, aut improprietatẽ agnoscit. Dicitur enim perfectum, græcè τέλειον, quod uerbum lib. 4 Metaphysi. cap. 16. Aristoteles describit, ut sit propriè, quod finem suum habeat. Dicitur enim à fine, κατὰ γὰρ τὸ ἔχειν τέλος τέλεια. In hunc locum uide Thomam partim lib. 1. cont. Gent. cap. 29. partim in Summa, parte 1. quæst. 4. art. 1. & 2.

Perfectũ quid propriè dicat.

Græci perfectũ τέλειον vocant.

c In Metaphysicis non Ari.) Locus est in Metaphysicis lib. 4. iuxta Græcorum distinctionem, cap. 16. idq; his uerbis: τὰ γὰρ ὄντα καθ' αὑτὰ λεγόμενα τέλεια τοσαυταχῶς λέγεται, τὰ μὲν γὰρ κατὰ ἓν μηθὲν ἐλλείπειν, μηδ' ἔχειν ὑπεξολλύμ ὧν ἑκάστῳ γένει, μηδ' εἶναί τι ἔξω, & cæt. Id est, Ac ea quidem, quæ per se perfecta dicuntur, his tot modis dicuntur: alia, quòd bonitatis nihil eis desit, neq; in quoquã genere superentur, nec quicquam extrà sit. Quæ uerba propriè ad DEVM refert B. Thomas, sic in eum locum scribens: Et hæc est cõditio principij, scilicet DEI, in quo est perfectißima bonitas, cui nihil deest de omnibus perfectionibus in singulis generibus inuentis.

Quæ per se perfecta, καὶ καθ' αὑτὰ τέλεια.

d Sique percunctetur aliquis.) Ostendit, unde prægressæ perfectiones & uirtutes omnes DEO suppetant: nempe à sua ipsius natura, seu proprio esse. Huc pertinet, quod B. August. lib. 6. de Trinitat. cap. 4. accommodatè in hanc sententiam scribit: DEO est hoc esse, quod est esse fortem, uel sapientem esse, uel iustum esse, & si quid de illa simplici multiplicitate, uel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur, & cæt. DEI scientia, bonitas, iustitia, sapientia, omnipotentia, uoluntas, & cæt. nihil aliud, quàm ipsa essentia sunt. De hoc uide Magist. Sententiar. lib. 1. distinct. 8. & alibi.

Dei esse, quamuis perfectionem in se cõplectit.

e Quippe cùm in omnibus.) In hunc locum uide lib. 1. contra Gentiles, cap. 29. quo loco Thomas sic scribit: Omnis enim nobilitas cuiuscunq; rei est sibi secundum suum esse. Nulla enim nobilitas esset homini ex sua sapiẽtia, nisi per eam sapiens esset. Sic ergo secundum modum quo res habet esse, est suus modus in nobilitate. Nam res secundũ quod esse suum contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis maiorem, uel minorem, dicitur esse secundum hoc nobilior uel minus nobilis, & cæt.

Cuiq; rei sua secundum esse nobilitas.

f Cùm ergo DEVS.) Ad DEVM prædicta applicat, cuius esse, quàm aliarum rerum, quò est perfectius & dignius, eò absolutiores etiam dignioresq; præ cæteris rebus

eiusdem sunt perfectiones & nobilitates. Huc pertinet illud Thomæ ex 1. contra Gentiles, cap. 29. DEVS ergo qui est totum suum esse, ut suprà probatum est, habet esse secundum totam uirtutem ipsius esse. Non potest ergo carere aliqua nobilitate, quæ alicui rei conueniat, & cæt.

Dei esse, quale.

g Quòd si fingamus.) A simili declarat, idq; per fictionem.

h Verùm hæc de DEI.) Transit à diuina essentia ad essentiam Intelligentiarum, in quibus cùm esse ab essentia distinctum sit, quo tandem modo Veteres ea distinxerint, ob oculos proponit.

i Quòd esse quidem.) Vult esse intelligentiarum hoc ab essentia distare, quòd esse finitum sit & terminatum: essentia uerò infinita & interminata. Quæ ut eò melius et rectius intelligantur, sciendum est, quod in superioribus diximus, esse Intelligentiarum, comparatione essentiæ habere se, ut actum: essentiam uerò comparatione esse, ut potentiã. Quare ut actus per potentiam definitur, dum in rem subiectam (quæ actui comparata potentiæ assimilatur) recipitur: ita esse intelligentiarum, dum in naturam, hoc est, intelligentiam ipsam recipitur, quodammodò definiri, terminari, ac concludi uidetur: Intelligentia uerò ipsa, tametsi prædicto modo comparata, potentiæ rationem induit, ipsa tamen nihilominus ut est, sic & permanet forma quædam, seu actus, qui dum in aliam naturam subiectam, & inferiorem (materialem & corporatam dico) non suscipitur, hoc modo definitionis & circumscriptionis expers, & uacuus, liber, solutusq; relinquitur. Quanquã quod ad sui aduentitij actus informationem pertinet, per eandem illam quodammodò etiã terminatus ac definitus iure dici poterit. Est enim mutua quædam ipsorum inter se, actus & potentiæ uidelicet, definitio & terminatio, ut præsenti loco annotauit Caietanus.

Esse intelligentiarũ finitum.

Essentia non item.

k Quò pertinet, id quod.) Authoritate libri de Causis confirmat, quo Intelligentiæ partim finitæ dicuntur, ratione ipsius esse, (quo tanquam actu quodam à superiore natura donantur & informantur) partim uerò infinitæ, ratione subiectæ naturæ, quæ natura à materia libera, dum eius complexu se teneri & astringi non patitur, quodammodò in circumscripta & infinita permanet.

Intelligentiæ finitæ & infinitæ.

l Quæ res, nempe quòd.) Ostendit ex prædicta naturæ infinitione, quòd à materia liberæ Intelligentiæ, se illius tanquam limitibus ac terminis nequaquam circumscribi ac definiri patiuntur, nullam in istis, perinde ut in cæteris substantijs, indiuiduorum multitudinem reperiri, excepta humana mente, cui ex corporis affinitate & commercio indiuiduatio quædam accedit.

Intelligentiæ indiuiduis carẽt

m Quemadmodum antè prædictum est.) Nimirum capite 8. Quod propter materiæ remotionem, nulla in separatis substantijs indiuidua reperiri dicitur, id intelligendum est de indiuiduis eiusdem speciei. Nam alioqui ipsæmet substantiæ citra materiam indiuiduæ sunt, sed quæ singulæ singulas species constituant & compleant, de quo lib. 3.

Maximè eiusdem speciei.

lib. 3. contra Platonis æmulum Bessarion disserit, cap. 22.

n Etsi ab illo neutiquam.) Author est Aristoteles homini extrinsecus animum accedere, non ex semine corporis instar gigni. Quod sanè uerum est, maximè quod ad mẽtem, hoc est, rationis participem & compotem animum, spectat. Ita 1. Tuscula. Cicero: Aristoteles longè omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio & diligentia, cùm quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, è qua sit mens. Et infrà: Sin autem est quinta quædam natura ab Aristotele inducta, primum hæc & Deorum est, & animorum. Et: Singularis est igitur quædam natura atq; uis animi, sciuncta ab ijs usitatis notisq; naturis. Sic & in fragmento 1. Academicæ: Quintum genus, è quo essent astra, mentesq; singulares, eorumq; quatuor, quæ suprà dixi, dissimile Aristoteles quoddam esse rebatur. Huc pertinet illud, quod Theologi animum infundendo creari, & creando infundi dicunt.

Hominis animus extrinsecus accedit.

Quinta Aristotelis natura.

o At si hoc modo, inq.) Difficultatem mouet, κατὰ πρόληψιν obiectioni occurrens. Si per corporis consociationẽ animus hominis, ut dictum est, indiuiduatur: quid futurum, ubi corpore dissoluto, per mortem ab eo animus semigrat? An tum sublata singularitatis causa, singularis esse desinet? Respondet minimè id futurum, quia animorum indiuiduatio, perinde ut multiplicatio, à corporibus nõ pendeat, nisi ratione principij, quo oriuntur, ut Auicennæ authoritate confirmat.

An hoïs animus à morte indiuiduus.

p Quam corporis coniuncti.) Verisimile quidem id uidetur, si corporis adaptatio, quam ob rem animus indiuiduatur, causa est. Nimirum quum causa sublata & cessante, ut Philosophi aiunt, simul tollatur & cesset effectum. At corporis circumpositio non reuera causa est, cur animus indiuiduetur. Neq; enim à corpore propriè animus pendet, tanquam è corporalis materiæ ui ac potestate (quemadmodum in corporalibus alijs formis cuenit) nascendo educatur. Quid ergo? Occasionem tantummodò præbet ipsius indiuiduationi corporis coniunctio, ea ratione, qua non nisi in corpore humanus animus indiuiduatur, ac singularis esse incipit. Caietanus corporis commercium ac consociationẽ, indiuiduationis, ut prædictum est, non modò occasionem, sed & causam in fieri appellat. Tali autem causa in fieri cessante, non item effectum quo ad esse cessare ait.

Corpus, indiuiduationis animi occasio, non causa.

q Etsi verò ea ment.) Hactenus difficultas obiectione proposita: nunc ad eam respondere instituit, primùm ex antegressis repetens, quo modo ex animo & corpore una substantia conficiatur, cuius esse propter materiæ communicationẽ cùm singulare sit, perinde ut in corpore, sic & post corporis separationem idipsum in animo tale permanere demonstrat, Ita ut non sit, quamobrem à corpore seiunctus animus sui indiuiduationem positurus esse uideatur.

Animi esse indiuiduum per manet.

r Tam arcta inter vtraq; ea.) Ad hunc modum B. Thomas parte 1. quæsti. 76. art. 1. Anima, inquit, illud esse, in quo subsistit, communicat materiæ corporali, ex qua et

anima intellectiua sit unum, ita quòd illud esse, quod est totius compositi, est etiam ipsius animæ. Quod non accidit in alijs formis, quæ non sunt subsistentes. Et propter hoc anima humana remanet in suo esse, destructo corpore, non autem aliæ formæ. Hæc ille.

s Quò fit, vt in eodem statu.) Hîc animorum nostrorum immortalitatem nota. Permanent quidem isti in suo statu, quo in corpore extiterũt, hoc est, distincti, indiuidui, ac singulares: Verùm ita, ut naturalem quandam & insitam appetitionem habeant repetendi & assumendi iterum corporis, à quo per mortem fuerunt separati, teste Thoma, loco paulo antè citato.

Animi à morte vt manent.

t Nec, id quod metuendum.) Explicat hunc locum Thomas parte 1. quæst. 76. art. 2. multiplicationem animorum nostrorum ex distinctione corporum sic labefactãs: Remota causa remouetur effectus. Si ergo secundum multiplicationem corporum multiplicarentur animæ humanæ, consequens uideretur, quòd remotis corporibus multitudo animarum non remaneret: sed ex omnibus animab. remaneret aliquod unũ solum. Quod est hæreticum. Periret enim differentia præmiorum & pœnarum.

Thomæ argumentatio quæ.

u Atq; ad hoc persuadend.) Adhibet ad prædictorum confirmationem Auicennæ authoritatem, qui animorum indiuiduationem à principio coniunctionis pendere, & deinceps sic permanere existimauit.

x Quod sic intelligendum.) Explicatio dicti Auicennæ.

CAPVT VNDECIMVM.

Transit ad Logicam considerationem.

R Eliquum [a] est nunc explicata vi ac natura simplicium atque intelligentium substantiarum, quas singulares mentes [b] à nonnullis appellari meminimus, vt quo modo eædem istę mente & intelligentia præditæ naturæ, ad Logicas intentiones sese habeant, nobis sit inquirendũ & explicandum. [c] Posteaquàm ergo ita se habent, vt aliud in ijs sit natura latens, aliud esse, quo latens ista atque abdita natura tanquam in medium profertur: certè quidem dubium nulli esse potest, quin his talibus naturis atque intelligentijs in Categoria sit locus, & eandem ob causam peruulgatæ istæ notiones, quas Logicus sibi propriè explicandas sumit, nimirum generis, speciei, ac differentiæ, in ijsdem reperiantur. [d] Quanquam quod ad differentias attinet, maximè proprias ac natiuas, (vulgò substantiales atque essentiales vocant) hæ in istis naturis aliquanto longiùs ab intelligẽtia & cognitione nostra semotæ disiunctæq; sunt. [e] Sed quid hoc mirum, cùm in alijs rebus longè nobis vicinioribus & propinquioribus, (quarum idcirco magis cognitas ac perspectas nobis esse differentias oportuit) idipsum pari modo deprehẽdamus? Nõne enim materialium & corporatarum rerum, quæ sensui propositæ coràm cernuntur, &

Intelligentiarũ, perinde vt cæterarũ rerum, veræ differẽtiæ ignotæ.

tur,& manibus contrectantur, eadem ratio est? [f] Quis tot animantium, gradientium, reptantium, volatilium, ac natatilium, formas animo persequens, istorum veras vllas substantiales q; differentias percepit? Num quis arborum, herbarum, fruticum, quæ è terra nascuntur? num quis gemmarum, lapidum, metallorum, quæ in intimis terræ visceribus latent, arq; hominum inde industria eruuntur? num quis deniq; quatuor simplicium ac primorũ corporum, ex quibus omnia alia oriuntur, (vulgò elementa Latinè, Græci τὰ στοιχεῖα appellant) num quis, inquam, horum omnium formas indagans, & naturam perueſtigans, quæ propriæ germanæq; ipsorum viderentur atq; essent differentiæ, indagando perueſtigandoque inuenit? [g] Laudatur, idque optimo me hercule iure, sum mus atque vnicus Naturæ speculator venatorq; Aristoteles, quòd cùm in alijs rebus obscurissima quæque & maximè recondita ingenij sui bonitate eruit & deprehendit, tum in Natura potissimũ acutissima & propè diuina mentis acie omnium rerum perreconditas ac latẽtes maximè vires atque facultates est assecutus. At quid per DEVM immortalem hic Vir tantus, tam præclarus ac commendandus, in hac re, hoc est, proprijs, veris, ac germanis rerum singularum notãdis ac consignandis differentijs, tandem præstitit? [h] Nónne quoties veris intimisq; rei differentijs opus erat ad describendas, explanandasq; singularum rerum naturas, tum quo modo propter legitimarum differentiarum ignorantiã ac penuriam, ad alienas, remotas, & ascititias, (quæ ex superioribus illis natiuis ortum ducunt) is se trãsferat, quàm clarissimè ob oculos videmus? Id diligentissimum Naturę interpretem, si aliter confici ac demonstrari res ipsa potuisset, ita facturum fuisse tibi persuades? [i] Maior enimuerò adhuc difficultas est in istius generis veris ac proprijs singularium mentium designandis ac constituendis differentijs, quã in illis ipsis, de quib. iam diximus. Neque enim perinde vt in superioribus illis, ita & hîc prõptum et paratum est, veras ac proprias Intelligentiarum differentias, per adiunctas & insitas affectiones ac proprietates, tanquam per effectũ causam, explicare. Nimirum cùm eædem istę affectiones & proprietates nõminus, quàm ipsæ differentiæ, in eodẽ hoc genere nos ferè lateant. Quò fit, vt nec per se ipsæ hîc describi, nec per inhærentes item qualitates & accidentias satis hîc explanari differentię possint. [k] Verùm vtcunq; hoc fit, illud ignorandum non est, nõ eodem modo in his naturis, quo in ijs quæ sensu percipiuntur, vt corporeis & materiatis, tum genus, tum differentiam

Aristotel. in rerũ diferẽtijs ex quirendis defecit.

Intelligentiarũ maior obscuritas.

Genus & differētia in materiatis vnde sumantur?

ferentiam notari & cōstitui posse. [l] Nam cùm in materiatis illis quæ sen su percipiuntur, ab altera duntaxat rei parte sumatur & genus, & differē tia: [m] genus quidem à parte materiali, differentia autem à formali, iuxta id, quod Auicenna initio libri sui de Anima scribit, formam rei compositæ, esse simplicem ipsius compositi differentiam: non quòd ipsa forma differentia sit, sed quemadmodum in Metaphysicis idem ait, differentiæ initium quoddam & origo. [n] vnde & talis differentia, quia ab altera solùm naturæ parte, nempe forma, ducitur, etiam simplex nominatur, quam simplicem differētiam ijs modò speciebus Auicenna tribuit, quarum substantiæ ex materia & forma sunt concretæ) non ita quidē in præsenti naturarum genere, prædictas istas notiones effici & explicari posse, vel inde cōstat, quòd simplices omnino hę naturę sunt, [o] in quibus nihil est mixtum, nihil coagmentatum & concretum, id quod istas in partes vllo modo diduci ac distribui possit, quemadmodum ex ijs quæ in superioribus disputata sunt, satis superq; patet. [p] Vnde ergo in his substantijs, inquias, & genus, & differentia tibi accersenda videntur? Non potest aliūde profectò vtrūq; peti aut accersiri, nisi à tota ea q̄ obtinent, natura atque essentia. Quo id modo? Etsi non facile explicatu *idipsum est*, dicam tamen, quod mihi videtur. [q] Cùm itaque quodammodò inter se eæ substantiæ conueniāt, differant autem in quodam: id in quo istę naturæ inter se conueniunt, naturæ quadam communione sui similes, quodcunque demum idipsum sit, (videtur autem esse immaterialitas, vt sic dicam, & consequens naturæ vacanti materia intellectualitas, aut aliud quid simile) id ipsum tale est, à quo generis mihi ratio in his naturis sumenda & depromenda esse videtur. Id autem, in quo à se mutuò dissidēt & discrepant, qualecunque etiam idipsum fuerit, (est autem nihil prętergradum perfectionis & absolutionis, quò à potentia eæ recedunt, & propiùs primo sese actui adiungunt) id ipsum, inquā, est tale, à quo ratio differentiæ, tametsi nobis ignotior, mihi in hoc genere videatur esse capienda. [r] Neque verò est, quòd hoc genus differentiarum eiusmodi esse quispiam existimet, quo non satis illæ, de quibus disceptamus, inter se distingui posse Intelligentiæ videantur. Nā tametsi penes diuersos perfectionis & absolutionis, vti iam dictum est, illę gradus sumūtur, nequaquam tamen ex eo minus veras, proprias, ac substantiales, (quibus rerū inter se discernuntur naturæ) differentias esse confeceris. [s] Verum illud quidem est in plerisque, magis & minus, speciem non immutare. Neque

Vnde in Intelligentijs?

An magis & minus, speciem in Intelligentijs mutēt

enim

enim si albius quicquam sit aut minus album, grandius aut minus grande, doctius aut minus doctum, idcirco res istę, quibus albor, doctrina, statura q́ue aut maior, aut minor competit, iam specie inter se mox distinguuntur. [t] Verùm aliud est eandem formam diuersis subiectis (vt in allatis iam exemplis euenit) secundũ magis & minus attribui: Aliud, quũ diuersæ formæ diuersis seu perfectionis, seu imperfectionis gradib. inter se discernuntur. Hîc enim cùm formę indiuiduę sint, [u] quarum esse, vt aliarum rerum omnium, indiuiduum est & simplex, nulliusque siue intentionis, siue remissionis capax: fieri nõ potest, quin si vlli perfectionis imperfectionisq́; etiam minimè gradus accesserint, istæ formæ inter se specie distinguantur, & ad aliud aliudque genus sese transferant. [x] Sic enim cùm & alijs in rebus fieri videamus, tum & Natura in animantiũ, hominumque generatione & procreatione facit. Quippe quæ de inanimatis, vitaq́; & sensu carentib. paulatim ad animata ac sentientia ([y] quẽadmodum lib. 8. de historia animalium Aristoteles testatur) ita se profert, vt continuatione quadam ipsorum nos lateat confinium, & mediũ, vtriúsnam sit extremi: tametsi specie idipsum quin ab extremis discrepet, dubitare non possumus. [z] Neque est, si ad hunc modum verę, propriçque intelligentium & abstractarum substantiarum sunt differentię, sicut diximus, quòd tum necessarium quis fore putet, vt eædem istæ substantiæ, quoties diuiduntur, duabus ijsque veris ac legitimis, repugnantibus inter se differentijs diuidantur & distribuantur. [a] Nam præterquã quòd id in tanta præsertim diuinarum ac singularium substantiarum vi ac copia nequaquam fieri potest, ne ista quidem generalis, perpetua, ac constans apud Philosophos diuisionis est lex atque natura, [b] vt duabus, ijsque ex aduerso positis, veris ac proprijs differentijs res quęque partiantur ac diuidantur, quemadmodum cùm alibi, [c] tum lib. 1. de partib. Animalium, ex professo id Aristoteles declarat. [d] Verùm hæc de altero simplicium, & omni seiunctarum materia naturarum genere dicta sint ad eum modum. Restat, vt de compositis & mixtis substantijs, quæ adhuc reliquæ sunt, quod ad earum essentiæ ac naturæ explicationem tractationem attinet, hoc loco quàm pauciſsimis perstringamus. Id itaque ex superioribus manifestum & conspicuum est, posteaquàm id genus substãtiarum præter materiæ & formæ compositionem, [e] etiam esse ac naturæ compositione constat, esse illud, (quod aliena vtique vi, nempe DEI liberalitate ac munificentia naturæ ineſt) in illis perinde atque in singularibus

Nõ omne duab. differentijs verè diuidi.

Transit ad concretas substãtias, q̃ vtrinq; sunt definitæ.

ribus iam antè mentibus ostensum est, quodam modò receptum, limitatum, ac finitum esse. Neque verò esse modò, sed & naturã seu essentiam ipsam, vtpote quæ in præfinita ac signata ([f] quẽ admodum suprà doctũ est) materia versatur. Quò fit, vt vtrinque, siue sursum versus, siue deorsum respicias, eædem istæ substantiæ etiam finitæ, terminatæq; rectè statuantur. [g] Atque in his substantijs propter materiæ, de qua diximus, diuisionem ac partitionẽ, etiam indiuidua sub vna eademq; specie, (id quod in simplicibus ac singularibus substantijs minimè contingit) alia atque alia reperiuntur. [h] Atqui de his satis. Quemadmodum enim ad intentiones se Logicas in ijs essentia habeat, ex antegressis iam dudum patet. Ita sequitur, vt nunc de accidentium vi ac natura agendum videatur.

Concretæ substantiæ vtrinq; finitæ.

IN CAPVT VNDECIMVM,

COMMENTARIA.

Transitus. [a] Reliquum est nunc.) *Transit ab absoluta & Metaphysica naturæ intelligentia rum contemplatione, ad Logicam, in qua peruulgatæ illæ, generis, speciei, ac differentiæ notiones, quo pacto in superiorem naturam cadant, inuestigat. Quanquam præterea & de mixtis substantijs nonnihil adiungit.*

[b] A nonnullis appellari.) *Sic Cicero* 1. *Academicar. Quintum genus, è quo essent astra, mentesq; singulares, de quo suprà patuit.*

[c] Posteaquàm ergo ita se.) *Initio ponit has naturas prægressarum notionum esse capaces, eo quòd aliud esse, aliud ipsa natura in ijs declaret.*

[d] Quanquã quod ad differ ent.) *Ostendit in his differentijs constituendis maiorem, quàm in reliquis, difficultatem esse, eo quòd differentiæ simplicium istarum naturarum nobis sint cum primis obscuræ & ignotæ. Id quod fit propter intellectus nostri tarditatem ac hebetudinem, quæ ad intimas rerum tam abditarum naturas penetrare nõ potest. Propriæ istæ substantiales q; differentiæ, Græcè εἰδοποιοὶ, αἱ ἰδιαίταται, ὀικεῖαι, μᾶλλον οὐσιῶδεις Porphyrio, cæterisq; dicuntur.*

Intelligentiarũ differentiæ maximè ignotæ.

[e] Sed quid hoc mirum.) *Collatione inferiorum rerum non esse mirandum docet, quòd tam abditæ, latentes, atq; obscuræ præcedentium naturarum differẽtiæ esse uideantur. Inferiores res, sensibiles ac naturales intelligit, quæ cùm nobis magis familiares acobuiæ sint, certè ipsarum differentiæ itidem clariores illustrioresq; nobis esse debuerunt.*

Collatiõe res explicatur.

[f] Quis tot animantium.) *Exemplis explicat κατὰ μερισμὸν. In hunc locum uide Rodolphum lib.* 1. *cap.* 5. *Estq; nobis uel maximè (inquit) omnibus è rebus ueranũ differentiarum penuria: adeoq; putant nõnulli non cognosci ullius à nobis rei propriam ueramq; differentiam. Et paulo infrà: Et de rationali paucisq; admodum alijs, sint necueræ differentiæ, sunt qui putent, sunt qui negent. In reliquis nemo ferè est, qui cõstanter*

Verarum differẽtiarũ summa penuria.

ullius

ullius rei differentiam ueram cognosci posse affirmet. & cæt.

g Laudatur, idque iure.) Ostendit ne ab Aristotele quidem, summo uiro, absolutissimoq; Naturæ Interprete & descriptore, (dicitur enim Suidæ Ὁ φύσεως γραμματεύς) ueras naturalium rerum differentias perspectas et deprehensas esse. Quod cum sit, minus admiratione dignũ uidebitur, easdem nos minutilos philosophos, qui nulla ex parte cum Aristotele conferendi simus, effugere & latere. Aristotel. τῦο φύσεως γραμματεύς

h Nónne quoties veris.) A signo docet prædictum differentiarum genus minus Aristotelem assequutum fuisse, quia in describendis rerum naturis minimè isto utatur. Vtitur enim ascititijs & adiunctis differentijs loco propriarum. Quod si propriæ ei innotuissent, minime tam diligens Naturæ Interpres fecisset. Ita in elementorum natura describenda, pro natiuis differentijs, calido frigido, humido & sicco utitur: in homine, mortali, bipede, implumi. Et sic de alijs. In hunc locum, quo modo deficientibus ueris ac proprijs differentijs, alijs utendum sit, quæ ucrarum locum supplcant, uide Rodolphum Agricolã lib. 1. cap. 5. Aristotel. pro veris differẽtijs alias supponit.

i Maior enimuerò adhuc.) Redit ad propositum, docens quanto difficilius sit, in abstractis & separatis, quàm in coniunctis ac materiatis substantijs, ueras differentias utcumq; exhibere & designare, eò quòd in hoc substãtiarum genere non minus propriæ affectiones ipsis differentijs nos lateant.

k Verùm vtcunq; hoc sit.) Exposita difficultate, quam in reperiendis explicandisq; singularum rerum, maximè uerò abstractarũ substantiarum, natiuis & genuinis differentijs hactenus consistere demonstrauit, pergit nunc ostendere, quo tandem modo in separatis substantijs tum genus, tum differentia exquiri & designari debeant. Neque enim ut in coniunctis, ab altera naturæ parte, sed à tota natura, quæ est simplex individuaq;, utrumq; hic sumi par est. Vnde genus & differẽtia in abstractis sumantur.

l Nam cùm in mat.) Dissimilitudinem explicat, quia in coniunctis & sensibilib. ab altera naturæ parte, tum genus, tũ differentia sumitur: in simplicibus et separatis, quia nullarum partium consors est natura, à natura tota.

m Genus quidem à mate.) De hoc suprà dictum est, cap. 4. Quod de Auicenna adijcit, id ad alterius partis demonstrationem pertinet, ut differentiam à parte formali sumendam esse declaret.

n Vnde & talis differ ent.) Ostendit, unde simplex concretarum substantiarũ differentia dicatur, & quibus solis ea ipsa cõueniat, idq; Auicennæ sententia. Conuenit quidem solis formis ac speciebus compositarum substantiarũ. Cuius ratio ex ipsius dicta iam origine ac deriuatione per se constat. Simplex differẽtia quorum propria.

o In quibus nihil est mistum.) Sic 1. Tusculana. Cicero: In animi autem cognitione dubitare non possumus, (nisi planè in Physicis plumbei sumus) quin nihil sit ani-

mis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Et in Consolatione de morte filiæ: Nihil enim est in animis mixtum atq; cõcretum, aut quod ex terra natum atq; fictum esse uideatur.

p Vnde ergo in his.) *Ostensa dißimilitudine harum substantiarum à mixtis, nunc unde in his genus differentiaq; suppetant, declarat. Res explicatu paulo difficilior est, quod contingit partim propter rerum subtilitatem, partim quia in hac ipsa materia non satis idonea uerba succurrunt. Quam ob rem & uenia nobis danda erit, si paulò sordidioribus hîc uti neceßitas cogat.*

Res explicatu difficilior.

q Cùm itaq; quodam.) *Vult genus duci ab eo, in quo prædictæ substantiæ inter se conueniant, siue materia uacans id natura sit, siue intelligentia præstans: Differentiam uerò ab eo, in quo à se eædem distinguantur. Distinguuntur autem gradu quodam perfectionis, aut imperfectionis, quatenus uel ad potẽtiam propiùs, uel ad primum actum sese adiungunt.*

Vnde genus ac differẽtia hîc sumantur.

r Neque verò est, quòd.) *Obiectioni occurrit, docens prædictum differentiarum genus, quo à se inuicem secerni Intelligentiæ dictæ sunt, esse naturale, uerum, ac propriũ, non ascititium neq; adiunctum, tametsi secundum perfectionis & imperfectionis, qui in cæteris rebus minimè speciem commutant, gradus sumatur.*

Differẽtiæ huius generis veræ

s Verum illud quidem.) *Concedit in nonnullis rebus uerè dici, perfecti & imperfecti gradum speciem non mutare, idq; exemplis nonnullis docet.*

t Verùm aliud est eandem.) *Dissoluit per distinctionẽ. Si in eadem forma perfectum & imperfectũ spectentur, species non mutatur: Sin autem in diuersis formis, ut præsenti in loco, iam species mutatur necessariò, propterea quòd esse formarum, perinde ut cæterarum rerum omnium, indiuiduum est, cui nulla nec acceßio, nec deceßio sine speciei detrimento fieri potest, iuxta id quod in Isagoge Porphyrius cap. 3. ait:* τὸ δὲ εἶναι ἑκάστῳ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ οὔτε ἄνεσιν οὔτε ἐπίτασιν ἐνδεχόμενόν ἐστι.

Perfectum & imperfectum quãdo speciẽ mutent.

u Quarum esse, vt aliarum.) *Sic Thomas parte 1. quæst. 76. art. 4. Nam esse substãtiale cuiuslibet rei in indiuisibili cõsistit, & omnis additio & subtractio uariat speciẽ, sicut in numeris, ut dicitur in octauo Metaphysicor. Vnde impoßibile est, quòd forma substantialis quæcunq; recipiat magis & minus. Hæc ille.*

Esse substãtiale indiuiduum.

x Sic enim cùm & alijs.) *Exemplo declarat, idq; maximè Naturæ in animalis procreatione & generatione occupatæ. Natura animal producens, primò inanimatam materiam uita donat, deinde motum & sensum impartit, posteà intelligentia instruit. Ita in homine condendo, animam uegetalem, sentientem, & intelligentem, ordine quodam & tanquam gradu incedens diffundit. Sunt autem istæ animæ, in plantis, bestijs, atq; hominibus, ut subiecto, ita specie quoq; inter se distinctæ & separatæ.*

Hominem vt natura gignat.

y Quemadmodum lib. 8.) *Verba Aristotelis lib. 8. de historia animaliũ, cap. 1.*

græcè

græcè sic habent: ὕντως δ' ἐκ τῶν ἀψύχων εἰς τὰ ζῶα μεταβαίνει κατὰ μικρὸν ἡ φύσις, ὥσε τῇ συνεχεῖ ἀλανθάνειν τὸ μεθόριον αὐτῶν, καὶ ἐν μέσῳ ποτέρων ὄν. μετὰ δὲ τῶν ἐμψύχων γένος, ὃ τῶν φυτῶν πρωτόν ὄν. Et cæt. quæ uerba ita Theodorus Gaza Latinè conuertit. Sed adeò de inanimatis paulatim sensimq; ad animata natura transit, ut continuatione ipsa lateat eorum confinium, & medium, utriúsnam sit extremi. Iam ab animantium genere primum genus plantarum est, earumq; alia ab alia differt, eò quòd magis uitæ particeps esse uidetur. Vniuersum autem genus respectu corporum cæterorum quæ anima uacant, ipsum quasi animal est: at respectu animalis, inanime esse uidetur. Sed enim digressus hinc ad animalia continuus (ut modò dixi) procedit.

Plantarũ genus q̃le.

z Neque est, si ad hunc.) Alterius obiectionis occupatio est. Non si ueræ diuinarum mentium propriæq; sunt differentiæ, idcirco necesse est, duabus ex diuerso positis repugnantibus q; differentijs earum diuisiones institui, iuxta id quod Boëtius in lib. Diuisionum, omnem diuisionem bimembrem esse oportere docet.

An Intellīgētiæ duabus differentijs diuidantur.

a Nam præterquàm quòd.) Bifariam obiectioni respondet, partim istam diuisionis legem non esse generalem, & ueram in omnibus, id quod Aristotelis sententia confirmat: partim etiam si generalis sit, & in omnibus fortè locum habere debeat, non posse tamen hîc in tanta singularium mẽtium uarietate ac multitudine rectè adhiberi. Quod ad hunc locum attinet, de eo uide Rodolphum Agricol. lib. 1. cap. 7. Placuit q; omnem diuisionem (inquit) duabus differentijs è diuerso positis debere perfici, & cæt.

Nõ oĩs diuisio duabus fit differentijs.

b Vt duabus, ijsq; ex ad.) Hoc quoties fit, altera differentiarum affirmatione tantum profertur, seu uera illa, seu falsa: altera non affirmatione, sed negatione efferenda est, quam constat quidem non esse ueram, cùm nulli ex negatione species constituatur, cuius speciei constitutio ad ueram differentiam pertinet. De quo ita Rodolphus, loco, quo suprà: Sed contingit, (inquit) ut uideantur sub uno genere multæ esse species. Vbi ergo diuidere id uolumus, capimus unius alicuius speciei differẽtiam: deinde aliarum specierum, quia unam aliquam communem differentiam non inuenimus, circuimus ipsam differentiæ alterius negatiõe, quẽadmodum in diuisione animalis uidemus fieri. Irrationale enim non nisi negationẽ rationalis explicat: quam obrem uera differẽtia esse non potest, cùm omnis species ex differentia constituatur: nihil autem constituitur ex negatione, & cæt.

Differẽtia, quæ negatione effertur, non est uera.

c Tum lib. 1. de partibus ani.) Locus est partim cap. 2. partim 3. quorum secundo sic ait: λαμβάνουσι δ' ἔνιοι δ καθ' ἕκασον, διαιρούμενοι δὲ γένος εἰς δύο διαφορὰς. τοῦτο δ' ἐστὶ τῇ μὲν οὐ ῥᾴδιον, τῇ δὲ ἀδύνατον. Id est, Interprete Gaza: Sunt uero, qui genus in duas secando differentias accipiant, singulare, quod quidem partim non facile, partim nullo pacto fieri potest. Tertio sic: ἔτι στῆσαι μὲν ἀνάγκη διαιροῦντα, καὶ διαιροῦσι μὲν οἱ διχοτομοῦντες. οὐκ ἔστι δὲ διαφορὰ στάσεως, ἣ στᾶσις. ἀδύνατον γὰρ εἶδος εἶναι τοῦ μὴ ὄντος. Et cæt. nam fusius locum persequitur. Ea autem quæ præcedũt

Genus in duas differẽtias difficulter diuiditur.

Priuationis nulla differētia.

uerba sic Gaza transfert: Priuatione itē diuidere ita necesse est. Et quidem id faciunt, qui seorsum in duo secant. At priuationis, quà priuatio est, nulla est differentia. Non enim fieri potest, ut speciei eius sit, quod non est. & cæt.

d Verùm hæc de altero.) Reiectio, qua ad postremum compositarum substantiarum genus accedit, in quo cùm esse à natura distet, tam ex parte ipsius esse, substātiæ sunt definitæ, quàm ex parte ipsius naturæ, seu essentiæ: Quarum definitionum hæc deorsum uersus spectatur, illa sursum uersus, ut capite antegresso de simplicium substantiarum essentia ostensum est.

Concretæ substant. vtrinq; finitæ.

e Etiam esse ac natu.) De hoc suprà cap. 9. diximus, ex lib. 2. B. Thomæ, contra Gentiles, cap. 54.

f Quemadmodum suprà doctum.) De hoc uide suprà, cap. 3.

g Atque in his substant.) Compositæ substantiæ propter materiam in eadem specie Individua habent: Simplices propter materiæ defectionem non item. In hunc locū uide Aristotelē lib. 11. Metaphysicor. cap. 8. quo loco sic inquit: ἀλλ' ὅσα ἀριθμῷ πολλὰ, ὕλην ἔχει.

In concretis individua insunt

h Atqui de his satis.) Concludit per reiectionem, transiens nunc inde ad accidentium uim ac naturam explicandam. Quo modo compositarum substantiarum natura ad Logicas se intentiones habeat, de eo dictum est, cap. 6. & 7.

CAPVT DVODECIMVM.

Tranſit ad naturā accidētium explicādā.

QVandoquidem [a] explicata est & pertractata hactenus omnis de natura ac vi substantiarum, tum materialium & concretarum, tum à materia semotarū ac simplicium, quæ initio nobis proposita fuit, quæstio: consequi nūc videtur, vt de ijs quæ in hac tractatione adhuc reliqua sunt, nunc deinceps consideremus. Sunt autem ea non alia, nisi vt quo pacto in ijs, quæ substantiæ adiuncta ac consequentia sunt, ([b] vulgò accidentia nuncupare consueuimus) sese essentia habeat, à nobis intelligi ac perspici possit. Nam id solum etiam nū nostri instituti supereſt, quo exposito & declarato, nihil quod in hac materia amplius quis desideret, facilè habebit. [c] Cùm itaq;, quemadmodum initio dictum est, essentia in omnibus rebus sit id, quod definiendo aperitur & explicatur, consentaneum est profectò, eo modo essentiam accidentia habere, quo modo definitio ijs competit, qua essentia explanatur. Definitio autem quæ ijs cōuenit, ex se minus perfecta est & absoluta, [d] eò quòd nō nisi adhibito adiuncto q́ue subiecto ea ferè definiantur. [e] Cuius rei causa est, quòd ea suapte vi cohærent, nec per se ipsa esse habent absolutum, sed illud ab altero, nimirum à subiecto, dimanās ac dependens. Esse enim accidentis, vt per-

Accidētiū essentia, v definitio, imperfecta.

vt peruulgato verbo iactatur, nõ aliud, quàm inesse est, hoc est, alteri inniti ac inhærere. [f] Quæ cùm ita habeant, illud quidẽ profectò ex ijs quæ posita sunt, efficitur & consequitur, essentiam, quæ accidentibus tribuitur & accommodatur, non perfectam, absolutã, ac plenam, sed inchoatam, diminutam, & tanquam mancam iudicari oportere. [g] Sed quò clariùs hæc percipi, atque intelligentia comprehendrà te possint, sic habe, accidentalem formã, de qua hîc disputamus, non longè diuersam ac dissimilem esse substantiali formæ, quæ materiæ cõparata, perinde inchoatam & imperfectam sine materia essentiam habet, atque iam de accidente dictum est, illius citra subiectum imperfectam diminutamq; esse essẽtiam. Qua de causa, vt accidẽtalis forma per subiecti accessionem, vt in Metaphysicis Aristoteles docet, definiẽdo declaratur & explanatur, ita & substantialis sine eo cuius forma est, nõ facilè definiri & explicari omnino potest. [h] Cuius rei coniectura vel ex eo quidem manifestè sumitur, quòd anima finiendo à Naturali Philosopho non explicatur, nisi adhibito & expresso eo, in quo [i] tanquam in vase ac domicilio inest. Corpus dico, organis atque instrumentis naturâ variè instructum & informatũ, in quo & per quod actiones suas ac munera probè anim[a] exerceat. [k] Atque hinc est, quòd perinde vt substantialis forma in rerum naturalium compositione & coagmentatione materiæ accedens, cum ea coniungitur & copulatur, ex qua coniunctione esse substantiale ipsi rei impertitur & communicatur: ita & accidentalis forma in artificiosarum rerum elaboratione & confectione, ad substantiam accedens, cum eadem coniungitur & quasi conglutinatur, quibus inter se ita coniunctis & cohærentibus, ipsi subiecto esse, quod vocant, accidentale suppeditatur & obuenit. [l] Sed quod tu mihi esse, seu substantiale, seu accidentale, hîc commemoras? Vt horum inter se distinctio dissimilitudoq; quę sit, intelligi queat, id sciendum est, quemadmodum substantialis forma [m] per se ipsa minimè constat, neque est sine eo cui accedit, ita nec illud, cui ista iungitur, quodque per eandem illam informari atque effingi debet, (materiã dico) [n] ipsum per se in natura constare: sed ita vtrumq; affectum esse, vt tametsi neutrum per se cohæreat, nec perfectam essentiæ habeat rationem, vtrumque tamen essentiæ constituendæ pars sit, & illius necessariam quandam naturalemq; in se habeat efficientiam. [o] Id enim quod ex ambabus istis partibus inter se coniunctis & coagmentatis coalescit, per se verè ac propriè vnum, tale est, quod suopte nixu ac virtute se con-

Accidentalis formæ cũ substantiali collatio.

Esse substãtiale ab accidentali qd distet.

tinet, cui esse, id quod substantiale diximus, sine omni controuersia conuenit. [p] Id verò, quod non essentiali, sed accidentali forma cum substantia confusa & permista oritur, nequaquam tale est. Nam cùm id, cui accidentalis forma accedit, per se ipsum constet, [q] vt pote cuius esse naturaliter ipsum accidens antecedit & præuertit: certè accidentalis forma illi, cui accedit, coniuncta & copulata, nequaquã tale esse illi impartit, [r] cuius vi & efficacia simpliciter illud cohæreat: [s] sed tale potiùs, sine quo id ipsum, si non reuera, saltem cogitatione & intellectu constare queat, perinde vt primum in numeris sine secundo & tertio, intellectu comprehẽditur. [t] Atque ob eam causam id quod tali accidentis subiectæq; naturæ compositione conflatur, non propriè nec per se, sed quasi per accidens vnum fit, eaque quæ ad eum modum gignitur & conflatur, natura, non omnino ac simpliciter, sed quodam tãtùm modo, natura atque essentia dicitur. Nimirum ad instar formæ, seu accidentis, [u] à quo efficitur, cui vt absoluta naturæ ratio non conuenit, ita nec reuera essentiæ pars est. [x] Siquidem vt secundum quid tantum modò ens est, ita & secundum quid, hoc est, impropriè & quodam modo, (quod κατάτι Græci appellant) naturam atque essentiam habet. Sed hęc de substantialis accidentalisq; esse differentia ac discretione. [y] Quòd si quæ accidentium causa sit, vnde originem atque ortum habeant, quispiam roget, non difficilis adeò ad id responsio est, propterea quòd substantia accidentium ex se gignendorũ ac producendorum quandam in se vim continere, atq; efficientiam videatur. Id quod hoc modo, si quis dubitet, intelligi licet. [z] Namq; ita naturâ comparatum est, vt quod primùm, maximeq; & verissimè in quoque genere extare & cohærere cernitur, id omnium eorum, quæ posteriora in eodem genere sunt, & consequentia, origo sit & quędam causa, [a] quemadmodum de Igne, verbi gratia, patet, qui infiniti & immensi feruoris ex omnibus corporibus quæ natura constant, cùm sit compos, ipse in omnibus alijs rebus vt calor ardorque excitetur, author est, vt in Metaphysicis scriptum Aristoteles reliquit. [b] Iam vt substantiæ vim ac naturam exquiras, nõne illam in vniuerso genere eorum quę sunt, lõgè principatum obtinere animaduertis, non modò quod ad dignitatem attinet, (qua cæteris rebus omnibus quàm maximè sanè antestat) sed etiã quod attinet ad rationem, cognitionem, tempus, ac naturam? Nam hi tot modis, [c] si Aristoteli in lib. de prima Philosophia credimus, substantia primum est rerum omnium. [d] Quæ cùm ita sunt, quid? dubitare aliquis

Accidentium causa & origo, ipsa substãtia.

quis poteſt, ſit ne accidentium eorum, quæ in genere rerum ſubſtantiæ cedunt, & quæ non niſi ſecundariò eius quod eſt rationem participant, ſubſtantia, principium, origo, & effectrix cauſa quædam? [e] Porrò nõ eodem modo ex ſubſtantia omnia accidentia gigni & oriri exiſtimandum eſt. Cùm enim ſubſtantia, præſertim corporea, duabus partibus conſtet, hac materia, illa forma: ſunt, quę materiam præcipuè ſequantur, ſunt, et quæ formam maiore ex parte. [f] Ac cùm formarum aliæ ſint, quæ cũ materia commercium habeant, aliæ quarum eſſe omnino à materia abhorret: (prioris generis in homine ſunt anima ſentiens & vegetãs, poſterioris in eodem, anima rationis & mẽtis capax) fit pro hac formarum diuerſitate, vt ea quæ ratione formæ ex ſubſtãtia oriuntur, accidentia, partim quandam cum ipſa materia ſocietatem ac communitatem habeãt, vt ea quæ tum à ſentiente, tum à vegetante anima proficiſcuntur, vt ſentire, alere, augere, gignere, & id genus ſimilia: alia verò nõ habeãt, vt ea quæ ab intelligente & rationis compote animo exiſtunt, vt intelligere, velle, et alia generis eiuſdẽ. [g] Nam ſentire, alere, gignere, augere, talia ſunt, quæ omnino corporis ſocietatem requirũt, non modò, quòd obiectum, [h] ἀντικείμενον, planè corporeum ac materiatum eſt, (cuius generis obiectum quodammodò & intelligentis animæ videtur, quippe cùm pro huius vitæ ſtatu mens ſine phãtaſmate non intelligat) ſed etiam, [h] quòd corpore, vt inſtrumento neceſſariò vtuntur: Id quod de intellectu ac voluntate pari modo dici non poteſt. Neque enim ſeu mens, ſeu voluntas corporeo inſtrumento ad munera ſua probè fungenda & conficienda indiget, [i] quemadmodum lib. 3. quem de Animo ſcriptum reliquit, Ariſtoteles docet. [k] Sed hæc de ijs, quæ formam conſequuntur. Ea, quæ materiæ ratione ex ſubſtantia ortum ducunt, [l] cùm omnis materia eſſe ſuũ non niſi formæ beneficio atque efficacitate obtineat, quod ad formæ cõmunionem ac ſocietatem attinet, eatenus inter ſe conueniunt, quòd nullum ipſorum omnino formæ communione ac conſortio careat. Quanquam quod attinet ad formarum diſtinctionem ac differentiam, quædã in hoc ipſo genere diuerſitas ac diſcrepantia incidit. [m] Sunt enim accidẽtia quædam, quæ materiam ſequantur, qua ex parte ad certi generis ſpecialem formam reſpicit, [n] quo modo maſculinum & fœmininum in animalibus inſunt, quorum diuerſitas ex materia pendet, ea, quæ ad animam ſuſcipiendam iam comparata et inſtructa eſt. [o] Prout enim eadem materia vi & efficacia caloris ſemini inditi vel abundat, vel deſtituitur,

Accidẽtia quæ formam imitantur, duplicia.

Sic et quæ materiam

ita

ita vel mas, vel fœmina gignitur. Ex eodem enim semine, cùm externâ vim aliquam accepit, vel mas fit, vel fœmina, vt in Metaphysicis docet Philosophus. [p] Atque ob hanc causam, posteaquàm specialis ista forma per animalis interitum atq; internecionem remouetur, prædicta illa accidentia nisi nominis tantum communione societateq; non remanent. [q] Illa verò, quæ materiæ consequentia sunt, non qua ex parte specialem formam, sed quâ generalem materia respicit, (id quod alterũ huiusmodi accidentium genus est) illa quidem speciali forma remota, etiam nunquam in ea permanent ac perseuerant. [r] Ita nigredo cutis, quæ in Aethiope cõspicitur, ex elementorum quidem permixtione, non autem animæ ratione orta, etiam extincto Aethiope, in eo permanet, non diuersa, [s] sed eadem, qua antè fuit, specie ac natura. [t] Verùm his separatim de vtroq; genere accidentium, quod ad eorum originem ortumque attinet, sic positis, nunc quo pacto eadem inter se conferantur, quo modo inuicem à se distent, paucis indicandum est. [u] Itaque cùm vnaquæq; res & materię opera indiuiduetur, & per formam suam in eo, in quo versatur, tum genere, tum specie, (quemadmodum initio huius *Commentationis* assertum & demonstratum est) reponatur & collocetur: sequitur *ista accidentia*, quæ materiæ comparatione ex substantia originem trahunt, *Indiuiduorum* propria esse, per quæ & eiusdem speciei indiuidua inter se secernuntur & distinguuntur: *alia verò, ea, quæ formæ* consequentia ex eadẽ substantia ortum ducunt, nõ *Indiuiduorum, sed generum & specierum proprias esse affectiones.* [x] *Quò fit, vt & in ijs omnibus, quæ vel generis, vel speciei naturam ac rationem præferunt, hæc ipsa quoque reperiantur, quemadmodum ridendi vis ac potestas perspicuè declarat.* [y] Nam cùm *hæc facultas* ex eo gignatur, quòd homo rationis ac mẽtis compos, tale quid sentiendo intelligendoq; apprehendit, quod ipsum aliquo modo demulcet ac recreat: certè vt formæ efficientia hæc vis in homine potissimũ existit, ita totius hominis ad instar formæ itidem est consequẽs. Quam ob rem nemo hominum afferri potest, ([z] ne is quidem, quẽ nunquam in vita risisse aiũt, M. Crassus, auus istius qui apud Parthos interemptus est) cui insita ridendi facultas, opportunitasq; naturâ negata esse videatur. [a] At cùm his modis prædictorum generum accidentia sint superque inter se discernantur, illud hoc loco absolutioris doctrinæ causa, breuiter superioribus adiungendum est, quod pleriq; de accidentium distinctione ante nos monuerunt, alia esse, quæ ex insitis ac natiuis principijs

Prædictorum accidentiũ inter se collatio.

Ridendi vis omni homini ineſt.

cipijs oriũtur secundum actum perfectum, [b] vt calor in igne, qui re ipsa semper atque actu calet: alia verò, quæ non secundum actum oriuntur, maximè perfectum, sed secundum aptitudinem tantùm atque habilitatem, quibus aliunde inchoati actus complemẽtum ab exteriore causa accedit: [c] Quo modo se habet in aere, verbi causa, perspicuitas, illa quã extranei luminis, seu lucis diffusa nobis claritas exhibet. [d] In quo genere hoc aptitudo ab inchoati actus complemento quidem distat, quòd aptitudo in accidentibus est, ijs quæ à re subiecta nõ diuelluntur, [e] quæ Porphyrius τὰ ἀχώριστα, hoc est, inseparabilia, vocat: complementum verò, (quod extrinsecus alterius principij à rei natura atque essentia remoti vi adhibetur) non in istis, sed alijs, quæ sua vi ac natura à re abesse possunt, (τὰ χωριστὰ, hoc est, separabilia ea cum Porphyrio dixeris) haberi ac numerari debet. Cuius generis accidens est moueri, & alia huiusmodi.

Alia accidentiũ distinctio.

IN CAPVT DVODECIMVM,

COMMENTARIA.

a Quandoquidem explicata.) *Ostendimus suprà cap. 2. huius Opusculi tripartitam materiam ac sectionem: quarum duæ priores quidem partes, (quod ad substantiarum, tum simplicium, tum compositarum uim ac naturã attinet) satis accuratè perfecteq; cùm hactenus expositæ & explicatæ sint, sequitur nunc, ut de tertia parte, quæ accidentium naturam ac uim perscrutatur, simili modo agendum uideatur. Primùm, ut quæ'nam ipsorum essentia ac uis sit per se spectata: deinde ut qua ratione ad Logicas intẽtiones eadem sese habeant, nobis innotescat. Estq; hæc perfecta quædam hoc loco transitio.*

Transit ad accidẽtiũ naturam, quæ duplex est.

b Vulgò accidentia.) *Accidentia græcè τὰ συμβεβηκότα dicuntur, quam uocẽ Latinè alij adiuncta, alij attributa, quidam consequentia uertunt. Cicero lib. 3. de Oratore, Cõsequutionem dicere uidetur, cùm inquit quæstionem (cuius finis est cognitio) in tres partes diuidi, coniecturam, definitionem, & consequutionem. Verùm accidẽtis uox à Fabio usurpata est lib. 5. cap. 10. eamq; uocem Scholarum usus uel solam inter cæteras recepit & approbauit.*

Accidẽtia, τὰ συμβεβηκότα, vt aliter dicãtur.

c Cùm itaq; quemadmodum.) *Ostendit accidentium naturam atq; essentiam inabsolutam esse, perinde ut & ipsorum finitio inabsoluta atq; imperfecta est. Locus perfecta argumentatione constat. Propositio est, Talem esse accidẽtium essentiam, qualis est definitio. Assumitur deinde finitionem accidentium esse imperfectam. Vnde sequitur & talem eorundem esse naturam atq; essentiam.*

Accidẽtiũ natura imperfecta.

d Eò quòd non nisi.) *Ratio imperfectæ accidentium definitionis, quia non purè illa per se, sed tantùm ἐκ προσθέσεως, hoc est, per additamẽtum subiecti definiuntur, de quo uide Aristotelem lib. 6. Metaphysic. cap. 5. Memineris tamen hoc loco non quomodocunq;*

docunq; Accidens sumi, cùm per additamentum subiecti idipsum definitione explicare debebimus. Sumitur illud bipartitò: Propriè, quando cum subiecto comparatur, à quo depẽdet: Impropriè, quando cum speciebus seu partibus ipsi subiectis: quarum prior sumptio physica est, altera Logica. Iam cùm Physicè accidens definiẽdum erit, quia istud à re subiecta (ut iam diximus) dependet, non potest nisi additione subiecti illud definiri. Sic colorem definimus per corpus, æquale & inæquale per magnitudinẽ, par & impar per numerum, ridens per hominem, masculinum & fœminimũ per animal, & sic deinceps. Cum autem Logicè idipsum definire placet, iam nihil obstat citra subiectum illud definiendo explicari: Maximè cùm Logicæ definitiones, authore Aristotele lib. 1. de Anima cap. 1. semota materia formam solum ac rationem persequantur, idq; per genus et differentiam, quo modo ira, libido definitur puniendi eius qui uideatur læsisse iniuria. Misericordia, ægritudo ex miseria alterius iniuria laborantis. Candor & atror, colores, quorum hic contrahendi, ille dissipandi ac distrahendi aspectus in se uim continet. Quanquam tamen si hoc ipsum definitionum genus accuratiùs & subtiliùs introspicias, non omnino citra subiectum illud constare dixeris. Quid ita? quia etsi per se, ac primùm in ijs definiendis subiectum non adhibetur, adhibetur tamen aliquo modo, licet obscuriùs. Nimirum cùm genus, per quod antè dictæ species definiendo expositæ & explicatæ sunt, (dico libidinem, ægritudinem, & colorem) in sui definitione subiectum adhibeant. Quid enim libido, nisi affectio & perturbatio animi? quid ægritudo, nisi molestia & dolor eiusdem? Sed propriè ut ægrotatio (inquit Cicero lib. 3. Tusculana. quæst.) in corpore, sic ægritudo in animo nomen habet, non seiunctũ à dolore. Nõne color, extremitas perspicui in corpore opaco & terminato à physicis definitur? Res clarior est, quàm ut negari possit. Etsi igitur primùm & per se in sui definitione Logicè considerata accidentia subiectum non adiungunt, secundariò tamen ratione generis in ipsorum finitione idipsum adhibetur. Atq; ad hunc modum Armandus Beluisiensis de Accidentium suprà dictorum finitionibus propè sentit.

Accidens Physicè p subiectum definitur.

Logicè sine subiecto.

Præsertim primùm ac per se.

e Cuius rei causa est.) Nempe quòd necessariò subiectum in definitione adhibeant. Accidentium esse, à subiecto dependet, Ergo subiectum in ipsorum definitione necessariò adhibendum. In hunc locum uide B. Thomam lib. 6. Metaphysicor. cap. 5. Accidentia uerò nõ habent esse (inquit) nisi per hoc quod insunt subiecto. Et idcò eorũ quidditas est dependens à subiecto. Et propter hoc oportet, quòd subiectum in accidentis definitione ponatur, quandoq; quidem in recto, quandoq; uerò in obliquo, & cæt.

Accidẽtiũ esse vnde pendeat.

f Quæ cùm ita habeant.) Conclusio argumentationis, Accidentium essentiam esse imperfectam.

g Sed quò clariùs.) Clariùs explicandæ rei causa, accidentalem formam cum substantiali confert, docens pari modo & substantialis formæ imperfectam essentiam esse, ut quæ

paritas

pariter à materia quodammodò dependeat. Quamobrem & per materiæ adiunctionem ipsa definiendo explicatur, de quo suprà cap. 2. nonnulla diximus. In hunc locum uide contradictiones Antonij Simaræ, quas in libros Metaphysicorum edidit, maximè in lib. 6. cap. 10. quo loco Aristoteles disputat de rerum finitionibus, & partibus earundem.

h Cuius rei coniectura.) Exemplo ab animæ definitione petito idipsum docet. Quæ animæ definitio sit, uide apud Aristotelem lib. 2. de Anima, cap. 1. Illam suprà cap. 2. ex Aristotele in medium adduximus.

i Tanquam in uase.) De hoc uide Platonem in Cratylo, cui corpus tanquam animi sepulchrum ac carcer quidam uidetur. Vnde σῶμα, quasi σῆμα idem istud appellatum esse censet. Corpus animi sepulchrum.

k Atq; hinc est, quòd perinde.) Ostendit, ut formæ substantialis compositione cum materia, esse substantiale rei subiectæ comparatur, sic esse accidentale eidem comparari coniunctione formæ accidentalis cum substantia.

l Sed quod tu mihi esse.) Explicat quodnam sit esse, tum substantiale, tum accidentale. Substantiale describit Gilbertus in ipso toto composito, id quod ex quadam compositione esse composito confert, nec à re abesse potest. Ita accidentale erit, id quod nec esse simpliciter composito confert, & abesse potest à re ipsa. Priusquàm tamen ad hæc ipsa describenda ueniat, antè quædam de partibus & quasi causis utriusq; esse (ut sic dicam) ob oculos ponit, ex quibus substantialis rei forma ab accidentali & aduentitia quid distet, perspicuè intelligi datur. In hunc locum uide B. Thomam, parte 1. quæst. 76. art. 4. Item quæst. 77. artic. 6. Esse substãtiale. Accidentale.

m Per se ipsa minimè constat.) Memineris hîc de forma rei naturalis parte, non de subsistente, quæ ipsa per se cohæret, sermonem fieri.

n Ipsum per se in natura.) Est enim materia, res quædam sola potestate cohærẽs. Vnde & potestas, ἡ δύναμις ferè eadem appellatur.

o Id enim quod ex ambabus.) Loquitur de toto composito, cui esse substantiale uirtute coeuntium partium, materiæ ac formæ, tribuitur.

p Id verò, quod non sub.) Altera pars collationis, qua esse accidentale describit, cuius efficiens est accidentalis forma subiectæ rei iam cohærẽti accedens, sine quo res ipsa, si non alio modo, at certè intelligentia cogitatione q; existere potest.

q Vtpote cuius esse natu.) Sic Porphyrius Isagoge, cap. 6. δεῖ γὰρ εἶναι ὑπο κείμενον, ἵνα ἐκείνῳ τί συμβεβηκὸς. τὰ δὲ συμβεβηκότα, ὕστερογενῆ εἶναι πέφυκε, καὶ ἐπισιώδη τὴν φύσιν ἔχει. Id est, Necesse est enim rem antè subijci, ut ei quid accidat. Accidentia uerò posteriùs nascuntur, habentq; naturam suam omnem in substantia cohærentem. Huc pertinet, quod B. Thomas parte 1. quæst. 17. art. 6. inquit: Omnis res primùm esse supponit, hinc esse quantum, quale, magnum, paruum, & cæt. Subiectã accidente prius.

r Cuius vi & efficacia.) *Tale est, quod substantiale paulo antè dictum est.*

s Sed tale potiùs, sine quo.) *Accidentale intelligit, quod cùm aliunde perfectæ iã rei accedat, etiam sine illo res per se constare, aut minimum certè per se intelligi poterit.*

Vnum, aliud per se, aliud per accidens.

t Atq; ob eam causam.) *Distinguit subiectũ huius generis à superiore, quòd cùm illud & per se unum sit, & propriè simpliciterq; essentiam constituat, hoc neq; per se ipsum unum est, neq; essentiam nisi quodam tantum modo, hoc est impropriè* κατάχρησιν *constituit. De distinctione uerò unius tum per se, tũ per accidens, uide Aristotelẽ lib. 4.* τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, *cap. 6.*

u A quo efficitur.) *Vt forma substantialis dat esse rei substantiale, sic accidentalis, accidentale.*

x Siquidem vt secundum quid.) *In hũc locum uide Aristotelem, cùm alibi, tum lib. 6. Metaphysicor. cap. 1. & cap. 4. quibus in locis quatenus tum entis, tum essentiæ uerbum reuera accidentibus accommodetur, ostendit. Cætera uerò esse dicuntur, (inquit cap. 1.) eò quòd eius quod propriè simpliciterq; est, partim quantitates sint, partim qualitates, quædã affectiones et proprietates, nonnulla aliquid aliud generis eiusdem, & cæt.*

Accidentibus quatenus esse cõueniat.

y Quòd si quæ causa sit.) *Inuestigat causam & originem accidentium, uultq; eam substantiam esse, in qua hærent & insunt accidentia. At si accidentium suscipiens est substantia, quo modo, inquias, eorundem efficiendorum gignendorumq; in se potestatem continet? Author est B. Thomas parte 1. quæst. 77. art. 6. bipartitò substantiam, siue subiectum à nobis spectari & considerari posse: hoc modo simpliciter atq; absolutè per se, quo modo ipso iam actu perfectum absolutumq; subiectum cõstat: illo non per se, sed quatenus ad accidentia refertur, quorum suscipiendorum in se uim obtinet: qua ratione quidem in potentia idipsum constare dicitur. Iam si quatenus actu constat, ipsum per se absolutum & perfectum, id consideraris, gignendorum ex se accidentium potestatem continet: sin iam & genita ab altero suscipiẽdi facultatem dicitur obtinere. Thomæ uerba si requiras, sic habent: Vnde actualitas formæ accidentalis causatur ab actualitate subiecti, ita quòd subiectum in quantum est in potentia, est susceptiuum formæ accidentalis: in quantum autem est in actu, est eius productiuum. Et rursum: Quia iam dictum est, quòd accidens causatur à subiecto, secundum quod est actu: & recipitur in eo, in quantum est in potentia. Caue autem hæc intelligas de quouis accidẽtium genere hîc dici. Accidentia alia propria sunt,* καθ' αὑτὰ, *quæ per se rei conueniunt: alia communia,* κατὰ συμβεβηκὸς, *quæ aliena ui rei insunt. Hîc de proprijs & per se conuenientibus, non de ijs, quæ aliena ui inducuntur & rei insunt, sermo habetur, idq; eodem Thoma author horum hæc loco iam antè notato uerba sunt: Et hoc dico (inquit) de proprio & per se accidente. Nam respectu accidentis extranei subiectum est susceptiuũ tantùm. Productiuum uerò*

Subiectũ bipartitò considerat

Hoc modo producit, ut potestate cohærere dicitur, illo suscipit accidẽtia.

De quo accidẽtium genere hic sermo fit.

uerò talis accidentis est agens extrinsecum.

z Nam ita naturâ.) Perfecta argumentatione utitur, partibus singulis suo loco positis & explicatis. Propositio sumitur ex lib. 1. Metaphysicorum breuiore, cap. 1. quo loco uerba Aristotelis sic habent: ἕκαστον δὲ μάλιστα ἀυτὸ τῶν ἄλλων, καθ' ὃ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει δ' σεωώνυμον, οἷον δ' πῦρ θερμώτατον, καὶ γὰρ τοῖς ἄλλοις δ' αἴτιον τοῦτο τῆς θερμότητ@, & cæt.

a Quemadmodum de igne.) Ignis exẽplo ueram esse propositionem declarat.

b Iam vt substantiæ.) Hæc assumptio est: Substantia in genere eorum quæ sunt, longè principatum tenet. Nam cùm cætera substantiæ intuitu solummodò esse dicantur, substantia ipsa per se suapte ui ac sponte cohæret, ut multis locis in Metaphysicis Aristoteles docet, de quo in antegressis meminimus. Substãtia per se cohæret.

c Si Aristoteli in lib. de pri.) Locus est apud Aristotelem in Metaphysicis lib. 6. cap. 1. idq; his uerbis: πολλαχῶς μὲν οὖν λέγεται δ πρῶτον, ὅμως δὲ πάντων δ οὐσία πρῶτον καὶ λόγῳ, καὶ γνώσει, καὶ χρόνῳ καὶ φύσει, & cæt.

d Quæ cùm ita sunt.) Conclusio, Ergo substantia propriorum scilicet accidentiũ est causa et origo. Nimirum quia ex eius initijs accidentia omnia profluunt, ut nunc deinceps dicetur.

e Porrò non eodem modo.) Ostendit qua diuersitate è substantia accidentia oriantur. Cùm substantia partim forma, partim materia constet, sunt accidentia, quorum alia formæ ratione ex substantia oriuntur, alia ratione materiæ, quorum utrumq; genus non uniusmodi & simplex, sed geminum & bipartitum esse demonstrat. Accidẽs è substantia vt oriatur

f Ac cùm formarum.) Ea quæ formæ consequentia sunt, pro formarum duplicè genere, alia cum materia communicationem quandam habent, alia non habent. Huius generis sunt, uelle, & intelligere, animæ ratione præditæ officia & opera: Illius, sentire, alere, augere, generare, opera animæ sentientis & uegetantis, de quibus in lib. de Animo disserit Aristoteles. Quod ad præsentem formarum distinctionem pertinet, de eo uide suprà, cap. 9. Accidẽtia ratiõe formæ duplicia.

g Nam sentire, alere.) Ostendit, quo modo alia cum materia cohæreant, alia non item. Si obiectum utriusq; generis formarum ac facultatum animæ cõsideres, quia utrobique istud est materiæ quodammodò illigatum et corporeum, hoc modo cum materia utriusq; generis accidentia quodam modo fortè cohæreant. At hîc nõ ratione obiecti cum materia cohærere, uerùm organi & instrumenti quo utuntur, ratione, prædicti generis tum animæ, tum animarum facultates, affectionesq; cum materia cohærere & conglutinatæ esse iudicantur. Quod Latini uulgò obiectum dicunt, hoc est, id quod animo quomodocunq; proponitur, in quo eius actiones uniuersæ consumuntur, Græcè δ ἀντικείμενον μονον dicitur, qua uoce utitur Aristoteles, cùm alibi, tum lib. 1. de Animo, cap. 1. Quo modo cũ materia illa cohæreant. Obiectum δ ἀντικείμενον μονον.

h Quòd corpore, vt instru.) *In hunc locum uide lib. 2. de Animo.*

i Quemadmodum lib. 3. de Ani.) *Vide cap. 4. & alia quæ deinceps sequuntur, in quibus mentis ac uoluntatis rationis participis naturam ac uim inquirit & explicat.*

k Sed hæc de ijs, quæ.) *Transit ad accidentia, quæ materiæ ratione ex substantia oriuntur, quorum hoc inter se discrimen est, quòd alia materiam sequuntur speciali formæ destinatam, alia formæ generali: quorum hæc speciali forma inducta & obliterata, in subiecto nihilominus permanent: illa non item. Materia speciali formæ destinata, est subiectum seu indiuiduum, siue inferioris generis, siue speciei. Generali materiæ astricta, est indiuiduum generis superioris, & latiùs se diffundentis & extendentis.*

Accidẽtia ratiõe materiæ duplicia.

l Cùm omnis materia esse.) *Quo modo id? Nempe quia materia sola potentia est, quæ ad actum nisi formæ efficientia reuocari non potest, de quo in antegressis aliquoties meminimus.*

m Sunt enim accidentia, quæ.) *Accidentia distinguit pro formarum diuisione, ut prædiximus.*

n Quo modo masculinum.) *Masculinum & fœmininum, animalis accidentia sunt, quæ ex materia certæ formæ, utpote animatæ, destinata ortum ducunt, prout illa uariè afficitur & commutatur, de quo in Metaphysicis lib. 9. cap. 12. Aristoteles scribit ad hunc modum:* Τὸ δὲ ἄῤῥεν καὶ θῆλυ τοῦ ζώου οἰκεῖα μὲν πάθη, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ εἶδος σίαν, ἀλλ' ἐν τῇ ὕλῃ καὶ τοῦ σώματι. διὸ ἂν ἓν σπέρμα, ἢ θῆλυ ἢ ἄῤῥεν γίνεται παθόμενον πάθος.

Masculinum & fœmininum vnde pendeant.

o Prout enim eadem materia.) *Sic Thomas in prædicta Aristotelis uerba lib. 9. Metaphys. Quod patet ex hoc, quia idem sperma potest fieri masculus & fœmina, secundum quod diuersimodè patitur aliquam passionem, quia cùm fuerit calor operans fortis, fiet masculus: cùm autem erit debilis, fiet fœmina.*

Idẽ semen & maris & fœminę

p Atque ob hanc causam.) *Ostendit prædicti generis accidentia, speciali forma remota, non permanere, nisi nominis quadam appellatione. Sic homine extincto, neque mas, neq; fœmina propriè dici potest, cùm sexus unà cum ipsa natura aboleatur.*

q Illa verò, quæ.) *Hoc alterum genus est suprà dictorum accidentium, id quod generali formæ destinatam materiam cũ sequitur, etiam sua, hoc est, proprij subiecti forma deprauata, nihilominus in subiecto uerè permanet, si non* τῷ ἀριθμῷ, *hoc est, numero,* τῷ εἴδει *saltem, hoc est, specie, idem.*

r Ita nigredo cutis, quæ in Aeth.) *Quod hìc de Aethiopis nigredine, seu atrore dicitur, idipsum de cygni candore similiter intellige. Insunt autem hi colores partim cygno, partim Aethiopi, nõ ratione formæ, hoc est animæ, sed ratione materiæ, qua ex parte corporali formæ, quæ communis ac uniuersa est, eadem cõparandæ subijcitur. Hæc uarietas colorum in corporibus nascitur, prout elementa, quæ prima gignẽdorum colorum*

Colores insunt corporib. ratione materiæ.

initia

initia sunt, uariè in corporibus inter se confunduntur ac permiscentur. Quamuis ad eandem permixtionem etiam extrariæ quædam causæ accedunt, ex loco, cœlo, & alijs id genus circumstantijs: Quo modo in locis frigidioribus albiora, in calidioribus nigriora effici & gigni corpora uidemus.

s Sed eadem, qua antè fuit.) Rectè specie eandem permanere in Aethiope uiuo ac mortuo nigritiem ait, non numero. Nam posteaquàm propter substantialis formæ commutationem, ipsum subiectum nunc uiuum, nunc mortuum, aliud atq; aliud numero exstit: certè fieri non potest, ut idem numero, qui inest, color permaneat. Siquidem ita natura fert, ut cum subiectis ipsa simul accidentia commutentur. Accidētia mutantur cum subiectis.

t Verùm his separatim.) Subijcit prædictorum accidentium distinctionem. Ea est, quòd quæ formam rei imitantur, generum ac specierum propria sunt: quæ materiam, Indiuiduorum. Quorum illa, quæ generibus & formis tribuuntur, omniũ cõmunia sunt: quæ Indiuiduis, propria singulorũ. Ac cùm hæc ferè distinguendi causa Accidentia à Philosophis nominentur, priora illa non accidentia, sed uel propria accidentia, uel Propria omnino dici assolent. Atq; hinc sumitur illa duarum postremarum uocum in Isagoge Porphyrij distinctio, de qua ibidem nonnulla annotauimus. cap. 5. Distinctio supradictorum accidentium.

u Itaque cùm vnaquæq;.) Ratio prædictæ distinctionis à causis pendet. Quo modo materia, beneficio quantitatis origo & causa sit indiuiduationis rerum in eadem specie, dictum est suprà cap. 3. Quo modo per formam unumquicq; reuocetur ad suum genus aut speciem, de eo capite 1. dictum est. De principio et origine Indiuiduationis rerum ex professo Thomas disserit Opusculo 29. Huc pertinet, quod Auerroes lib. destructionum, disputatione 1. scribit causam pluralitatis seu numeralitatis esse materiam apud Philosophos: causam uerò conuenientiæ in multitudine numerali esse formam, de quo uide plura apud Antonium Simaram contradictione in lib. 6. Metaphysicorum cap. 8. text. 28. Cùm enim materia formã recipit, (inquit Bessarion lib. 3. in Platonis æmulum, cap. 22.) contrahit in indiuiduam. Et: Formæ autem positæ in materia, & limitantur, & singulares describuntur, & cæt. Materia, principiũ indiuiduationis rerũ.

x Quòd fit, vt & in ijs.) Ostendit, quæ generum ac specierum propria sunt, in omnibus ijs inesse, quibus naturâ competunt. Idq; docet exemplo τοῦ γελαστοῦ, id quod hominis proprium est, in eoq; toto (sicut in Isagoge Porphyrius docet) uersatur.

y Nam cùm hæc facultas.) Docet ridendi facultatem homini à forma suppetere, ideoq; uniuersim ei conuenire. Risus ex eo homini accidit, quòd aliquid iucundum & lætum menti occurrit, quemadmodum contrà, cùm triste quid & abominandum incidit, in fletum idem conuertitur. Risus & fletus vnde homini accidant.

z Ne is quidem, quem.) Loquitur de M. Crasso, qui quòd nunquam in uita riserit, Agelastus appellatus est. De eo ita Plinius lib. 7. Naturalis historiæ, cap. 19. Ferũt, inquit,

M. Crass. inquit, Crassum auum Crassi in Parthis interempti, nunquam risisse, ob id Agelastum uocatum. Cicero lib. 5. de Finibus, semel risisse ait ex Lucilij sententia, & nihilominus tamen propterea ἀγέλαστον recte uocari.

ἀγέλαστος.

a At cùm his modis.) Transit ad aliud accidentium discrimen, id quod ratione ortus atq; originis diuersæ illis competit. Sunt accidentia, quibus insita rei principia perfectum actum suppeditant, ut calor, qui ab igne ortum ducit. Alijs non insita rei principia perfecti actus causæ sunt, sed habilitas tantùm quædam & accommodatio percipiendi absoluti actus ab insitis principijs existit: ipsa uerò absolutio, & inchoati actus quasi supplementum aliunde extrinsecus affertur. Atq; hæc quidem à materia ferè existunt, superiora illa à forma ducuntur. Ita B. Thomas prima secundæ, quæst. 10. art. 1. In rebus naturalibus, inquit, id quod est naturale quasi cõsequens formã tantùm, semper actu inest, sicut calidum igni. Quod autem est naturale sicut consequens materiam, nõ semper actu inest, sed quandoq; secundum potentiam tantùm. Nam forma est actus, materia uerò potentia. Hæc ille.

Accidẽtia ratione originis diuersa quo modo.

b Vt calor in igne.) Hoc loco nota calorem ignis esse accidens, non formam essentialem, quod pleriq; ita statuerunt, de quo suprà cap. 9. diximus.

c Quomodo se habet.) Quod ad aëris perspicuitatem, τὸ διαφάνειαν, attinet, oritur quidem illa ex aëre, quod ad potentiã atq; habilitatem attinet. Verùm si actu iam constare in aëre debeat, necesse est aliunde importato lumine aër collustretur. Ita actus perfectio ab externa causa pendet, non insito naturaliq; rei subiectæ principio, ut paulo antè dictum est. In hunc locum, quod ad aëris attinet perspicuitatem, uide Aristotelem lib. 2. de Animo, cap. 7. φῶς δέ ἐστιν, inquit, ἡ τοῦτο ἐνέργεια τοῦ διαφανοῦς, ἡ διαφανές. δυνάμει δὲ ἔν οἷς τοῦτό ἐστι καὶ ἡ σκότος, & cæt.

Aeris perspicuitas ab externo lumine actu suppetit.

d In quo genere hoc.) Posterioris generis aptitudinem ab actus perfectione & cõplemento discernit, quòd aptitudo ad accidens inseparabile: complementum uerò & perfectio ad separabile idipsum pertineat. Hoc actu abesse potest, illud cogitatione tantùm & intelligentia remouetur, ut post Porphyrium Boëtius, & alij Dialectici annotarunt.

Aptitudo ab actu vt distet.

e Quæ Porphyrius τὰ.) Locus est apud Porphyrium in Isagoge, cap. 5. quo loco duplex accidentium genus constituit, hoc separabile, illud quod separari reipsa non potest. διαιρεῖται δὲ (inquit de Accidente loquens) εἰς δύο, τό μὲν γὰρ αὐτοῦ χωριστόν ἐστι, τὸ δὲ ἀχώριστον.

Accidens duplex.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

a Ed hæc de absoluta accidentium natura hactenus. Sequitur nunc, vt quo modo eadem natura Logicorum notionibus subiecta sit, demonstremus. Illud ergo cum primis tenendum est, non quemadmodũ in substantijs genus, species, ac differentia, sumuntur, ita in hoc rerum adiuncta.

adiunctarum genere, easdem istas notiões rectè sumi et explicari posse. Tantum enim abest, vt pari ratione vtrobiq; sumantur & explicentur, vt modus etiam sumptionis & explicationis omnino præposterus atque inuersus appareat. Quid ita? [b] Quò rectiùs id quod dicimus, intelligi possit, sic accipe, bifariam vtrumque genus, & substantiarum, & accidentium, à nobis ferè considerari. Vel enim concretè vtraque sumuntur, vel abstractè. Quo modo verò in substãtijs tum concretè, tum abstractè, natura accipiatur, suprà explicatum est, cùm quot modis compositarũ substantiarum essentia intelligeretur, diximus. [c] Nempe concretè tum sumitur, cùm materia & forma partibus inter se coniunctis, vna quædam ex istarum coniunctione & compositione per se natura efficitur & cõflatur. Abstractè verò, cùm vel materia seorsum, vel forma, prægredientis substantiæ partes, simpliciter atque absolutè spectantur. [d] In accidentib. autem concretio tum intelligitur, cùm accidens subiecto copulatũ, idipsum sua notione quodãmodò complectitur, vt cùm adiectiuè idipsum sumitur, vt album, musicum, probum, & similia, quorum significatio præter alborem, musicam, virtutem, ipsa item subiecta, vt corpus & hominem, [e] secundariò cõplectitur. Abstractio verò tum intelligitur, cùm ipsa per se accidentia, [f] vt nudæ sunt formæ seu habitus, sine subiectę rei adsignificatione sumuntur, quemadmodum fit, cùm nominibus substãtiuis significantur, vt albedo, musica, doctrina, virtus, & consimilia. [g] Iã his positis, quo modo præposterè, vt antè diximus, atque inuersè, Logicæ intentiones tum in substantijs, tum accidentib. reperiantur, sequitur vt indicemus. In substantijs quidem locum habent, quatenus concretè substantia sumitur, vt in his verbis, homo, bos, asinus, animal, lapis, plãta, & cæt. quorum partim species, partim genera sunt, idque in ordine et Categoria Substantiæ. Cùm abstractè natura intelligitur, [h] vt cùm formæ aut materiæ nominibus significatur, iam vt per se in Categoria propriè locum non habet, ([i] habet enim per reductionem tantùm, eo modo, quo principia in ordine ac classe eorum, quæ ex principijs conflantur & cõstant, reponuntur) ita nec prædictę istę notiones per se propriè, vereq; isti naturæ tribuuntur & accommodantur. [k] Atque hoc quidem modo in Substantijs res habet: In accidentibus contrà, cùm subiectæ rei accidens copulatur, quia ex ista tali subiectæ rei cum accidente copulatione & coniunctione, vna per se ipsa minimè natura conflatur, fieri nõ potest, vt Logica notio vel generis, vel speciei, illi naturæ accõmodetur.

Quomodo substãtiæ, & accidentia cõcretè, abstractèq; sumantur.

Quã diuerse ijsdẽ generis differentiæq; notiões accõmodent.

[l]Neque enim (quod generum ac formarum proprium est) vllum in Categoria locum, ea quæ ad istum modum proferuntur & designantur, saltem per se, accidentia habent. Si enim vsquam reperiuntur, id nō fit, nisi per reductionem, ratione alterius significationis earum quas præ se ferunt. At ea quæ separatim cohærentem atque innitentem in re subiecta formam ac qualitatem accidentia designant, quemadmodum per se verè ac propriè locum in Categorijs habent, ita prædictarum etiam notionum sine omni quæstione ac dubitatione attributionē recipiunt. [m]Sed vndé nam in hisce accidentibus, posteaquàm nulla ex materia formaq; exemplo substantiarum ea componuntur, tum genus, tum differentia sumenda sint, nōnulla quæstio est. Atenim necesse est, in accidentib. [n]primum summumq; genus sumi ab ipso modo essendi, vt sic loquar, nimirum quatenus diuersè id quod est secundum prius posteriusq; de decem generib. Categoriarum dicitur. Ad eum modum quantitas dicitur, quia substantiam dimetitur ac mensurat. [o]Est enim mensura propria quātitatis. Qualitas ex eo, [p]quia afficit & quasi disponit hoc illóue modo substantiam, vt aut bene aut malè habeat. Et sic de alijs, quemadmodum in lib. de prima Philosophia Aristoteles attestatur. [q]Differētiæ verò in eis sumuntur pro distinctione ac varietate principiorum, ex quibus oriuntur ac promanant. Id quod hinc intelligi potest, Nam cùm propriè affectiones, seu accidentia, [r]præsertim abstracta, (quo modo propriè in Categorijs ea versari prædiximus) definiendo explicantur, tum in eorū definitionibus res subiecta, tanquam differentia, adhibetur. [s]Sic enim dicimus, aduncitatem, rostri, & simitatem, nasi quasi curuitatem & inflexionem, ita vt nisi rostrum ac nasum in his duobus accidentibus describendis ac finiendis adiungeremus, quid simitas aduncitati interesset, nō facilè intelligi liceret. [t]Ita quatenus res subiectæ (quæ antegressorum accidentium propria sunt initia) inter sese distant, & accidentium eorundem distare inter se separariq; differentiæ intelliguntur. [u]Sed quid, sempérne in finitione accidentium, subiectum vt differentia adhibetur? Nō id necesse est, neque à nobis asseritur. Quin verò etiam vt genus in definiendis accidentibus quandoque id poni animaduertimus. Verùm id superiori sententiæ non repugnat. [x]Maximè cùm tum accidentia non abstractè sumantur, vt per se ipsa locum in Categorijs habent, (quemadmodum nos de ijs paulo antè loquuti sumus) sed concretè, quorū definiendi modus non dissimilis est definitioni compositarum substantia-

rum,

Vnde genus & differentia in accidentibus sumantur.

Subiectū in accidentium finitione bifariam adhibetur.

rum, in qua definitione rationem generis à materia duci manifestũ est. Atque sic dicimus simum, esse natum incuruum, aduncum, rostrum inflexum, & sic de alijs. [y] Quod verò paulo suprà de varietate ac distinctione principiorum diximus, vnde accidentiũ differentias (qua ratione in Categorijs ponuntur) duci voluimus, non ita intelligendum est, quasi ista principia, sola subiecta sint, è quibus accidentia ortum ducant. Quin etiam accidentia illa ipsa esse possunt. Est enim accidens vnum alterius non rarò principium et causa, [z] quemadmodum relationis principia, ea quæ sequuntur, actionem, passionem, & quantitatem, in Metaphysicis Aristoteles ponit. Attum perinde vt in superioribus, pro istorum distinctione principiorum, etiam illa, quæ ex illis nascuntur, accidentia differentias suas obtinẽt, eo modo, quo de Relatis in Metaphysicis idipsum docetur: quippe quæ pro diuersitate superiorum generum inter se distinguuntur ac diuiduntur. [a] Atque hæc de vera propriaq; differentium in accidẽtibus origine. Quòd si prætermissis ac dissimulatis proprijs ipsorum principijs, aliunde, nimirum ex effectis, accidentium differentię sumi videantur: id fit propterea, quòd propria accidentium initia non sem per cognita ac manifesta nobis sunt: Ita, vt hoc modo necesse sit tritiore, etsi minus accurata via, qualescunq; demum differentias perueſtigare, quibus propriarum inopiam ([b] quemadmodum suprà de substantijs ostendimus) vtcunque sarcire ac complere valeamus. [c] Atq; sic vim habere tum comparandi & colligendi, tum separandi ac distrahendi visus, (Συγκριτικὸν γὰρ διακριτικὸν φῶς cum Aristotele dixeris) colorum differentiæ illæ quidem dicuntur, quæ ex lucis raritate abundantia q́ue existunt, qua ex causa reliquæ deinde omnes colorum species oriuntur atque promanant. [d] Verùm de his satis. Iam quoniam et satis, vt videmur, de omnibus nostri instituti partibus hucusque diximus, & prę sentis libri magnitudo opinione paulo longiùs processit: sequitur, vt velis in arctum collectis, vnde primùm in amplum tot subtilium ac spinosarum quæstionum tanquam pelagus oratio nostra digressa est, eò se recipiat. [e] Fateor multa quidem in superioribus paulo subtiliùs atque inuolutiùs à nobis disputata ac tractata esse, quæ si minus, quàm futurum sperabamus, in rudiorum animos influxisse videbuntur, est, quòd venia nobis datum iri propterea sperem, quòd hæ res ad differendũ nobis propositę tales sunt, vt pro sui obscuritate vix satis dilucidè exponi atq; enarrari se patiantur. Quod qui non credit, ipse experiatur, num prædicta

Etiã accidens accidentis est principiũ.

Accidẽtiũ differẽtiæ sumuntur & ex effectis.

Cõcludit per repetitionẽ, veniam precans, si qd minus in hac re præstitum videatur.

clariùs nobis exhibere, atque in aspectum lucemq; proferre posit. Propositum nobis fuit ab initio, vt quo pacto in omnibus rebus essentia se haberet, non modò ad primæ Philosophiæ institutũ, sed ad Logicę quoque, aptè & accommodatè explicarem. Id si factum est in substantijs primùm, deinde in ijs quę substantijs inhærent: quid est, quod nostri propositi adhuc reliquum esse, restareq; alicui videatur? Substantiæ duplices fuerunt, hæ permistæ ac cõcretę, illæ simplices & concretionis omnis alienæ atque expertes: in quibus omnibus quæ naturæ vis ac ratio per se ipsa esset, quomodoq; ad Logicas & vniuersales intentiones affecta esset, (prima tantum causa, hoc est, rerum omnium principe atque authore DEO excepto) sigillatim demonstrauimus. Quodq; ad DEVM attinet, hunc tantæ simplicitatis esse docuimus, vt nullius intẽtionis, seu generis, seu speciei, seu differentiæ, in eum ratio planè conueniret. Quò fit, vt neque definitione aliqua is circumscribi & explicari, neque in Categoria vlla reuera locari aut reponi possit. In quo præsentis huius sermonis ac cõmentationis, vt omnium aliarum rerum, finem terminúmque vt statuamus, ipsa nos ratio meritò inducit & impellit.

Deus ob naturæ simplicitatem finiri nõ potest.

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM, COMMENTARIA.

a Sed hæc de absoluta.) *Transit ab absoluta Accidentium consideratione ad Logicam, docturus quemadmodum in accidentibus Logicæ intentiones, præsertim generis ac differentiæ, locum habeant. Atq; initio quidem longè secus, imo verò planè peruerse ac præposterè, in hisce prædicatas notiones sumendas atq; explicandas esse, atq; superiùs de substantijs ostensum est, declarat. Nam cùm in substantijs concreta natura antegressarum notionum uocabula susciperet, hic non concreta accidentia, sed abstracta earundem notionum uocabula appellationesq; sibi tribuere atq; adiungere demonstrat.*

Quid accidentia à substãtijs distent, qd ad intentiones spectat.

b Quò rectiùs id quod.) *Vt clariùs rem demonstret, ostendit bipartitò cùm substantias, tum accidentia à nobis spectari. Spectantur enim uel concretè, uel abstractè. Ac quod ad substantias attinet, de earum duplici consideratione supra dictum est, cap. 6.*

c Nempe concretè tum sumi.) *Hoc modo dicimus, hominem & animal esse substantias, quemadmodum cùm abstractè sumitur, pro homine dicimus humanitatẽ, & pro animali animalitatem, quæ à partibus sumptæ sunt naturarum appellationes.*

Substãtiarũ duplex sumptio.

d In accidentib. contrà.) *Accidentium concreta natura est, cùm adiectiuè ea proferimus: ut bonum, malum, album, nigrum: Abstracta uerò, cùm substantiuè proferuntur, ut bonitas, malitia, albedo, nigredo. Hæc per se ipsa cõsiderantur semota omni cogitatione subiecti: illa subiectum sua ipsorum notione simul comprehendunt. Ita ratione subiecti,*

Sic & accidentium.

quod

quod uel attingunt, uel à sese remouent, utraq; appellatio & concretorum, & abstractorum ijs tribuitur, cùm alioquin etiam abstracta quandam in accidentib. concretionẽ præ sese ferant, non secus atq; substantiæ: tametsi substantiarum instar nõ sunt ex materia & forma composita. Quòd uerò aliquam præ se concretionem ferãt, id ex eo patet, quia de inferiorib. subiectis sibi accidentib. dicuntur, ut cùm musicam esse doctrinam, & albedinẽ esse colorem dicimus. Quod sanè cùm uniuersa prædicandi ratio concretione quadam nitatur, (ut supra cap. 5 à nobis dictum est) nequaquàm aliàs posset fieri. Quod ad concreta accidentia attinet, horum duplex quædam esse concretio uidetur, altera quæ rem subiectam spectat, altera quæ refertur ad ea, quæ in eadem συστοιχίᾳ inferiora superioribus accidentia subijciuntur. Quarum hæc uulgò ignotior & tectior, illa apertior, & omnibus conspicua euadit.

Abstracta accidentia quandam concretionem etiã præferũt.

e Secundariò complectitur.) Hoc loco nota duplicem concretorum accidentiũ significationem, hanc principalem, qua formam seu qualitatem subiecto inhærentem significant: illam minus principalem, qua præter formam istam rem subiectam itidem cõplectuntur. Auicenna contrà statuit, primùm rem subiectam hoc genere accidentium significari, & secundo loco deinde cohærentem in subiecto qualitatem. Verùm istius sententiam B. Thomas refellit, cùm alibi, tum lib. 4. Metaphysicor. cap. 7. quo loco sic inquit: Nec est uerum, quod Auicenna dicit, quòd prædicata quæ sunt in generibus accidentis, principaliter significant substantiam, & per posterius accidens, sicut hoc quod dico albũ & musicum. Nam album, ut in Prædicamentis dicitur, solam qualitatem significat. Hoc autem nomen album consignificat subiectum ex consequenti, in quantum significat albedinem per modum accidentis. Vnde oportet, quòd ex consequenti includat in sui ratione subiectum. Nam accidentis esse est inesse. Albedo enim etsi significet accidens, non tamẽ per modum accidentis, sed per modum substantiæ. Vnde nullo modo consignificat subiectum. Si enim principaliter significaret subiectum, tunc prædicata accidentalia non ponerentur à Philosopho sub ente secundum se, sed sub ente secundum accidens. Nam hoc totum, quod est, homo albus, est ens secundum accidens. Hæc ille. Ac simili quidem modo contra Auicennam Auerroes disputat digressione super textum 14. lib. 4. Metaphysic. qua quærit, utrum nomen denominatiuum primò significet subiectum an accidens.

Concreta accidentia primã qualitatem, in de subiectã declarant cõtrà Auicennã.

f Vt nudæ sunt formæ seu habitus.) Hoc Aristoteles lib. 1. priorum Analytiorum, cap. 19. κατὰ τὰς ἕξεις uerba sumi ait: Superius illud, uerba κατὰ τὴν λέξιν exponi. τοῦτο δ' αἴτιον, ait, δὲ μὴ καλῶς ἐκκεῖσθαι τοὺς ὅρους κατὰ τὴν λέξιν, ἐπεὶ μεταληφθέντων τῶν κατὰ τὰς ἕξεις, οὐκ ἔσται συλλογισμός.

Duplex verborũ expositio.

g Iam his positis, quo.) Hactenus bipartitò utrumq; genus sumi declarauit: nunc quo modo in utroq; genere dissimiliter Logicæ intentiones reperiantur, demonstrat. In substantijs quidem concretè, in accidentibus abstractè reperiuntur.

h Vt cùm formę ac materię nominib.) *Id est, cùm ab altera partiũ, seu forma illa, seu materia, essentia denominatur. Quomodo fit, cùm humanitatẽ pro homine seu humana natura ponimus, cuius illa constituendæ tantummodò pars est, uti suprà capite 5. diximus.*

i Habet enim per reductio.) *Hoc loco nota bifariã quid in Categorijs apud Philosophos collocari. Propriè, per se, ac directò, quo modo sola species in Categoriæ genere propriè locari dicitur. Impropriè, aliena ui, atq; indirectò, quo modo præter speciem multa alia Categoriæ includi dicuntur. Ad hunc modum B. Thomas, parte 1. quæst. 3. art. 5. Dicendum est, inquit, quòd aliquid est in genere dupliciter: uno modo simpliciter & propriè, sicut species, & quæ sub genere continentur. Alio modo per reductionem, sicut principia & priuationes, sicut punctus & unitas reducuntur ad genus quantitatis, sicut principia: cæcitas autem & omnis priuatio reducitur ad genus sui habitus. Armandus Beluisiensis eorum quæ per reductionẽ in genere seu Categoria esse dicuntur, sex species commemorat. Ita partes ac membra in genere totius & integræ rei uersantur, ut anima & corpus in genere substantiæ, manus ac pedes in eodem, quia animal cuius ista partes ac membra sunt, in isto genere uersatur. Ita negationes ac priuationes in genere habituum atq; affirmationum sunt, ut cæcitas in genere aspectus, tenebræ in genere lucis. Ita & principia in genere eorũ, quæ ex principijs cõstant, ut punctus in lineæ, unitas in numeri genere uersatur. Adhæc imperfecta & inchoata in genere perfectorum & absolutorum, ut motus in genere & classe sui finis ac termini, ut ortus & interitus in Substantia: accessio & decessio in quantitate, commutatio in qualitate, & cæt. Item inferiora, ut individua, in genere superiorum ac specierum suarum. Postremò terminus in genere rerũ earum, quarum est terminus, ut esse hominis, esse lineæ, esse uirtutis, & sic deinceps, in eodem genere sunt, in quo est homo, linea, uirtus, & cæt.*

Bifariam qd in Categorijs collocatur

Modi, quibus impropriè quid in genere locat, ąt.

k Atq; hoc quidem modo.) *Transit à substantijs ad accidentia, quorum dispar atq; inuersa ratio est, ut antè diximus. Nam concreta in his prædictis notionibus carent: habent autem abstracta, ut deinceps sequitur.*

l Neq; enim (quod genera.) *A signo docet. Concreta accidentia per se à Categorijs excluduntur, ergo prædictarum notionum incapacia sunt. In Categorijs sola genera, species, ac differentiæ collocantur. Non sunt enim aliud Categoriæ, quàm generum, specierum, ac differentiarũ quædam coordinationes ac συσοιχίαι, quẽadmodum in Dialecticis docetur.*

In Categorijs quæ propriè insint

m Sed vndénam in hisce.) *Nunc deinceps quemadmodum in accidentib. tum genus, tum differentia, capienda sint, ostendit. Capiuntur quidem dissimiliter, atq; in substantijs suprà indicatum est. Genus à modo essendi sumitur, ut sic loquamur: differentiæ capiuntur à diuersitate principiorum, è quibus ortum habent.*

Genus & differẽtia in accidentibus vt sumantur.

n Primum

n Primum, summumq; genus.) *Ista genera, Porphyrius* τὰ πρῶτα, τὰ ἀνώτατα, καὶ τὰ γενικώτατα, *cap. 2. de Specie appellat. Eiusmodi sunt quantitas, qualitas, relata, agere, pati, & similia, de quibus in Categorijs disseritur: Quæ genera hîc secundum diuersos modos essendi capienda ac distinguenda esse: in Metaphysicis lib. 4. cap. 7. pro distinctione ac diuersitate figurarum prædicationis sumenda præcipiuntur. Diuersitas formarum prædicationis, ex diuersitate modorum essendi sumitur, quēadmodum ista diuersitas capitur pro multiplici ac uaria singularum rerum natura. Quod ad distinctionem uerbi Entis secundū prius et posterius attinet, de ea sæpe in antegreßis meminimus.*

Prima genera Categoriarum vt distinguantur.

o Est enim mensura.) *Sic Aristoteles lib. 9. primæ philosophiæ, cap. 2.* μάλιστα δὲ τὸ μέτρῳ εἶναι πρῶτον ἑκάστου γένους καὶ κυριώτατα τοῦ ποσοῦ. ἐντεῦθεν γὰρ καὶ ἐπὶ τὰ ἄλλα ἐλήλυθε. μέτρον γάρ ἐστιν ᾧ τὸ ποσὸν γινώσκεται, *& cæt.*

p Quia afficit & quasi disponit.) *De hoc uide lib. 4. Metaphysi. cap. 14.*

o Differentiæ verò in eis.) *Hactenus de sumptione generis, sequitur nunc de differentijs, quarum distinctio petenda est è distinctione ac diuersitate principiorum, à quibus accidentia oriūtur. Id quod ex eo patet, quia pro diuersitate rerum subiectarum ipsa inter se accidentia secernuntur. Quam ob causam & subiecta in definiendis accidentibus loco differentiarum assumuntur, ut nunc deinceps affirmat.*

Differētię sumuntur pro diuersitate initiorum.

r Præsertim abstracta.) *Rectè abstracta dicit. Nam concretorum dispar ratio est, ut paulo infrà ostendit.*

s Sic enim dicimus.) *Exemplo declarat ratione rerum subiectarum accidentia inter se discerni. Si absq; subiectis aduncum & simum perpendas, conueniunt illa inter se, quia utrumq; cauū & inflexum quiddā sonat. Ad hunc modum Aristoteles lib. de Reprehensionibus Sophistarum, cap. 16.* τὸ γὰρ κοῖλον, *inquit,* κοινῇ μὲν τὸ αὐτὸ δηλοῖ ἐπὶ τοῦ σιμοῦ καὶ ῥαιβοῦ, προστιθέμενον δὲ οὐδὲν κωλύει, ἀλλὰ τὸ μὲν τῇ ῥινὶ, τὸ δὲ τῷ σκέλει συμβαίνει, *& cæt.*

Aduncum & simum subiecto differunt.

t Ita quatenus res sub.) *Concludit id quod dictum est.*

u Sed quid, sempérne.) προληπτικῶς *obiectioni occurrit, docens quoties non abstractè, sed concretè accidentia definiuntur, tum in ipsorum definitionibus subiecta nō tanquam differentias, sed tanquam genera adhiberi solere. Verùm id antegressæ sententiæ non aduersatur. Siquidem antè de abstractis accidentibus sermonem habuimus, cùm istorum differentias pro distinctione rerum subiectarum capiendas esse monebamus.*

Subiectū in accidentib. bipartitò sumit.

x Maximè cùm tum.) *Distinctione accidentium obiectioni occurrit. Vel concretè accidentia sumuntur, quomodo obiectio locum habet: uel abstractè, quomodo obiectioni nequaquam locus est. Atq; sic antè de ijs sermo fuit. Hoc loco non indignum fuerit, quo pacto pro diuersa ista iam dicta accidentium sumptione, eorundem definitiones inter se discrepent, ex B. Thoma in lib. 6. Metaphysic. cap. 5. adiungere. Eius uerba sic habent:*

Duplex accidētium sumptio.

Et

Et propter hoc oportet, quòd subiectum in accidētis diffinitione ponatur, quandoq; quidem in recto, quandoq; uerò in obliquo. In recto quidem, quando accidens significatur, ut accidens in concretione ad subiectum, ut cùm dicis, simus est nasus concauus. Tunc enim nasus ponitur in definitione simi, quasi genus, ad designandum quòd accidentia non habent substantiam nisi ex subiecto. Quando uerò accidens significatur per modum substātiæ in abstracto, tunc subiectum ponitur in definitione eius in obliquo, ut differentia, sicut dicitur, Simitas est concauitas nasi. Atq; sic & lib. de Reprehensionibus Sophistarū, loco iam antè citato Aristoteles: ἔτι οὐ δοθέον τὴν λέξιν κατ' εὐθὺ, ψεῦδος γάρ ἐστιν, οὐ γὰρ ἔστι τὸ σιμὸν ῥὶς κοίλη, ἀλλὰ ῥινὸς τόδε οἷον πάθος.

Subiectū quādo recto casu, quādo obliquo ponatur.

y Quod verò paulo suprà.) Ostendit principij nomen in hac tractatione non solùm ad substantias, sed etiam accidentia pertinere: Maximè cùm alia ex alijs oriantur, cuius rei exemplum de relatis affert, quorum alia ex quantitate, alia ex actione, & alia ex paßione ortum ducunt, in quibus, quod de substantijs suprà dictum est, pro illarum diuersitate accidentiū differentias capiendas esse, idipsum & hìc simili modo obseruandū erit.

Principij nomen & accidētib. conuenit.

z Quemadmodum relationis princip.) Aristoteles in Metaphysicis lib. 4. cap. 25. in tribus Categorijs relationem uersari, & tanquam fundari author est, nimirum in quantitate, actione, & paßione. Cuius ratio est, quòd ratione istarum trium Categoriarum una res ad alteram tantum referri & comparari uideatur. Nam quod ad qualitatem attinet, hæc quatenus in se spectatur, nec accipit rationem potentiæ uel actiuæ, uel paßiuæ, (prout est principium actionis aut paßionis) non respicit nisi subiectum, in quo inest, idq; absolutè sine omni relatione. Ac tametsi cætera genera relationem quandam præ se ferunt, non tamen illius tam efficientia sunt, quàm aliunde natā eandem consequuntur. Ita Quando consistit in relatione quadam ad tempus: Vbi ad locum. Positio ordinē quendam partium importat: habitus accommodationem habentis ad id quod habetur, teste B. Thoma in locum suprà nominatum.

Relatio in trib. Categorijs tantū fundat.

a Atq; hæc de vera propriaq;.) Concludit de uera differentiarum origine, subijciens nunc inde, quo modo & aliter propter uerorum principiorum ignorationem quādoque ex effectis eædem sumantur.

b Quemadmodum suprà de.) Vide suprà cap. 11.

c Atque sic vim habere.) Probat exemplo differentiarum coloris, quæ sunt τὸ συγκριτικὸν καὶ τὸ διακριτικὸν τῶν ὄψεως, de quibus cùm alijs locis permultis, tum lib. 9. Metaphysicor. cap. 10. Aristoteles disserit. In quem locū B. Thomas fusius his uerbis scribit: Considerandum tamen, quòd disgregatiuum et congregatiuum uisus, (ita Latinè uulgò τὸ διακριτικὸν καὶ τὸ συγκριτικὸν ὄψεως conuerterunt) non sunt ueræ differentiæ constitutiuæ albi & nigri, sed magis effectus eorum. Ponuntur tamen loco differentiarum signa earum, sicut interdum per accidentia designantur differentiæ & formæ substantia-

Disgregatiuū & cōgregatiuū visus, an veræ coloris differētiæ.

substantiales. Disgregatio enim uisus conuenit ex uehementia lucis, cuius plenitudo albedinem constituit: & congregatio uisus conuenit ex causa contraria. Hæc ille. Quod attinet ad colorum species, & quomodo ipsæ inter se quadam permixtione gignantur, uide Aristotelem libello περὶ τῶν χρωμάτων, de Coloribus, quem Cœlius Calcaguinus Latinè conuertit.

d Verùm de his satis.) Reiectio, qua ad libelli conclusionem deinde transit.

e Fateor multa quidem.) Concessio, qua antegressæ disputationis obscuritatem excusat, rerum naturæ illam imputans, non suæ tractationi.

f Propositum nobis fuit.) Epilogum attexit prægressarũ rerum enumeratione constantem.

g Quò fit, vt neque definit.) Quia definitio omnis genere & differẽtia constat, ut permultis locis scriptum id Aristoteles reliquit: certum est, nulla finitione DEI naturam, ut quæ nec generis, nec differentiæ ullius particeps est, describi posse. De quo ita B. Thomas parte 1. quæst. 3. arti. 5. scribit: Et ex hoc patet, quòd non habet genus, neque differentias, neq; est definitio ipsius, neq; demonstratio nisi per effectum: quia diffinitio est ex genere & differentia: demonstrationis aũt medium est diffinitio. Hæc ille. Quàm difficilis explicatu et circumscriptu sit DEI notio, ostendit illa Simonidis responsio apud Ciceronem lib. 1. de Natura DEorum. Nam cùm Simonides ab Hierone Tyranno rogatus, quid quale; q; DEVS esset, se expedire non posset, sumpto ad deliberandum aliquanto spatio, Quanto diutiùs, inquit, considero, tanto mihi res uidetur obscurior.

Deus finitione explicari nequit.

Simonidis ad Hieronem responsio.

i

FINIS.

Errata sic corrigantur.

Pagina 1. uer. 30. non mediocriter. pag. 2. uers. 3. uocant. pag. 3. uer. 28. πράγματῶ. pag. 13. uers. 21. cap. 9. pag. 16. uer. 30. qui caloris. pag. 31. uer. 13. ducere uidetur. pag. 47. uer. 27. cohæret. pag. 50. uer. 8. atq; redundat. pag. 87. uer. 10. minimi gradus. Cætera Lector ipse corrigat.

MEMORABILIVM ET RERVM ET VERBORVM INDEX.

A

Abstractæ naturæ multiplices 53
Abstractè sumi quid? 105
Accidens aliter Physicè, aliter Logicè definitur 98
Accidens accidentis nonnunquam principiũ 107
Accidens duplex 104
Accidens è Substantia ut oriatur 101
Accidentia abstracta quandam cõcretionem præ se ferunt 109
Accidentia abstracta ut definiantur 106
Accidentia de generibus & specieb. ut enuncientur 40
Accidentia à Substantijs quid distent, quod ad intentiones spectat 108
Accidentia è Substantijs diuersimodè gigni 95
Accidentia mutantur cum subiectis 103
Accidẽtia ratione originis diuersa quomodo 104
Accidentia, τὰ συμβεβηκότα, ut aliter dicantur 97
Accidentia, ut materiæ, ita formæ ratione duplicia 95.100.101
Accidentibus quatenus esse conueniat 100
Accidentia alia generum & specierum, alia Indiuiduorum 103
Accidentium causa & origo ipsa substantia 94
Accidentium concretorum duplex significatio 109
Accidentiũ differentiæ unde sumantur 107
Accidentium duplex genus 45.49
Accidentium duplex sumptio 106.111
Accidentium essentia manca 93
Accidentium esse ut definitio, imperfecta 92.97
Accidentium esse est inesse 93.98
Actiuæ et passiuæ qualitates quæ, et quur sic dicantur 70
Actus, substantiæ nomen 63
Actus & ἐνέργειας duplex officium 15
Aduncum & simum subiecto differunt 111
Aëris perspicuitas unde 104
An Dei esse abuniuersali distet 71
An Dei esse omni perfectione careat 73
An esse Dei sit omnium rerum formale 78
Animorum nulla origo 12
An ex generis unitate specierum essentia cõfundatur 31
Angeli Intelligentiæ cur dicantur 53
Angeli omnes specie distant 57
Angeli quomodo compositi dicantur 67
An hominis animus à morte indiuiduus 75
Anima Aristoteli quid 15
Animal ad hominem ut affectum 24
Animal & pars & genus hominis quomodo 20
Animi à morte ut maneant 84
Animi definitio quo pacto explicetur 93
Animi esse indiuiduum permanet 83
Animi notiones duplices quæ? 5
Animis nihil admixtum 90
An magis & minus speciem in Intelligentijs mutent 86
Aptitudo ab actu ut distet 104
Aristoteles Naturæ Interpres 85.89
Aristoteles proueris differentijs alias supponit 89

750
23 Vm 67. 15178.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
14147